2

R. P. ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV Theologi,

COMMENTARII LITTERALES, ET MORALES in Vetus, ac Nouum Teſtamentum.

TOMVS QVINTVS,

Complectens quinque Sapientialium Libros, nempè Prouerbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Sapientiam, & Eccleſiaſticum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumptib. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, ET PETRI BORDE.

M. DC. LXVII.

CVM APPROBAT. ET PRIVILEGIO.



REVEREND.^mo PATRI NOSTRO
IOAN. PAVLO DE OLIVA
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI:

Humillimus filius ANTONIVS DE ESCOBAR ET MENDOZA S.P.D.

DE duobus illis Prophetis, REVERENDISSIME PATER, quos Dominus Ioanni promittit nouiſſimo orbis tempore aduenturos, ait Euangeliſta Apoc. 11. *Hi ſunt duæ oliuæ in conſpectu Domini ſtantes.* De Enocho, & Elia paſſim id Doctores interpretantur. Sed cum Lyrano & Stunica ad Zorobabelem Populi Sacri Ducem, & Ieſum Pontificem maximum verba hæc referenda eſſe crediderim: imò & intelligi debere de Myſticis Zorobabele & Ieſu, ſeu de perſonis, queis oliuæ ſymbolum conueniat, cum Alcazare affirmo. Multa in Scriptura ſacra, de oliua peruulgantur elogia. *Sicut oliua fructifera in domo Domini.* Pſal. 51. 10. *Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* Eccli. 24. 14. *Erit quaſi oliua gloria eius.* Oſe. 14. 7. *De pinguedine oliuæ*, ad Rom. 11. 17. Non iam, COLENDISSIME PATER, in præcelſo admodum cognomine tuo: (de quo ſæcularis quiſpiã Libri dicator exordiretur tuæ iniuria modeſtiæ

ũ 2 enco

encomium) sed in Te ipso & vno duplicem *Oliuam*, & vnum alterumque Heroëm Zorobabelem, & Iesum contemplor. Mysticus enim Zorobabel magnum Societatis IESV exercitum ducis; & Iesus simul Magni Sacerdotis exprimis proprietates. Ducis Religiosæ Militiæ est, sapientia ac prudentia subditos moderari: Sacerdotis verò, verbo & exemplo illos ad perfectionis culmen dirigere. Aiebat Tullius, *Olea accommodata est sapientibus iudiciis, & prædicationibus*, id est, apposité rectæ gubernationis, & veræ verbis & operibus prædicationis Symbolum exerit. Non vna, sed duæ Te Oliuæ ô Societatis Apex, apposité repræsentant. Nec enim in vna tot possent merita adumbrari. Vna quidem Olea Tuam ad spiritualis Militię gubernationem sapientiam exprimit: altera prædicationis veræ, id est, verbo & exemplo perfectissimam degendi normam enuntiantis, ostendit. Dum *Iudiciis* vacas, seu Ductoris Societatis munus geris, totus singulis, & omnibus es totus, subditis frequens, peruius negotiis cunctis, neglector quietis, fugax otij, laboris appetitor, humilis ad merita, honoris impatiens, inops in propria æstimatione, in Dei donis prædiues: Romæ degens, & prouidentiæ mirè pennis ad totius terrarum orbis omnia & singula Societatis Collegia, immò ad singulos subditos velocissimè auolas. In summo Societatis fastigio idem es, ac priuatus: semper humanissimus: agnosceris, sed agnoscis: eosdem nos, eundem Te putas: par omnibus, sed hoc cæteris maior maximè, quia Te eis exponis ęqualem. Ausim de Te dicere, quod Seneca de Gallione scripsit: *Nullum mortalium tàm dulcem vni esse*

eſſe,quam hic eſt omnibus. Huiuſmodi autē humanitas ergà ſubditos,quos ſocios ęſtimas ſeueritati,ac grauitati nihil detrahit. Videtur D.Nyſſenus (Orat. de iis,qui prǫmaturè &c.) de te ſcripſiſſe: *Ita morum grauitatem atque maieſtatem cum animi demiſſione commiſces, vt non auertas oculos intuentium, ſed iucundum facias obtutum. Vt nec grauitatis, ac ſeueritatis ſplendor obſcuretur, neque latens in animo vis propter benignitatem deſpiciatur, ſed alterum æqualiter in vtroque, tum in ſublimitate comitas, & humanitas, tum in humanitate vice verſa grauitas.* Profectò licet Sapientiam Tuam, & in regimine dexteritatem tota Societas non efferret elogiis: tot de ea laudes inſonarent, quot duo Volumina, quę de egregiis Concionibus coram Pontifice Maximo expreſſis, luci dediſti, clauſulas continent. Hæc quidem affectum accendunt legendi alia, quæ, fauentibus Superis, prælo permittes. Verum in Olea altera tuam dicendi *in ſermonibus* eloquentiam, tanto audientium fructu miramur: & tuarum virtutum normam trahendam noſtris moribus intuemur. Memorat Columella lib. 5. cap. 8. Olearum genus duplex. *Olearum*, ait, *quædam dicuntur Regiæ, & quædam Radij.* In Regia Oliua tua ſapientia mirabilis exprimitur. Nam vti cecinit Græcus Menander, *Sapientia Regina quidem, ſuametipſa coronatur Oliua.* In radiante Olea tuum nobis exemplū, & tuam egregiam concionandi dexteritatem aſpicimus (vt illud Tullij, *Olea accommodatur concionibus*, haud ſine pondere excidat.) Erectos cum dicis, tenes auditores, non ſolùm in aures, ſed & in præcordia illorum influis, rerum,

ac ſententiarum frequentia diues ſemper tua omnium inclamatione effluit oratio. Cæterùm nemo eſt, qui dubitet propriam, ac peculiarem oliuæ ſignificationem eſſe miſericordiam. Hanc non ſolùm ex vna, ſed duplici Oliua, ô Pater, expecto, reum me recognoſcens. Dubius hærebam, an auderem, hæc mea in Libros ſapientialium Commentaria inornata quidem pedibus Sapientiſſimi, vel pudore ſuffuſus exponere: nec me à dubitatione expedij, donec illa Lipſij in Crit. ſententia, quam de Te ſcripſiſſe videbatur, mihi ſe obtulit: *Inter præclaras, & eximias virtutes, tuas maximè quaſi è ſublimi quadam ſpecula ſe oſtendit, & extollit benignitas, illa tua & ergà* filios *litterarum ſtudioſos innata propenſio: quæ ità in te elucet, vt videatur, te ad hanc vnam virtutem natura genuiſſe, exercuiſſe voluntas.* Quid ſi ſimul accurrat Patris in filium affectus, de quo Auſonius, *Erratis filiorum facilè parentes dant impunitatem.* Vale, & viue tuæ Societatis, & tui humillimi filij votis.



LECTORI MEO.



VINQVE Sapientialium Libro hoc Volumen explicat, nempe Prouerbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Sapientiam, & Eccleſiaſticum.

Salomonem Ieroſolymorũ Regem Dauidis filium libri Prouerbiorum Auctorem fuiſſe omnes teſtantur, quem Septuaginta Interpretes inſcripſere Παροιμίαι Σαλομῶντος *Prouerbia Salomonis.* Hebræi verò משלי שלמה *Similitudines*, *Comparationes.* Continet verſus 915. inquibus tria millia parabolarum comprehenduntur.

Eccleſiaſten, quem Lxx. inſcripſerunt Ἐκκλησιάστης *Concionator*, & Hebræi קהלת *Koeleth* idem Rex Salomon compoſuit, neque eſt, qui hoc abneget præter auctores Thalmud, qui ab Ezechia, eiuſque familiaribus editum volunt, Exprimit mores hominum corruptos, indicans, quanta in iis puniendis ſit Dei miſericordia.

Canticum Canticorum Græcis eſt ᾆσμα ᾀσμάτων ὅ ἐστι τῷ Σαλομῶν, Hebræis autem שיר השירים אשר לשלמה, *Scir Haſcirim Haſcer liſclomo.* Certum, huius Libri Auctorem Salomonem fuiſſe, incertum verò an antè, vel poſt lapſum, ſtylo ludẽs Georgicorum ſub continua figurata locutione agit de amore Dei erga totum fidelium cætum, dialogiſtico more perſonarum interlocutione illum diſtinguens.

Liber ſapientiæ à Græcis vocitatur Σοφία Σαλομῶντος, *ſapientia Salomonis.* Num à Salomone fuerit compoſitus, nonnulla eſt quæſtio; quia cum in codicibus Hebraïcis non habeatur, ſed ſolum in Græcis, Philonem Iudæum eius auctorem eſſe credunt nonnulli. Tamen vt Bellarminus annotat. *de Scrip. Eccleſ.* à veteribus Patribus communi conſenſu Salomoni tribuitur. Probabile tamen valde mihi eſt, huius libri ſententias eſſe Salomonis, ſed in vnum volumen collectas & Græco idiomate expreſſas à Philone, non illo qui tempore Caij Imperatoris floruit, ſed alio antiquiore.

Eccleſiaſticus Græcè Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιρὰχ fuit à IESV Sirach filio Ieroſolymitano conſcriptus, quem IESVS eiuſdem Siracidæ nepos ex Hebræo in Græcum vertit. Encomia continet ſapientiæ, prudentum ſententias, ſapientum exempla. Horum Librorum expoſitionem eodem ſtylo percurram.

QVA

QVADRAGINTA NOVEM
ANTILOGIA,
QVÆ
IN QVINQVE HVIVSCE
Voluminis libris continentur.

SIVE, QVÆ INTER SE VIDENTVR pugnare, Testimonia.

Literalem solutionem sua in loca remittens, nonnulla moribus Documenta prælibo.

CAPVT I.

Antilogia, ex Libro Prouerbiorum, septem.

I. CAp. 3. vers. 12. *Quasi pater in filio complacet sibi.* Hebr. 12. v. 6. *Flagellat omnem filium quem recipit.* Si cõplacet in filio obedienti scilicet, quomodo eum quasi discolum flagello percutit? * Eum quidem afficit laboribus, vt sibi in eius patientia complaceat, eumque contineat, ne pace fruens caro ad voluptates prosileat.]

Quem Deus diligit laboribus afficit, eum retinens, ne fugiat ad vitia.

II. Cap. 6. v. 31. *Deprehensus fur reddet quadruplum, & omnem substantiam domus suæ tradet.* Vt quid istud? cum v. 30. dicatur, *Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit.** Quia licet grãdis culpa non esset furtum grauiorum criminum comparatione, agnatum est furto, vt qui propriis opibus admiscet aliquid alienum, omnem perdat ac destruat substantiam vel licite acquisitam.]

Quod furto acquiritur omnem substantiam perdit.

III. Cap. 14. v. 15. *Innocens credit omni verbo* Eccl. 19. v. 4. *Qui cito credit leuis est corde.* Quomodo ergo innocẽtia laudabilis, & leuitas taxabilis eò hæresçũt? * Quia qui verus est, non iudicat alios mentiri. Attamen si verè sit innocens facilem fidem dat eis, quæ laudabiliter de proximo dicuntur, non autem detractionis sermonibus. Vnde dixerim. *Innocens credit omni verbo bono.*]

Innocens credit aliorũ laudes, vituperiis non dat fidem.

IV. Cap. 16. v. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* At Eccli. 15. v. 12. *Non necessarij sunt ei homines impij.* Si non sunt impij Deo necessarij, quomodo dicitur propter semetipsum, & in diem malũ eos Dominum fuisse operatum? * Certe quia licet nulla creatura Deo sit necessaria, posito quod iustos elegit, conueniens fuit, vt cum impijs habitarent, ad iustorum patientiæ exercitamentum.]

Impios Deus permittit, necessarios quidem ad iustorum patientiæ exercitium.

V. Cap. 24. v. 4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam: nè efficiaris ei similis.* At v. 5. dicitur. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Si respondendum non est stulto, quomodo respondendum? * Respondendum quidem non approbando quod stultè protulit, in quo respondens, stultus appareret: sed taxando stultitiam.]

Stulto respondendum, non approbando sed taxando stultitiam.

VI. Cap. 29 v. 18. *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus.* At 1. Mach. 4. v. 46 Deficiente prophetia, instauratus est populus. Quomodo defectu prophetiæ dissipatur populus, & prophetiæ defectu instauratur? * Mistice quidem sicut veracis prophetæ, seu concionatoris adhortationibus peccatores reducuntur ad meliora: sic ad nequiora prolabuntur ex mendaci, & adulatorio conficti Prophetæ, nugacis Concionatoria sermone. Vnde sicut illo deficiente perit populi victus, hoc de medio sublato, reparatur, veracem Concionatorem Domino immittente.]

Verus concionator populi salutaris, adulator autem, recitator inquam nugarum populi exitium.

VII. Cap. 30. v. 2. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.* At 3. Reg. 3. v. 12. Deus ait. *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Quin & post lapsum, Eccli. 2. v. 9. *Sapientia quoque perseuerauerit mecum.* Si tam mirabili sapientia præditus erat Salomon, quomodo potuit verè se stultissimum virorum agnoscere? * Quia iustus dum fuit, cognoscebat non posse esse verè sapientem, qui se sapientem esse crederet. Post lapsum autem vacuus humilitate, suam agnouit sapientiam, & ex eo capite se insipientem exposuit.]

Qui vere sapiens est, se insipientem esse reputat.

CAP. II.

Antilogia, ex Libro Ecclesiastes, vndecim.

I. CAp. 1 v. 4. *Terra in æternum stat,* Ait vero Isaïas Cap. 24. v. 20. *Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur.* Et Luc. cap.

21.

21. v. 33. *Cœlum & terra tranſibunt.* Si auferttur terra, ſi tranſibit, quomodo ſtat æternum? *Quia ſignantur hîc homines in inſtabilitate, & agitatione ſemper ſtabiles. Inſtabilitas enim, & mutabilitas humanæ eſt agnata naturæ.]

Homo in inſtabilitate eſt ſemper ſtabilis.

II. Cap. 1. v. 7. *Ad locũ vnde exeunt flumina reuertuntur.* Sed Gen. 1. v. 10 *Phiſon, Geon, Tigris, & Euphrates* ſcaturiẽtes de paradiſo non cò reuertuntur. Ergo reuertuntur, & non reuertuntur omnia flumina ad locum vnde procedunt. *Signantur in fluminibus homines, qui vt aquæ dilabuntur, quos cum eiicit paradiſus voluptatis, nunquam aut raro iterum recipit. Vidi ex augusto feruoris vertice multos excidiſſe, ad quem fere nunquam vllum reuertentem aſpexi.]

Qui ex augusto feruoris faſtigio decidit tarò, ad illud reuertitur.

III. Cap. 1. v. 10. *Nihil ſub ſole nouum.* Ieremias vero cap. 31. v. 21. ait. *Nouum creauit Dominus ſuper terram: Fœmina circumdabit virum.* Ergo aliquid ſuper terram nouum. Certe Salomon de omnibus creaturis generice loquitur, nec tamen ideo priuilegia maternitatis Deiparæ comprehẽdit. Quia Mariæ priuilegia ab omni generali propoſitione circa humanam miſeriam excluduntur.] * Omne quod ad Deiparam pertinet, eſt nouum, quidquid generalis propoſitio contradicere videatur.] * Ex. gr. clamat Paulus, *Omnes in Adam peccauerunt, omnes mortui ſunt.* Omnes quidem præter Virginem in gratia conceptã; quia in generalibus propoſitionibus de peccato loquentibus ſignata non eſt. Regina Dei Mater.]

Priuilegia Mariæ omnia ſunt noua.
In generalibus propoſitionibus non comprehenditur Maria.
Omnes præter Mariam mortui in peccato.

IV. Cap. 2. v. 14. *Sapientis eſt ſtulti vnus eſt interitus.* Verum cap. 6 v. 8. Sapiens eò *pergit vbi eſt vita.* Quomodo ergo eſt communis vtriuſque interitus?

V. Cap. 7. v. 5. *Cor ſapientium vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum, vbi lætitia.* Dauid autem cecinit Pſal. 99. v. 1. *Seruite Domino in lætitia.* Et Paulus docet Philip. cap. 4. v. 4. *Gaudete in Domino ſemper.* Si ſemper gaudendum, cur ſapiens ad luctus domum à Salomone allicitur? * Certè quia ſpiritualе gaudium fouetur & creſcit dum homo in domo luctus humanas ærumnas contẽplatur.]

Fouetur ſpirituale gaudium, dum in domo luctus humanas ærũnas videmus.

VI. Cap. 7. v. 16. *Iuſtus perit in ſua iuſtitia.* At Ezech. c. 18. v. 22. dicitur, *In ſua iuſtitia, quam operatus eſt, viuet.* Quonammodo viuet, ſi perit? *Quia illud ipſum impiorum lingua, aut gladio perire, ſeu mori, viuere quidem veraciter eſt.]

Iuſtum mori impiorum acquitia, verè viuere eſt.

VII. Cap. 7. v. 17. Noli eſſe *iuſtus multum.* At Apoc. cap. vlt. v. 11. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc,* id eſt nunquam ab incrementis perfectionis ſtudio recedat, quomodo ergo ſtat ſapientis doctrina? * Quia in ſanctitatis re ſolet eſſe nimietas, dum quis corporeis v. gr. viribus inualens, nititur eos æquare, qui potentes viribus aſperrimæ vitæ inſtituta ſectantur?]

Vel in Sanctitate ſectanda nimietas fugienda.

VIII. Cap. 7. v. 29. *Virum* ſapientem *de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni.* Aſt Prou. cap. vlt. v. 10. Salomon mulierem fortem ſeu ſapientem ſe inueniſſe teſtatur. Quomodo igitur nullam inuenit? * Profectò quia ſexui muliebri tam agnata eſt inſipientia, vt ſi aliqua fœmina ſapiens inueniatur, ſpeciem quodammodo quaſi Phœnix diuerſam conſtituat, nec in communi mulierum ſpecie contineatur.]

Mulier ſapiens quodammodo recedit à communi mulierum ſpecie, & nouam conſtituit.

IX. Cap. 9. v. 1. *Neſcit homo* etſi iuſtus, *vtrum amore, an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* At 2. Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certaui &c. repoſita eſt mihi corona iuſtitia.* Et Rom. cap. 8. v. 38. *Certus ſum &c.* Ergo ſcit homo, an ſit amore dignus. Quomodo ergo id homo neſcit?

X. Cap. 9. v. 5. & 10. *Mortui nihil nouerunt amplius: neque habent vltrà mercedem.* At Apoc. 6. v. 9. *Vidi animas interfectorum, & clamabant: Vſque quo Domine (ſanctus & verus) non iudicas? &c. Et data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ.* Ergo mortui amplius norunt, & habent vltra mercedem.

XI. Cap. 9. v. 11. *Vidi caſum eſſe in omnibus* rebus. At Prou. 16. v. 33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Et Eccleſ. cap. 5. v. 5 *Ne dicas Non eſt prouidentia.* Vndenam ergo Salomon vidit, in omnibus rebus eſſe caſum? * An quia diuina prouidentia tam occulte operatur, vt res cunctæ videãtur caſu procedere?]

Diuina prouidentia occultiſſime operatur.

CAPVT III.

Antilogia, ex Libro Cantici Canticorum, quinque.

I. CAp. 1. v. 7. *Pulcherrima inter mulieres.* At ibid. v. 4. *Nigra ſum.* & v. 5. *Fuſca ſum decolorauit me ſol.* Si nigra & fuſca, quonammodo pulcherrima? * An quia quæ verè pulchra eſt de pulchritudine non gloriatur, imò ſe fœdam eſſe exiſtimat?] * An quia ſub deformi corpore aſſolet pulcherrimus animus latitare?]

Quæ verè pulchra pulchritudine non gloriatur.
Sub corpore deformi ſolet pulcher animus latitare.

II. Cap. 4. v. 9. *Soror mea ſponſa.* Quo iure ſponſa, ſi ſoror? Nuptiæ tales vetitæ ſunt. Leuit. cap. 18. v. 9. * An innuit Salomon vxorem à marito debere reputari ſororem, cognatus amor nunquam ex conſuetudine aſſidua minuitur.]

Vxor à marito debet ſoror reputari.

III. Cap. 8. v. 4. *Auerte oculos tuos à me.* At cap. 2. v. 14. dixerat. *Oſtende mihi faciem tuam.* Et cap. 4. v. 9. *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Quomodo igitur obiectum à ſe adeo dilectum, petit à ſe ablegari? Certè vt abſens à Dilecto ſponſa diſcat eum feruentius diligere, & redire velocius. Acuit enim amorem vel perbreuis à dilecto ſeparatio.]

Acuit amorem vel perbreuis à dilecto ſeparatio.

IV. Cap. 6. v. 7. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ.* At 3. Reg. cap. 11. v. 3. dicitur *Fuerunt ei vxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ.* Diſpar numerus eſſe videtur. Quomodo ergo & Reginarum, & concubinarum multitudo decurtatur in cantico? * Certe, quia addit Salomon. *Vna eſt columba mea.* Cum diligit impensè vnam ad alias paulatim frigeſcit affectus. Qui vxorem ardentèr diligit facilè alienas reijcit voluptates.]

Alienas reiicit voluptates, qui vxorem impensè diligit.

V. Cap. 8. v. 14. *Fuge dilecte mi.* At cap. 3. v. 4. clamat ſponſa, *Tenui eum nec dimittam.* Cur quẽ anxiè expetiit inuenire, & inuentum tenet, iam precatur, vt fugiat? Profectò quia tam bonorum quam malorum intolerabilis eſt magnitudo. Tanta voluptate aſſolet Deus animam ſpecialiter dilectam afficere, vt cor non valeat vim gaudij ſuſtinere. Vnde D. Franciſcus Xauier aliquando tot cœleſtibus plenus ſolatiis clamabat. *Satis eſt Domine, ſatis eſt.*]

Tam bonorum quam malorum intolerabilis eſt magnitudo.
Franciſcus Xauier plenus gaudijs clamabat *Satis eſt Domine.*

CAP.

CAPVT IV.

Antilogia, ex Libro Sapientiæ, decem.

I. CAp. 1.v.13. *Deus mortem non fecit.* Dicitur autem Ioan.cap.1.v.3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Iob cap.18.v.13. vocatur *primogenita mors.* Si genita fuit mors, si aliquid est, facta fuit à Deo omnium rerum creatarum & genitarum Auctore. * Certè mors nihil est, & sine ipso factum est quod est nihil, quia mors nihil à nihilo peccati immediate processit.] * Cur igitur nihilum sic facis homines formidare ? mortem timere non debes, quia quod nihil est, si culpa non adsit, nullum malum potest inferre.]

A peccato, quod est nihil, processit mors quæ nihil est. Cur timemus mortem, quæ nihil est

II. Cap. 1.v.13. *Nec lætatur in perditione viuorum,* At Prou.1.v.26. *Ego,* inquit Deus, *quoque in interitu vestro ridebo,* Si non lætatur in perditione viuorum, cur in interitu eorum ridet ? * Equidem Deus non lætatur, dum quis per gratiam viuus mortis peccati incurrit perditionem: attamen homine per peccatum mortuo, in eius interitu seu supplicio ridet altissimus, nisi rursum per pœnitentiam vitam ille resumat.]

Deus non lætatur ex peccatoris culpa. Sed illius impœnitentis ridet in pœna.

III. Cap.1.v.15. *Iustitia perpetua est, & immortalis.* At Ezechielis cap. 18. v. 24. dicitur. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo immortalis in homine iustitia non est ? * An dicitur immortalis iustitia, quia per hominis peccatū merita emortua, per pœnitentiam reuiuiscunt ?]

Merita per peccatum emortua per pœnitentiam reuiuiscunt.

IV. Cap. 2.v.1. *Non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis.* At 1.Reg.cap.28.v.15. *Dixit Samuel ad Saul: Quare inquietasti me, vt suscitarer ?* Ergo est qui agnitus sit ab inferis reuerti.

V. Cap.3.v.1. *Non tanget* iustos *tormentum mortis.* Sed 2.Reg.cap. 14 v.14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram.* Quomodo ergo iustos mortis tormenta non attingunt ? * Quia tormenta illa patienter tolerata eis cedunt in vitam.]

Mors vita est iustis.

VI. Cap 6.v.8. *Æqualiter cura est illi (Deo) de omnibus.* Sed Act.14. v.15. *In præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Tuos vero,* ô Ierusalem, *filios volui congregare, sicut congregat gallina pullos suos sub alas.* Ergo non est Dei cura circa omnes æqualis. * Est quidem æqualis Dei cura ac prouidentia erga omnes iuxta singulorum statum, licet specialiter filij, seu iusti Dei assistentia foueantur, Pater enim familias æqualem circa familiam prouidentiam ostendit, dum filios ad mensam admittit, famulis vero ac seruis dat eorum statui conuenientem annonam.]

Æqualis est Dei circa omnes prouidentia, licet iustos speciali cura foueat.

VII. Cap. 10.v.4. *Propter quem* Caïn *cum aqua deleret terram &c.* At Gen.6. v.3.& 4. sceleribus gigantum *diluuium* adscribitur. Ergo non propter Cain aquis terra fuit obruta. * Profectò iustè Caïno tribuitur, quia filiorum crimina parentibus solent adscribi, ex quorum incuria prodiêre]

Peccata filiorum attribuuntur parentibus, ex quorum incuria prodiêre.

VIII. Cap.10.v.16. Moyses *stetit, contra Reges horrendos in portentis.* At tota Exodo non fit mentio nisi vnius Regis Ægypti. Quomodo igitur contra Reges multos stetit ? * Certe quia tanta est vel vnius Regis iniqui malitia, vt non valeat numero singulari exponi, sed plures Reges contra Mosem in Ægypto conspirasse videantur. Contestatur illud Psal.114.v.30. *In penetralibus Regum ipsorum.*]

Vel vnius iniqui Regis tanta est malitia vt ex multis Regibus prodire videatur.

IX. Cap. 12.v.10. *Naturalis est malitia ipsorum & non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Cur ergo (vt ibidem additur) *dabas*, ô Deus ipsis *locum pœnitentiæ* ?

X. Cap. 15.v.3. *Nosse te, consummata iustitia est: & scire iustitiam, radix est immortalitatis.* At Paulus Rom.1.v.31. asserit, *nosse Deū* parū iuuare, si non etiā colueris, vt oportet.* Profectò qui Deū non colit, manifestè ostendit, se eum vere non cognouisse; quomodo enim posset perfectè Dei bonitatem agnoscere, & illum non amare, eiusq; præscripta exequi ?.]

Qui Deum non amat, & colit, eum perfectè non nouit.

CAPVT V.

Antilogia, ex Libro Ecclesiastici, decem supra sex.

I. CAp. 1.v.16. *Timor Domini cum fidelibus in vulua concreatus est.* At Paulus Ephes. 2. v.3. Omnes nascimur *natura filij iræ.* Vnde nam ergo in fidelibus Dei timor à vulua ? * Quia vulgare est, matrissare filios, seu vulua matris virtutes, aut vitia trahere : plerumque enim filij sunt parentum æmulatores.]

Filij plerumque sunt virtutis, vel vitij parentum æmulatores.

II. Cap. 3.v.16. *Pro peccato matris restituetur tibi bonum.* Sed Rom.6.v.23. dicitur. *Stipendium peccati mors.* An mors bonum adiectum filio pro matris culpa reputabitur ? * Certe pro crimine Adami, cui mater Eua pomum inique ministrauit, mors venit in mundum, fœdum quidem specie malum, sed pulchrum in veritate bonum iustis, siquidem per ipsam infelix aufertur exilium, & ad cœlestē paradisum aditus reseratur.]

Mors magnum bonum est Euæ iustis filiis.

III. Cap.5.v.5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* At certa est promissio diuina, Ezech. 18. v.21. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, & non morietur.* Ergo si peccatum iam propitiatum sit, non est, vnde metus ortum habeat. * Est quidem, quia nescit homo, num ex corde egerit pœnitentiam.]

Qui peccauit, semper debet timere, an ex corde egerit pœnitentiā.

IV. Cap.7. v.15. *Non iteres verbum in oratione tua.* At Mat. 26.v.44. Christus Dominus *orauit tertio eundem sermonem dicens.* Ergo verbum in oratione iterauit. Profectò in oratione non est verbi iteratio preces ore repetere, cum vnus in cunctis persistens cordis manet affectus.]

Non est verbi iteratio in oratione, cum eodem affectu verba replicantur.

V. Cap.8.v.13. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos.* At Timoth. 4.v.2. *Insta opportunè, importunè : argue, obsecra, increpa* An neget Siracides, peccatores esse arguendos ? * Minimè, sed innuit, prudentiam & benignitatem in correptione ita esse adhibendam, vt peccatori igneæ passioni non addatur exardendi materia, sed extinguatur omninò flamma] * Rigida enim reprehensio exasperat delinquentis adhortatio mollis, & argumentum prudēs conuincit, & corrigit.]

Arguendus est peccator efficaciter, sed prudenter. Rigida reprehensio exasperat, mollis corrigit.

VI. Cap.11.v.4. *Absconsa & inuisa* sunt *Opera Altissimi.* At Psal. 18. v. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Quomodo abscon sa Dei opera, si vel à cœlis, &

sideribus

In omnibus Dei operibus latet aliquid ineffabile, & hic incognoscibile.

sidentibus euulgantur? * Planè quia post eiusmodi enarrationem & præconium, nullum est Dei Opus, in quo non lateat aliquid ineffabile, & ab hominibus hîc perfectè incognoscibile.]

Vel in prauo filij facinore agnoscitur pietas parentis.

V I I. Cap. 11. v. 30. *In filiis suis agnoscitur vir.* At hoc fefellit in Cham respectu Noë Gen. 9. v. 22. in *Ismaële* respectu Abrahami cap. 21. v. 9. in *Esau* respectu Isaaci cap. 27. v. 41. in *Rubeno* respectu Iacobi, cap. 35. v. 22. & in aliis. In hisnè agnoscitur parentum pietas? * Agnoscitur quidem, & commendatur, omnes enim videntes praua gesta filij inclamant: O quam dissimilis iste parenti!]

Quodammodo vult Christus peccatores à nullo recipi, vt solus ipse eos recipiat.

VIII. Cap. 12. v. 4. *Da eleemosynas misericordi, & ne suscipias peccatorem.* At Mat. 9. v. 13. Dominus ait, *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* An ineffabilis Christi misericordia quodammodo ostendit, tanta affici peccatorum recipiendorum fame, vt nolit ab alio recipi peccatorem vllum sed sibi omnes reseruari? & quidem ad pœnitentiam solus ipse eos potest recipere.]

Affectata humilitas taxabilis est.

I X. Cap. 13. v. 11. *Noli esse humilis in sapientia tua.* At Dominus Mat. 11. v. 29 *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Negatne Christus, quod sapiens affirmauit? * Minimè, sed ostendit, affectatam humilitatem, (de qua Siracides) taxabilem esse.]

Fœlix iusto est dies, in qua mortis solutionis humanæ miseriæ recordatur.

X. Cap. 14. v. 14. *Non defrauderis à die bono, & particula boni diei non te prætereat.* Ast Eccles. 7. v. 3. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij?* An luctus funebris bona dies, cuius nec particula non prætereunda? Ita plane. Quia iustæ animæ felix hora est illa, in qua ex morte alterius proprij obitus, & solutionis miseriarum sæculi fit memoria.]

X I. Cap. 18. v. 2. *Deus creauit omnia simul.* At ex Gen. 1. constat impendisse *sex dies.* Quomodo sex dies impendit si simul omnia creasse dicitur?

Minus quodammodo dirum, inferni ignem quam prauæ linguæ malitiam tolerare.

X I I. Cap. 28. v. 25. *Vtilis potius infernus, quam lingua nequam.* At Iudith 16. v. 21. dicitur, In inferno, *dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* Num homini vtilius, seu satius erit tot mala æternum sustinere, quam linguæ iniquæ probra tolerare? * Hinc exaggeratur nequā linguæ malitia, si quodammodo satius sit vel minus dirum tartari ignē sufferre, quam linguæ prauæ vulnera subire.]

Qui sine vxore sæpe se videt egentem, sæpius se egere videt, cum duxit vxorem.

X I I I. Cap 36. v 25. *Omnem masculum excipiet mulier.* v. 27. *Vbi non est mulier ingemiscet egens* At 1. Cor. 7. v. 8. ait Paulus. *Non nuptis, & viduis dico: Bonum est illis, si sic permaneant,* v. 26. *Quoniam bonum est homini sic esse.* v. 4. *Beatior erit, si sic permanserit.* Vndenam ergo cœlibi; vel viduo suspiria ob mulieris absentiam, seu ob coniugis mortem? * An quia mulier, cum non habetur appetitur, & desideratur: cum verò possidetur, non solum ex fastidio sæpe, & sæpius ex matrimonij curis gemitus excitat, sed & lætalia vulnera infert, cum ex eius societate se magis agnoscit maritus *egentem*.]

Perfecti nihil habent, & omnia possident.

Quod pauperibus.

X I V. Cap. 40. v. 29. *Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas, melius est enim mori quam indigere.* At Mat. 19. v. 21. ait Veritas, *si vis perfectus esse vende quæ habes, & da pauperibus.* Ergo sapientis consilium erit contemnendum. Haud quaquam * Quia Christus Dominus perfectioni loquitur studiosis, qui in ipsa paupertate sunt diuites. *Nihil quidem habentes, & omnia possidentes*] Et quia quod pauperibus erogatur non amittitur, sed cum quæstu magno exhibentis recurrit ad manus.]

Peccatum idololatriæ tam graue est, vt coram illo reliqua crimina quasi nō esse videantur.

Lacrimæ sic obruunt delicta vt eorum memoria omnino aboleatur.

X V. Cap. 49. v. 5. *Præter David, Ezechiam, & Iosiam omnes Reges peccatum commiserunt.* At ex 2. Reg. 11. constat, Dauidem grauissime peccasse. Et 4. Reg. 20. patet. Ezechiam deliquisse. Quomodo, igitur sine peccato fuisse à sapiente prædicantur? * Num quia idololatriæ crimen tam inuisum est Deo, & qui non deliquerunt idola colendo quasi sine peccato existere appareant, licet aliis piaculis fuissent defœdati?]. An quia David & Ezechias pœnitentiæ plorauerunt affectu, lacrymæ autem sic obruunt delicta, vt non solum apud Deum non sint: sed & apud homines fuisse minime videantur?] Ita plane.

Non debet homo appellari, qui viuit vt brutus.

XVI. Cap. 50. v. 28. *Tertia* Samaritanorum colluuies non *est gens.* At 4. Reg. 17. v. 26. 29. 41. *gens* vocitantur. Et Deus Samaritanos Iere. 31. v. 9. *vocat primogenitum* suū. Quomodo ergo sunt gens, & gens non sunt? * Certe quia non debet *gens* appellari, qui viuit vt brutus.]

FACVLTAS

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS *Prouinciæ Castellanæ Societatis IESV.*

EGo Franciscvs Cachvpin Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Castellana, potestate ad id mihi facta à Reu. admodum Patre nostro Ioanne Paulo de Oliua Vicario Generali (iam Præposito Generali) Societatis Iesv, vt Commentarij in Libros Sapientialium, Authore, P. Antonio de Escobar et Mendoza eiusdem Societatis grauium, Doctorumque hominum iudicio approbati, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, nostroque sigillo munitas dedimus. Salmanticæ die Maij. 18. anno 1663.

Franciscvs Cachvpin.

APPROBATIO.

REuerendi Patris Antonii de Escobar et Mendoza Societatis Iesvi *Commentarios Literales & Morales in Sacram Scripturam* nos infrascripti ex eadem Societate Theologi legimus, & vtiles, atque luce dignos iudicauimus. Lugduni 8. Martij anno 1667.

Ioseph Gibalinvs.

Lavrentivs Grannon.

PRIVILEGIVM.

EGo Ioannes Platiere Societatis Iesv in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, Opus, quod inscribitur Antonii de Escobar et Mendoza Societatis Iesv Theologi Commentarij Literales & Morales in I. & II. Libr. Paralipomenon, in primum & secundum Esdræ, in Tobiam, in Iudith, in Esther, in Iob, in Psalmos, in Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Maiores & Minores Prophetas, in primum & secundum Machabæorum, in Euangelia, in Acta Apostolorum, in Epistolas Pauli, in Epistolas Catholicas & Ioannis Apocalypsin, eiusdem Societatis grauium Doctorum iudicio approbatum, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Lvdovico XIII. 14. Februarij 1611. & Lvdovico XIV. nunc regnante 23. Decembris 1650. concessum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant. Permitto Philippo Borde, et Lavrentio Arnavd, Bibliopolis Lugdunensibus, vt ad decem proximos annos excudere ac liberè diuendere possint. Datum Lugduni 10. Martij 1667.

Ioannes Platiere.



ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, E SOC. IESV THEOLOGI,

Ad Vetus, ac Nouum Teſtamentum, Commentarij Literales, ac Morales.

LIBER PRIMVS.

AD PROVERBIA SALOMONIS.

PROLVSIO.

Salomonis Prouerbia Dogmatibus exundant, queis Iuſti valeant poſt temporariæ vitæ felicem curſum, æternâ potiri. Vnde Sapientia horum præceptorum Magiſtra *capite* 8. profatur: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*, id eſt, qui Dogmata hæc executioni addixerit, in præſenti vitam bonæ conſcientiæ plenam abundantiâ deget, & in futuro æternæ ſalutis præmio donabitur. Fallar, niſi idem per deuotum erga Deiparam obſequium hominibus offeratur. Audi Richardum Laurentium *lib.* 2. *de laud. Virg.* fantem: *Inuenta Maria, inuenitur omne bonum. Vndè ipſa dicit:* Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino, *vitam ſcilicet gratiæ in præſenti, & ſalutem æternam in futuro. Ideò* Prou. 8. *dicitur de Maria*, Qui inuenit mulierem bonam, id eſt, *Mariam*, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino: *iucunditatem duplicem, bonæ conſcientiæ hîc, lætitiæ in futuro.*

CAPVT I.

Vt studio Sapientiæ operam impendamus, à prauóque caueamus sodalitio, Salomon huius libri auctor hortatur. De cœlestis Sapientiæ contemptu queritur. Pœnas contemptori minatur, obsequenti præmia pollicetur.

1. PARABOLÆ Salomonis, filij Dauid, regis Israël. 2. Ad
sciendam sapientiam, & disciplinam: 3. ad intelligenda
verba prudentiæ,& suscipiendam eruditionem doctrinæ, iu-
stitiam, & iudicium, & æquitatem, 4. vt detur paruulis astu-
tia, adolescenti scientia, & intellectus. 5. Audiens sapiens
sapientior erit:& intelligens,gubernacula possidebit. 6. Ani-
maduertet parabolam,& interpretationem,verba sapientiam,
& ænigmata eorum. 7. Timor Domini, principium sapientiæ. Sapientiam, atque
doctrinam stulti despiciunt. 8. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimit-
tas legem matris tuæ: 9. vt addatur gratia capiti tuo,& torques collo tuo. 10. Fili
mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. 11. Si dixerint. Veni nobiscum,
insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustrà: 12. de-
glutiamus eum sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in la-
cum. 13. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos no-
stras spoliis. 14. Sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium no-
strum. 15. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum.
16. Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem.
17. Frustrà autem iacitur rete ante oculos pennatorum. 18. Ipsi quoque contra
sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas. 19. Sic
semitæ omnis auari, animas possidentium rapiunt. 20. Sapientia foris prædicat, in
plateis dat vocem suam. 21. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum
vrbis profert verba sua, dicens: 22. Vsquequò paruuli diligitis infantiam, & stul-
ti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam? 23. Con-
uertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & osten-
dam vobis verba mea. 24. Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, &
non fuit qui aspiceret. 25. Despexistis omne consilium meum, & increpationes
meas neglexistis. 26. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm
vobis id, quod timebatis, aduenerit. 27. Cùm irruerit repentina calamitas, & in-
teritus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio, & augustia.
28. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient
me: 29. eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susce-
perint, 30. nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni
meæ. 31. Comedent igitur fructus viæ suæ, suísque consiliis saturabuntur.
32. Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.
33. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur,
timore malorum sublato.)

COMMENTARII.



1. *Monet Salomon, vt Sapientiæ studeamus acquirendæ.*

VERS. 1.2.3.4. Collectæ sunt à Salomone filio Dauidis Israëlis Rege hæ *parabolæ*, seu ænigmata, vel porœmiæ, ad hauriendam *Sapientiam* diuinam, & *disciplinam*, seu castigationem morum: ad callendáque *verba prudentiæ*, seu discretionem inter bonum & malum: nec non ad suscipiendam doctrinæ eruditionem, iustitiam, iudicium, & æquitatem. Porrò *Sapientia*, *iustitia*, *iudicium*, *æquitas* idem hoc in libro significatur, multiplicatis copiæ ac ornatus causa nominibus. Idem dixerim de *scientia*, *doctrina*, *intelligentia*. Significant enim hæc omnia hominis recti ac pij iuxta diuinæ legis normam officium. Parabolæ autem hæ scriptæ fuere, vt detur *paruulis*. Chald. *insipientibus*. Græcè, *simplicibus astutia*, non quâ alios decipiant, sed quâ ab aliis non decipiantur.

Vers. 5. 6. Profectò Sapiens hæc prouerbia exaudiens *sapientior* euadet. Dum ex eis salutaria de grauissimis negotiis hauriet consilia, & rationem gubernandi acquiret. Sapientibus itaquè & insipientibus hæc dogmata scribuntur. * Manca prorsus illa concionatoris doctrina quæ ad mulcendas Sapientum aures dirigitur, *Concionatoris doctri-*

na doctis, & indoctis accommodanda.

gitur, cum præcipuè ad iosipientum eruditionem proferri debeat.] Loco illius verbi, *Et gubernacula possidebit.* LXX. scripsére, *Possidebit gubernationem nauis*, seu totius vitæ suæ cursum portum diriget ad optatum. * Aptè vitæ nostræ cursus nauigio comparatur, vt scias quot tempestatibus disturbetur, quot vitandis periculorum scopulis sit expedienda solicitudo.]

Humanæ vitæ cursus difficultatibus exundâs nauigatio.

Nec solùm ad ea, quæ attigimus, vtilis hic liber erit, verùm etiam ad intelligendam quamcumque parabolam, & ænigmaticum sermonem in simili argumento versantem lucem afferet. *Et ænigmata eorum*, idest, Sapientiam, quam ænigmaticis symbolis velant Sapientes, ne si obuia sit omnibus, vilescat. * Nec enim omnia omnibus apta sunt dogmata, nonnulla sunt solis doctioribus reseranda.]

Non sunt omnia dogmata omnibus aperienda.

Vers. 7. Timere Deum incipiat, qui Sapientiam experit obtinere. * Quomodò enim qui vitiis implicatur, poterit sacræ scientiæ arcana percipere cum vitiis intellectus obtenebretur?] Alij *Timor Domini primitiæ vel effectus Sapientiæ* Ac si diceret, primus effectus Sapientiæ est, Dei timorem assequi. * Nam sicut omnis peccans est ignorans, sic omnis, qui Deum timens à peccato recedit, verè est Sapiens.] Certè *stulti* LXX. *Impij* Sapientiam ac doctrinam despiciunt. * Aptè impij stulti vocitantur: nihil enim magis stultum, quàm à pietate deuiare.]

Vitiis addictus non potest Sapiens esse.

Effectus Sapientiæ est, Deum timere.

Stultus qui à pietate deuiat.

2. *Vers.* 8.9. Admitte fili ad aures, & ad animum documenta, eruditionem, præcepta patris, ac matris tuæ vt addatur *gratia*, LXX. *corona gratiarum*, vt instar coronæ, seu velut serti è floribus, & quasi *torques* è variis geminis collo tuo appensa, pulchra tibi sint ornamenta ab omnibos commendabil ter aspectando. * Per obedientiam enim parentibus exhibitam filij apud homines gratiam assequuntur, ita vt omnes eos magnifaciant veluti corona ac torque exornatos.]

Parentes audiendos, prauos socios vitandos edocet.

Filij per obedientiam parentibus exhibitam cõsequuntur apud homines gratiam.

Vers. 10. Fili, si te decipere tentauerint impij, ne eis acquiescas. *Lactare* est frequentatiuum verbi *Lacio*, ex quo composita *Allicio, Pellicio.* Lactant impij pios velut lacte potantes, dulcia verba proferendo, vt ad iniqua quæque pelliceant.

Vers. 11.12.13.14. Si dixerint, comes sis noster, iosidias vitæ hominum apponamus, percutiamus i.*sontem*, seu qui neminem læsit *frustrà* quidem seu *gratis*, vti Hebr. idest, etiam si in nullo violati fuerimus. * Quàm impium, aduersus eum, qui te non læsit, insidias præparare!] Eum viuentem, sicut olim Dathan & Abiron, qui viui absorti sunt à terra dehiscente, & in tartari foueam recepti fuére, *deglutimus.* * Aptè quidem sangoinis profusores crudeli tartaro comparantur viuos deglutientes.] Certè prædam multam capiemus pretiosam, quâ ditabimur. *Sortem* mitte oobiscum, committe te communi nobiscum aleæ, vt vnum sit omnium nostrum *marsupium*, seu commune lucrum sit, quod aliena diripiendo consequemur.

Valdè impium insidias parare ei, qui te non læsit.

Sanguinis effusor infer. no comparatur.

Vers. 15.16.17.18.19. Fili, te abstrahe ab studiis, & agendi ratione, quam illi sequuntur: qui quidem toti ad profusionem sanguinis per homicidij scelua adhelant. Meis autem monitis eruditus, laqueos, quos tibi praui sodales struunt, dum in soi societatem studeot allicere, facilè vitabis; tibi enim rete ostendi, quod *frustrà* seu iuutiliter explicatur *ante oculos pennatorum*, siue cum illud auiculæ aspectant; nam vti cecinit ille:

Quæ nimis apparent retia, vitat auis.

LXX. *Non frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum.* Quod alij exponunt de stolidis auibus, seu fatuis hominibus, qui licet rete videant, se inescari, ac capi patiuntur. * Quàm miser ille, qui licet alis timoris & amoris Dei vtens facilè potest auolare, retiaque eludere, tamen vltrò deperit!] At dum illi aliis insidias præparant, sibi ipsis pernitiem creant. *Psal. 7. Incidant in foueam, quam fecerunt.* * Per quæ enim quis peccat, per hæc & torquetor.] Sic rationes agendi omnis auari diuitias iniquè quærentis, & possidentis iniustè, animam perdit. * Malè partæ opes & extorta aliis bona plerumquè creant dominis suis exitium non modo animæ, sed & corporis. Testos vineam Naboth ab Achabo iniustè ablatam, quæ toti Regiæ domui vtrumque illud creauit exitium.]

Quàm miser, qui cum pennas habeat vti è rete fugiat, patitur inescari, & capi.

Per quæ peccas, torqueris.

Opes malè partæ possidenti corporis, & animæ exitium creant.

Vers. 20.21. Docuit Salomon, non audiendas hominum, ad scelera inuitantium, voces, 3.
iam excitat ad audiendam Sapientiam, quæ ad virtutem inuitat: eámque per prosopopæiam loquentem inducit Sapientia *foris*, seu palam clamat per Legis naturalis dictamina, per Legis scriptæ præcepta, per virtutum ac vitiorum exempla, quæ passim in oculos incurrunt, per Sapientum monita. *In plateis*, in frequentibus turbis, *in foribus portarum*, vbi maxima est hominum cuiuslibet ordinis frequentia sua verba profert. * Vt ostendat, nullum non audire Sapientiæ voces: vt nulla sit homini, vt à virtutis via secedat, excusatio.] * Si Sapientia diuina clamitat in plateis, constat, quàm sit doctissimo homini honorificum in vicis, & in foris concionari. Vt hinc commendem societatis Iesu pietatem, cuius doctiores viri gestiunt puerorum ducere pompam canentes, vt rudioribus, qui ad Templa non confluunt auditori conciones Fidei dogmata *foris* euulgent.]

De cœlestis Sapientiæ contemptu queritur.

Nulla homini, vt à virtute secedat, excusatio.

Societatis Iesu pietas per plateas ducẽtis puerorum pompam & in foro prædicantis.

Vers. 22.23. Vsque quò (inquit) ô paruuli non tam ætate, quàm sensu *infantiam*, seu ignorantiam, ac inscitiam amatis? Quò vsque stulti ea quæ sibi exitialia sunt, concupiscent, & imprudentes odio scientiam prosequentur? * Nihil tam stultum, quàm stultitiam affectare, & à noxia admodum inscitia, cùm facilè possis, nolle recedere.] Animum aduertite ad meam doctrinam recipiendam, quâ mores vestros corrigam, & instruam, proferam vobis *spiritum meum*, seu aperiam, quæ mente concepta habeo verbis vtique proferenda.

Nihil tam stultũ, quàm nolle ab stultitia recedere.

Vers. 24.25.26.27. Quia igitur inuitaui, vt 4.
me audiretis, *manúmque* extendi, innuens vt accederetis, & auxiliatem vobis dexteram porrigens, vt ex ignorantia emergeretis, & accederetis, & accedere, aut respicere noluistis, despexistisque admonitiones meas: ego quoque interitu vestro *ridebo*, & *subsannabo*, cum mors, quam vnicè *timebatis*, aduenerit. Risuram se dicit Sapientia, non quod verè rideat, sed quod factò ità se gerat, ac si rideret, dum in impiorum interitu nulla ergà illos miseratiooe excitatur. * Certè actiones eorum innuit esse ridendas, qui æterna temporalibus posthabuere.] * Dum

Supplicia contemptoribus Sapientiæ minatur.

Ridendus, qui æterna temporariis posthabet.

Impius Deũ irridens, cum docet vt ipsum irrideat.

impius ridet, & subsannat, in virtute à se contempta, Deum: eum quidem qui ridere nescit quasi edocet ad ridendum, & subsannandum; vt per ea puniatur, per quæ deliquit.] Pende illud: *Cum vobis id, quod timebatis, aduenerit.* nempè cum aduenerit mors, * Hanc enim solam impij timent, de futura vita, vel morte nunquam soliciti.] Ridebo, inquam, cum irruerit *repentina calamitas*, nimirùm mors, & imminentes pœnæ inferorum æternæ, & interitus quasi tempestas, ingruerit, quando nouissima venerit tribulatio. * Impij ex hac vita arripiuntur inuiti, & cum de morte minus cogitant.]

Solam temporariá mortem impij timent, haud de æterna soliciti.

Impius repentè plerũque moriur.

Vers. 28. 29, 30. 31. *Tunc* morte scilicet proxima, me anxij inuocabunt, & non exaudiam, quæ vocans eos exaudita non fui. * Profectò qui ad vitæ terminum pœnitentiam differt, plerumque non exauditur quia vindice Deo, in dilationis pœnam, impij tunc minimè ex corde clamant, vnde iustè non exaudiuntur.] *Manè* exurgent, soliciti scilicet postulabunt, ac quærent salutem; nec assequentur; quia non detestabuntur crimina sicut oportet, sed aduersabuntur imminens malum, ob solùm suum incommodum, & miseriam. Talis Antiochus 1. *Machab.* 9. *Orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Me itaque *non inuenient* propitiam, eo quod admonitiones meas, & hominum sana consilia reiecerint tanquam grauia, & importuna: & *detraxerint* correctioni, siue de ea malè fuerint locuti. *Comedent* igitur sui laboris fructus, suorúmque consiliorum alimonia *saturabuntur.* * O quàm amarus impiis cibus æterna suorum consiliorum, queis fœlicitatem amisere, recordatio!]

Qui pœnitentiam vsque ad vitæ terminũ differt, fictè plerumque eam agit.

Amarus impijs cibus suorum consiliorum æterna recordatio.

Vers. 32. 33. *Auersio* hæc stultorum a bono, à Deo, eis exitium afferet. *Prosperitasque* eorum perdet illos. * Difficiliùs est ferre secundam, quàm aduersam fortunam; quia aduersam toleramus, secundâ corrumpimur.] Contrà iustus me exaudiens, à metu mali præsentis, & futuri tutus abundantia bonorum salutarium stipatus requiescet. Potissimum locum habent, quæ hîc promittuntur in iis, qui ad æternam peruenére fœlicitatem: quamquam etiam in hac vita horum bonorum per pacatam conscientiam & aliis modis sunt participes.

Difficilius est ferre secundã, quàm aduersam fortunam.

CAPVT II.

Fructus ac præmia veræ Sapientiæ, quæ sola hominem in officio aduersus omnes mundi, & aliorum hostium insultus continet, Salomon pergit commemorare.

1. FIli mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea abs-
conderis penes te, 2. vt audiat sapientiam auris tua: incli-
na cor tuum ad cognoscendam prudentiam. 3. Si enim
sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ:
4. si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effo-
dieris illam: 5. tunc intelliges timorem Domini, & scien-
tiam Dei inuenies: 6. quia Dominus dat sapientiam: &
ex ore eius prudentia, & scientia. 7. Custodiet rectorum salutem, & proteget gra-
dientes simpliciter, 8. seruans semitas iustitiæ, & vias sanctorum custodiens.
9. Tunc intelliges iustitiam, & iudicium, & æquitatem, & omnem semitam bo-
nam. 10. Si intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit:
11. consilium custodiet te, 12. vt eruaris à via mala, & ab homine, qui peruersa
loquitur: 13. qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: 14. qui
lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis: 15. quorum viæ per-
uersæ sunt, & infames gressus eorum. 16. Vt eruaris à muliere aliena, & ab ex-
tranea, quæ mollit sermones suos, 17. & relinquit ducem pubertatis suæ, 18. &
pacti Dei sui oblita est, inclinata est enim ad mortem domus eius, & ad inferos se-
mitæ ipsius. 19. omnes, qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec ap-
prehendent semitas vitæ. 20. Vt ambules in via bona: & calles iustorum
custodias. 21. Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices per-
manebunt in ea. 22. Impij verò de terra perdentur: & qui iniquè agunt,
auferentur ex ea.

COMMENTARII.

1.

Vera Sapientia.

ERS. 1. 2. Si cordis auribus ô fili mea dogmata audieris, & penes te præcepta mea quasi quiddam pretiosum, quod à possessore custodię addicitur, ne latrocinio pereat, absconderis: vt Sapientiam tua auris vtiliter percipiat, inclina cor tuum ad virtutis prudentiæ cognitionem. * Vt enim scientia prosit, prudentia est necessaria. Multi enim Sapientia abundant, prudentia indigentes, qua Sapientiæ actus debent gubernari.] Preme illud: *Mandata mea absconderis.* * Scientiam, quæ non absconditur, sed per vanitatem ostentatur, non semel infatuari vidimus.]

Ad scientiæ actus dirigendos, prudentia est necessaria.

Scientiam vt quid pretiosum absconde.

Vers. 3. 4. 5. 6. Nam si Sapientiam *inuocaueris* ad eam suspirando, anhelando, & precibus à Deo efflagitando illam: & cor tuum inclinaberis *prudentia* assecutioni ad scientiæ actiones dirigendas admodum necessariæ: & scrutatus fueris Sapientiam solicitè, sicut fossores assolent scrutari *thesauros*, vel quemadmodum auari gestiunt acquirere *pecuniam*: tunc veram Sapientiam assequeris, quæ in cognitione veri Dei, illius timore, sinceróque cultu consistit. Vera enim Sapientia nobis à Deo dictatur in Scripturis sacris, quæ diuina continent oracula, & cœlestem inspirationem, quâ quid fugiendum, quid amplectendum sit, edocemur. * Illud expende: *si enim Sapientiam inuocaueris* Chald. *si eam quasi matrem vocaueris.* Indicatur, continuò desiderio, prece, labore esse conquirendam, eo quidem affectu, quo filius famescens, aut egens ad matrem accurrit.] * Et illud: *si quæsieris eam quasi pecuniam.* Ardentissimus est auari ad pecuniam affectus: eum imitetur, qui vult in Sapientia proficere.] * Et quidem, qui scientiam assequitur, pecuniam inuenit, & thesaurum non solùm spiritualem, sed & temporalem, siquidem ex peritiæ exercitamentis lautè doctus assolet victitare.]

Vt Sapientiã assequatur, magno affectu ad eam indiges.

Ardentissimus auari ad pecuniam affectus.

Ex Sapientia doctus lautè victitat, vnde ea inuenta pecuniam inuenit.

Vers. 7. 8. Cum rectis, seque timentibus Dominus det Sapientiam, & prudentiam: eorum salutem diligenter apud se asseruabit, illam sepositam habens in eorum bonum, cum opus fuerit depromptурus. LXX. pro *custodiet rectorum salutem*, posuere: *Thesaurizabit rectis salutem.* * Nam qui Sapientiam vti thesaurum exquisierunt, digni sunt, vt Deus illorum commoda, quasi effodiens thesaurum requirat. Vti Dei affectus ad munerandum, affectui iusti ad obsequendum respondeat.] Certè gradientis simpliciter, & sincerè *semitas* Deus custodit, easque tutas reddit, ne dum eas ducunt, impingant, vel aliquo afficiantur incommodo. * Pulchrè *seruans semitas iustitia*, siue obseruans. Nullus enim est gressus iustorum, qui speciali præmio non donetur.]

Affectus Dei ad munerandum, affectui iusti ad seruiendum respondet.

Nullus gressus iusti sine speciali præmio.

Vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Si Sapientiam 2.
corde exceperis, eiusque dogmata placuerint, iustitiæ iura percipies, & inter bonum ac malum discernere poteris. Eius consiliis prudens euades, vt à via iniqua recedas, & pessimorum iter rectum contemnentium, loquentium peruersa, incedentium per tenebrosas vias, quæ ad tenebras tartareas ducunt, exultantium cum iniqua gesserint, fugias societatem. Eorum enim viæ peruersæ sunt, & *infames* gressus, conciliantes scilicet infamiam, & dedecus. * Primus Sapientiæ fructus iustis sit à prauorum consortio declinare, omnium quidem malorum scaturigine.]

Docet, à prauorum focys declinandum.

Impiorum societas omnium malorum scaturigo.

Vers. 16. 17. 18. 19. 20. Vt fugites à muliere 3.
aliena, quæ alio viro nupsit, & tua non est, Sapientia edocebit: ab ea scilicet, quæ mollibus verbis vtitur ad decipiendum aptis; & *ducem pubertatis sua*, seu maritum suum, qui eam duxit, cum esset pubertatis in annis, relinquit: & *pacti Dei sui*, seu diuinæ legis adulteria vetantis; vel fœderis nuptialis cuius auctor est Deus, fuit prorsus oblita. *Inclinata est enim ad mortem domus eius.* Nam qui ad domum adulteræ accedit, ambulabit per viam decliuem, quæ ad mortem & inferos planè perducit. * O quot necium causa fuit adulterium! Vndè appositè *Inclinata est ad mortem domus eius*, siue addicta est morti, quæ à marito & vxore & amasio solet inferri.] Omnes qui ad eam expleturi libidinem ingrediuntur, *non reuertentur.* * Mortis enim instar est adultera, reuocare gradum minimè datur.] Vndè qui ei hærescunt, ad vitam non redibunt mortuis similes, qui redire non valent. * Vitium luxuriæ tantæ est hærentiæ, vt semel excidens vix vnquam corrigaris.] Vt viam rectam resumas, & calles iustorum custodias, sequaris, teneas.

A muliere aliena fugiendum, addit.

Domus adulteræ morti est addicta.

Mortis instar adultera.


A vitio luxuriæ homo corrigitur difficilè.

Vers. 21. 22. Qui verò recti sunt, non solùm super terram viuent, sed etiam fælicitex agent. Vndè Symmach. pro *Habitabunt in terra*, posuit, *Hæreditabunt terram*, seu possidebunt. Et immaculati *permanebunt* in ea, diu erunt superstites. Impij verò è terra immaturi euellentur. * Exitij metus terreat, quos virtutis pulchritudo non allicit.]

Terreat supplicij metus, quem virtutis pulchritudo non allicit.

CAPVT III.

Vt in Dei præceptis ambulemus, vt in prudentia nostra non confidamus, studeamus liberalitati, patienter toleremus aduersa, colamus Sapientiam, proximis beneficia geramus, Salomon admonet.



1. FILI mi, ne obliuiscaris legis meæ,& præcepta mea cor tuum
custodiat. 2. longitudinem enim dierum, & annos vitæ,
& pacem apponent tibi. 3. Misericordia & veritas te
non deserant, circunda eos gutturi tuo, & describe
in tabulis cordis tui: 4. & inuenies gratiam, & discipli-
nam bonam coram Deo & hominibus. 5. Habe fidu-
ciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris pruden-
tiæ tuæ. 6. In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. 7. Ne
sis sapiens apud temetipsum: time Deum, & recede à malo: 8. sanitas quippe
erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum. 9. Honora Dominum de tua
substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei: 10. & implebuntur
horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. 11. Disciplinam Do-
mini, fili mi, ne abiicias: ne deficias cùm ab eo corriperis: 12. quem enim di-
ligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. 13. Beatus,
homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia: 14. melior est acquisi-
tio eius negotiatione argenti, & auri primi & purissimi: 15. fructus eius pretio-
sior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent compa-
rari. 16. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & glo-
ria. 17. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ. 18. Lignum vitæ
est his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus. 19. Dominus sa-
pientia fundauit terram, stabiliuit cælos prudentia. 20. Sapientia illius erupe-
runt abyssi, & nubes rore concrescunt. 21. Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis:
custodi legem atque consilium: 22. & erit vita animæ tuæ,& gratia faucibus tuis:
23. tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget: 24. si dor-
mieris, non timebis: quiesces, & suauis erit somnus tuus. 25. ne paueas repentino
terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. 26. Dominus enim erit in latere
tuo,& custodiet pedem tuum ne eripiaris. 27. Noli prohibere benefacere eum, qui
potest: si vales, & ipse benefac. 28. Ne dicas amico tuo: Vade & reuertere cras
dabo tibi: cùm statim possis dare. 29. Ne moliaris amico tuo malum, cùm ille
in te habeat fiduciam. 30. Ne contendas aduersus hominem frustra, cùm ipse
tibi nihil mali fecerit. 31. Ne æmuleris hominem iniustum, nec imiteris vias
eius: 32. quia abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermo-
cinatio eius. 33. Egestas à Domino in domo impij: habitacula autem iustorum
benedicentur. 34. Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam. 35. Gloriam
sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia.

COMMENTARII.

1: *Monet.*



ERS. 1. 2. Fili, ne præcepta mea obliuioni tradas, vitam enim diuturnam, & *pacem*, apponent tibi; pacem inquam, seu prosperitatem, bonorúmque omnium abundantiam. * Sicut enim *Belli* nomine omnia signantur mala: appellatione pacis cuncta bona intelliguntur. Vndè Dominus Discipulis omnia vtilia promisit bona, cum pacem eis hæreditatis loco reliquit, *Pacem relinquo vobis.*]

Omnia in bello mala, cuncta in pace bona continentur.

2. *Misericordiam suadet, & veritatem.*

Vers. 3. 4. Constanter ex erce misericordiæ, ac veritatis officia, omni ex parte tibi adsint, ad eum modum, quo semper præ oculis habes, quæ ex collo tuo pendent. * Hisce duabus virtutibus *misericordia* & *veritate* omnes aliæ videntur comprehendi. Vndè Dauid, vt explicet iustum omnibus virtutibus stipatum incedere, canit Psal. 88. *Misericordia, & veritas præcedent faciem suam.* Per misericordiam enim impenduntur proximo officia gratuita; per veritatem, siue iustitiam Deo & hominibus officia debita offeruntur:] Si duplicem hanc virtutem

Misericordia, & veritas omnium est virtutum epilogus.

tem *cordis in tabulis* descripseris, seu firmiter tenueris, Deo, & hominibus gratus existes. * Certè veritatis cultor, & pauperū subleuator magnam apud omnes æstimationem obtinet.]

Homo misericors, & verus magni à cunctis æstimatur.

3. *Vers.* 5.6.7.8. Fiduciæ in Deo, non propriæ prudentiæ innitatis oportet toto quidē ex animo. * Dictamen enim humanæ prudentiæ fallax.] Vbiquè & semper Deum *cogita* tibi præsentem. Non quòd continuato actu id semper præstandum sit, sed virtualiter saltem, vt loquuntur Philosophi. * Quàm immunis erit a culpa, qui Deum vbique sibi præsentem contemplabitur.] Ne sis *apud temetipsum*, seu tua opinione *Sapiens*, Hebr. *In oculis tuis*. Ita vt tuo iudicio te æstimes esse Sapientem. * Nam qui se Sapientem esse existimat, plerumquè insipiens ab aliis iudicatur; ipsa enim vanitas præsumptionis est fatuitas.] Deum time, à peccato abscede, & *erit sanitas vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum*. LXX. *Erit sanitas corpori tuo*. Sanitatem vmbilico tribuit, qui in medio ventris est: ac si diceret, sanitas erit ventri tuo, & consequenter toti corpori, cuius valetudo ex recta ventris dispositione pendet. Crediderim, peculiariter innuere Salomonem, eum, qui seruat præcepta hactenùs tradita, & specialiter ea, quæ sunt de muliere aliena fugienda, sanitatem vmbilici habiturum, quod irrigatione ossium significatur. * Nam qui intemperanter veneri indulget, non bene valet, corpore exsucco, & exhausto ostentatur.]

Fiduciam in Domino commendat.

Dictamen humanę prudentiæ fallax.

Immunis à peccato qui Deum sibi præsentem contemplatur.

Fatuus es, dum te Sapientem iudicas.

Ex veneris immoderato vsu ægritudines.

4. *Vers.* 9.10. *De tua substantia*, seu ex diuitiis propriis, oratione, primitiis, eleemosyna Deum *honora*. * Obsequia enim de alienis diuitiis iniquè acquisitis Deo parata minimè admittuntur, nisi dum fit incognitorum bonorum restitutio.] Prouentus frugum tuarum *primitias* offerto: ex quo exiguo quidem sumptu debito, tanta tibi abundantia recurret, vt familia ex area, & ex torculari abundantia fruetur. Hebr. *& musto torcularia tua rumpentur*. Alij *Dolia*, quæ musto feruenti non semel rumpi assolent. * Significat, ex primitiis Ecclesiæ oblatis ex debito, fructus vberrimos te collecturum; & primitiarum, vel decimarum fraudatori penuria indicitur.]

Oblationes Deo gerendas docet.

Obsequia ex bonis alienis haud Deo grata.

Qui primitias Ecclesiæ soluunt, bonis exundant.

Vers. 11.12. Correptionem, seu castigationem, quæ fit malis à Deo immissis, libenter tolera, nec tædio afficiaris (sic Chald.) cum flagellis percuteris. Quos enim amat, corripit Deus, & velut pater in eo, quem arguit, sibi complacet; quia illum suo beneplacito æternam elegit ad vitam, ad quam eum salutari sua correptione promouet, * Qui delinquens sæpe, à Deo laboribus non flagellatur, existimet, se inter filios non annumerari, nec ad Dei familiam pertinere.]

Qui delinquens sæpè, à Deo non corripitur, timeat, se à filiorum cœtu deturbatum.

Vers. 13.14.15.16. Qui Sapientia, & prudentia affluit, procul dubio beatus: melior

6. enim est *acquisitio* eius. Hebr. *negotiatio* negotiatione argenti, seu cunctæ sæculares diuitiæ ei nequeunt æquiparari. In manibus eius sunt vitæ longitudo, diuitiæ, & gloria: & vt vulgariter explicem: *Tiene la vida, las riquezas, y gloria como en la mano*. * Certè si vò *Gloriam* vltimo loco positam in manu *sinistra* (cum longitudo dierum posita sit *in dextera*) cœlestem signet beatitudinem: arguam hinc hominum cæcitatem, qui vitæ præsentis longitudinem gloriæ assecutioni præferunt.

Inueniendi Sapientiam beatitudinem exprimit.

Homines vitam hanc gloriæ assecutioni præferunt.

Vers. 17.18.19.20. *Via eius pulchra* carentes 7.

omni erroris, aut vitiorum labe: & omnes semitæ eius *pacificæ* sine grassatorum infestantium periculo. Est certè nobis Sapientia adepta *lignum vitæ*, seu rectè viuendi causa, quemadmodum vitalis ligni fructus vitam hominibus fuisset largiturum. Affert inquam vitam longam iucunditate plenam: & qui tenuerit eam *beatus*. Nam post diuturnam temporariam vitam, qui veram Sapientiam persistenter, piéque coluerit, æternâ fælicitate potietur. *Sapientia illius eruperunt abyssi*. Ab humana Sapientia ad diuinam transit: nam secundùm analogiam vna est, & eadem Sapientia diuina, per quam Deus omnia creauit, & humana, quâ Deum homines rectè cognoscunt, piéque colunt. Sapientia itaque Dei operatrice aquæ pelagi erumpéte, & *nubes* ex vapore roscido vtilem efformantur in pluuiam.

Sapientia elogia profert.

Vers. 21.22.23.24.25.26. Fili custodi consilia legesque, quas tibi Sapientia suggerit, animo tuo planè vitales, *faucibus tuis* seu collo tuo pulcher ornatus. Nam sicut torque collum ornatur, si tibi Sapientiæ decor accesserit. * Imprudens est ille, qui Sapientiæ cultor cùm sit, circà secularia præmia se anxium ostentat, si illud ipsum esse Sapientem, egregij præmij pro impigro labore locum obtineat.] Tunc ambulabis *fiducialiter*, seu expers eris anxij timoris, duce Sapientia, quæ nequit errare. Securo somno, ac suaui quiete potiere, repentinóque impiorum terrore minimè disturbaberis. Dominus aderit è *latere*, ne laqueis, ac tendiculis contra te ab inimicis instructis possis impediri.

Sapientiam assequi, præmium est laboris eam assequendi.

Vers. 27.28. Auctor non eris, vt ij, quibus 8.

facultas est, haud benefici in miseros ostentetur. Hebr. loco illius verbi: *Noli prohibere benefacere eum, qui potest*, posuérunt: *Ne prohibe beneficium à domino suo* * Pauperem dominum beneficij, seu eleemosynæ vocitat, quia illi debetur. Vndè in sacris eleemosyna sæpe *iustitia* appellatur.] Tu quoque, *si vales*, pauperi succurre. Ne dicas amico tuo seu proximo egenti. *Vade, & reuertere, cras dabo tibi*: cum statim potest aut debitum soluere, aut stipem exhibere. * Nam qui dat cito, bis dare videtur. Profectò labor reuertendi, & rursum efflagitandi rubor ità egentem afficit, vt eleemosyna illa iam donum non sit, sed laboris, ac ruboris merces.]

Nonnulla moralia adijcit documenta.

Pauper Dominus est eleemosynæ, quia illi debetur.

Eleemosyna bis petita potius videtur esse ruboris merces, quàm donum.

Vers. 29.30.31.32. Ne cogites contra amicum tuum (Hebr.) malū, cum ipse tecum habitet confidenter, id est, nihil tale metuat. * Impudentissimi animi Iudæ similis est, osculo amicum tradere.] Ne *frustrà*, seu sine causa, litem contra proximum excites. Hebr. *Ne litiges cum homine gratis*. cum ipse te minimè lacessiuerit. * Litem quippe iniustam moliri horribili vindictæ ob iniuriam illatam potest æquiparari.] Ne *æmuleris* seu imiteris hominem iniustum, nec sequaris dictamina eius. Auersator enim Deus scelestum, iniustum, qui aliis illudit, & suis fraudibus fucū agit. Nec enim *illusor* potest non inuisus esse Domino, qui cum rectis, & synceris familiariter agit, eisque tanquàm amicis sua arcana communicat.

Impudentissimi animi est, osculo amicum tradere.

Litem moliri iniustam horribili vindictæ æquiparatur.

Vers. 33.34.35. In domum impij *egestas* à Domino immittitur, dum benedictionibus iusti exundat habitaculum. Hebr. *pro Ægestas à*

Domino

Dothine in domo impij, est Execratio Domini. Per execrationem autem omnia mala, per benedictionem bona cuncta intelligito. * Apposité execratio Domini, seu omnium malorum immissio in impij domum Ægestatis vocabulo exprimitur; impio namque nihil dirius inopia, quâ pressus nequit delitiis difficilibus indulgere.] Ipse *illusores* seu astuctos, & dolis grassantes in sua capiet astutia, & humiles gratiâ donabit. Sapientes verò possidebunt *gloriam*; gloriosi enim & inclyti in hac vita, ac in futura existent. *Stultorum*, seu impiorum *exaltatio*, *ignominia*. Dignitates enim, & opes, queis hac in vita superbiunt, & eriguntur eis dedecus parient. Seu exaltatio stulti parit illi ignominiam, quia è sublimi fastigio dignitatis magis eius dedecora sunt conspicua. * Quid nisi dedecus procurat insipiens, qui ad munus viribus planè impar anhelat?] Pagnin. vertit, *stultus exaltat*, *quod est ignominiosum*, peruersè enim de rebus iudicat. Pro *exaltatio* in Hebræo habetur מרים *merim*, quod verti potest *Tollentes*, id est, sibi eligentes exaltationem, siue officia. * Plerumquè qui ob stultitiam, vel inscitiam ineptus est ad munera, ea ardentiùs ambit: sed is ignominiam demùm pro mercede recipiet.]

Nihil duriùs impio, quàm ægestas, quâ pressus nequit indulgere delitiis.

Dedecus procurat stultus, qui munus suscipit viribus impar.

Stultus plerumquè eligit officium, quod exercere nesciet.

CAPVT IV.

Vt Sapientiam sectemur, eius plures vtilitates recensens Salomon suo exemplo hortatur. Ante omnia verò prauorum deuitare consortia, linguam, ac oculos cohibere monet.



1. AVDITE filij disciplinam patris, & attendite vt sciatis prudentiam. 2. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. 3. Nam, & ego filius fui patris mei, tenellus; & vnigenitus coram matre mea: 4. docebat me, atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & viues. 5. Posside sapientiam, posside prudentiam: ne obliuiscaris, neque declines à verbis oris mei. 6. Ne dimittas eum, & custodiet te: dilige eam, & conseruabit te. 7. Principium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua, acquire prudentiam: 8. arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus. 9. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. 10. Audi fili mi, & suscipe verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ. 11. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis: 12. quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum. 13. Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua. 14. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. 15. Fuge ab ea, nec transeas per illam: declina, & desere eam. 16. non enim dormiunt nisi male fecerint: & rapitur somnus ab eis nisi supplantauerint. 17. comedunt panem impietatis, & Vinum iniquitatis bibunt. 18. Iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem. 19. Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant. 20. Fili mi, ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam. 21. ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui: 22. vita enim sunt inuenientibus ea, & vniuersæ carni sanitas. 23. Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. 24. Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te. 25. Oculi tui rectà videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. 26. Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur. 27. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: auerte pedem tuum à malo. vias enim, quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ verò sunt quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

COMMENTARII.



1. VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Filij eruditionem, quá vas paterno instituere affectu aggredior, exaudite. Donum valdè bonum tribuam vobis, dum doctrinam sanam enuncio, à vobis minimè relinquendam. Nam & ego *tenellus* seu à teneris annis à parente Dauide ad pietatem & Sapientiam fui institutus, adeò quidem à matre dilectus ac si illi fuissem vnigenitus. Nec tamen ideò parentes mei me disciplina ac correptione immunem esse indulsére. * Verus enim parentum amor ostenditur, cum filios erudiunt, comprimunt, & flagellant. Vndè Dauid ipse clamauit aliquandò: *Apprehendite*

Eruditionis vtilitates Salomon recensit.

Parentum amor in filium ostenditur, cùm eum erudit, & delinquétem flagellat.

disciplini

disciplinam, seu correptionis flagella expeditè ad filiorum instituta. Alij transferunt ex Hebræo. *Osculamini filios.* Filium namque affectuosa mulcet osculo, cum illum delinquentem flagellat.] * Illud expende: *Vnigenitus coram matre mea.* Quonammodò vnigenitus vocitatur, si Bethsabeam constat, plures suscepisse filios ex 1. *Paral.* 3. Certè quia amor parentum, curaque ergà omnes filios debet ita æqualis ostendi, ac si singuli vnigeniti existerent.] Docebat igitur me Dauid pater, dicens: Auribus cordis verba mea ô fili, suscipe, obserua, & benè tibi erit. Sapientiam, ac prudentiam *possid*e, Hebr, *Acquire.* laboribus exantlatis *eme*, obliuioni ne tradas præcepta meo ex ore prolata te à periculis tutum reddītura. *Principium* Sapientiæ est ipsius Sapientiæ pretium nosse, & ad illam possidendam animum ardenter adiicere: & inter reliquas possessiones tuas cura præcipuè vt etiam prudentiam acquiras, sine qua reliquæ Sapientiæ possessiones non solùm non erunt vtiles, imò potius futuræ erunt noxiæ. Aptiùs dixeris: prudentiam comparandam esse quocumque dato pretio, etiamsi omnis possessio pro illa acquirenda, foret eroganda. Sic negotiator ille *Mat.* 13. *inuenta vna pretiosa margarita, vendidit omnia quæ habuit, & comparauit eam.* * Quàm bellè Salomon *Possid*e *Sapientiam, acquire prudentiam.* Sapientia enim sine prudentia dictante quid dicendum, quid reticendum, noxia quidem est. Vndè Magister & concionator (v. gr.) mediocriter literis instructus magis prudentiâ, quàm scientiâ proficit.] Cùm prudentiam ad scientiæ vsum necessariam possederis, reddent tibi *copulam gratia* (sic Hebr.) LXX. *Coronam gratiarum*, cunctis enim gratus existes. Hactenùs Salomon verba patris Dauidis retulit.

Amor & cura parentis in filios multos ita debet æqualis ostendi, ac si singuli essent vnigeniti.

Plus Concionator prudentiâ, quàm scientiâ proficit.

Vers. 10. 11. 12. 13. Quemadmodum igitur Dauidis dogmata diligenter exaudiui, & asseruaui, audi fili mi, & suscipe verba mea, vt diu hîc viuas, & postmodum æternam vitam nanciscaris. Viam Sapientiæ veræ indicabo tibi, & per æquitatis semitas ducatum præstabo, quas cum fueris ingressus, pedes tui non *arctabuntur*. in angustum non cogentur, nec vllo præpedientur offendiculo, etiamsi lubeat vti concito gressu. Disciplinam vtraque manu *tene*, ne eam à te excedere permittas existimans esse *vitam* tuam. Ac si illa à te discedente, tu è vita recedas. * Sapientia, & prudentia, eruditióque est hominibus quasi vita. Mortuum vndè pater filium existimet, quem erudiri non curauerit: *Custodi illam, quia ipsa est vita tua.*]

Patrem existimet filium esse mortuũ, quem erudiri non curauerit.

2.
A via impiorum monet abscedendum.

Vers. 14. 15. 16. 17. Ne semitas impiorum *delecteris* aspicere, nec eorum viuendi ratio tibi placida appareat. Fuge, viam, noli eam terere, latet anguis in herba. Libertas enim illa exitialis omninò. Impij namque quietem capere non possunt, donec malum, quod concepere, perpetrauerint; & si aliquandò non mandata executioni iniquitate, obdormire incipiunt, *rapitur somnus ab eis*, id est, praui affectus instar latronum, eis quietem attipiunt, donec deiecerint, aut circumuenerint simplices, ac sinceri agentes. * O quàm plena molestiis iniquitatis via!] Comedunt panem iniquè partum, & ipsa impietate, & iniquitate vt cibo & potu delectantur.

Molestiæ plena via iniquitatis.

Vers. 18. 19. Iustorum autem via quàm placida. Semper in virtutibus capiunt incrementum, quarum exemplis fulgent similes luci diurnæ, quæ semper quidem, sed in meridie magis splendet. Via autem impiorum *tenebrosa*, quia erroribus, ac ignorantia plena. Vndè nesciunt *vbi corruant*, nam frequenter piacula, in quæ incidunt, non agnoscunt. * Multi ob eruditionis defectum grauiter delinquunt, qui si scirent, eadem operantes, à graui crimine liberarentur.]

Multi ob inscitiam piacula leuia putant grauia esse & grauiter delinquunt.

Vers. 20. 21. 22. Mea ô fili præcepta auscultà à mente tua non recedant, *vita* enim seu vitalia sunt obseruantibus ea, & omnibus hominibus spiritualem conferunt sanitatem. * In Hebræo est מרפא *marpe, medela.* 9. p. Hebr. Omnibus hominibus medelam afferent, vt curent morbos in quos iam inciderunt, & ab imminentibus præseruari valeant. Sapientia quidem ad omnes animi morbos curandos pharmacopolium procul dubio est.]

Sapientia ad omnia vitia curãda pharmacopolium est.

3.
Linguam, ac oculos cohibere docet.

Vers. 23. 24. *Summa cura ac vigilantia cor tuum custodi, de ipso enim* velut è fonte *vita* procedit. Nam vt ex corde exeunt *cogitationes malæ*, furta &c. ita omnium bonorum erit origo, si cautè custodiatur. Remoue à te eos, qui *prauo ore* detrahunt. Dauidis æmulator canentis, *Psal.* 100. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Seu nunquam famæ proximi detrahere audeas, *& detractores sint procul à te.* * Nam vt tu detractionis vitio non inficiaris, necessarium est à detractoribus abstrahi. Vnius etenim detractoris lingua reliquorum sociorum esse assolet ad detrahendum impulsio.]

Vnius detractoris lingua omnium adstantium cum illo solet esse ad detrahẽdum impulsio.

Vers. 25. 26. Quemadmodum oportet, incedentem non passim oculis diuagari, sed rectâ in id, ad quod tendit, intueri: ita oculos mentis in id, quod propositum habes, te conuenit habere defixos, ne aberres, aut impingas. Fac pedibus tuis semitas rectas: & omnes tuæ actiones *stabilientur*, firmæ erunt, & stabiles, non vagæ, & in vitiorum varietate aberrantes.

Vers. 27. Rectam viam tene, eam quidem, quæ media est, & ab extremis recedit, in quibus est vitium. Non prohibet, ne incedat per viam, quæ est *dextera*, sed est formula loquendi familiaris Hebræis, idem significans, ac *Recta incede via.* Via autem recta est, quæ à *dextris*, quam moneo, vt sequare. Duæ quippe sunt viæ, altera ad dexteram, quæ bona prorsus est; altera ad sinistram, quæ omnino mala; hanc fuge, illam tene. *Nouit* enim Dominus, siue approbat vias rectas, reprobat quæ à sinistris peccatori parescunt ducentes in baratrum. Ipse verò dabit tibi, vt rectè, ac prosperè per dexteram incedas, tranquilléque, ac feliciter vsque ad gloriæ terminum progrediaris.

CAPVT V.

A scortatione, & adulterio monet esse cauendum: pœnas tam temporales, quàm æternas præparatas adulteris exponit.

1. ILI mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ
inclina aurem tuam, vt custodias cogitationes, & discipli-
nam labia tua conseruent. Ne attendas fallaciæ mulieris.
3. Fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo
guttur eius: 4. nouissima autem illius amara quasi absyn-
thium, & acuta quasi gladius biceps. 5. Pedes eius des-
cendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.
6. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius, & inuestigabiles.
7. Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei. 8. Longè fac ab
ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. 9. Ne des alienis hono-
rem tuum, & annos tuos crudeli. 10. Ne fortè impleantur extranei viribus tuis,
& labores tui sint in domo aliena, 11. & gemas in nouissimis, quando, consum-
pseris carnes tuas & corpus tuum, & dicas: 12. Cur detestatus sum disciplinam,
& increpationibus non acquieuit cor meum, 13. nec audiui vocem docentium
me, & magistris non inclinaui aurem meam? 14. Penè fui in omni malo, in me-
dio Ecclesiæ & synagogæ. 15. Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui:
16. deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. 17. Habeto eas
solus, nec sint alieni participes tui. 18. Sit vena tua benedicta, & lætare cum mu-
liere adolescentiæ tuæ: 19. cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius
inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter. 20. Quare seduce-
ris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius? 21. Respicit Dominus vias homi-
nis, & omnes gressus eius considerat. 22. Iniquitates suæ capiunt impium, & fu-
nibus peccatorum suorum constringitur. 23. Ipse morietur, quia non habuit disci-
plinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

COMMENTARII.

1. *A scortatione fugiendum edocet.*

ERS. 1. 2. 3. 4. 5. Fili attende ad præcepta, quæ te edoceo, & prudentiæ dogmatibus aures cordis accommoda, ne quid mali cogitatione percipias, aut proponas, ita vt labia tua aliter, quàm decet, non loquantur. Ne capiatis *fallacia* meretricis, dulcia enim & blanda sunt verba illius, instar *faui*, & verba illius molliora, leniora, & magis lubrica, quàm *oleum: nouissima* autem illius, seu effectus dulcedinis simulatæ amari velut *absynthium*, & sicut *gladius biceps* acuta, ideoque apta ad percutiendum. *Pedes* eius siue eius actiones ad mortem deducunt, & ad tartara gressus eius deducunt amatores.* Verbum illud, *Amara quasi absynthium fauo* opponitur: & illud *Acuta quasi gladius*, leni opponitur *oleo*. Vt per breuis voluptatis fallaciam, exitiales contemplemur effectus]

Voluptatis breuis fallacia, exitialésque effectus.

Vers. 5. 6. 7. 8. Per vitalem semitam eius pedes non incedunt, *vagi* sunt, & inuestigabiles gressus illius; cùm enim rectam non teneat illa viam, huc illucve vagatur, modò huius, modò illius amoribus instabiliter implicata adeò quidem, vt difficile sit affectus illius vestigare, & agnoscere. * Raro videris fœminam vnius implicatam amore, quæ non facilis sit ad aliorum amores admittendum. Inde amasij zelotypia ardentes turpissima excitantur ad prælia.] Ideò ô fili, me audi, & à monitis meis mentem non auertas. Huiuscemodi muliercula fuge consortium, nec domus illius fores terere audeas.

Fœmina vnius implicata amore, facilè alios admittit amasios.

Vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Ne propter libidinem des *honorem tuum alienis* siue fœdes nomen tuum. * Fœdissimum enim vitium luxuriæ famæ notam inurit.] LXX. *Ne des alienis vitam tuam.* Ne propter libidinem vires imminutas, vitam perdas. * Veneri enim addicti de viribus, & ætate multum detrahunt.] Et *annos tuos* ne dederis *crudeli* meretrici, monstro equidem crudelissimo. Alij, *diabolo*. Crudelitas enim impudicæ fœminæ, libidinis diritas crudelissimo diabolo potest æquiparari.] Alij *Ne des fœneratori vitam tuam*. Belle planè. Nam qui veneri indulgent, ob fœminarum agnatam auaritiam, sua semper coguntur oppignotare. Ne extranei siue meretrices, siue fœneratores *viribus tuis* seu opibus tuis labore partis impleantur: seu viribus tuis corporis, quas exhauris, ad explendam alienam libidinem. Vndè tandem gemere cogaris, quando te exhaustum, opibus,

Fœdum luxuriæ vitium famam decurpat.

Veneri addicti, multum de ætate detrahunt.

Mulieris impudicæ crudelitas diabolica.

opibus, & viribus confectum aspexeris, & *dicas.* Me miserum, cur contempsi salutaris disciplinæ dogmata, & cor meum correptioni non acquieuit, & erudientis magisterio gratas aures non præbui? *Penè fui in omni malo.* Hebr. parùm abfuit, quò minùs omnia mala incurrerim, tum morborum, tum inopiæ, tum infamiæ: idque *in medio Ecclesiæ, & Synagogæ,* seu palam, & publicè, vt me omnes digito notarent.

Vers. 15.16.17. *Bibe* quæso de *cisterna tua aquam,* quam cupis voluptatem è propria vxore, quæ casta tibi est, & pura, instar cisternæ carentis fornicationis, zelotypiæ, rixarum, & maledictionum luto. * O quot mariti coniugis pulchræ, pudicæ è cisterna puta aquas haurire contemnunt, & fœdæ, impudicæ turpis amasiæ vnda potari gestiunt?] * O quàm frequenter coniugia ex bona vxore, & iniquo marito colligantur!] *Deriuentur fontes tui foras in plateis.* ex te prodeant filij tui puri, non suppositij.* Nam qui ex meretrice filij attribuuntur amasio, plerumquè sunt, fœminæ iniquitate, alieni.] *Habeto* aquas tuas *solus.* Habebis autem si à meretricibus abstineas, quæ sæpe communes, imò alienos filios tibi supponent.

Reprehenditur maritus, qui despiciés vxorem pulchram, cum fœda scortatur.

Sæpè iniquo marito, vxor sancta.

Qui meretrici adhæret sæpè filios non suos vt pater alit.

Vers. 18.19. Sit *vena tua* seu vxor *benedicta* à Deo, vt scilicet multas tibi & validas, & vegetas proles gignat. Vulgariter exponam: *Para que tengas muchos frutos de bendicion.* * Quid enim bonum, & honorificum ex maledictionis, seu peccati filio poterit expectari?] Lætare cum vxore, quam adolescens duxisti; *ceruà charissima & gratissimus* eius erit *hinnulus.* id est, & vxor & filij ex ea prodeuntes tibi amabiles admodum existent. Chald. *Vt cerua amorum* sit tibi chara, id est, instar amabilis ceruæ, sit tibi in deliciis, speciosa, vnica, sincera, blanda, felle carens, fida marito, velox ad ei placendum, & opitulandum, ardenti erga eum amore, verecunda, pudica. Hasce enim conditiones Plin. & alij apud Gesnerum *in ceruo* notant. * Maritus debet semper sibi persuadere, in vxore has omnes inesse proprietates, vt *cerua amorum* sit, id est, æternum coniugalis dilectio foueatur.] *Vbera* eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare, & nunquam in alienam, vel non tuam deflectere audeas. Quare *seduceris* ô fili, existimans, posse te in *alterius sinu* maiore voluptate foueri.

Ex filio adulterij nihil bonum poterit expectare.

Maritus semper debet existimare, vxorem suā esse perfectam.

Vers. 21.22.23. Dominum omnium tuarum actionum, cogitationúmque testem esse considera, vt à prauis his operibus abstraharis. Abstine igitur à voluptatibus; quia, qui huiusmodi actionibus delectatur *funibus* constringitur, seu prauis habitibus *tenetur* Hebr.) irretitus, quibus præ cæteris difficillimè se se libidini addictus potest expedire. * Profectò habitus è luxuriæ naris difficilè admodum aufertur; nam vitium, turpitudinis corporis medullis adhærescit.] Morietur miser, quia contempsit disciplinam suæ magnæ stoltitiæ gladio percussus. * Preme illud: *In multitudine stultitia suæ decipietur.* Quænam quæso, stultitiæ hominis libidinosi multitudo? Ob momentaneam voluptatem requiem, diuitias, famam, valetudinem vitam, gloriam prodigus offert.] An stultitia hæc non est omnium stultitiarum epilogatio?]

Difficilè prauam libidinis exues consuetudinem.

Homini libidinoso multiplex stultitia.

CAPVT VI.

Ne temerè pro alijs spondeas, ignauum otium fugias formicæ exemplo, mores, & consortia impudica deuites, Salomon monet, septem grandia piacula Deo cum primis odiosa recenset. Præceptis Dei, & parentum, vt pareas hortatur.

1. FILI mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extra-
neum manum tuam, 2. illaqueatus es verbis oris tui, &
captus propriis sermonibus. 3. Fac ergo quod dico fili mi,
& temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui.
Discurre, festina, suscita amicum tuum: 4. ne dederis
somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. 5. Eruere
quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis.
6. Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: 7. quæ
cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, 8. parat in æstate ci-
bum sibi, & congregat in messe quod comedat. 9. Vsquequò piger dormies?
quando consurges è somno tuo? 10. Paululum dormies, paululum dormitabis,
paululum conseres manus, vt dormias: 11. & veniet tibi quasi viator egestas, &
pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & ege-
stas longè fugiet à te. 12. Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso,
13. annuit oculis, terit pede, digito loquitur, 14. prauo corde machinatur ma-
lum, & omni tempore iurgia seminat. 15. huic extemplò veniet perditio sua, &
subitò conteretur, nec habebit vltra medicinam. 16. Sex sunt, quæ odit Dominus,
& septimum detestatur anima eius: 17. Oculos sublimes, linguam mendacem,

manus effundentes innoxium ſanguinem, 18. cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, 19. proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias. 20. Conſerua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. 21. Liga ea in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo. 22. Cùm ambulaueris, gradiantur tecum: cùm dormieris, cuſtodiant te, & euigilans loquere cum eis. 23. quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ: 24. vt cuſtodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. 25. Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius: 26. pretium enim ſcorti vix eſt vnius panis: mulier autem viri pretioſam animam capit. 27. Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? 28. aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius? 29. ſic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cùm tetigerit eam. 30. Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim vt eſurientem impleat animam: 31. deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet. 32. Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam: 33. turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur: 34. quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, 35. nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.

COMMENTARII.

1. *Ne temerè pro alijs fideiubeamus, Salomon monet.*



ERS. 1.2.3.4.5. Si pro amico tuo *ſpoponderis, percuſſiſti extraneo manum tuam.* Si fideiuſſiſti dando, ex ritu, creditori ad fidem manu dextera: *illaqueatus es*, obligationem contraxiſti, quæ in tuum cedet incommodum, nam vinculum hoc, laquei inſtar, magnum, illo captis, periculum creat. Age ergo, & monita mea obſerua, vt à laqueo poſſis liberari, incidiſti enim *in manum* proximi tui, obnoxius ſcilicet creditori, qui iam adeptus eſt ius, debitum à te repetendi. Feſtinanter ergo *ſuſcita amicum* tuum, pro quo fideiuſſiſti, eum ſtimula, vrge, officij ſui admone, vt ipſe creditori ſatisfaciat, ne tu cogaris debitam pecuniæ ſummam de tuo ſoluere. Noli obdormire, oculos aperi: & te illaqueatum agnoſcens eruere quaſi *damula* velox è laqueo, velut auis ex aucupe te eripere ſatage. * Preme illa. *Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Vulgariter *No te ciegues.* Cœcus omninò eſt, qui vel pro amiciſſimo fidejubet. Non autem omnes fideiuſſiones damnat Salomon, ſed leues tantùm, & inconſultas.] * Et illud: *Feſtina, ſuſcita amicum tuum.* Frequenter videbis, eum, pro quo alius fideiubet, ad ſolutionem obdormire, cùm ſciat fideiuſſorem illaqueatum eſſe ad ſatisfaciendum.] * O quot diuites vidi inopiâ preſſos, quod temerè auſi ſunt pro aliis fideiuſſionem agere.]

Cœcus eſt, qui vel pro amiciſſimo fideiubet temerè.

Ille, pro quo fideiuſſiſti, obdormit, ſciens te illaqueatum eſſe ad ſoluendum.

Multi inopiâ ob fideiuſſiones premuntur.

2. *Reprehendit ignauum.*

Verſ. 6.7.8.9.10.11. *Vade ad formicam ô piger,* & eius exemplo, quid te facere oporteat, ediſce: eius *vias*, ſeu rationem, quâ ſibi illa conſulit, obſerua: eiúſque prudentiam æmulare. Formica enim cum nullum habeat Magiſtrum à quo edoceatur præter naturalem inclinationem, cuius inſtinctum ſecuta ſibi proſpicit, præparat in æſtate cibos, & congregat in horrea grana, quibus in hyeme depaſcatur. Tu ô miſer interim ſomno corriperis, otio torpes, & veniet quaſi *viator egeſtas* Hebr. הלך *halac* radice vox eſt מהלך *mehallech*, ſeu *graſſator*. Ac ſi diceret, aderit inopinata paupertas, quæ te graſſatoris ſpoliet in morem & pauperies quaſi *vir armatus*. Eiuſdem ſententiæ eſt repetitio. * O quàm horribilis eſt hominibus egeſtas, quæ graſſatori, armatóque ad percutiendum & occidendum viro comparatur!]

Horribilis eſt homini egeſtas.

3. *Apoſtatam fugiendum deſcribit.*

Verſ. 12.13.14. *Homo apoſtata* Hebr. *Vir Belial* qui Deum, eiúſque legem deſeruit, eſt quidem *inutilis*. (Eſt liptote, plus enim ſignificat, quàm dicit.) Huiuſmodi homo maximè noxius eſt, & pernicioſus. * Plures videris in Republica inutiles ad nulla munera aptos: qui quidem eo ipſo, quod inutiles ſunt, noxij maximè aliis exiſtunt.] Loquitur amicè, ac benignè, ſed peruerſus interim mala cogitat, & molitur. At dum amicitiam ſimulat, *annuit oculis*, terit pede, digito loquitur: vulgariter expendo, *Guiña, patea, hace ſeñas.* Contrarium ſuis complicibus ſignificans in pernitiem, & contemptum eius, quem decipere conatur, ſeminat *iurgia*, quum alios curat ad ſuam de proximo vilem æſtimationem attrahere. *Ex templo*, ſeu repentè hic exitio afficietur, nec curabitur, ſeu curari non poterit repentino impeditus interitu, vnde æterno addicetur exitio, à quo nullatenus poterit liberari. * Quare autem huiuſmodi virum Sapiens *Apoſtatam* vocitauit? Planè quia huiuſmodi homines quaſi à fide recedunt, atheiſmóque afficiuntur. Vndè aptè *Viri Belial* appellantur.] * Pende illud: *Nec habebit vltra medicinam.* An deficit in Eccleſia vel impiiſſimis peccatoribus medicina? Omnibus pœnitentibus diuinæ pietatis pharmacopolium præparatur. At huiuſmodi homines plerunque incogitata morte arripiuntur, vnde nequeunt, abundantiſſimam cunctis, medicinam accipere.]

Homo in Republica inutilis, admodum noxius eſt.

Impij quodámodo ſine fide, ſine Deo.

Plerumque impij morte inopinatâ arripiuntur.

4. *Septem peccata Deo ſpecialiter inuiſa annumerat.*

Verſ. 15.16.17.18.19. *Sex* ſunt crimina inuiſa Domino, ſeptimum magis eſt eius oculis deteſtabile. Modus ſatis in Literis ſacris frequens, quo non ſemper ſignificatur id, quod vltimo loco proponitur deterius eſſe præcedentibus: ſed ſenſus eſt, ſunt ſex ſiue ſeptem crimina, quæ odit, & deteſtatur Dominus: nec enim ſeminare inter fratres diſcordias grauius eſt

est homicidio. Vndè in Hebræo habetur, *septem odit Dominus.* Quæ quidem sunt oculos gerere sublimes, seu superbos: nam elatio oculorum arrogantiæ est signum: linguâ vti mendaci, innoxium sanguinem profundere, pessimas corde cogitationes fouere, ad mala gerenda promptitudinem habere, mendaciter detrahere proximo, testimonium falsum contra illum proferre, & inter fratres discordias seminare. * At si lubeat, septimum hoc crimen speciatim esse Domino inuisum, colliges, quàm detestabile sit susurrationis vitium, quod præ aliis grauissimis criminibus Dei odium sibi conciliare videatur.]

Susurrationis vitium Deo admodû detestabile.

5. *Vers.* 21. 22. 23. 24. Retine ergo menti, fili, patris tui præcepta, & matris tuæ, quæ te ardentius diligit, & ideò de salute tua solicitior esse debet, leges custodi: altè impressæ sint in corde tuo, & *tuo circunda gutturi*, seu præ oculis semper habe, quemadmodùm quod è collo appensum assolet gestari semper ob oculos versatur. *Gradiantur tecum*, & cùm domi hæres, & cùm foras progrederis, & cum vigilas, & cum te ad quietem captandam componis, semper de illis seruandis cogita, nunquam illas negligas. * Bonus enim filius debet semper cunctas actiones ex parentum præscriptione dirigere.] Quod vt præstes loquere, age cum parentibus, cape ab eis consilium, quonammodò regendæ sint actiones tuæ ad diuinorum præceptorum obseruationem. Quia mandatum seu præceptum, & lex diuina lucerna est dirigens te in huius vitæ tenebris; & parentum quorum consilium capis, increpatio, & correptio si fortè deliquisti, via erit ducens ad vitam. * Parentes, qui filiorum corruptos mores non redarguunt, ad rectam disciplinam eos non instituent, vnde miserè deuiare eos aspicient.] Parentum autem correptio dirigetur, vt te à muliere impudica auertat, & à blandis alienæ vxoris, seu meretricis, quæ *extranea* tibi est, quia non tua, sermonibus ad tui seductionem prolatis.

Præcepta Dei, & parentum vt pareamus, hortatur.

Bonus filius debet omnes actiones ex parentû præscriptione dirigere.

Perit filius, qui delinquês à parentibus non corripitur.

Vers. 25. 26. Vilem fuge concupiscere voluptatem pulchritudine meretricis illectus, nec illius inuitantis te nutibus capiaris; vilissimum enim est *scorti*, seu scortationis pretium, cum *vix sit vnius panis*: & tamen cum tam vilis, & contemptibilis sit voluptas viri pretiosam admodùm animam capit. * Quàm stultus, qui pro merce tam vili, tam pretiosam gemmam tradit!] * Vt etiam impudica fœmina confusione offundatur, cum pro tam vili commutatione, vno scilicet pane, corpus, & animum damnationi committat.] * Hebr. *Quia propter meretricem vsque ad frustum panis*: id est, mendicabit homo. Vatabl. *Veniet homo vsque ad frustum panis.* Nam qui deliciis huiusmodi operam impendit, dilapidatis ex fœminarum auaritia opibus, prodigi filij instar, cogitur mendicare.]

Stultus est qui pro scortatione merce admodû vili pretiosã dat animam.

Meretrix pro frusto panis corpus tradit & animã.

Luxuriosus, opibus absûptis cogitur mendicare.

Vers. 27. 28. 29. Ab adulteræ præsentia fuge, nec cum ea vel vrbanitatis gratiâ ineas sermonem. Nam quemadmodùm ita ignis in sinu circumferri non potest, vt vestes non amburentur, nec ita calcari prunæ vt pedes non comburantur: ita nec quis sine labe peccati poterit cum adultera diuersari. * Vt enim quis liber sit à piaculo libidinis, fuga ei est necessaria. Hostis namque hîc non irruptione, sed fugâ vincendus.]

Luxuriei vitiû fuga vincitur.

Vers. 30. 31. 32. 33. 34. 35. Si quis furatur egestate pressus, vt comedat, *non grandis est culpa*, si cum adulterio comparetur: & tamen cogitur compensare damnum etiam vltra æqualitatem, ita vt pro vno septuplum reddat, aut etiam omni substantia spoliatur. Qui verò adulterij crimine fœdatur propter *cordis inopiam*, seu stultitiam & vecordiam suam vitam amittet, se turpem, & ignominiæ agnatum ostentat, indelebili affectus opprobrio. Vitâ inquam priuabitur, quia zelus, & furor mariti adulteræ non parcet ei, cum vindicandi se se occasionem nactus fuerit, nec mollescet precibus exarinati amasij, nec pro *redemptione*, aut liberatione oblata munera admittet, sed deprehensum diriter de medio auferet. * Annon se captum omninò lumine ostendit, qui tam difficilem, tam periculosam nuptæ voluptatem aggreditur?]

Cæcus omninò qui difficili, ac periculoso nuptæ amori dat studium.

CAPVT VII.

Ad Sapientiæ complexum, & mandatorum custodiam adolescentes Salomon hortatur; à scortatione, & adulterio deterret, cuius exponit illecebras, vtiquè fugiendas.



1. FILI mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi.
Fili 2. serua mandata mea, & viues: & legem meam quasi pupillam oculi tui: 3. liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. 4. Dic sapientiæ, soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam, 5. vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit. 6. De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi, 7. & video paruulos, considero vecordem iuuenem, 8. qui transit per plateam iuxta angulum, & prope viam domus illius, graditur 9. in obscuro, aduesperascente die in noctis tenebris, & caligine. 10. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula & vaga, 11. quietis impatiens, nec valens in do-

 mo

mo consistere pedibus suis. 12. nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos in-
sidians. 13. Apprehensúmque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blandi-
tur, dicens: 14. Victimas pro salute voui, hodie reddidi vota mea. 15. idcircò
egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi. 16. Intexui
funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto. 17. aspersi cubile
meum myrrha, & aloë, & cinnamomo. 18. Veni, inebriemur vberibus, & fruamur
cupitis amplexibus, donec illucescat dies: 19. non est enim vir in domo sua,
abiit via longissima. 20. sacculum pecuniæ secum tulit: in die plenæ lunæ
reuersurus est in domum suam. 21. Irretiuit eum multis sermonibus, &
blanditiis labiorum protraxit illum. 22. Statim eam sequitur quasi bos ductus
ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quòd ad vincula stultus
trahatur, 23. donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad la-
queum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur. 24. Nunc ergo fili mi,
audi me, & attende verbis oris mei. 25. Ne abstrahatur in viis illius mens tua:
neque decipiaris semitis eius. 26. multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi
quique interfecti sunt ab ea. 27. Viæ inferi domus eius, penetrantes in interiora
mortis.

COMMENTARII.

1\. *Adolescentes ad Sapientiæ complexum, & mandatorum custodiã hortatur.*

Mentis cæcitas ex legis Dei violatione.



ERS. 1.2.3. Obserua ô fili monita mea, & præcepta mea in sinu reconde vbi hominum procreantur affectus, vt iuxta Dei placitum efformẽtur. Executioni mea præcepta trade, & viues, & quemadmodùm curas oculorum tutari pupillas, ne vel puluere leui lædantur, sic legem meam studiosæ committe custoditæ.* Apta admodùm comparatio, nam sicut ex incuria circa pupillarum custodiam corporalis cæcitas causatur; ita mentis cæcitas ex violatione legis Dei habet exordium.] Liga eam in *digitis*, cordis exara in *tabulis*, seu præscripta legis semper ad manum habe, semper oculis obuersentur, & menti.

Vers. 4.5. Et vt Sapientia, ad cuius te hortor studium, te à muliere *extranea*, aliena scilicet vxore, seu meretrice te defendat; Sapientiam voca *sororem*, & prudentiam *amicam* appella. Nomine sororis sponsa significatur, quæ soror & amica assolet vocitari, vt ex canticis constabit, & Sapientiæ 8. *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.* Salomon igitur iuuenem à mulierum amore studet abstrahere, & ad Sapientiam transferre. Ac si diceret fœminas aspernare, & auersare, Sapientiæ tibi nuptias ambi. * Certè literarum studium adolescentes a libidine abstrahit.] Dummodò in Sapientiam ardenti ferantur affectu, & non nomine solùm scholastici existant.]

Literarum studium à libidine abstrahit adolescentes, dũmodò non sint solùm nomine scholastici.

Vers. 6.7.8 9. De fenestra regiæ meæ curiosus per cancellos aliquandò prospexi, & vidi *paruulos* non ætate, sed sensu. (Hebraica vox *petain* eos significat qui faciles sunt ad deceptionem) vecordem iuuenem inspexi qui transit per *plateas* otiosus, & ideo magis opportunus vt impuro capiatur amore. * Otium equidem iuueni est turpis affectus scaturigo.] Transit ille per plateas iuxta angulum, vbi domus meretricis, locum scilicet obuium, & ad capiendos transeuntes iuuenes accommodatum obruto iam occidentalibus nubibus sole, dum nocturnæ tenebræ incipiunt auolare. * Qui malè agit, odit lucem.

Otium est iuueni turpis affectus scaturigo.

Odit lucem, qui malè agit.

Vers. 10.11.12.13. Et en occurrit illi è domo, vnde prædam expectabat, egressa mulier, ornatu meretricio, ad capturam animorum præparata *garrula*, & *vaga*, quietis *impatiens*. nec valens pedibus domo consistere, nunc *foris* iuxta domus suæ vestibulum, nunc in plateis, nunc iuxta angulos incautis iuuenibus insidias apponens. * Preme illa, *Garrula, vaga, quietis impatiens, &c.* Notæ sunt mulieris impudicæ, nam quæ castitate nitent parùm, & considerate loquuntur, & domi se continent.] Apprehensúmque impudens iuuenem osculatur, & procaci vultu blanditur profata:

2\. *Ab adulterio deterret adolescentes.*

Garrulitas & diuagatio notæ sunt fœminæ impudicæ.

Vers. 14.15.16.17.18.19.20.21. Irati Numinis ne time vindictam ob crimen patrandum. Victimas enim seu hostias pacificas in sacrificium Deo obtuli pro mea ac tua salute, vota quæ reddidi: vndè ex residuo hostiarum nobis opiparum conuiuium instruxi. * O quàm stultè mulierculæ plures existimant eis proficere hostias, vel orationes, quæ ad incolumitatem vt peccent, diriguntur: cum magis superos ad vindictam prouocent ditiorem.] Ideò egressa sum tui in occursum, cupiens te videre, & feliciter reperi. Iam intexui *funibus* lectum meum. LXX. *Institis intexui*, Intelligo de fasciis, seu funibus, quibus culcitræ, lecto super imponi assolent, quæque asserum vicem implent, vt molliùs cubent, qui in lectis illis se ad quietem tradunt. Straui illum pulchris ex pictura tapetibus ex Ægypto (vbi egregij artifices) allatis, cubile omnis generis aromatibus fumantibus, odoratum reddidi. * Porrò myrrha & aloe solebant adhiberi defunctorum corporibus Quomodò ergo meretrix, quæ ad delitias adolescentem inuitat, cadaueris condimenta memorat? Certè quia inuitans ad peccatum attrahit ad sepulchrum: peccatum enim mors animæ est.] Propera ergo, *inebriemur vberibus*, Alij *amoribus*. * Impudicus amor quædam est ebrietas, de mentis statu hominem deiiciens.] & cupitis amplexibus tandem perfruamur, donec dies illucescat, & prius quàm sol exoriatur, instet hora exeundi, ne murmurationis detur occasio. Ne autem ingredi cunctetis, scito, maritum meum à domo abesse, longissimo sese tradentem itineri;

Stultè fœminæ impudicæ putant eleemosynas aut orationes ad incolumitatem peccandi proficere.

Peccatum animæ mors.

Impudicus amor ebrietas.

neri: sacculum enim pecuniæ secum tulit in longæ peregrinationis sumptus In die *plena Luna* reuersurus. Ità coniectabat adultera ex pecuniæ, quàm secum tulerat, quantitate. * O quàm perspicax est fœminarum discursus ad delicta patranda, cum amoris, cœci licet, igne succenditur!] Denique impudica fœmina adolescentem hisce blandis sermonibus in cubile attraxit.

Perspicax mulieris amantis ingenium, ad patranda delicta.

Vers. 22. 23. Adolescens itaque eam statim sequitur, tanquam *bos* ad victimam adductus, vel quasi agnus lasciuiens, & ignotans, quod ad vincula stultus afferatur. Bos quidem & agnus lasciuit, & exultat, ignorant enim quando ducantur ad præsepe, vel ad vbera ouis, & quando victimarum more mactentur: & sæpe cum natura suggerente quasi coniectant, se ad præsepium, vel ad vbera duci, trahuntur ad macellum. * Ita sæpe quidem amasij, putant se ad dulce epulum inuitari, & ad mortem animæ semper, & ad corporis necem aliquandò trahuntur.] Miser autem non sentit se ad mortem attrahi, *donec sagitta* iecur eius transfigat, id est, cum in hac, & in futura vita pœnas luat adulterij, vel cum conscientiæ stimuli pectus illius confoderint. * Tam vilis enim est, tam fœda adulterij voluptas, vt idem ferè sit ea potiri, & pœnitere.] Et euenit, quod auiculæ, quæ escam videt, non autem laqueum, quo capitur, & perit: ignorans quidem quod de animæ eius seu vitæ periculo ageretur.

Sæpè lasciuiens iuuenis putat se ad delitiarum epulum inuitari, & ad necem trahitur.

Idem est adulterij fruitio crimine frui, ac pœnitere.

Vers. 24. 25. 26. 27. Igitur fili, me audi, & ad monita salutaria tibi futura attende. Ne mens tua, si *vijs*, seu moribus illius hæreas, abstrahatur, vel blandis, ac dulcibus Syrenæ vocibus incautus decipiaris. Nec te virum validum fore contra infimæ fœminæ iacula præsumas. Infirma enim, ac fragilis fœmina validiores vulneratos deiecit. Et fortissimi quique ab ea non recessêre, sunt ab illa interfecti. Testor Salomonem, & Dauidem. Certè domum eius adire, & cum illa versari, est æternam tendere ad mortem, penetrante *mortis interiora* misero amasio, seu profundam, grauem, & æterna supplicia conciliante.

CAPVT VIII.

Sapientia ipsa nos ad suum amplexum inuitans, suam doctrinam multis modis commendans, beatos denuncians quotquot sibi obtemperarit, infelices, qui spreuerint, à Salomone inducitur.

1. NVNQVID non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam? 2. In summis excelsísque verticibus supra viam, in medijs semitis stans, 3. iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur, dicens: 4. O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum: 5. Intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite. 6. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: & aperientur labia mea, vt recta prædicent. 7. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium. 8. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum. 9. Recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam. 10. Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quàm aurum eligite. 11. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desiderabile ei non potest comparari. 12. Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. 13. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor. 14. Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. 15. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: 16. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. 17. Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, inuenient me. 18. Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia. 19. Melior est enim fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo. 20. In viis iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, 21. vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. 23. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret 24. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: 25. necdum montes graui mole constiterant: ante colles ego parturiebar: 26. adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. 27. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyssos: 28. quando æthera firmabat sursum, & librabat sursum, & librabat fontes aquarum: 29. quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent.

firent fines ſuos : quando appendebat fundamenta terræ. 30. Cum eo eram cuncta
componens : & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore,
31. ludens in orbe terrarum : & deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum. 32. Nunc
ergo filij audite me: Beati, 33. qui cuſtodiunt vias meas. 34. Audite diſciplinam,
& eſtote ſapientes, & nolite abiicere eam. 35. Beatus homo qui audit me, &
qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. 36. Qui me in-
uenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. 37. qui autem in me pecca-
uerit, lædet animam ſuam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.

COMMENTARII.

1. *Sapientia ipſa nos ad ſuum amplexum inuitat.*

ERS. 2. Generatim de Sapientia Salomon hîc loquitur, vt ſcilicet Deo competit, & per Dei donum hominibus. Per proſopopeiam quidem nunc ea, quæ in hominibus, nunc, ea quæ cum Deo operatur, & ipſa diuinitate ſic verba de illa faciens, quaſi perſona aliqua eſſet, & res à Deo, ac hominibus diſtincta. Sapientia (inquit) clamat, prudentiſſima quidem circa rerum agendarum intelligentiam ſuam vocem ſeu dogmata profert.

Verſ. 2.3.4.5.6. In ſummis excelſiſque verticibus ſupra vias, queis homines aſſolent incedere, & in mediis ſimul itinerum *Semitis* ſtans, nec à Ciuitatis *portis* vnde via eſt inſtituenda recedens, loquitur. Ac ſi dicat, vbique clamat, homines ſui officij admonet, vt nemo ignorantiam prætendens valeat excuſari. O viri (ait) ad vos mea monita dirigo, & vox mea à cunctis hominum filiis exaudienda profertur. Paruuli, ſiue ignari *aſtutiam*, prudentiam, circumſpectionem, ne ſeducamini, ediſcite. Audite, de rebus enim magnis ſum locutura, & aperientur labia mea, vt ea, quæ pertinent ad rectitudinem veritatis & vitæ prædicem.

Verſ. 7.8.9.10.11. Veritatem *meditabitur guttur meum.* Hebr. *Meditando guttur meum loquetur.* Ac ſi diceret, Repentè non loquar, ſed meditatione præmiſſa, vera dogmata proferam. * Taxat eos, qui de rebus magnis acturi, non prius digerunt ſententias proferendas veritatis ſæpè læſione.] Ideò autem meditatio præmittitur, quia dum veritatem exprimo; dum ſcilicet commendo virtutem, neceſſum erit *impium* virtutum inimicum deteſtari. * Ad correptionem enim impij oportet. Concionatorem prudenter præmeditari, queiſnam ſit verbis vſurus, ne curaturus vulnera, ea magis exaſperet.] Omnes ſermones mei ſunt iuſti, in eis quidnam *prauum* minimè inuenietur, ſicut in doctrina Philoſophorum, quæ licet multa vera, & ſalutaria continent, tamen multis erroribus, & doctrinis noxiis ſcatent. *Pſal.* 11. *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum.* Recti ſunt intelligentibus, ſeu qui aures habent audiendi, nam qui malè ſunt diſpoſiti, nec rectè iudicant, nec ſenſum eorum, quæ proferuntur, penetrant, factæ Sapientiæ doctrinam ſtultè contemnunt. Sunt itaque ſermones mei *recti*, *iuſti*, *æqui*, nihil à recta ratione exorbitantes, aut prauum continentes, *ſcientiam inuenientibus*, iis ſcilicet, qui eorum intelligentiam quærunt, & ſedulò quærendo illam aſſequuntur. Verbum enim *Inuenio* vim eiuſmodi habet, innuit namque præmiſſum in quærendo laborē.* Cœleſtis ſcientia non reperienda, ſed inuenienda, id eſt non fortuito; ſed impigro labore præmiſſo, acquirenda proponitur.] Non vobis offero pecuniam, ſed diſciplinam, ac doctrinam ſalutarem, quam pecuniâ pluris facere debetis, vincit enim auri valorem: & cunctæ opes, vel gazæ pretioſiſſimæ, & omne auaris hominibus deſiderabile haud poteſt cum ea comparari.

Prius meditare, quæ locuturus es.

Magna prudentia indiget Concionator, ad corripiēdos peccatores, ne vulnus exaſperet.

Cœleſtis Sapientia non caſu reperienda, ſed labore præmiſſo inuenienda eſt.

Verſ. 12.13.14.15.16. Ego Sapientia habito *in conſilio*, ſeu vbi recta conſilia quæruntur, & innuuntur, ego illic adſum, & conſilia illa excito, ac promoueo : & *eruditis interſum cogitationibus*, vbi ſcilicet aliquid gerendum ſapienter cogitatur, & quid faciendum, quid fugiendū ſit ſuggero. * Nunquam grauia negotia, quorū rectā & vtilem expeditionē cupias, ſine cōſilio Sapientum, ac prudentum age] Eligendi autem ad conſilium ferendum non viri à Dei timore abſtracti, non ſuperbi ingenij tenaces, non bilingues hîc vnum dicentes, alibi aliud garrulantes. Timor enim Domini odit malum conſilium impertiri : vndè à Dei timore recedentes, ſuperbos, rationem agendi *prauam* ineuntes, ac bilingues deteſtor. * Omnino ad conſilia ferenda ineptus, qui à Dei timore recedit.] Nam qui à me recedit, mei timore contempto, quonammodò poterit conſilium æquum, prudens, ac forte ferre, ſi meum eſt *conſilium*, eiúſque *æquitas, prudentia*, ac *fortitudo*, ad id exequendum : Per me *Reges regnant*, quia per me ad Regnum legitimè perueniunt, illudque iuſtè gubernant : & legum conditores iuſtitiam decernunt tum in legibus condendis, tum in ſententia ferenda. Per me Principes imperant, & poteſtates Miniſtri eorum quæ iuſta ſunt, decernunt.

2. *Suam doctrinam varijs modis Sapientia commendat.*

Grauia negotia ſine conſilio prudentis agenda non ſunt.

Ineptus ad conſilia ferenda qui à Dei timore recedit.

Verſ. 17.18.19.20.21. Ego me diligentes diligo, me eis communicando. Qui manè *vigilant ad me*, me ſolicitè requirentes, me procul dubio inuenient. Nec ſine fructu erit labor inquiſitionis. Mecum enim ſunt diuitiæ, ac gloria, *opes ſuperbæ*, excelſæ ſcilicet, & eminentes, ac ſimul *iuſtitia*. * Opes enim, quæ iniuſtè acquiruntur nemini proſunt, cunctis nocent. Vndè aptè Sapientia, *Mecum ſunt opes, & iuſtitia.*] Melior enim eſt *fructus* meus, qui eſt iuſtitia, & ſanctitas, auro pretioſiſque lapidibus ; quia ſpiritualia bona haud poſſunt cum materialibus quantumuis auguſta comparari, & *genimina* mea, ſeu fructus, quos ego produco probati argenti vincunt qualitatem. In *vijs iuſtitiæ* ambulo, ſeu habeo iuſtitiam comitem, ab eaque ne tantillum quidem abſcedo: *in medio ſemitarum iudicij* : repetitio einſdem ſententiæ in Sacris vſitata. Ambulo autem in viis iuſtitiæ, vt ditem alumnos meos, eoſque faciam opibus abundare. Nam vt opes nanciſcar, quas tribuam diligentibus

Opes iniuſtè acquiſitæ nemini proſunt cunctis nocent.

gentibus me, non opus habeo aliena rapere, ac violare iustitiam: sed propriis abundo diuitiis, queis sectatores meos facilè valeo ditare. * Si Sapiens es, à iustitia ab æquitate non recedas vt diteris; iustitiæ enim sectatores, diuitiis abundant vtilibus, dum ij, qui à iustitia recedunt, inopia laborant.]

Sapiens qui cupit ditari, iustitiã amplectatur.

Vers. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Dominus *possedit me*, apud se habuit *initio* operationum suarum, quibus mundum extruxit, priusquàm quidquam moliretur. Ab æterno *ordinata*, seu constituta sum, vel apud Deum extiti, & in Deo: & *ex antiquis* siue ab æterno priusquam terra crearetur. Nondum pelagus, fluctuabat, & ego iam genita eram, ab æternitate Deo aderam. Necdum fontes eruperant, aut montes graui mole constiterant*, & ante colles ego sum nata. Nondum terram firmauerat, nondum fluminibus orbem cinxerat, nondum extruxerat polos geminos, circa quos cœli rotantur, vel præcipuas orbis terræ, partes Orientem, Occidentem, Meridiem, ac Septentrionem *cardines* quidem terræ efformauerat: & iam ego eram genita Quando expandebat *cælos*, aderam: *quando lege, & gyro vallabat abyssos*. Hebr. *Cum describeret circulum super faciem voraginis*, seu eum quasi circino describebat quantitatem, latitudinem, profunditatem aquarum. Rotundum enim est mare in superficie non minus quàm terra, & velut circulo vna cum terra conclusum. Quando *ethera* seu elementum ignis, vel superiorem aeris regionem *sursum* efformabat: & *librabat fontes aquarum* cœlestes quidem, qui scilicet de nubibus aquas in terras profundunt. *Librabat* inquam, seu quasi in libra suspendebat aquarum molem in sublimi loco, in nubibus scilicet. Iob 26. *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum*. Quando mari terminum statuebat, eiúsque vndas lege ligabat, ne assignati fines transilirent: quando *appendebat fundamenta terræ* (Hebr. quandò *statuit*) seu stabilitatem, in qua velut in fundamento conquiescit. Psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam*. Cum eo eram *cuncta* constituens, & ordinans. Et in rerum creatione voluptatem capiebam *ludens*. Hebr. *gaudens* non solùm coram Deo, seu cum Deo, sed etiam *in orbe terrarum* cum creaturis, sed maximè *cum filijs hominum* vtpotè præcipua orbis parte: cum his enim meæ sunt *deliciæ*. * Primò, quia homo est Princeps ac Dominus vniuersi, cuius causa omnia sunt creata. Secundò, quia homo est viua Dei imago. Tertiò, quia hominum amore homo fieri volui. Quartò, quia in animo hominis habitare, requiescere, & recreari intendo. Quintò, quia hominem ad me videndum, & fruendum in æternum destinaui.]

Variæ causæ, cur deliciæ Dei sint, esse cũ filiis hominum.


Vers. 32. 33. 34. 35. 36. Quæ cum ita sint, ô filij audite me: Beati, qui sapienter ambulant, & operantur. Audite Sapientiæ monita, vt sitis Sapientes. Felix homo qui *me audit* auribus scilicet audiendi, & vigilat ad fores meas *quotidiè*, vt admitti possit in adyta Sapientiæ. *Quotidiè* quidem. * Intermissiones enim in studio literarum, faciunt scholasticos serò aut nunquam scientiæ assequi cognitionem. Quotidiana verò assistentia vel rudiores ad optatum terminum adducit.] *Et obseruat ad postes ostij mei* est præcedentis hemistichij repetitio. Qui me tandem post quotidianum studij laborem *inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*, gratiam in præsenti, & gloriam in futuro consequetur. * Nam sicut stulto agnatum est sine fræno delinquere, Sapientis est à piaculis abstinere. Vnde scire confert ad tuendam gratiam, & salutem æternam assequendam.] Qui autem *in me peccauerit*, ex contemptu sapiendi, se procul dubio læder, & omnes qui me *oderunt*, monita salutaria mea respuentes, *diligunt mortem*, quia iis cupidè inhærent, quæ mortem afferunt.

Intermissiones in literarum studio faciunt non serò scientiam assequi cognitionem.

Scientia ad assequẽdam æternam salutem confert.

CAPVT. IX.

Profanarum ædium, meretriciarum epularum (de quibus cap. 7.) *loco, Sapientia diuina omnes ad suam sacram domum, victimas, epulas inuitat: vtrarumque differentiam exponens.*



1. APIENTIA ædificauit sibi domum, excidit columnas septem
2. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. 3. Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, &
ad mœnia ciuitatis. 4. Si quis est paruulus, veniat ad me.
Et insipientibus locuta est. 5. Venite, comedite panem
meum, & bibite vinum quod miscui vobis. 6. Relinquite
infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. 7. Qui
erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat. 8. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, & diliget te. 9. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce iustum, & festinabit accipere. 10. Principium sapientiæ, timor Domini: & scientia Sanctorum, prudentia. 11. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ.
12. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum.

13. Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, 14. Sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso vrbis loco, 15. vt vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo. 16. Qui est paruulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est: 17. Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. 18. Et ignorauit quòd ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius.

COMMENTARII.

Describit diuina Sapientia epulũ conuiuio impudicitia oppositum.



1. ERS. 1. 2. 3. Sapientia diuina ædificauit, & ipsa sibi domum in terris, Ecclesiam scilicet ab initio orbis, ad finem vsque duraturam. Scidit columna septem, siue multas. Solet enim in Sacris frequenter septem pro multis apponi. Hæ columnæ sunt Prophetæ, Apostoli, Doctores, & pastores Ecclesiæ: vel septem Sacramenta, septem Spiritus Sancti dona, tres virtutes Theologicæ cum quatuor Cardinalibus: vel omnes virtutes. *Immolauit* animalia, vt ex victimarum reliquiis splendidum conuiuium instrueret, quod meretricio epulo opponeret. Proposuit *mensam* suam, primò doctrinæ Scripturæ sacræ. Secundò Eucharistiæ sacramento, vnde apposité hic fit mentio duarum specierum, nempe *panis*, & *vini*, scilicet sub panis, & vini speciebus Carnis ac Sanguinis Christi Domini immolatæ. *Miscuit vinum*, seu in vas infudit. Hoc Latinis, & Græcis est vinum miscere. * Vt innuatur agnatum esse infusioni vini in vas, vt bibatur, esse mixtum, nempe aqua ad temperantiæ effectus. Idem tibi sit vinum in vas epotandum infundi, ac aqua esse dilutum.] At si Eucharisticæ mensæ in præsenti typus effulgeat, quam Sapientia meretricio epulo opponit ostendit, Eucharistiæ receptionem assiduam appositum medicamen contra luxuriei ægritudinem existere.] Si autem alij (vt D. Bernardus *ser. 7 inter paruos*) allegoricè de Deipara locum exponit, ediscimus deuoto in Virginem obsequio exitiales libidinis flammas extingui.] *Misit ancillas suas* Chald. *puellas*, LXX. *seruos suos*, id est Prophetas, Apostolos, aliosq; Verbi Sacri precones, miraculaque, virtutes, exempla pia Martyrum, Confessorum, Virginum, Anacoretarum, Monachorum (Prosopopeia est, ad quam videtur allusisse Christum in parabola de inuitatis, *Luc* 14) vt vocarent *ad arcem*, in qua vt honestissimo, & maximè sublimi loco, fingitur habere domicilium: & ad *mœnia ciuitatis*, Hebr. *Ad summitates excelsorum ciuitatis*, ad ciuitatis propugnacula, siue ad turres; turribus enim muniuntur vrbes, propugnaculis coronantur. Alij, *super humeros excelsorum ciuitatis*. * Si de inuitatione ad Eucharisticam mensam locum exponas, aptè inuitati vocantur supra humeros excelsorum, seu Sacerdotum, vel spiritualium parentur, ad quos committuntur, vt videant, num dispositi sint ad communionem, & quænam eis frequentia sit eis necessaria, aut vtilis. Multi enim huius panis abundantia marcescunt: multi ob penuriam infirmitate laborant. Confessario autem consultò cunctis facer panis salutatis existet.]

Idem tibi sit, vinum in vas effudi ad bibendum, ac aqua esse dilutum, ad temperantiam.

Eucharistiæ receptio flammas luxuriei extinguit.

Obsequio in Deiparam libidinis medicamen.

Ad Confessarium attinet, definire, an pœnitens communicare possit, & quanam vti debeat frequentia, Eucharisticam mensam inire.

Vers. 4. 5. 6 Si quis *paruulus*, seu humilis, & obediens, ad me accedat edocendus, si quis *insipiens* veram Sapientiam edocendus à me properet. Venite, panem meum comedite, & vinum, quod vobis miscui, seu in vasa infudi, à vobis hauriendum, epotate. Relinquite *infantiam*, seu imperitiam, LXX. *insipientiam*, & *viuite*, seu viuetis, abiecta insipientia, quæ mortem conciliat: per viamque, seu dictamina prudentiæ protinus incedetis.

Vers 7. 8. 9. 10 11. Qui erudit *derisorem*, seu hominem perditum, qui monita Sapientum contemnit, ac ridet, erudire: sibi *iniuriam* irrogat; prouocat enim contra se derisorem, à quo contumeliis afficiatur, & qui arguit *impium*, quem scit obstinatum, & derisurum, sibi *maculã* generat, id est. Nihil enim proficit, nisi quod per derisionem, & detractionem impij denigretur fama, aut bonum nomen suum. * Profectò iniuriam sibi aliquo modo irrogat & bonam sui existimationem imminuit, qui correptionem adhibet, cum profutura esse non potest. Nec repugnat Salomon D. Paulo ad Timotheum scribenti. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant*. 1. Tim. 5. Nam Salomon loquitur de priuata correptione, quæ tunc omittenda, cum nulla spes emendationis apparet.] Ideò addit, Noli arguere *derisorem*, ne odium eius contra te concilies. Argue *Sapientem*, & diliget te. * Qui enim sapit, agnoscit correptionem ad corrigenda vitia proficere. Vnde illum, à quo corripitur, speciali dilectione prosequitur.] Da Sapienti *occasionem* discendi, & eruditione tua Sapientior euadet. Doce iustum, & Sapientiam, & doctrinam traditam accipere festinabit. *Principium Sapientiæ timor Domini*. Reperi sententiam initio propositam, *cap.* 1. *n* 6. * Concionator edifcat, sæpe repetenda esse veritatis dogmata, vt menti auditorum altiùs imprimantur.] *Et scientia sanctorum prudentia*, seu cognitio rerum sanctarum, quales sacra Scriptura tradit, & qualem scientiam habent homines sancti, omnem aliam scientiam superat adeò, vt sola vera *prudentia*, intelligentia, & Sapientia valeat vocitari. *Per me* seu veram Sapientiam vitam longam, imò æternam consequeris.

Tuam famam lædis, cum impium corripis, cum nulla sit emendationis spes.

Sapiens gestit corripi, & corripientem amat.

Concionator repetat veritatis dogmata, vt auditorum menti altiùs imprimantur.

Vers. 12 13. 14. 15. 16 17 18 Si fueris Sapiens, tui vtilitati, & commodo dabis operam: si autem *illusor* seu Sapientiæ contéptor, portabis *malum*, siue pœnas lues. Mulier *stulta & clamosa*, (Chald. *vaga*, LXX. *audax*) *nihil omninò sciens*, nesciens bonum: sic Chald. Vt videas quàm noxium sit, Sapientiam contemnere, mulieris stultæ, quod ediscere noluit, exemplum apponam. Illa sedet in foribus domus suæ super sellam, *in excelso vrbis loco*, in foro, vel plateis magis peruiis. * Quàm exitiale est huiusmodi impudicas palam mulierculas in tam publicis recipi domiciliis, cum deberent ad Vrbis abstractiores angulos ablegari, ne ciues inficiant.] Vt aduocet per plateam transeuntes, & ad propria negotia, aut munera pergentes, & clamitat, Qui est *paruulus*, seu insipiens, *declinet*

Impudicæ fœminæ habitaculum haud in plateis publicis permittendum.

nat ad me. Vocitat impudica fœmina ad sui imitationem insipientes. Nam sicut Sapientia derisores & impios vocandos non censuit: ita nec procax mulier, viros Sapientes, & prudentes non admittit. * Libidinis enim vitium proprium est insipientum, per id enim homines brutis assimilantur.] *Aqua furtiuæ dulciores sunt*, & panis *absconditus*, seu clam subrectus suauior est. Dixerat Sapientia. *Bibite vinum, & comedite panem*, quem suauissimum, ac delicatissimum palam omnibus propono in mensa sed stolida meretrix prouocat ad aquas furtiuas, ac fur ad surreptitium panem, id est, ad illicitam ac furtiuam venerem, qualis est adulterorum: quasi suauior sit, quàm licita, & honesta consuetudo coniugalis. Sed mentitur, & fallit improba. * Certè impio res furto sublatæ dulciores videntur, quia illud flagrantius optant homines, à quo prohibentur.] At *ignorauit*, seu ignorat miser adolescens, quod *ibi*, puta, in inferni *profundis*, seu in loco mortis, ac æternæ miseriæ *sint conuiuæ eius*, seu quotquot inuitati à meretrice, & seducti fuere, & si sint *Gigantes*, id est, robustissimi. Ac si diceret: Tantùm abest, vt furtiua sua dulcedine meretrix beet conuiuas, ac clientes suos; nam eos ad certam lanienam, ad mortem, ad infernum, ad æternam damnationem, ad infernalia supplicia trahat. * Illud preme: *& ignoras, quod ibi sint Gigantes.* In Hebræo est רפאים *rephaim* quæ vox *Gigantes*, vel *Dæmones* significat. Vt doceantur paruuli ab illa meretricis domo abstinendum non secus ac abstinerent ab ea, in qua dæmones, aut immanes feritate Gigantes in ingredientium perniciem armatos latere dignoscerent.] * Et LXX. lectionem obserua, *Ipsa autem ignorat quod terrigenæ apud ipsam pereunt Gigantes.* Etiam Gigantes, viri scilicet Sapientia fortes, venereis illecebris capti æternam in mortem exciderunt.]

Libidinis vitium agnatũ insipientũ.

Illud flagrãtius optat homo, à quo prohibetur.

Fuge à meretricis domo, vbi Dæmonis, ac Gigantũ adest crudelitas ingredientem peremptura.

Viri Gigantes ob libidinem periere, à fragili muliercula victi.

CAPVT X.

PARABOLÆ SALOMONIS.

Id est, gnomæ, seu graues sententiæ perbreues quidem, & eleganti carmine exaratæ, ac ferè cum perpetua antithesi in singulis versibus, cuius posterior pars priori opponitur.

Sic in hoc Capite filius Sapiens opponitur stulto, iustus impio, diligens otioso, simplex prauo, &c.

1. FILIVS sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia
est matris suæ. 2. Nihil proderunt thesauri impietatis: iusti-
tia verò liberabit à morte. 3. Non affliget Dominus fame
animam iusti, & insidias impiorum subuertet. 4. Egesta-
tem operata est manus remissa, manus autem fortium diui-
tias parat. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem
autem ipse sequitur aues volantes. 5. Qui congregat in
messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis. 6. Benedictio
Domini super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas. 7. Memoria iusti
cum laudibus: & nomen impiorum putrescet. 8. Sapiens corde præcepta susci-
pit: stultus cæditur labiis. 9. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui
autem deprauat vias suas, manifestus erit. 10. Qui annuit oculo, dabit dolorem:
& stultus labiis verberabitur. 11. Vena vitæ, os iusti: & os impiorum operit ini-
quitatem. 12. Odium suscitat rixas: & vniuersa delicta operit charitas. 13. In
labiis sapientis inuenitur sapientia: & virga in dorso eius qui indiget corde. 14. Sa-
pientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est. 15. Sub-
stantia diuitis: vrbs fortitudinis eius: pauor pauperum, egestas eorum. 16. Opus
iusti ad vitam: fructus autem impij ad peccatum. 17. Via vitæ, custodienti dis-
ciplinã, qui autem increpationes relinquit, errat. 18. Abscondunt odium, labia men-
dacia: qui profert contumeliam, insipiens est. 19. In multiloquio non deerit pec-
catum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. 20. Argentum ele-
ctum, lingua iusti: cor autem impiorum pro nihilo. 21. Labia iusti erudiunt plu-
rimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur. 22. Benedictio Do-
mini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio. 23. Quasi per risum stultus opera-
tur scelus: sapientia autem est viro prudentia. 24. Quod timet impius, veniet

super eum : desiderium suum iustis dabitur. 25. Quasi tempestas transiens non
erit impius : iustus autem quasi fundamentum sempiternum. 26. Sicut acetum
dentibus, & fumus oculis , sic piger his qui miserunt eum. 27. Timor Domini
apponet dies : & anni impiorum breuiabuntur. 28. Expectatio iustorum lætitia :
spes autem impiorum peribit. 29. Fortitudo simplicis via Domini : & pauor his,
qui operantur malum. 30. Iustus in æternum non commouebitur : impij autem
non habitabunt super terram. 31. Os iusti parturiet sapientiam : lingua prauorum
peribit. 32. Labia iusti considerant placita : & os impiorum peruersa.

COMMENTARII.



ERS. 1. Filius Sapiens lætificat *patrem*, qui vt natura seuerior matre non solet facilè lætari. Stultus mœstitiam *matris suæ* excitat , quæ alioquin ob tenerum affectum dissimulat in ertatis filiorum, & risu excipere assolet. * At tàm indecora est in hominibus insipientia, vt & mater, quæ in filij ridet erratis, videns filium stultum mœstitia afficiatur.]

Stultitia tam indecora est, vt vel mater ridês in erratis filij mœstitiâ afficiatur videns filium stultum.

Vers. 2. Nihil proderunt diuitiæ iniquè partæ. Domino enim & hic inopiam, & in æternitate damnationem acquirunt. *Iustitia* verò, qua homines nulli irrogant iniuriam ad iniquam diuitiarum acquisitionem, *liberat à morte* æterna , quamuis hic arctè victitare cogantur. * Diuitiæ malæ partæ in hac vita non prosiciunt, & officiunt in altera.]

Diuitiæ malè partæ in hac vita non proficiunt, & officiunt in altera.

Vers. 3. Non affliget Dominus *fame* animam iusti, quia *Non vidi iustum derelictum , nec semen eius quærens panem.* Psalm. 36. Et impiorum insidias, quibus parare diuitias student, per iniustitiam premendo innocentes omninò subuertet. * Similes promissiones vt plurimum verè complentur. Aliquando tamen secus fit: sed tunc Deus famem, & incommoda temporaria supplet donorum spiritualium saturitate: vt etiam tunc dici possit , egestatem corporis esse iusto animi delicias. Et quidem Deus stat promisso , qui promisso melius exhibet.]

Nunquam Deus affligit fame iustum, quia aliquando egête corpore , spiritualem affert saturitatem.

Vers. 4. Egestatem *remissa* vel otiosa manus operatur : manus autem *fortium*, seu strenuorum , qui labori incumbunt, parat planè diuitias. * Negligentiæ egestas comes adiungitur.] *Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos*, quia non assequitur , quod desiderat , cùm infirmo , & fallaci fundamento nitatur. Nam mendacia nihil habent solidi , & faciem subinde mutant , & cum teguntur , suis minimè prosunt auctoribus. * Mendax igitur vento pascitur , quia nihil ei confictio prosicit.] *Ipse sequitur aues volantes , seu frustrà laborat.*

Egestas comes negligentiæ adiicitur.

Mendax vêto pascitur, quia nihil ei cõfictio proficit.

Vers. 5. Qui congregat messis tempore, Sapientia se præditum ostentat : tunc enim triticum vilinri pretio comparatur. Qui verò *stertit æstate*, qui dormit, qui non prouidet æstatis instantia, quæ in hyeme sibi necessaria sunt, homo dignus confusione, *Filius sapiens , Filius confusionis* Hebraica phrasi idem quod homo Sapiens, homo confusione dignus. * Quàm insipiens qui tempore messis , seu metendi dum viuit , non congregat quo æternùm viuere possit , ne semper filius confusionis habeatur.]

Stultus, hic non colligit quo æternùm viuat.

Vers. 6. *Benedictio Domini super caput iusti.* Iustis scilicet Deus benefacit : *os* verò *impiorum operit iniquitas.* Nam vt in caput iusti Dominus benedictiones congerit : ita iniquitas os, & caput impij maledictionibus , ac infortuniis inuoluit. * Supra impiorum capita miseriæ , & infortunia congeruntur.

Supra impij caput miseriæ congeruntur.

Vers. 7. Memoria iusti *cum laudibus* à cunctis effertur : *nomen* verò seu memoria impiorum putridæ rei in morem, marcescet, extinguetur. Preme particulam , *Putrescet* , *nomen.* Nam omnes audientes nomina impiorum , quasi quid putridum grauiter olens satagunt è naribus auertere , sic è memoria nomina illa pestifera expungere procurant.]

Nomina impiorum velut putridum quid è memoria expũgere satagimus.

Vers. 8. Qui sapiens est, *corde præcepta* diuina suscipit, vt executioni tradat. *Stultus cæditur labiis.* Cùm monetur , cum de præceptorum obseruantia ei obligatio exponitur, ægrè fert, ac si labiis , seu verbis monentis cæderetur , aut vapularet. * Monere stultum , idem est , ac eum cædere, & flagellare.]

Monere stultũ , idem est, ac eum flagellare.

Vers. 9. Qui se gerit *simpliciter* , Hebr. *in integritate* , seu qui innocenter viuit , & sincerè agit : ambulat *confidenter* securè & tutò : neque enim necessum est ei fraudes tegere à quibus abhorret. Qui autem *deprauat vias suas*, seu prauas vias sectatur, qui grassatur dolis, manifestus erit ; quia licet multum labores , eius fraudes protinùs detegentur. * Agnatum enim est mendacio , vel fraudi illicò patescere.]

Agnatum est mendacio illicò patescere.

Vers. 10. Qui *annuit oculo*, qui oculorum nutibus simulat amicitiam, & dolum struit, *dabit dolorem*, mœstitiam aliis inferet, seu dabit pœnas , punietur : & stultus labiis *verberabitur*. Nam qui imprudenter, & inconsultè loquitur, suismet labiis sibi parat supplicium. * Pœna enim inconsultè loquentis est , stultam sententiam ab aliis irridendam protulisse.]

Pœna loquentis stultè est , stultã sententiã irridendam ab aliis , protulisse.

Vers. 11. *Vena* siue fons vitæ os iusti , ex eo enim vti ex fonte verba vitæ procedunt. *Os autem impiorum operit iniquitatem* , seu prolatis mendaciis celare prætendit. Alij Os impij est fons iniquitatis, * Profectò dum impius iniquitatem operit, nec confitetur verecundia, vel duritie pressus fontem fodit peccatorum addens vtique sacrilegia in confessione ficta , in indigna sacræ Eucharistiæ receptione.]

Fontem fodit iniquitatis , qui peccata in Confessione operit.

Vers. 12. Odium *rixas* suscitat, cum eo enim, quem quis odio prosequitur , facilè contendit, & rixatur : & vniuersa delicta charitas *operit*: amor namque facilè amici condonat errata, imo nec illa agnoscit.

Vers. 13. In labiis Sapientis *Sapientia inuenitur*, seu sapienter loquitur : *& virga in dorso eius, qui indiget corde.* LXX. *Qui ex labijs profert Sapientiam, virga percutit virum vecordem.* * Dum enim

Verba Sa-

pientia stultum diuerberans.

enim sapiens prudenter loquitur, verba eius virga est, quâ *dorsum* stulti diuerberatur.]

Vers. 14. Sapientes abscondunt *scientiam*, vt eam tempore proferant opportuno. Os autem stulti *confusioni* proximum, est, nam inscitè & extra tempus locutus parat sibi ignominiam.

Vers. 15. Substantia diuitis *Vrbs fortitudinis* eius, quia suis fidit diuitiis, in eisque suas spes collocat, ac si esset arx munitissima, quam nullus egestatis incursus valeat expugnare. *Pauor pauperum egestas eorum.* E contrà pauperis egestas facit eum timidum, pauidum, nec audentem de se præsumere, vel quemquam offendere. * Ad morum probitatem diuitiæ nocent, confert paupertas.]

Ad morum probitatem diuitiæ nocent confert paupertas.

Vers. 16. Opus iusti *ad vitam*, operatur, & laborat, non vt habeat ad luxuriandum, & prauis affectibus satisfaciendum; sed vt viuere ex labore possit: *fructus* autem, sed solicitudo impij operationisque eius effectus dirigitur, vt vberiùs possit diuitiis ad iniquitatem patrandam affluere. * Iustus acquirit vt victitet, impius, vt deliciis inseruiat.]

Iustus acquirit, vt victitet, impius, vt in vitiis insanіat.

Vers. 17. Via vitæ custodienti disciplinam, seu iter ad vitam est rectè viuere: *qui autem increpationes relinquit, errat.* Nam quemadmodum qui disciplinam, seu correptionem admittens rectà via ad æternam vitam pocedit: sic qui correptionem respuit, assolet aberrare.

Vers. 18. Abscondunt odium *labia mendacia*, amicitiæ simulatione: qui profert contumeliam, *insipiens est* Proprium enim est fatui, statim iram suam prolatis contumeliosis verbis indicare sic *cap.* 12. Salomon, *Fatuus statim indicat iram suam.* * Fatuarum mulierculatum est contumeliosis verbis inuicem dehonestari.]

Fatuarum mulierculatum est se inuicem verbis cõtumeliosis impetere.

Vers. 19. *In multiloquio non deerit peccatum*, ipsa enim loquacitas peccatum est. * Qui loquitur multum, aliqua patum consideratè assolet effutire, quæ non satis rationis aduocat ad examen.] Qui verò labiis moderationem adhibet, Sapiens reputatur; nec enim inconsideratè verba proferr.

Qui loquitur multum, aliqua incõsideratè effutit.

Vers. 20. *Argentum electum lingua iusti*, res quidem est pretiosa: *cor autem impiorum pro nihilo*, cogitationes, sensa, ac verba impiorum nihili debent æstimari.

Vers. 21. *Labia iusti erudiunt plurimos*, quâ eruditione acceptâ viuunt fœliciter; qui autem indocti sunt, quia à iustis edoceri non patiuntur, sed suæ hætescunt ignorantiæ: cum illa, quam nolunt excutere, infœliciter *morientur.* * Monita prudentum audire, iter ad vitam.]

Monita prudentum audire, iter ad vitam.

Vers. 22. *Benedictio* Domini *diuites* facit, à quibus *afflictio*, incommoda, & ærumnæ remouentur. Id est, fauor Domini, & munificentia in suos hominem efficit verè diuitem, ab ærumnis alienum. * Nec enim diues potest vocitari impius sine Dei benedictione ærumnis affectus. Quid enim prosunt diuitiæ sine valetudine, sine honore, sine interminabilis salutis spe?]

Non opes, sed gratia facit hominem verè diuitem.

Vers. 23. *Quasi per risum stultus scelus operatur*, non satis intelligens eius grauitatem, & atrocitatem: *Sapientia autem est viro prudentia*, id est, Sapientia dat homini prudentiam, vel intelligentiam, quàm grauia fiunt scelera, vt cognoscat.

Vers. 24. *Quod timet impius, veniet super eum.* * Nam licèt ante peccatum impij non timeant, sed quasi per risum scelera operentur: tamen post admissum peccatum, conscientiæ vulnerantur stimulis, & riment damna, quæ peccantes comitantur, quæque minimè effugient.] *Desiderium suum iustis dabitur*, quod desiderant, à Domino assequentur.

Impius conscientiæ stimulis post peccatum, quod ridens admisit discruciatur.

Vers. 25. Quasi tempestas, & procella, quæ non multò postquam excitata est; in nihilum soluitur *impius* est hominibus terribilis ad breue quidem tempus. * Iustus verò quasi *fundamentum sempiternum* erit. Quia fœlicitas eius bene fundata, diu durat in hac vita, & sempiterna erit in futura.]

Felicitas impij momentanea, iusti æterna.

Vers. 26. sicut *acetum dentibus*, quos ob acredinem obstupefacit, & ad mandendos cibos parum reddit idoneos: & sicut *fumus oculis*, quos hebetat, & pungit: sic *piger his, qui miserunt eum*, molestiam affert, & dolorem malè, & oscitanter negotia commissa procurans.

Vers. 27. Timor Domini *apponit dies*, seu diuturnam conciliat vitam: & *anni impiorum* breuiabuntur. Quamuis longæ vitæ promissiones ad litteram, maximè veteri fœderi terrenas promissiones continenti congruant; tamen à nouo Testamento non abhorrent. 1. Timor. 4. *Promissionem habet vita, quæ nunc est, & futura.* * Profectò iustum multos numerare annos vt merita adaugeat; & peccatorem, vt ad meliorem frugem se recipiat: maximum Dei est beneficium. Vndè iusto in præmium virtutum dies augentur, & impio in supplicium breuiantur.]

Magnum Dei beneficium, annos multos enumerare.

Vers. 28. Expectationem iustorum, lætitia consequitur, quia quod expectant, & optant, consequuntur: *spes* autem impiorum sine affectu deperit.

Vers. 29. *Fortitudo simplicis* recti, ac sinceri, *via Domini*, seu collocatam est in legis Dei præscripto, quia per illius custodia forti, ac confidenti animo existis, ad difficultates superandas, ad hostes vincendos: Et *pauor his, qui operantur malum*, propria eos deterrente conscientia. Nullus enim terribilior hostis improbo, quàm conscientia grauibus piaculis defœdata.]

Conscientia peccatis defœdata crudelis est hostis peccatori.

Vers. 30. *Iustus in æternum non commouebitur*, nunquam fœlici excidet statu. Quod potissimum verum est, postquam æternæ fœlicitatis possessionem fuerit adeptus. Impij verò *non habitabunt* super terram. Non solùm æternum non viuent in superis, verùm nec super terram diu degent. * Peccata enim vitæ contrahi dies efficiunt.]

Peccata dies vitæ decurtari efficiunt.

Vers. 31. *Os iusti parturiet* Hebr. *germinabit*, vel *fructificabit* Sapientiam. Lingua prauorum peribit. * Fructus, inquam, vberrimi ex iusti verbis colligentur: lingua verò iustorum sterilis semper existet. * Verba pia proferre, vtile admodum auditoribus.]

Verbi pij prolatio vtilis admodũ auditori.

Vers. 32. Labia iusti *considerant placita.* Hebr. *cognoscũt*, id est, sciũt proferre verba quæ placita sunt Deo.* LXX. *Labia virorum iustorum distillant gratias.* Audientes enim peccatores iustorum pium sermonem non semel compuncti, ad Dei gratiam reuocantur.] *Et os impiorum peruersa* loquitur, siue Dei distillat indignationem. * Turpibus namque impij verbis adducti peccatores audientes ad grauiora crimina incitantur.]

Iustorum labia gratias distillant, ad peccatorum reductionẽ. Verba impia peccator exaudiens, ad grauiora crimina excitatur.

CAPVT XI.

Iuſtitiæ, ac reliquarum virtutum commoda: iniuſtitiæ reliquorúmque vitiorum mala Salomon explicat.

1. STATERA doloſa, abominatio eſt apud Dominum: & pondus æquum, voluntas eius. 2. Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: vbi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia. 3. Simplicitas iuſtorum diriget eos: & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos. 4. Non proderunt diuitiæ in die vltionis: iuſtitia autem liberabit à morte: 5. Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius: & in impietate ſua corruet impius. 6. Iuſtitia rectorum liberabit eos: & in inſidiis ſuis capientur iniqui. 7. Mortuo homine impio, nulla erit vltra ſpes: & expectatio ſolicitorum peribit. 8. Iuſtus de anguſtia liberatus eſt: & tradetur impius pro eo. 9. Simulator ore decipit amicum ſuum: iuſti autem liberabuntur ſcientia. 10. In bonis iuſtorum exultabit ciuitas: & in perditione impiorum erit laudatio. 11. Benedictione iuſtorum exaltabitur ciuitas: & ore impiorum ſubuertetur. 12. Qui deſpicit amicum ſuum, indigens corde eſt: vir autem prudens tacebit. 13. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt animi, celat amici commiſſum. 14. Vbi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem, vbi multa conſilia. 15. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos, ſecurus erit. 16. Mulier gratioſa inueniet gloriam: & robuſti habebunt diuitias. 17. Benefacit animæ ſuæ vir miſericors: qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abiicit. 18. Impius facit opus inſtabile: ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis. 19. Clementia præparat vitam: & ſectatio malorum mortem. 20. Abominabile Domino cor prauum: & voluntas eius in iis, qui ſimpliciter ambulant. 21. Manus in manu non erit innocens malus: ſemen autem iuſtorum ſaluabitur. 22. Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. 23. Deſiderium iuſtorum omne bonum eſt: præſtolatio impiorum furor. 24. Alij, diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. 25. Anima, quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur. 26. Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium. 27. Benè conſurgit diluculò qui quærit bona: qui autem inueſtigator malorum eſt, opprimetur ab eis. 28. Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet: iuſti autem quaſi virens folium germinabunt. 29. Qui conturbat domum ſuam, poſſidebit ventos, & qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti. 30. Fructus iuſti lignum vitæ, & qui ſuſcipit animas, ſapiens eſt. 31. Si iuſtus in terra recipit, quantò magis impius & peccator?

COMMENTARII.

VERS. 1. Deus eum abominatur, qui in mercibus, quæ *ſtatera* appenduntur, dolis vtitur: *pondus æquum, ſeu lapis rectus* (Hebr.) quia ex lapide erant pondera, *voluntas eius*, ſeu placet Domino. LXX. *Acceptabile Domino.* Abſtractum pro concreto ponitur. * Quàm agnatum eſt mercatoribus doloſæ ſtateræ vitium, quam facilè perpetratur delictum hoc, quod Deo eſt abominatio!]

Quàm facilè mercatores perpetrât doloſæ ſtateræ virium quod Deo eſt abominabile.

Verſ. 2. Vbi *ſuperbia* viguerit, ibi aderit *contumelia*; quia ſuperbi Deo: & hominibus execrabiles. Vnde in Hebr. habetur. *Venit ſuperbia, & venit ignominia.* * Superbia, & ignominia pariter incedunt: haud poteſt homo ſuperbiam admittere, quin ignominiam in eodem recipiat hoſpitio.] Vbi autem adeſt *humilitas*, ibi *Sapientia* commoratur. Magna enim Sapientia eſt, altum non ſapere, & ſeipſum, ac ſuas miſerias noſſe. Vnde ſe inſipientem oſtentat qui tot humanis miſeriis pergrauatus, ſuperbus erigitur.]

Superbi haud poſſūt ab ignominia pariter cum ſuperbia incedente liberari.

Superbus planè inſipiens.

Verſ. 3. *Simplicitas*, integritas, rectitudo & ſincera agendi ratio *iuſtorum* diriget eos, vt in ſuis conatibus proſperum exitum ſortiantur. Et peruerſitas impiorum, qua alios ſupplantare conantur, eos omnino *perdet.* * Supplantatio enim in ſui auctoris caput aſſolet recidere.]

Se lædit, qui aliū ſupplātare conatur.

Verſ. 4. Non proderunt *diuitiæ* in die *vltionis*, ſeu punitionis, quæ quidem antè hunc diem pauperibus expenſæ admodum profuiſſent ad

emolliendam Iudicis sententiam, solùm prodecit tunc iustitia, quæ *à morte* æterna homines liberabit.

Vers. 5. Iustitia simplicis diriget viam eius. sanctitas hominis sincerè agentis spirituali dux erit in via. *Impius* verò sua in impietate *corruet*, aberrabit; quia extincto iustitiæ luminari, abstracto sanctitatis ducatu, io tenebris ambulat.

Vers. 6. Iustitia rectos ab hostibus inuisibilibus liberabit: iniquus autem suis *insidiis capietur*. Versus hic & præcedens ex *versu. 3.* repetitur, & inculcatur, vt altiùs menti tam necessarium monitum inhæreseat.

Vers. 7. Obeunte è viuis peccatore, *nulla erit vltra* salutis *spes*, quia in inferno nulla redemptio. *Expectatio solicitorum peribit*, seu spes eorum, qui in hac vita soliciti fuere de augendis diuitiis, de honoribus comparandis, ac propterea diuinam legem violarunt. * Certè maximum est obstaculum ad æternam salutem circa acquisitionem diuitiarum solicitudo.]

Magnum obstaculum ad saluationem nimia circa diuitias augendas solicitudo.

Vers. 8. Iustus laboribus hic & erumnis afflictus, denique ex eis liberatur: & impius *tradetur pro eo*, id est, abstracto ab angustiis iusto, eius loco impius traditur in angustias. In hoc mundo vices esse cognoscimus: vt nimirum iusti post angustias felicitatem, impij post felicitatem angustias nanciscantur. * Nullus ergo infelicitate nimium pungatur: nullus de felicitate nimium glorietur, fortuna enim passim vices assolet immutare.]

Nullus infelicitate nimium pungatur, nec de felicitate glorietur: quia fortuna vices mutat.

Vers. 9. Simulator, seu amicus fictus *amicum suum* decipere conatur, & sæpè decipit: *iusti* autem *liberabuntur, scientia* à Deo accepta. Quia quidem illius simulationem & fraudem quantumuis rectam deprehendunt.

Vers. 10. Ciuitas in bonis iustorum *exultabit*, seu cum viderint ciues bona iustis contingere, & bene illis esse, gaudio afficientur: & in impiorum *perditione* seu cum ex felici exciderint statu, erit *laudatio*, dum omnes iustitiæ ac prouidentiæ Dei concinent elogia. * Infelix impiorum felicitas, & prosperitas, quæ prauum eis ciuium conciliat affectum!]

Infelix impiorum felicitas, quæ prauum ciuium eis conciliat affectum!

Vers. 11. Benedictione iustorum seu bonis eorum consiliis, & monitis, vtili oratione ciuitas florebit, & exaltabitur: & ore impiorum, seu prauis eorum consiliis *subuertetur*. Ediscant, qui regiminis vrbium munus exercent, ex eorum *ore* siue suffragio totam Reipublicæ stabilitatem pendere.]

Ex *ore* seu suffragio Senatoris, aut Decurionis tota Reipublicæ stabilitas pendet.

Vers. 12. Qui despicit amicum suum cum in aliquem errorem, aut peccatum labitur, *indigens corde*, seu insipiens est: vir autem *prudens tacebit*, non damnabit, non ridebit alios cum errauerint, se etiam lapsui pronum esse considerans. * Tuæ memor fragilitatis, proximum errantem non ridebis.]

Tuæ fragilitatis memor, proximum errantem non ridebis.

Vers. 13. Qui ambulat *fraudulenter*, fictè solùm amicus, arcanum sibi ab amico creditum aliis protinus euulgat. Qui autem ex corde amicus est, amici commissa sibi arcana satagit custodire. * Vndè taxantur, qui faciles sunt ad fidenda secreta illi, quorum amicitiam iteratis experimentis veram esse non compererint.]

Taxabilis, qui secretum fidit ei, de quorum vera amicitia sibi non constat.

Vers. 14. Populus siue gubernatore perit, quasi nauis sine gubernaculo. Ibi autem Reipublicæ *salus, vbi multa consilia*, id est, multi prudentes Senatores, vel Decuriones adsunt Magistratui, vt eum salutaribus consiliis dirigere valeant. * Magistratui enim sine Consiliariis agnatus est error.]

Magistratui sine Consiliariis agnatus est error.

Vers. 15. Qui *fidem facit*, seu fideiubet *pro extraneo* seu pro alio, malis ex fideiussione procedentibus, creditore instante pro debitu, *affligetur*: qui autem laqueos, seu obligationes fideiussionum cauere curat, liber ab his erit incommodis. * Preme verbum Qui fidem facit pro extraneo *cap. 6.* habetur, *si spoponderis pro amico tuo*. Cur autem hîc extraneum dicit, & non amicum replicat, si eadem est vbique sententia? Vt doceat, circa fideiussionem faciendam tot incommodis expositam vel amicum tuum quasi extraneum tibi esse debere.]

Circa fideiussio. è mille incommodis expositam faciendâ vel amicus tuus sit tibi quasi extraneus.

Vers. 16. Mulier *gratiosa*, seu gratæ venustatis & probitatis, *gloriam inueniet*, celebris enim erit in Ciuitate. Sic de Iudith *cap.* 8. dicitur, *Erat eleganti aspectu* Sed paulo post additur, *Erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde.* * Pulchritudo fœminæ sine Dei timore indigna præconio, cùm autem fœminæ pulchræ Dei timor, seu probitas morum adest, digna est, vt à cunctis celebretur. Pulchritudinem enim, quam tot mulieres deliciis sacrant: illa Deo seruiendo libat.] *Et robusti habebunt diuitias.* Nam vt mulier pulchra, & elegans decus, & gloriam, ita fortes viri diuitias consequentur ob præmium victoriæ. * Hoc deberent fortes milites munus accipere: sed ob temporum iniquitatem eos post exantlatos in bello labores, post exitialia accepta vulnera, fame pressos aspicimus.]

Mulier pulchra si bonis moribus ornetur, encomiis dignissima.

Nunc milites strenui post vulnera in bello accepta sine præmio famescunt.

Vers. 17. Vir misericors *animæ suæ* benefacit, dum non solùm propinquis, sed & extranei eleemosynæ subsidia elargitur: *Crudelis* verò auarus, qui vt pecuniæ parcat, animæ suæ non parcit, seu benefacit, succurrens extraneis, imò etiam propinquos suos egentes *abijcit*. * Certè immisericors est, qui cuilibet inopi petenti, si possit, non succurrit: at qui egestate propinquorum, seu sibi coniunctorum sanguine miseriisque non commouetur, vt subueniat, *crudelis* procul dubio ostenditur.]

Qui cuilibet egēti postulanti non subuenit, immisericors est; qui verò propinquo non succurrit, est planè crudelis.

Vers. 18. Impius gerit opus instabile dum coaceruandis pecuniis dat operam, nec curat egentibus succurrere; quia peribunt opes, quas secum ferre non potest. è viuis cum excedat: seminanti autem iustitiam, seu eleemosynam largienti *merces fidelis*, siue stabilis minimè peritura. * Hîc enim centuplum accipiet, & interminabili vita secum ferens opes munerabitur.]

Misericors hic magis opibus abundat, & gloriæ diuitiis posteà ditatur.

Vers. 19. Clementia enim, seu liberalitas in erogandis inopi pecuniis, *præparat vitam* æternam, & etiam temporariam fœlicem; quia conciliat ciuium beneuolentiam, qua securitas ab insidiis paratur. At *sectatio malorum*, seu illiberalitas hominis auari, & immisericordis *mortem* generat. Quia hîc malis oppletur, & in futuro pœna dira multatur.

Vers. 20. sicut *cor prauum*, seu dolosum Deo est abominabile: sic *voluntas* seu beneplacitum eius erga cor sincerum ostenditur. Hispano idiomata dixeris. *Complacese Dios con los coraçones sin doblez.*

Vers. 21. Manus in manu non erit innocens malus. Licet in auxilium mali, seu impij manus in

manu

manu sit, & ipse cogat quantos poterit, socios & auxiliares manus, iungat fœdera, ineat societatem: *non erit innocens*, non euadet noxam, & pœnam sibi decretam; sed & in se, & in sociis punietur.

Vers. 22. Quemadmodum *circulus* seu monile aureum *in naribus suis*, Hebr. *porci* ridicula appareret: haud aliter in *fatua muliere* pulchritudo ridicula probrosaque ostentabitur. * Profectò porcus se se in lutum vel gemmis ornatus abiiceret & in eo volutaretur. *Fatua* sic mulier, cui agnata facilitas, & leuitas, pulchritudine abutitur, se se in sordidas abiiciens voluptates.]

Mulier fatua leoni plerũq; quæ pulchritudinis gẽmam voluptatis, in morem porci, defœdat in luto.

Vers. 23. *Desiderium iustorum*, seu quicquam iusti desiderant, bonum quidem est, noxia enim desideria accuratè curant ex animo ablegare. *Præstolatio* verò *impiorum furor*. Id quod præstolari possunt, ac debent impij post cuncta desideria mala, post opera iniqua, & quod illis eueniet est *furor*, indignatio, & vltio diuina.

Vers. 24. Alij *diuidunt propria* eleemosynas largientes, & ditiores euadunt. * Quia quod datur inopi, in manu tribuentis augetur.] *Alij rapiunt non sua, & in egestate sunt.* * Nam quod iniustè acquiritur, perit, & bona iustè parta effi cit deperire. Vnde qui putauit vberius victitare, strictius viuere compellitur.]

Quod inopi datur, augetur.

Ex furto parta bona pereunt, & propria bona perire facit.

Vers. 25. *Anima, quæ benedicit*, seu homo qui benefacit proximo suo, & *inebriat*, id est, affluentor eleemosynam elargitur, qua velut aridam miserum irrigat ipse vicissim *inebriabitur*, centuplo in terris, & gloria cœlesti in altera vita. Sic Paulus 2. Cor. 9. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet* Porrò ebrietas in sacris passim pro satietate, ac affluẽtia sumitur. Hinc eleemosynæ affluentiam gerenti eam promissam licet contemplari.]

Eleemosynã gerẽti bonorum affluẽtia promittitur.

Vers. 26. *Qui frumenta abscondit* in aliud tempus reseruans, vt carius vendat, maledictionibus à ciuibus afficietur. Benedictionibus verò affluet caput vendentium triticum, cum populus postulat, & indiget, cupiditati suæ modum imponens. * O quàm inuisa populo, imò & Deo auaritia illorum, qui ex tritico commu-

Inuisus Deo, ac populo qui ex triti-

ni, ac necessario alimento diuiti, ac pauperi lucra procurat!]

co lucra procurat.

Vers. 27. *Benè consurgit diluculo*, seu rectè facit *qui quærit bona*, qui bonis insistere parat operibus. Qui verò *inuestigator malorum est*, seu qui cupit prauè agendi rationes cognoscere, *ab eis*, quæ sectatus est, *opprimetur*. * Infeliciter enim negotia expediet, qui ad delinquendum, diem gestit præuenire.]

Infeliciter negotia expedict, qui ad peccandum diluculo surgit.

Vers. 28. Qui in opum protectione confidit, *cum eis* labilibus vtique *corruet*. Iusti autem velut *folium virens* nunquam non germinabunt. Nam cum iustitia stabile piis bonum est, nunquam vitor eius, qui in iustitia confidit, excidet.

Vers. 29. Qui suam *Domum conturbat*, seu qui bona dilapidat, vnde domum suam conturbare dicitur, multis molestiis domesticos afficiens: *possidebit ventos*, seu inanem reddet domum, & se pauperem deprehendet. Hispanè, *se que dara con las manos llenas de aire.*

Vers. 30. *Fructus iusti lignum vitæ*, opera iusti, ac speciatim misericordia in indigentes, instar vitalis ligni vitalia, salutaria, grata, ac iucunda erunt, omnem boni rationem habentia. * Ac si diceret eleemosynæ opera erunt omnium virtutum epilogatio. Vnde Dominus in nouissimo die de solis eleemosynæ operibus periculum faciet iudicandis. Ac si misericordes omnium virtutum operatores extiterint.] *Et qui suscipit animas* qui iuuat, qui fouet pauperum vitam, necessitates eorum suscipiens, vt subueniat egestati, *Sapiens* omnino *est*. Quia compendiaria via ascendit ad superos. * Breuiot enim ad cœlum via eleemosyna plane existit.]

Virtus eleemosynæ est quasi omniũ virtutũ epilogatio.

Compendiaria ad cœliũ via est eleemosyna.


Vers. 31. *Si iustus in terra recipit*, siue in hac vita frequenter suæ iustitiæ præmia: multò magis impiusetiam ante mortem commeritam pœnam recipiet. Vel sic expone: Ecce Deus in hac vita frequenter reddit iustis pœnam, quam ob suas leues culpas merentur; quanto ergò magis peccatoribus? Dum ergò peccator videt iustos laboribus cruciari, sese ad diriorem debent cruciatum præparare. Nam si hoc in viridi, in arido quidnam?]

Cùm peccator videt iustum affligi, ad diriorẽ se cruciatũ præparet.



CAPVT XII.

Is qui diligit disciplinam, ac pietatem, laudatur: qui odit, ac negligit, reprehenditur: iusti & impij, diligentis & otiosi, Sapientis & stulti, linguæ bonæ & malæ oppositi exponuntur effectus.

1. 
VI diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est. 2. Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit. 3. Non roborabitur homo ex impietate: & radix iustorum non commouebitur. 4. Mulier diligens, corona est viro suo: & putredo in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit. 5. Cogitationes iustorum iudicia: & consilia impiorum frudulenta. 6. Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos. 7. Verte impios, & non erunt: domus autem iustorum permanebit. 8. Doctrina sua noscetur vir: qui autem vanus & excors est, patebit contemptui.

9. Me

9. Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm gloriosus & indigens pane. 10. Nouit iustus iumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia. 11. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. Qui suauis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. 12. Desiderium impij munimentum est pessimorum: radix autem iustorum proficiet. 13. Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia. 14. De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis, & iuxtà opera manuum suarum retribuetur ei. 15. Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia. 16. Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est. 17. Qui quod nouit, loquitur index iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus. 18. Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientiæ: lingua autem sapientium sanitas est. 19. Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacij. 20. Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. 21. Non contristabit iustum quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo. 22. Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. 23. Homo versutus celat scientiam: & cor insipientium pronocat stultitiam. 24. Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. 25. Mœror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur. 26. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est: iter autem impiorum decipiet eos. 27. Non inueniet fraudulentus lucrum: & substantia hominis erit auri pretium. 28. In semita iustitiæ, vita: iter autem deuium ducit ad mortem.

COMMENTARII.



ERS. 1. Qui diligit *disciplinam*, correptionem, castigationem, scientiam amat. * Quia sine castigatione adhibita raro discipulus in litterarum cognitione proficit. Vulgariter dictitatur, *La letra con sangre entra.*] Vnde qui odit *increpationes* Magistri, *insipiens erit.*

Sine castigatione raro discipulus in litteris proficiet.

Vers. 2. Qui *bonus est*, simplex, sincerus, integer, & à fraude abhorrens, *hauriet gratiam à Domino.* Hebr. *educet beneplacitum à Domino* diuinum fauorem, ac beneuolentiam consequetur. Qui verò *confidit in cogitationibus.* (Hebr. *Machinationibus*) *impiè aget.* Ac si diceret: Qui bonus est, gratiam à Domino postulabit, & consequetur, qua semper in melius proficiet. qui autem fidit in machinationibus suis, nec putat, necessarium sibi esse Dei fauorem procurare, aget impiè, ruet in peiora. * Propria enim præsumptio Dei ablegat auxilium, quod de se diffidentibus præsto adest.]

Propria præsumptio Dei auxilium ablegat speciale.

Vers. 3. Non roborabitur sic *homo ex impietate*, vt diuturno valeat tempore subsistere. Contrarium vero accidet iusto, cuius *radix* nunquam auelletur, stabiliserit, nullis aduersitatum incursibus commouebitur.

Vers. 4. Mulier diligens (Hebr. *Mulier fortis*) *corona est viro suo*, ei decus affert. Quæ verò *confusione res dignas gerit*, adulterando, rixando, &c. est sicut *putredo in ossibus* viri, quæ intimum animi, ac corporis eius robur arrodit, dolore scilicet, tabeque infamiæ. * Preme illud: *Mulier diligens.* Hebr. *Mulier diligentia, & virtutis.* Aptè virtutem cum diligentia colligauit. Nam sicut vitium otio, fouetur diligentia virtus.]

Virtus diligentia fouetur.

Vers. 5. Cogitationes iustorum sunt *iudicia*, iusta scilicet nullum seducentia. Consilia verò impiorum (seu cogitationes) fraudulenta; semper enim cogitat impius de proximo fraudibus seducendo.

Vers. 6. Verba impiorum, seu sermones, quos impij miscent sunt de rebus iniustis, verbi gratia de homicidiis patrandis, de insidiis struendis. *Os* autem iustorum *eos*, quos impij insidiantur, *liberabit.* Nam si adest in circulo, vbi huiusmodi sermones proferuntur, aut proximum cui impius minitatur, defendit: aut illum secretò monet, vt curet se ab imminenti periculo abstrahere. * Agnatum iustis est semper proximum prauis linguis diuexatum vbique defendere.]

Agnatum iustis, proximum vbique defendere.

Vers. 7. Verte, seu euerte impios ô Deus, & amplius *non erunt*, momento peribunt. *Domus autem iustorum*, seu vita, & cuncta quæ ad eos attinent, æternùm permanebit. Deus namque qui euertit impios, iustis, munimen adest.

Vers. 8. Doctrina ex *sua*, siue ex doctis sermonibus *vir* rectus, dignoscetur qui autem *vanus, & excors est*, si loquatur, eius apparebit inscitia, qua *contemptui* audientium *patebit.* * Vnde ei tacere expediret: sed cum stultus numquam tacet, quia nescit silentij fructum, haud potest eius contemptui remedium adhiberi.]

Stultus nescit tacere, vnde nō potest contemptui adhiberi remedium.

Vers. 9. Melior est pauper. siue aptior est sors pauperis, *qui sufficit sibi*, seu sibi, aut tenui familiæ suæ suo labore sufficienter potest prospicere: quàm *gloriosus indigens pane*, quàm diues, qui ære alieno pressus (de more quidem, ita se aspicit, vt quonammodo emergat, non habet, nec quomodò se, aut familiam alere possit. * Pauper plerumquè minus quàm diues eget.]

Pauper plerumquè minus quàm diues eget.

Vers. 10. Nouit iustus iumentorum suorum animas. LXX. *Iustus miseratur animas iumentorum suorum*: attendit ad sua iumenta, & illorum habes rationem, solicitus, ne plus æquo defatigentur, &

De iumento sibi seruienti curam habet.

&ne quid eis necessarium desit. *Viscera* autem impiorum de iumentis non curantium sibi impigrè seruientium, prorsus *crudelia* esse ostentantur. * Crudelis animi est brutis laborantibus non prouidere? Igitur plusquam crudelis exponitur qui seruis, qui famulis, qui mercenariis pro te laborantibus necessaria, ac debita subsidia, aut negas, aut differs.]

Crudelis est, qui famulo, aut mercenario necessariũ, ac debitum subsidium negat, aut differt.

Vers. 11. Qui *terram suam operatur*, seu qui fundum excolit in hyeme, *satiabitur* in æstate & hyeme *panibus*. Qui autem *sectatur otium*, cum laborare debet, stultissimus est; quia propter paucorum dierum otium toto anno cogitur ob famen, laborare. *Qui suauis*, seu facilis est, & multus *in vini de morationibus* in compotationibus, ac conuiuiis, *relinquit contumeliam* seu infamiam *in suis munitionibus*, id est, in domo, familia, ac ciuitate sua nempe ob decoctum patrimonium, & infamem paupertatem. * Nunquam nimius compotationum vsus infamis non fuit.]

Nimius cõpotationis vsus, infamis est.

Vers. 12. *Desiderium impij* vnicum, ac præcipuum est *munimentum pessimorum*, seu habere cum pessimis societatem, familiaritatem, & fœdus, quia iudicat, se talibus probè munitum iri. *Radix autem iustorum proficiet*. Quia licet impij procurent munimentum suum in pessimis, vt sint à malis securi præualentes iustis: quod optant, minimè assequentur, eo quod iusti instar arboris rectè eradicatæ in melius quotidiè proficiunt, & aduersus impios à Domino munimento donantur.

Vers. 13. Propter *peccata labiorum* iuramenta scilicet, detractiones, mendacia, falsam testificationem ruina *malo*, seu impio *approximant*. Nam qui multum iurat, iniquitate replebitur: qui detrahit proximo, eadem alius detrahentis lingua fædatur &c. Iustus verò semper verba pia ex ore proferens, de huiuscemodi *angustia*, seu incommodis liberabitur. O quanta ob labiorum peccata homini præparantur incommoda, quorum non mediocre malum est, omnibus esse inuisos!]

Multa mala ob immoderatam linguam.

Vers. 14. Vnde *de fructu oris sui vnusquisque* replebitur malis, aut *bonis*: & iuxta *opera manuum suarum*. iuxta gesta recta, aut iniqua præmio, aut supplicio *ei* retribuetur.

Vers. 15. *Via*, seu ratio agendi, consilium *stulti in oculis eius recta* ostentatur, ideóq; spernit aliorum inire consilium, fidens se errare non posse. At qui *Sapiens est* alios adhibet in consilium, eorumque monita lubens exaudit, vndè à via rectitudinis non aberrat. Proprium stulti est, aliorum consilia despicere; quia Sapientiorem se, nullum agnoscit.]

Proprium stulti aliorum nolle consilium inire.

Vers. 16. Fatuus statim *suam indicat iram*, nescit se continere. *Callidus* verò, cautus, ac prudens iniuriam scit dissimulare; ne cogatur aut verbis, aut actionibus inire vindictam.

Vers. 17. Qui rogatus à Iudice, *quod nouit, loquitur*, quod iudicat accidisse profitetur; *index* ac testis *iustitia*, seu iustus *est*. Qui autem mentitur inter testes fraudulentos computatur.

Vers. 18. Est qui *promittit*, & mox *quasi gladio conscientia pungitur*, dum temerarij promissi pœnitet. *Lingua autem Sapientum sanitas est*, id est, sanat illius gladij vulnera, nempe promissorem alliciendo ad promissum implendum, vel componendo rixas, quæ ex promissione non data executioni, nascuntur.

Vers. 19. *Labium veritatis*, seu lingua verax, *firmum est in perpetuum*, siue semper sibi consentit, nec in testimonio eius varietas, quæ assolet testimonia infirmare, deprehenderur. Qui autem *testis est repentinus*, impræmeditatus, temerarius, effutiens quidquid in buccam venit; *concinnat linguam mendacij*, id est, aliquod mendacium immiscet, quod posteà multis aliis mendaciis tueri, fucare, ac stabilire cogitur, ne mendax deprehendatur. * Plerumquè mendacium nunquam solùm incedit, ab aliis mendaciis (in protectionem prolati) assolet cingi.]

Mendacium rarò solùm incedit, multa alia mendacia protegentia id comitantur.

Vers. 20. *Dolus in corde cogitantium mala* aduersus proximum, inibi adest dolosum tristitia afficiens, quod nequeat excogitatam impugnationem executioni tradere. *Qui autem pacis ineunt consilia*, seu qui nihil contra proximum excogitant malum, *gaudium eos sequitur*, id est, gaudio afficiuntur, dum illi mœrore confecti discrnciantur. * Quàm assiduus comes iusti gaudium, quàm peccatoris socia tristitia!]

Iusti comes gaudiũ, peccatoris tristitia.

Vers. 21. Quidquid iusto acciderit, eum non *contristabit*, in Deo enim spem collocat, & illius se voluntati committit. *Impij autem replebuntur malo*. Quia cum spem in Deo minimè collocant, nec eius voluntati morem gerunt: quod est in iustis meriti occasio ob patientiam in iniustis est impatientiæ motiuum. * Vnde peccatorum labores longo interuallo pœnas proborum superare, non dubites.]

Pœnæ peccatorum vel hic iustorum pœnas superant.

Vers. 22. *Abominatio est Domino labia mendacia*, seu mendacis lingua admodum est inuisa Deo. * Quia cum Deus summa veritas sit, & diabolus mendacij pater; homo mendax à sui auctoris recedit imagine, & diaboli se filium ostentat. Vndè Deo *placent*, labia veracis fideliter loquentis, & agentis, eius scilicet referentis imaginem.

Mendax se diaboli filiũ ostentat: verax se Dei natum profitetur.

Vers. 23. *Homo versutus* seu cautus *celat scientiam* haud facilè ostentat quod scit, sed dissimulat. *Et cor insipientium prouocat stultitiam*. Hebr. *prædicat* se stultum, stultitiam inquam promit scilicet loquendo, præcipuè cum se Sapientem verbis curat exponere. * Vnde stultus, qui scit tacere, se Sapientem faciliùs esse silentio clamitabit.]

Stultus si tacere sciat, Sapiens esse videbitur.

Vers. 24. *Manus fortium* (Hebr. *Solicitorum*, seu *sedulorum*) *dominabitur*; solicitudo enim & sedulitas omnia superat. Quæ autem *remissa est*, *tributis seruiet*. Quia desidia faciet, vt quilibet cum eo pugnans victor euadat, vnde sub tributo seruire cogetur.

Vers. 25. *Mœror in corde viri* illum *humiliabit*, affliget, deiiciet. At *sermone bono*, benigno, humano amici, aut proximi vicem eius dolentis *consolabitur*.

Vers. 26. *Qui negligit* damnum subire, tolerare incommoda *propter amicum*, *iustus est*. Quia æquum planè, & viro iusto dignum, vt aliqua damna, & incommoda aliquando amicorum causa subeat. *Iter autem impiorum*, id est, qui hoc tantum spectant, vt ipsis benè sit, aliis neglectis, (quod impij agunt) decipiet eos, quia cum ipsi opus habuerint, non inuenient, à quibus subleuentur. * Qui indigenti amico non subuenis, caue, ne (sic in vindictam Domino

Qui indigenti amico

mino

mino disponente) tu aliquando indigeas, & qui subueniat non sortiatis amicum.]

non subuenit, ipse egens non inueniet amicum qui subueniat.

Vers. 27. *Non inueniet fraudulentus lucrum,* Hebr. *Non aduret fraudulentia venationem suam,* non assequetur prædam, quam fraudum iaculis, seu retibus captare nititur; & si ceperit, suà hac venatione non fruetur; nam antequam illam igne torreat, illi eripietur. *Et substantia hominis.* (Hebr. *iusti, strenui, & industrij*) *erit auri pretium,* id est, aurum pretiosum. Ac si diceret, si lucrum fugiet fraudulentos, aut pigros, ad iustos, & strenuos confluet.

Vers. 28. *In semita iustitiæ,* seu in iustis actionibus *vita* gratiæ, & postmodum gloria. *Iter autem deuium* à iustitia *ducit ad mortem* peccati, & postmodùm etiam ad mortem æternam.

CAPVT XIII.

Agit Salomon de oris custodia, de paupere diuite, de opibus iniquè acquisitis, de maturo consilio, de correptione, &c.

1. FILIVS sapiens, doctrina patris: qui autem illusor est, non
audit cùm arguitur. 2. De fructu oris sui homo satiabitur
bonis: non autem præuaricatorum iniquà. 3. Qui custo-
dit os suum, custodit animam suam: qui autem inconside-
ratus est ad loquendum, sentiet mala. 4. Vult & non vult
piger: anima autem operantium impinguabitur. 5. Ver-
bum mendax iustus detestabitur: impius autem confundit, &
confundetur. 6. Iustitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorem
supplantat. 7. Est quasi diues, cùm nihil habeat, & est quasi pauper, cùm in multis
diuitiis sit. 8. Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ: qui autem pauper est, increpatio-
nem non sustinet. 9. Lux iustorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur.
10. Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, regun-
tur sapientia. 11. Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur
manu, multiplicabitur. 12. Spes, quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ desi-
derium veniens. 13. Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui autem
timet præceptum, in pace versabitur. Animæ dolosæ errant in peccatis: iusti au-
tem misericordes sunt, & miserantur. 14. Lex sapientis fons vitæ, vt declinet à
ruina mortis. 15. Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum vorago.
16. Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est, aperit stultitiam.
17. Nuntius impij cadet in malum: legatus autem fidelis, sanitas. 18. Egestas, &
ignominia ei, qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.
19. Desiderium si compleatur, delectat animam: detestantur stulti eos, qui fugiunt
mala. 20. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum simi-
lis efficietur. 21. Peccatores persequitur malum: & iustis retribuentur bona. 22.
Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes: & custoditur iusto substantia pecca-
toris. 23. Multi cibi in noualibus patrum: & aliis congregantur absque iudicio.
24. Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter eru-
dit. 25. Iustus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insa-
turabilis.

COMMENTARII.

VERS. 1. *Filius Sapiens est doctrina patris,* manifestat enim in se, suis moribus prodit, doctrinam, & instructionem probam patris sui: tanquam in imagine vel speculo præcepta, quæ hausit, omnibus aspicientibus manifestat. *Qui verò illusor est, non audit, cum arguitur,* qui ridet patris monitiones, arguentis, & corripientis, eum dehonestat, nam ex filij deprauatis actionibus arguunt videntes, id à doctrina patris didicisse. * Vndè parentes diligenter debent incumbere filiorum correptioni. Talem enim patrem esse asserimus, qualem filium videmus existere.]

Talem putamus patrem esse, qualem filium videmus existere.

Vers. 2. *Ex fructu oris sui homo satiabitur bonis.* Quia ex fructuosis eius sermonibus, & monitis non tantùm pascuntur qui docentur, quique bonum capiunt consilium: verum & ipsemet qui loquitur pascitur, & saturatur bono: ipsa enim verba docentis eius pascunt affectum. * Concionator, qui conceptibus non inanibus, sed vtilibus ad cor loquitur auditorum, non solùm illos instruit, sed seipsum ad celsioris virtutis adducit affectum.] *Anima autem*

Concionator qui vtilia loquitur, non solùm auditores, sed seipsum pascit.

autem præuaricatorum, qui inutiles ſermones, imò noxios proferunt, *iniqua* prorſus eſt. Quia audientes, ſeque metipſum maximè lædit, non comeſtura bonum, nec bonis ſatianda.

Verſ.3. Qui cuſtodit os ſuum ita vt ſit tardus, & circumſpectus in loquendo: *cuſtodit animam ſuam à peccato*, & à multis malis, quæ linguæ intemperantia adducit. Vndè *qui inconſideratus eſt ad loquendum, ea mala ſentiet*, ea experietur incommoda.

Verſ. 4. Vult, & non vult piger, vult etenim labori incumbere, vt ſatietate perfruatur: non vult, labore deterritus laborare: vnde fame premitur. *Anima autem* ſeu homo (per ſynecdochem) *laborantium impinguabitur*, qui laborem non refugit cum operari oportet, ſed illum ſine propoſiti immutatione conſtanter ſubit, bonis abundabit.

Verſ. 5. Verbum mendax iuſtus, qui vera ſemper loquitur, deteſtabitur. *Impius* verò mendaciis vſus, *confundit ſe, & confundetur* ab aliis, dedecus ſibi ex mendacio prolato concilians. * Mendax enim illico deprehenditur, & ſi impudens omninò non eſt, rubore afficitur, & à cordatis viris deſpicitur.]

Mendax illico deprehēditur, & à cordatis deſpicitur.

Verſ.6. Iuſtitia cuſtodit innocentis viam, ipſa iuſtitia, quam vir innocens ſectatur, illum à malis tutum reddit. *Impietas autem peccatorem ſupplantat*, euertit, & perdit. * Credite, homines piè viuentes à cunctis incommodis, eſſe ſecuros, ipſa cuſtode pietate: impiè autem degentes ſecurè victitare non poſſe, quia impietas omnium incommodorum maximum exiſtit.]

Piè viuens ab omni liber eſt incōmodo impius haud poteſt ſine incommodis viuere.

Verſ.7. Eſt quaſi diues cum nihil habeat. ſunt, qui videntur diuites, & non ſunt, ſimulant enim ſe diuitiis abundare, vanitatis affectu. *Et eſt quaſi pauper, cum in multis diuitiis ſit.* E contra diuites aliqui ſunt, qui pauperes volunt reputari, ne cogantur aliis ſuccurrere aut mutuando, aut eleemoſynam elargiendo. * Vtrumque ingenuo homine indignum. Arrogat (tropologicè) ſibi virtutes, qui à virtute longiſſimè abeſt: ſed è contra, eſt pauper opibus, ſed virtutibus diues.

Indignum homine iuſto vel ſe ex vanitate ſimulare eſſe diuitem, vel ex auaritia fingere ſe eſſe pauperē.

Verſ.8. Redemptio animæ viri diuitiæ. Nam diues ſi periculum vitæ ob aliquod delictum incurrat, facilè ſe ſuis pecuniis redimit. *Qui vero pauper eſt, increpationem* (LXX. *minas*) *non ſuſtinet*, id eſt euadere à vitæ periculo, vel aliia nequit incommodia, ſed illis ſuccumbit: cum enim non habeat, quid det pecuniæ, luere in corpore cogitur. * O quàm potens eſt, ob malitiam ſæculi ad vitanda incommoda pecunia! Ideò paupertas aſſolet eſſe omnium incommoditatum receptaculum.]

A pecunia cuncta incōmoda ſeparantur, ad paupertatem fugiunt.

Verſ.9. Lux iuſtorum lætificat. Hebr. *Iſmach. læta erit*, id eſt, iuſti proſperè agent, & velut clara, læta, & lætificante luce fælicitatis ſplendeſcent. *Lucerna autem impiorum extinguetur.* nec læta erit, nec diu poterit impiorum fælicitas fulgurare: * Iuſtus igitur vera lux, *Vos eſtis lux mundi*, quæ nūnquam extinguitur, iniuſtus lucerna eſt paruula, cuius fulgor nequit eſſe diuturnus.]

Fœlicitas Iuſti eſt verè lux inextinquibilis, peccatoris lucerna extinctioni agnata.

Verſ.10. Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt, quia ſuperbus non vult ſuperbo cedere, ſibi enim nimium fidens, aliorum conſilia, & dictamina aſpernatur. *Qui autem agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientiâ.* E contra humilis qui ſibi non fidit ſed aliorum init conſilium, cuncta ſapienter aget. * Nihil ſapienter ſine conſilio geritur.]

Nihil ſapiēter ſine conſilio geritur.

Verſ.11. Subſtantia feſtinata ſeu feſtinanter acquiſita, & malis artibus, *minuetur*, dilabetur. *Quæ autem paulatim colligitur manu*, quæ manuum labore, & bonis artibus acquiritur, *multiplicabitur.* * Agnata eſt opibus malè partis imminutio, & rectè acquiſitis multiplicatio.]

Agnata eſt opibus malè partis imminutio & rectè acquiſitis multiplicatio.

Verſ.12. Spes, quæ differtur, res ſperata & optata, *affligit animam*, cum de die in diem eius differtur acquiſitio. At *deſiderium veniens* res diu optata tandem obtenta *lignum vitæ* eſt, ſeu iucundiſſima, ac ſuauiſſima. * Vnde diu ſperandi dolor, acquirendi optata lætitia vberiori compenſatur.]

Diu ſperandi dolor acquirendi vbere lætitia compenſatur.

Verſ.13. Qui detrahit alicui rei, ſeu aliquem (verbi gratia) morem damnat, *ipſe ſe in futurum obligat*, ſeu ſibi obligationem imponit ab eo abſtinendi, quod damnauit; ne ab audientibus obiiciatur: *Medice, cura teipſum.* * Hinc arguitur concionator, qui quam laudat virtutem, non amplectitur: vel quæ reprehendit piacula non fugit.] *Qui autem timet præceptum, in pace verſabitur.* Contra verò qui timet præceptum diuinum, quo & detractio prohibetur, & quid cuique gerendum ſit decernitur, pace conſcientiæ, animique tranqillitate potietur, & cum hominibus etiam pacem habebit. * Plurium enim detractio rixarum eſt cauſa.] *Animæ doloſæ errant in peccatis*, viri, qui dolis, & malis artibus diuitias quærunt, peccata ſectantes huiuſmodi, decipiuntur, & ſpe ſua excidunt. * Nam opes malè acquiſitæ non proficiunt.] *Iuſti* verò *miſericordes ſunt, & miſerantur.* E contra Iuſti non ſolùm aliena non acquirunt, ſed propria impendunt egenis, affectu quidem miſericordes, & facto miſericordiam exhibentes.

Cōcionator, qui quod dicit, non facit, taxabilis eſt.

Detractio plurīū rixarū eſt cauſa.

Diuitiæ malè partæ non proficiunt.

Verſ. 14. Lex Sapientis diſciplina, inſtitutio, & præcepta viri Sapientis *fons vitæ* eſt, emanans, vitam afferens ei, qui inſtitutionem illam, ac præcepta ſectatur, vt declinet à ruina mortis, ſeu vt à mortis periculis abſtrahatur.

Verſ. 15. Doctrina bona dabit gratiam apud Deum, & apud homines gratiam conciliabit. * Pluris enim habetur concionator, qui ſalutaria documenta profert, quàm ille, qui futilibus, & inutilibus eloquentiæ periodis ſatagit auditorum aures demulcere.] *In itinere contemptorum vorago.* In ſermonibus autem eorum, qui bonæ, ſolidæ, ac vtilis doctrinæ iura contemnunt, perditionis vorago, in quam ipſi, ac auditores ruent. * O quot concionatores igne æterno cremantur, eo quod vtilis doctrinæ contemptores, damnationis auditorum occaſio extitere!]

Pluris æſtimatur concionator ſolida proferēs quàm qui vana vtitur eloquentia.

Multi concionatores damnantur, eo quod vtilia non protulerunt.

Verſ. 16. Aſtutus, prudens, cautus, *omnia agit cum conſilio*, adit prudentem, vt ab eo ediſcat rerum gerendarum conuenientiam. In Hebræo eſt, *Omnia agit in ſcientia*, id eſt, prudenter, & ſcitè. * Quia qui ex conſilio, ſeu conſiliarium prudentem nactus, operatur, errandi periculum plerumquè non ſubit.] *Qui autem fatuus eſt, aperit ſtultitiam.* Nam cum ipſe per ſe videre non poſſit, quid facto opus ſit, nec aliorum conſilia requirat, fit, vt in rebus gerendis aberret, & ſuam imprudentiā omnibus prodat.

Qui ex conſilio prudentis operatur, plerūquè nō errat.

Verſ.

Verſ. 17. *Nuncius impij cadet in malum* Quia cum ei, ad quem mittitur, impia proponit, ab eo toruo vultu recipitur, & malè negotia tractat. * In Hebræo eſt, *Nuncius impius!* At idem eſt *Nuncius impij, ac nuncius impius.* Nam Princeps impius ſimilem ſibi Legatum fere deligit. Quod plerumquè de omnibus miniſtris à Principe iniquo delectis poſſumus ſuſpicari.] *Legatus autem fidelis, ſanitas*, ſeu ſalutaris eſt, quia negotia ſapienter & cum Reipublicæ vtilitate tractat.

Princeps impius Legatũ ſibi ſimilem deligit. Idem de omnibus miniſtris ple-rumque aſſeuerim.

Verſ. 18. *Egeſtas, & ignominia ei, qui deſerit diſciplinam*, correctionem, vel bonam inſtitutionem: ſcientiam enim non aſſequetur, ex qua diuitiæ & gloria ſeu plauſus hominum ſolet acqoiri. Qui autem *acquieſcit arguenti*, vt litteris informetur, *glorificabitur* diuitiis ſcilicet & plauſu affluens. * Sapientem egeſtas non premit. Nam licet incuria temporum maioratibus deficiant annui reditus, nunquam vel rarò Sapientem virum videris mendicare.]

Sapientes rarò videris egeſtate premi.

Verſ. 19. *Deſiderium*, ſeu res deſiderata *ſi compleatur*, delectat deſiderantis animam. *Deteſtantur ſtulti eos, qui fugiunt mala*, ſeu crimina. Nam cum ſtulta agnata ſit ad peccata facilitas (peccator enim *eſt ignorans*) inuiſi ei ſunt, qui fugiunt piaculis inquinari.

Verſ. 20. *Qui cum Sapientibus graditur*, ſocietatémve init cum prudentibus, ex iis quæ ab eis prudenter dicta audierit, licet inſcius ſit, Sapiens erit. Amicus ſtultorom *ei ſimilis efficietur.* * Quid enim poteſt inſcius ex ſtulti ſocietate, niſi ſtulta verba proferre, & ſtolidas exercere actiones?

Ex ſocietate ſtulti inſcius ſtultior euadet.

Verſ. 21, *Peccatores perſequitur malum*, ſeu laboribus impij replentur: *Iuſtis* autem in præmium temporale *retribuentur bona*, dum tribuitur æternum. * Vnde vel hîc iucundior eſt iuſti, quàm peccatoris vita.]

Iucundior vel hîc iuſti, quàm peccatoris vita.

Verſ. 22. *Bonus relinquit heredes filios, & nepotes.* Deus, inquam, probis viris prolem & vt ad filios, & nepotes longa ſerie bona tranſmittantur, benè agant, & rebus omnibus affluant concedit. *Et cuſtoditur iuſto ſubſtantia peccatoris*, ſeruantur diuitiæ peccatoris, vt ad iuſtum tranſeant, qui melius illis vtetur. * Caueat diues opibus abuti, ne eis priuetur, vt à Domino addicendæ iuſtis cuſtodiantur.]

Diuitiæ quibus abutitur impius, ſolēt à Deo iuſto benè illis vſuro cuſtodiri.

Verſ. 23. *Multi cibi in noualibus patrum.* Frequenter accidit, vt parentes ſint diuites, & multa arent terræ iugera ex quibus multas colligant fruges: *& alijs congregantur abſque iudicio*, ſed non animaduertunt patres ſe haſce diuitias potius alienis, quàm filiis congregare ſuis. Nam cum aliarum adepti fuerint poſſeſſionem, illas prodigent, & dilapidabunt. * Stultus pater qui non potius curat de filij buna inſtitutione, quàm de eius adaugenda hæreditate, quã ineruditi, *viuendo luxurioſè*, inſtar prodigi adoleſcentis, abſumere aſſolent: vnde pater ille diuitias non filio, ſed meretricibus diligens præparauit.]

Pater filij ineruditi adaugere diuitias, ſatagit non filio, ſed meretricibus.

Verſ. 24. *Qui parcit virgæ*, qui non corripit filium delinquentem, eum odio proſequitur. *Qui autem eum diligit, inſtanter* poſt commiſſum piaculum adhibita correptione eum *erudit*, vt ad meliorem ſe frugem recipiat. * Hinc Dauid, *Apprehendite diſciplinam*. filios corripite Hebr. *Oſculamini filios:* ſicut ergo filios affectuoſè oſculatur, qui eos corripit: qui *virgæ parcit*, cum delinquunt, eos odio proſequi oſtentatur.]

Qui filium flagellat errantem, eum oſculatur: qui virgæ parcit, eum odio proſequitur.

Verſ. 25. *Iuſtus comedit, & replet animam ſuam*, quia cum cupiditatibus ſuis modum ponit, modico cibo ſatiatur. *Venter autem impiorum inſaturabilis.* Nunquam dicit ſufficit. * Id eſt, iuſtus ex mundialibus opibus ſolùm appetit neceſſaria ſubſidia; impium verò ſatiare cunctæ diuitiæ non ſufficiunt.]

Iuſtus paucis contentus bonis ad ſufficiẽtiam: iniuſtus ſemper appetit redundantiam.

C A P V T XIV.

Sapientiæ & ſtultitiæ antitheſes, fructus vtriuſque Salomon enunciat.



1. SAPIENS mulier ædificat domum ſuam: inſipiens extructam
quoque manibus deſtruet. 2. Ambulans recto itinere, & ti-
mens Deum, deſpicitur ab eo, qui infami graditur via. 3. In
ore ſtulti virga ſuperbiæ: labia autem ſapientium cuſtodiunt
eos. 4. Vbi non ſunt boues, præſepe vacuum eſt: vbi autem
plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis, 5. Te-
ſtis fidelis non mentitur: profert autem mendacium doloſus
teſtis. 6. Quærit deriſor ſapientiam, & non inuenit: doctrina prudentium facilis.
7. Vade contra virum ſtulrum: & neſcit labia prudentiæ. 8. Sapientia callidi eſt
intelligere viam ſuam: & imprudentia ſtultorum errans. 9. Stultus illudet pec-
catum, & inter iuſtos morabitur gratia. 10. Cor quod nouit amaritudinem ani-
mæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus. 11. Domus impiorum delebi-
tur: tabernacula verò iuſtorum germinabunt. 12. Eſt via, quæ videtur homini iuſta:
nouiſſima autem eius deducunt ad mortem. 13. Riſus dolore miſcebitur, & extre-
ma gaudij luctus occupat. 14. Viis ſuis replebitur ſtultus, & ſuper eum erit vir bo-
nus. 15. Innocens credit omni verbo: aſtutus conſiderat greſſus ſuos. Filio dolo-

ſo nihil erit boni : ſeruo autem ſapienti proſperi erunt actus, & dirigetur via eius. 16. Sapiens timet, & declinat à malo : ſtultus tranſit & confidit. 17. Impatiens operabitur ſtultitiam : & vir verſutus odioſus eſt. 18. Poſſidebunt paruuli ſtultitiam, & expectabunt aſtuti ſcientiam. 19. Iacebunt mali ante bonos:& impij ante portas iuſtorum. 20. Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit : amici verò diuitum multi. 21. Qui deſpicit proximum ſuum, peccat : qui autem miſeretur pauperis, beatus erit. Qui credit in Domino, miſericordiam diligit : 22. Errant qui operantur malum : miſericordia & veritas præparant bona. 23. In omni opere erit abundantia:vbi autem verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas. 24. Corona ſapientium, diuitiæ eorum,fatuitas ſtultorum, imprudentia. 25. Liberat animas teſtis fidelis : & profert mendacia verſipellis. 26. In timore Domini fiducia fortitudinis; & filiis eius erit ſpes. 27. Timor Domini fons vitæ, vt declinent à ruina mortis. 28. In multitudine populi dignitas regis : & in paucitate plebis ignominia principis. 29. Qui patiens eſt, multa gubernatur prudentia : qui autem impatiens eſt,exaltat ſtultitiam ſuam. 30. Vita carnium,ſanitas cordis : putredo oſſium inuidia. 31. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius : honorat autem eum, qui miſeretur pauperis. 32 In malitia ſua expelletur impius : ſperat autem iuſtus in morte ſua. 33. In corde prudentis requieſcit ſapientia,& indoctos quoſque erudiet. 34. Iuſtitia eleuat gentem, miſeros autem facit populos peccatum. 35. Acceptus eſt regi miniſter intelligens,iracundiam eius inutilis ſuſtinebit.

COMMENTARII.

*ERS* 1. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam*, mulier prudentia prædita rem domeſticam promouet res cunctas exercens ad filiorum domeſticorúmque vtilitatem, in reique familiaris augmentum. *Inſipiens* imprudens ita rei familiari nocebit, vt *ſtructam* & compoſitam, abundantem familiam *manibus* deſtruat, quaſi dedita opera vellet domum perdere. * Ad deſtruendam domum vel augendam diuitiis aſſolet mulier faciliùs quàm vir operam adhibere.]

Ad domum perdendam, vel augendam aptior, quàm vir vxor oſtenditur.

Verſ. 2. *Ambulans recto* virtutis *itinere, ac timens Deum deſpicitur ab eo, qui infami* vitiorum *graditur via.* Quàm aptè vitiorum via infamis appellatur: vitium enim ſuis ſectatoribus dedecus affert.]

Vitia afferunt ſuis ſectatoribus infamiam.

Verſ. 3. *In ore ſtulti virga* ſuperbiæ, quia ſuperbo ſermone ſuo agnato quidem ſtultitiæ virgam pœnæ,ſibi debitam ſtulti parant. * Sermo vanus ſtulto eſt ſupplicium, dum ab omnibus audientibus irridetur.] *Labia autem Sapientum cuſtodiunt eos*, taxando ſuperbiam, ne vana loquentes eiuſmodi incommodo afficiantur.

Sermo vanus ſtulto loquenti ſupplicium eſt.

Verſ. 4. *Vbi non ſunt boues, præſepe vacuum eſt.* Hebr. pro *præſepe* eſt אבום *ebuſquam* vocem *horreum* ſignificare exiſtimo. Vtrumque eſt verum. Vbi non ſunt boues,& præſepia, quibus alimenta iumentis immittuntur ad terram excolendam vacua ſunt horrea, & domus laborat egeſtate. * O tempora, quando ex defectu cenſuum illorum, quos *luros* vocitant,coguntur homines rei ruſticæ impendere ſtudium, aut oſtiatim emendicare. Ne cenſui fidas, fallibili ſæpe ſubſidio, terræ culturæ da operam,vt nunquam non ſatietate fruaris.] *Vbi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis.* Cùm videris aream tuam manipulis abundare, comperies, quàm fortis, quàm validus ſit boüm, ſeu agriculturæ vſus ad eiuſmodi abundantiam adſtruendam.

Ne cenſui fidas, fallibili ſæpè ſubſidio, terræ culturæ da operam, vt ſecura ſatietate fruaris.

Verſ. 5. *Teſtis fidelis non mentitur*, vel à leui abſtinet, inferendo teſtimonio, mendacio. *Profert autem mendacium doloſus teſtis*, quia licet ſubſtantiam rei enunciet, eam mendaciis curat enubilare.

Verſ 6. *Quærit deriſor Sapientiam*, & non inuenit, quia malè quærit, quia ſuo iudicio fidit, nec Sapientibus acquieſcit, quorum irridet dictamina. *Doctrina prudentium facilis*, facilè à prudente Sapientia comparatur, quia libenter Sapientum dogmata exaudit eos magni ducens.

Verſ. 7. *Vade contra virum ſtultum, & neſcit labia prudentiæ.* Si contradicere cures viro ſtulto,haud occurret illi, quonammodò prudenter reſpondeat.

Verſ. 8. *Sapientia callidi*, cauti, prudentis eſt *intelligere viam ſuam*, ſuas noſſe actiones, & in quem finem dirigantur. *Et imprudentia ſtultorum errans*, quia in nullum finem bonum ſuas actiones dirigunt, ſed huc illuc temerè aberrant. * Inſignis imprudentiæ ac fatuitatis eſt aliquam exercere actionem quæ ad finem vitæ, æternitatiſque non dirigatur.]

Magna fatuitas, noſtras actiones in finem ſalutis æternæ non dirigere.

Verſ. 9. *Stultus illudit peccatum* alienum. * O quàm inſipienter! Huiuſmodi enim illuſori accidit in ſupplicium eadem crimina perpetrare.] *Et inter iuſtos morabitur gratia.* Nam cùm alios vel etiam peccantes non irrideant, facilè cum omnibus beneuolentiam ſeruant. Vnde in Hebræo pro *gratia* eſt *ratſon* ſeu *beneuolentia.*

Qui peccatum irridet alienum in idem incidere permittitur.

Verſ. 10. *Cor, quod cognouit amaritudinem animæ ſuæ*, cor quod angitur, & ſibi conſcium eſt ſecreti mœroris, *in gaudio eius non miſcebitur extraneus*, non capietur facilè ſolatiis, quæ extrinſecùs adhibentur.Vel qui ſolus conſcius eſt ſibi ſui doloris, ſolus etiam lætabitur,ſi mutari fortunam contigerit, & ad gaudium peruenire. * Licet enim dolor tuus non communicatus ditior ſit : gaudium tibi ſoli proueniens vberius, ac ſuauius exiſtet.]

Dolor non communicatus ditior, ſed gaudium tibi ſoli proueniet vberius.

Verſ. 11. *Domus impiorum delebitur*, funditus citò corruet,eius memoria protinus euaneſcet. *Tabernacula verò iuſtorum germinabunt*, florebunt,

bunt, prosperabuntur, & in morem germinom, annis singulis eorum memoria reuirescet.* Vidi iustorum domos ad pietatem exædificatas, Xenodochia, (v. gr.) æternum prosperari, dum sæculares domus funditus euertuntur.]

Domus ad pietatem sitæ hospitalia ædificata permanent, dum sæcularia palatia corruunt.

Vers. 12. Est via, quæ videtur homini iusta. Nouissima autem eius ducunt ad mortem. Suspecta quidem propria hominis iudicia, fit enim plerumquè vt negotium aliquod, aut aliqua vitæ agendæ ratio bona, ac salutaris ei videatur, cum tamen revera ad exitium animæ perducat. * Externis speciebus boni fallibilibus sæpe non fidendum.]

Externis specieb⁹ boni fallibilibus sæpè nō fidendum.

Vers. 13. Risus dolore miscebitur : & extrema gaudij luctus occupat. Ne huius sæculi gaudia secteris, quæ nec solida sunt, nec sine admistione doloris ac mœroris. * E contra gaudia spiritus sincera sunt & diuturna. *Ioa. 16.* Gaudium vestrum nemo *tollet à vobis.*]

Spiritus gaudia diuturna, sæculi momentanea.

Vers. 14. Vijs suis replebitur stultus vsque ad miseram satietatem recipiet, quod meritus est actionibus suis prauis. *Et super eum erit vir bonus*, quia magis recipiens bonorum ipse, quam meritus est, (iustitiæ enim corona iniustitiæ vindictam excedet) irridendum esse edocet peccatorem.

Vers. 15. Innocens credit omni verbo. Græcè ακακ⊙ *nimium simplex*, omni verbo à quocumque prolato fidem adhibet. *Astutus considerat gressus suos.* Prudens cautus prudenter moderatur actiones suas, nec se facilè patitur aliorum dictis circumferri. * Imprudens est, qui sine circumspectione omnia credit.] *Filio doloso nihil erit boni*, dolosè enim cum parentibus agens, ne ab eis corripiatur, in virtute non proficit. *Seruo autem Sapienti prosperi erunt actus, & dirigetur via eius.* Filiis aut seruis, qui ex correptione parentis, aut domini Sapientes, seu virtutis sectatores existunt, prospera omnia accident, & recta via semper incedent. * Preme illa *Filio doloso, seruo Sapienti.* Opponit filio doloso seruum Sapientem, ac si diceret *Filius Sapiens.* Quia seruus idem tibi debet esse quod filius. Vnde Centurio seruo ægrotante, dixit Domino, *Filius meus iacet paralyticus.*]

Imprudens, qui sine circumspectione omnia credit.

Seruus Domino idem debet esse quod filius.

Vers. 16. Sapiens timet, & declinat à malo, suspicatur, & præcauet, ne aliqua fraude, aut tentatione decipiatur. *Stultus transilit, & confidit*, nihili pendens, nec quidquam mali suspicans. Magna prudentia est in iustitiæ via semper obstacula, ac pericula, quæ sese offerri assolent, timere.]

Prudentis est, in recta via, obstacula timere.

Vers. 17. Impatiens operabitur stultitiam. Hebr. *Breuis irarum.* qui facilè iram concipit, multa stultè loquitur, & operatur. *Et vir versutus cunctis est odiosus*, quia præsumunt se ab illo decipiendos.

Vers. 18. Possidebunt paruuli stultitiam. Veluti hæreditatis paruuli sensibus, imprudentes, vitiosè simplices stultitiæ erunt æterni possessores. *Et expectabunt astuti scientiam*, cauti, & prudentes expectabunt scientiam tanquam hæreditatem, quâ nulla ditior.

Vers. 19. Iacebunt mali ante bonos. Sæpè enim accipit, vt propter inopiam, aut aliam huiuscemodi causam necesse habeant mali se ante bonos incuruare. Hebr. *Incuruati sunt*) quod fratribus Iosephi vidimus accidisse. *Et impij ante portas iustorum* expectabunt, vt humilis conditionis homines ante palatia, ac fores procerum.

* Ne iustos ô iniuste contemnas, quorum ianuis fortè aliquandò te adducet necessitas expectare. Nam diues epulo Lazarum spreuit pauperem, cuius postmodum inutiliter implorauit auxilium.

Peccator iustū non spernat, ad cuius ianuam forsè necessitas eum expectare coget.

Vers. 20. Etiam proximo suo propinquo aut consanguineo *pauper odiosus erit : amici verò diuitum multi.* Quàm pulchrè ille cecinit:

Dum fueris fœlix, multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

* Et adeò solus, vt vel à propinquis, à fratribus deseraris.]

Pauper vel propinquis odiosus.

Vers. 21. Qui despicit proximum suum, peccat, qui proximi egestati non subuenit stipe, si possit: aut compassionis verbo, si quod tribuat, non habeat, charitatis violat legem. *Qui autem miseretur pauperis, beatus erit* apud Deum. * Qui vicissim eius miserebitur, & eleemosynam inopi exhib tam largè hîc, & in futuro sæculo compensabit. *Qui credit in Domino, misericordiam diligit.* Credens enim eum infinitè veracem esse, vt promissa mandet executioni, diliget pietatem erga inopum subsidia, quæ ineffabili promisso præmio est muneranda.

Elargientis eleemosynā beatitudo.

Vers. 22. Errant, qui operantur malum, cui pœnam Deus minatur æternam. *Misericordia, & veritas præparant bona*, seu bona conciliant æternam, ac temporariam fœlicitatem assequitur.

Vers. 23. In omni opere erit abundantia : vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. Qui operationi, ac labori addicti sunt, diuitiarum sibi præparant abundantiam; qui verò multum loquuntur, sed non æquè multum operantur, ab egestate non emerguot. * Diuitias parant non verba, sed labores.]

Diuitias nō verba, sed labores præparant.

Vers. 24. Corona Sapientium diuitiæ eorum. Ornamentum & decus Sapientis diuitiæ sunt, quia illis rectè vtitur, & conciliant ei authoritatem, instar coronæ, vel diadematis. *Fatuitas stultorum imprudentia.* Chald. *Decus stultorum & stultitia.* id est, stultus nullum ornamentum habet, quo se exornet, nisi stultitiam; nam & opes, quas possidet, & quibus egregiè se posset ornare (vt Sapiens facit) cum eis non nisi peruersè vtatur, ipsi honori non sunt, vel ornamento, sed dedecori & damno. * Opes, si rectè eis homo vtatur, illi sunt ornamentum; prauus verò vsus facit, vt ei dedecori existant.]

Opes, quibus benè vteris, ornamētum, quibus malè, tibi dedecus afferunt.

Vers. 25. Liberat animas testis fidelis : & profert mendacia versipellis. Fidelis testis veraci suo testimonio homines à vitæ periculo eripit: contra versipellis & dolosus testis proferens mendacia, innocentum vitam in periculum adducit.

Vers. 26. In timore Domini, seu propter Dei timorem, quia scilicet iustus Deum timet, & illius cauet offensam, *erit fiducia fortitudinis*, seu fiduciam habet iustus fortitudinis obtinendæ, sperat se fortem Dei auxilio fore, ad quæuis peragenda, *& filijs eius erit spes* bona obtinendi beneficia à Deo ob parentis pij, ac Deum timentis merita. * Cœlestibus beneficiis filij ob parentum pietatem donantur.]

Cœlestibus bonis filij ob parentū merita donātur.

Vers. 27. Timor Domini fons vitæ, seu vitæ causa, auertens à periculo mortis. * Nam qui timent Deum scrupulo salutari puncti, non solùm à peccato fugiunt, sed ab omni eo, quod

Qui timet Deum, ab omni piaculo præseruatur.

pia

piaculi speciem præ se ferat.] Vt scilicet *à ruina mortis declinent*.

Speciem fugit.

Vers. 20. In multitudine populi dignitas Regis, magnum enim Principi decus ex copia subditorum accrescit: minuitur verò illius existimatio si ditio eius infrequens sit. * Vnde operæ pretium est subditos tributis non peragrauari: ex quorum exactione pereuntibus fame, aut fugientibus subditis, vrbium ciues minuuntur, agricolæ à villis abscedunt, vel inibi miserè conficiuntur.] Vnde *in paucitate plebis ignominia Principis* euulgatur.

Si Regis decus subditorum copia, tributa imminuantur, queis subditi imminuuntur.

Vers. 29. Qui patiens est, multa gubernatur prudentia, documentum dat, quod prudens sit admodùm, qui vel opprobria patienter suffert. *Qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam*, seu manifestam facit, quæ enim in sublime eriguntur, conspicua redduntur omnibus. Vel *exaltat*, id est, nimium exaggerat. Nam cum audit opprobrium, iracundia accensus surgit in rixas, ex quibus aut periculum vitæ aut honoris iacturam subeat necessum erit. * Vnde maxima prudentia est iniurias tolerare.]

Maxima prudētia est, iniurias tolerare.

Vers. 30. Vita carnium sanitas cordis. Bona corporis valetudo multum ex animi tranquillitate pendet, vnde *putredo ossium inuida* est, ossa enim exedit. * Inuidus ideò marcidus, pallidus, & quasi affectus tabe ostenditur.]

Inuidia bonam corporis lædit valetudinem.

Vers. 31. Qui calumniatur egentem, qui aliquem afficit iniuria, aut contumelia eo quod egenus sit, exprobrans paupertatem, *exprobrat factori eius*, Deum enim damnare videtur, cuius voluntate factum est, vt ille esset pauper. * Vel exprobrat Domino profanti: Quod vni ex minimis hisce fecistis, mihi fecistis.] *Honorat autem eum qui pauperi miseretur*. Quia beneficium, vel honor, qui seruo fit in Dominum, cuius fit respectu, redundat.

Iniuria pauperi facta Christo Domino fit.

Vers. 32. In malitia sua repelletur impius à salutis spe in morte. * Quia ferè mors anteactæ vitæ consentit.] Vnde *sperat iustus in morte sua* cœlesti donari beatitudine virtutum beatitudini respondente: nam beati *pauperes, beati mites*, &c. Matth. 8.

Mors vitæ anteactæ cōsentit.

Vers. 33. In corde prudentis requiescet Sapientia. Nam cum Sapientia insiet, sine requie viueret Sapiens honorifica appetens & requirens præmia, nisi prudentia suo sinu exciperet, & quiescere faceret. * Profectò scientia sine prudentia fomes est inquietudinis.] *Indoctos quosque erudiet*. Quid autem mirum Sapientes à prudentia edoceri, quonammodò ab inquietudinibus abstrahantur, si tam egregia magistra est, vt & indoctum quemque circa affectuum moderamen valeat erudire. * Indoctus si prudens sit, eruditus ostentabitur.]

Scientia sine prudētia fomes est inquietudinis.

Indoctus si prudens sit, eruditus ostentabitur.

Vers. 34. Iustitia eleuat gentem, exaltat, & florere facit Respublicas. *Miseros autem facit populos peccatum*. * Ex morum corruptione populi fere in nihilum deuenere: Ideò bellè canit Ecclesia: Nulla *ei* (populo) nocebit aduersitas, si nulla ei dominetur iniquitas.]

Ex morum corruptione populorum ruina.

Vers. 35. Acceptus est Regi Minister intelligens, quonammodò Respublica iure sit gubernanda. At *iracundia eius inutilis sustinebit*. Hebr. pro *inutilis* est, *confundens*, is scilicet, qui ita se gerit, vt domino suo sit pudori, Principis iracundiam meritò experietur. Certè Minister inutilis ob inscitiam, aut desidiam in operando quæ vtilia Reipublicæ sunt, idem est, quod confundens eum, à quo munus accepit.] Vtinam cuncti Ministri inutiles iram Principis sustinerent.

Minister inutilis Reipublicæ idem est ac confundens Regem à quo munus accepit.

CAPVT XV.

De bona & mala lingua, de vera fortitudine, de victimis impiorum, de solido gaudio, de veris thesauris, de cœlo, & tartaro Salomon agit.

1. RESPONSIO mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.
2. Lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit
stultitiam. 3. In omni loco oculi Domini contemplantur
bonos & malos. 4. Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ au-
tem immoderata est, conteret spiritum. 5. Stultus irridet
disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astu-
tior fiet. In abundanti iustitia virtus maxima est: cogitatio-
nes autem impiorum eradicabuntur. 6. Domus iusti plurima fortitudo: & in fru-
ctibus impij conturbatio. 7. Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stulto-
rum dissimile erit. 8. Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iustorum pla-
cabilia. 9. Abominatio est Domino via impij: qui sequitur iustitiam, diligitur ab
eo. 10. Doctrina mala deserenti viam vitæ: qui increpationes odit, morietur.
11. Infernus, & perditio coram Domino: quantò magis corda filiorum hominum?
12. Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes graditur. 13. Cor
gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi deiicitur spiritus. 14. Cor sapientis
quærit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia. 15. Omnes dies pauperis,
mali: secura mens quasi iuge conuiuium. 16. Melius est parum cum timore Do-
mini, quàm thesauri magni & insatiabiles. 17. Melius est vocari ad olera cum cha-

ritate,

ritate, quàm ad vitulum saginatum cum odio. 18. Vir iracundus prouocat rixas:
qui patiens est, mitigat suscitatas. 19. Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via iu-
storum absque offendiculo. 20. Filius sapiens lætificat patrem: & stultus homo
despicit matrem suam. 21. Stultitia gaudium stulto: & vir prudens dirigit gressus
suos. 22. Dissipantur cogitationes vbi non est consilium: vbi verò sunt plures con-
filiarij, confirmantur. 23. Lætatur homo in sententia oris sui: & sermo opportunus
est optimus. 24. Semita vitæ super eruditum, vt declinet de inferno nouissimo.
25. Domum superborum demolietur Dominus: & firmos faciet terminos viduæ.
26. Abominatio Domini cogitationes malæ: & purus sermo pulcherrimus firma-
bitur ab eo: 27. Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam: qui autem odit
munera, viuet. Per misericordiam, & fidem purgantur peccata: per timorem autem
Domini declinat omnis à malo. 28. Mens iusti meditatur obedientiam: os impio-
rum redundat malis. 29. Longè est Dominus ab impiis. & orationes iustorum exau-
diet. 30. Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat ossa. 31. Auris,
quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur. 32. Qui abiicit
disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor
est cordis. 33. Timor Domini disciplina sapientiæ: & gloriam præcedit humi-
litas.

COMMENTARII.



ERS. 1. *Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem.* Vndè si aliquis contra te iustè vel iniustè iratus exsurgat, haud iratus illi respondeas, sed mollibus verbis vtaris. * Vt suaui ac pacato sermone illius iracundia sedetur, quæ dura responsione magis exardet.]

Mansuetus irato responde.

Vers. 2. *Lingua Sapientium ornat scientiam,* seu decus scientiæ addit; magnum enim est scientiæ ornamentum, si quæ proferuntur non solùm sint vera, acutaque, sed etiam eloquenter, & ornatè dicantur. * Plures vidi scientia affluentes, qui ob inelegantiam sermonum tædio sunt auditoribus.] *Os fatuorum ebullit stultitiam,* multa, & imperitè dicit. * Multum enim loqui, loquentia est, non eloquentia.]

Ad concionem requiritur scientia, & eloquentia.

Multum loqui non est eloquentia, sed loquentia.

Vers. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos.* Nulla actio, nulla cogitatio hominis probi, vel impij Dei effugit vbique cognitionem, præmium eis, vel supplicia redditurí.

Vers. 4. *Lingua placabilis*, seu placans iratorum rixas; vel placida ob prudentiam sermonis, est velut *lignum vitæ* res scilicet salutaris, ac iucunda. Vulgariter dixerim, *Da la vida.* *Quæ autem immoderata est, conteret*, affligit, mentémque & *spiritum,* auditorum *conterit*, & contristat.

Vers. 5. *Stultus irridet disciplinam patris sui,* correptionem parentum contemnit. *Qui autem custodit correptiones,* seu corripi gaudet, *astutior fiet*, cautior, ac sapientior euadet. *In abundanti iustitia, virtus maxima* seu fortitudo *est*, ad tentationes superandas, ac egregias gerendum actiones. *Cogitationes autem impiorum eradicabuntur.* Quia cum iniusti sint fortitudine carent ad cogitationes illustres, licet mandandas executioni. Vnde qui studia firmiter eradicata putant, ea videbunt sine germine eradicari. * Ad egregia studia exequenda, abundantia iustitiæ necessaria est.]

Ad egregia studia exequenda, abũdantia iustitiæ est necessaria.

Vers. 6. *Domus iusti plurima fortitudo.* In domo iusti valida fortitudo adest ad huiusmodi opera præstanda, iustitia enim cordi, ac brachiis robur impertit. *Et in fructibus impij conturbatio*, in cogitationibus, & actionibus impij nulla firmitas erit, sed conturbatio, ac commotio ob multa infortunia, quæ Deus in scelerum immittit vltionem. * Vnde facilius planè rectè viuere, quàm iniquè degere.]

Facilius rectè, quàm iniquè viuere.

Vers. 7. *Labia Sapientium disseminabunt scientiam*, libenter aliis edocere curabunt: *Cor stultorum dissimile erit*, nec enim scientiam, qua se immeritò putant pollere, aliis volunt communicare, sed sibi gestient retinere. Preme illud verbum, *Disseminabunt scientiam,* vt ex iacto semine germina nascantur. Annon fructus iacti seminis serenti cedit agricolæ? Fructus ergo ex doctrina docentis germinantes in eius procul dubio cedent vtilitatem.]

Magister alios edocẽs sibi colligit fructus vberrimos.

Vers. 8. *Victima impiorum abominabiles Domino.* Quamuis enim in se abominabiles non sint, vt tamen ab impiis manibus offeruntur Deo sunt abominationi. *Vota* verò *iustorum placabilia*, Numini cœlesti grata, & vim habentia illum placandi. Vnde

Vers. 9. *Abominatio est Domino via impij: qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo.* Actiones impiorum licet in se egregiæ sint, vt tamen ab impio procedunt, ei admodum sunt inuisæ, Actiones autem eius, qui sectatur iustitiam, & ideò à Domino diligitur, ei admodum placent.

Vers. 10. *Doctrina mala deserenti viam vitæ.* In Hebræo pro *doctrina* est מוסר *musar*, id est, *correptio, castigatio.* Mala est, seu seuera, dura, intolerabilis, odiosa ei, qui deserens salutarem viam, vitiorum itinera sectatur. Vnde is, *qui increpationes odit, morietur*, male peribit cum iis, qui per scelerum iter incedunt. * Profectò correptionem spernere reprobationis est documentum.]

Correptionem spernere, reprobationis documentum.

Vers. 11. *Infernus, & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?* Infernus, Græcè *gehenna*, & perditi, seu damnati in inferno detecta, & explorata sunt Deo, qui quot, & quales damnati sunt, & damnandi, quibus quantisque pœnis cruciandi: quanto magis patebunt ei cordis filiorum hominum intimi

recessus, occultæ cogitationes, & appetitus? * Cura igitur à prauis recedere affectibus, quorum nullus diuinam effugit cognitionem.]

Cura à prauis recedere affectibus, quorum nullus à Deo absconditur.

Vers. 12. Non amat pestilens eum, qui se corripit, semper improbo inuisa est correptio, vnde se corripientes odio habet: *nec ad Sapientes* ideo *graditur*, timens, ne eius impietatis conscij eum corripere intendant. * *Pestilentem* appositè impium Sapiens vocitauit. Quia impius nunquam non est Reipublicæ pestis, alios prauo exemplo corrumpens.]

Impius semper est Reipublicæ pestis, alios corrumpens.

Vers. 13. *Cor gaudens exhilarat faciem*, nam hilaris animi notæ in faciem eminent. *In mærore animi deijcitur spiritus*, id est, animi alacritas, Alij *anhelitus* suspiriis, quæ mærentes effundere solent, deiicitur, & quasi suffocatur.

Vers. 14. *Cor Sapientis quærit doctrinam: & os stulti pascitur imperitia.* Qui Sapiens est, quotidie in Sapientia proficere gestit, & veluti quotidiano cibo reficiendus, dogmata quærit, dum stulti os sua imperitia pascitur, sua inscitia, qua emergere non curat, delectatur.

Vers. 15. *Omnes dies pauperis mali*, graues, iniucundi, molesti. Tamen *secura mens* eius, seu conscientia *quasi iuge conuiuium* facit omnes dies eius lætos, & iucundos: cum aduersa omnia non vt flagella, sed vt amoris documenta de manu Dei iucundissimè acceptet. * Certè conscientiæ securitas iuge est vel pauperis famescenti conuiuium, cunctos labores iucundos reddens.]

Conscientiæ securitas iuge cõuiuium pauperi famescenti.

Vers. 16. *Melius est parum cum timore Domini*, tum quia ad præsentem vitam quiete transigendam, vtilius est: tum quia ad æternam obtinendam magis expediens. Melius ideò parum, *quàm thesauri magni, & insatiabiles*. Hebr. pro *insatiabiles* posuêre, *Tumultus in eo.* * Porrò magni tumultus cupiditatum adest in eo, qui pecuniis, qui diuitiis exsatiari non potest; qui quidem tumultus timenti Deum haud vtiles ad iter vitale percurrendum. Vnde ipse Salomon cupiens *parum* ad victitandum, cauebar *diuitias, & mendicitatem ne dederis mihi. Sed victui tribue necessaria.*]

Vtilius est iusto ad quietem spiritus modico viuere, quam diuitiis abũdare.

Vers. 17. *Melius est vocari ad olera* ad vilis mensæ cibos *cum charitate* erga commensales: *quàm ad vitulum saginatum cum odio.* Insipidus enim est cibus, nec proficit, quando odio præcordia sauciantur. * Testor virum, cui vxor est inuisa (vel è contra) cum ea mensæ hærentem abundanti. Annon tantum haurit veneni, quantum ex cibo absumit.]

Ei, cui coniux inuisa est, cum eo comedẽs cibus insipidus, vel in lauto conuiuio.

Vers. 18. *Vir iracundus prouocat rixas*, quia iracundia vnius colloquentis cum eo excitat iracundiam, vnde rixæ procedunt. At *qui patiens est, mitigat* rixas ab alio iracundo *excitatas.*

Vers. 19. *Iter pigrorum quasi sepes spinarum.* Nam pigris omnia videntur difficultatum spinis obsepta, ac impedita: *Via autem iustorum absque offendiculo*, non solùm spinarum vulnera non timent, verum nec lapilli offendiculum casus se reperturos esse verentur.

Vers. 20. *Filius Sapiens lætificat patrem*, cui agnatum est queiscunque filij profectibus exultare. *Et stultus homo despicit matrem suam*, nec ita se gerere curat, vt illi afferat lætitiam ex Sapientia, quemadmodum filius ille Sapiens. * Profectò filius qui matrem è qua prodiit, & cuius dolore enixus fuit, se omnino insipientem ostentat.]

Insipientem se ostendit filius qui suã matrem despicit.

Vers. 21. *Stultitia gaudium stulto*, seu stultus gaudet rebus stultis, vulgariter explico, *Esta muy pagado de sus disparates. Et vir prudens dirigit gressus suos*, id est, nunquam suis confidit actionibus, semper eas suspectas habet, vnde diligenter curat, rectitudinem earum magis ac magis vestigare. * Prudentis est suas omnes actiones habere suspectas: stulto sua nulla actio non placet.]

Prudens suas actiones nũquam omnino approbat, omnes placent stulto.

Vers. 22. *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium*, seu malè cedunt & irritum cadunt intentata, aut cogitata negotia, nisi prudenti consilio regantur. Vbi autem sunt plures consiliarij, *confirmantur*, seu ad fælicem exitum perducuntur.

Vers. *Lætatur homo in sententia oris sui*, cum scilicet existimat se sapienter, & ad negotium, de quo agitur, dirigendum, appositè esse locutum. *Et sermo opportunus est optimus*, quia sufficit suum auctorem gaudio perfundere. * Sufficiens præmium iusti, ac vtilis suffragij est, hominem opportunè fuisse locutum.]

Sufficiens præmium recti suffragij est opportunè se fuisse locutum.

Vers. 24. *Semita vitæ super eruditum.* Hebr. *Sursum est intelligenti*, vel prudenti, id est, prudens animus ad superna contendit, seu in cœlum, vbi æterna est vita. *Vt declinet de inferno nouissimo.* Hebr. *Qui deorsum*, seu vt abstrahatur ab inferno, qui deorsum, aut infra omnia est, & ima pars mundi. * Certè eruditio est prædestinationis effectus; scientia enim oculi hominis aperiuntur, vt ea requirat bona, quæ æterna sunt, eaque caueat haud incurrere mala, quæ terminum non possunt obtinere.]

Scientia cõducit ad requirenda æterna bona, & interminabilia mala fugienda.

Vers. 25. *Domum superborum demolietur Dominus*, qui in pauperes & viduas iniurij sunt, ac violenti. *Et firmos faciet terminos viduæ*, terminos agri viduæ, quos superbus conuellere tentabat. * Qui tentat viduæ incommoda inferre, non solùm suum studium non assequitur, verùm excogitatum malum in proprium caput recidit, eius domum, seu diuitias Domino demoliente.]

Qui tentat viduam incõmode afficere, agit vt in proprium caput id recidat incommodum.

Vers. 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* LXX. *cogitatio iniusta*, quæ scilicet alij malum machinatur. *Et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo.* Purus sermo sincerus, fraude carens, quem Dominus pulcherrimum reputat, ab ipso firmatur, dum tribuit, vt felicem, stabilemque effectum sortiatur.

Vers. 27. *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam.* Multas domi suæ contentiones & rixas excitat. Vxor enim filij, & famuli, laborantes fame conqueruntur. *Qui autem odit munera, viuet.* Qui expers est auaritiæ, quiete potietur, & absolutè *viuet.* * Auari enim vita innumeris addicta perturbationibus, verè vita non est.] *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata.* Alij, *diuina legis obseruatione* admissa peccata expiantur. * Cur autem solius misericordiæ cum fide fit mentio, si integra legis obseruatio necessaria est cum fide ad cuncta crimina vitanda? Certè quia fidelis si misericors sit, si pauperes subsidiis cumulet, totam legem videtur obseruare. Vnde Dominus solius misericordiæ referens iustorum virtutes, recordatur, dum ait. *Venite benedicti, &c.* Esuriui enim & dedistis mihi manducare; innuens misericordes totius legis obseruatores extitisse.]

Vita auari innumeris addicta perturbationibus verè vita non est.

In vnica misericordia, seu in eleemosyna videtur totius legis obseruationẽ contineri.

tisse.] *Per timorem autem Domini declinat omnis à malo.* Timor enim iudiciorum Dei frænum est iustis, qui iustissimè ob vnicum lethale piaculum eum qui sanctissimè antè vixerat, æternis cruciatibus addicit.

Vers. 28. *Mens iusti meditatur obedientiam: Os impiorum redundat malis.* Iustus eum ab aliquo monetur, & cum aliquid ei præcipitur, obedientia meditatur vtilitatem, & ad iussa capessenda se præparat. Contra verò os impij malis redundat, quia monentibus, aut iubentibus obmurmurat, & resistit. * Preme verbum. *Meditatur obedientiam.* Existimo, omnem subditi in obediendo repugnantiam, vel tarditatem ortum habere, quia non meditatur, non mente recolit spiritualia, imò & temporaria obediendi commoda.]

Tarditas subditi ad obediendum oritur ex eo, quòd nô meditatur spirituales, ac têporarios obedientiæ fructus.

Vers. 29. *Longè est Dominus ab impijs,* seu ab iis, qui adhærent impietati, sic recedit, vt quodammodò eos exclusisse à sua prouidentia videatur. *Et orationes iustorum,* quibus Deus propè adest, protinus exaudit.

Vers. 30. *Lux oculorum lætificat animam,* vt patet cum post tenebras lux recurrit. *Fama bona impinguat ossa.* Haud aliter fama bona, quàm quis de se intelligit spargi magnam affert voluptatem. Liceat vulgari idiomate exprimere, *En gorda al hombre el verso famoso.*

Vers. 31. *Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio Sapientium commorabitur.* Qui libenter admittit correptionem salutarem, vitam afferentem, in medio Sapientum versatur, vt eos mouentes seu corripientes audiat, vel quia iam eum Sapientibus videtur esse computandus. * Sapientia enim magna est, delinquentem velle corrigi.]

Sapientia magna est, amare correptionem eâque procurare.

Vers. 32. *Qui abijcit disciplinam, despicit animam suam,* seipsum despicit eum non curet seipsum perficere, & probatis moribus ornare, quod per correptionem Sapientum, vel superioris assolet obtineri. *Qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* Cor habet, cordatus procul dubio, ac prudens est.

Vers. 33. *Timor Domini disciplina Sapientiæ,* seu Deum timere, est salutaris quædam castigatio, quam Sapientia sequitur. *Et gloriam præcedit humilitas.* Gloriam & decus, quod ex emendatis moribus nascitur, præcedit humilitas, qua monitiones, & correptiones libenter admittuntur. * Raro humilitas quamcumque veram gloriam, aut decus non præcedit.]

Raro non præcedit humilitas gloriam.

CAPVT XVI.

Varias vias ac diuinæ prouidentiæ affectus, cui omnia quantumuis fortuita videantur, subiecta sunt, Salomon enunciat.

1. HOMINIS est animam præparare: & Domini gubernare lin-
guam. 2. Omnes viæ hominis patent oculis eius: spirituum
ponderator est Dominus. 3. Reuela Domino opera tua, &
dirigentur cogitationes tuæ. 4. Vniuersa propter semetip-
sum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.
5. Abominatio Domini est omnis arrogans: etiamsi manus
ad manum fuerit, non est innocens. Initium viæ bonæ, fa-
cere iustitiam: accepta est autem apud Deum magis, quàm immolare hostias.
6. Misericordia & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinatur à
malo. 7. Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuer-
tet ad pacem. 8. Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniqui-
tate. 9. Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius.
10. Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius. 11. Pondus & statera
iudicia Domini sunt: & opera eius omnes lapides sacculi. 12. Abominabiles regi
qui agunt impiè: quoniam iustitia firmatur solium. 13. Voluntas regum labia iu-
sta: qui recta loquitur, diligetur. 14 Indignatio regis, nuncij mortis: & vir sa-
piens placabit eam. 15. In hilaritate vultus regis, vita: & clementia eius quasi im-
ber serotinus. 16. Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam,
quia pretiosior est argento. 17. Semita iustorum declinat mala: custos animæ suæ
seruat viam suam. 18. Contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur
spiritus. 19. Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis.
20. Eruditus in verbo reperiet bona: & qui sperat in Domino, beatus est. 21. Qui
sapiens est corde, appellabitur prudens: & qui dulcis eloquio, maiora percipiet.
22. Fons vitæ eruditio possidentis: doctrina stultorum, fatuitas. 23. Cor sapientis
erudiet os eius: & labiis eius addet gratiam. 24. Fauus mellis, composita verba: dul-
cedo animæ sanitas ossium. 25. Est via quæ videtur homini recta: & nouissima eius
ducunt ad mortem. 26. Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.

27. Vir impius fodit malum, & in labiis eius ignis ardescit. 28. Homo peruersus suscitat lites: & verbosus sperat principes. 29. Vir iniquus lactat amicum suum: & ducit eum per viam non bonam. 30. Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua perficit malum. 31. Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperietur. 32. Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. 33. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.

COMMENTARII.



VERS. 1. *Hominis est, animam præparare*, (Hebr. *Hominis sunt præparationes cordis*) & Domini gubernare linguam. (Hebr. *Et Domino est responsio linguæ*. Hominis est apud se posse cogitare, & frequenter disponere, quid sit locuturus, vel responsurus, at citra Dei auxilium, quod disposuit, non bene loquetur. Non quod disponere cor, aut præparare valeat aliquid sine Dei gratia ad loquendum; sed quod etiam hoc ipsum, quod cum Dei gratia loqui disposuit, eloqui aptè non possit sine noua & peculiari Dei gratia, quæ linguam gubernet, ac moderetur. * Vndè aptè, & necessariò Concionator sermonis initio gratiam specialem per Deiparæ petit intercessionem, vt quod cum Dei gratia loqui disposuit, id cum eadem peculiari vtiliter proferat.]

Sermonis initio postulāda est specialis gratia à Concionatore, vt vtiliter proloqui valeat.

Vers. 2. Omnes viæ hominis patent oculis eius. Hebr. *Omnes viæ viri mundæ in oculis suis.* Licet homines putent, omnes actiones suas puras esse, & labis expertes, frequenter tamen oculi Dei, qui interiora scrutantur, aliud iudicant. * Quare homo prudens nunquam debet sese suis in operibus complacere; quæ enim sibi puriora apparent, Dei oculis taxabilia frequenter exponuntur.] Alij illud, *In oculis eius*, ad Deum referunt, cuius oculis omnia patent. * Vndè actionem non exeras, quæ non possit Dei intuitui iusta præsentari.] *Spirituum* enim *ponderator est Dominus.* Ponderat enim iustè quonam affectu à quonam spiritu, seu intentione opera, exterius bona, procedant.

Prudens nūquam debet existimare sua opera omnimò pura esse.

Nihil operemur, quod non valeat intuenti Deo præsentari.

Vers. 3. Reuela Domino opera tua. Hebr. *Volue ad Dominum*, omnia enim in Dei laudem, & gloriam sunt referenda. *Et dirigentur cogitationes tuæ*, prosperum effectum sortientur. Psal. 36. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* * Cum enim quis intendit opera in Dei gloriam exercere, ad eum pertinet illa ad prosperum successum perducere: quasi ipsius Dei opera essent. Vnde aptè dixit Dauid, *Et ipse faciet.*]

Cum quis ad Dei gloriam opera dirigit, quasi facta à Deo prosperum successum habent.

Vers. 4. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, propter gloriam suam, & propter seipsum tanquam vltimum finem. *Impium quoque ad diem malum*: Impium etiam, qui impietatem non deserit, reseruat ad diem malum æternæ damnationis in gloriam suam. * Certè pœna peccatoribus inflicta in Dei gloriam cedit, eius ostendens iustitiam.]

Pœna impiis inflicta in Dei gloriam cedit.

Vers. 5. Abominatio Domini est omnis arrogans: etiamsi manus ad manum fuerit, non est innocens. Tam inuisus est Deo homo arrogans, & superbus, & licet *manus ad manum* sit nihil operans, (vulgò dixeris, *Aun quando se esta mano sobre mano*) Deo displicet, qui elatum cordis dignoscit affectum ex eo non *innocens*. * Vel arrogantis ingenium nihil operantis nihil ore proferentis abominabile quidem est.] *Initium viæ bonæ, facere iustitiam.* Græcè *summa*. Via bona penitus consistit in gerendo, quæ recta sunt. Nam facere iustitiam non tantum est initium bonæ viæ, sed etiam eius *summa* & consummatio. * Aptè etiam dixeris, Initium vitæ rectæ summam, aut consummationem illius esse. Nam qui bene cœpit, dimidium facti, imò totum factum videtur habere.] *Accepta est autem apud Deum magis, quàm immolare hostias.* Rectè viuere, acceptabilius est Domino, quàm victimas offerre.

Arrogantis ingeniū, vel nihil loquētis, aut operantis, abominabile est.

Benè incipere bonum opus, quodāmodò est benè id consummare.

Vers. 6. Misericordia, & veritate redimetur iniquitas. Peccator veritatis amator, aut in pauperes munificus Deum excitat, vt pœnitudinis ei dedat affectum, quo veniam criminum assequatur; & deinceps *in timore Domini à malo declinet*, seu recedat. * Haud dubium, quin ad recedendum à crimine, & virtutem sectandam eleemosyna conferat, & amor veritatis adiuuet.]

Eleemosyna & amor veritatis conferunt ad veniam peccatorum consequendam.

Vers. 7. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Cum homines ad Dei placitum vitam duxerint, Deus aget, vt eis sint pacati qui prius auersabantur. * Mihi credite, bella ex peccatis exortum habere. Vnde si diuturna Rex vult subditos frui, & exultare pace, curet iustus ipse, suos simul à piaculis abstinere.]

Ex peccatis bella, ex iustitia pax exoritur.

Vers. 8. Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate. Cecinit Dauid, *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas* Psal. 36. * Cùm enim non opes, sed Deus det hominibus satietatem, modico subsidio iustum abundare, impium verò affluentem opibus facit egere.]

Iustus modico subsidio abundat, impius affluēs diuitiis eget.

Vers. 9. Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est, dirigere gressus eius. Multi enim apud se statuunt, quod vitæ genus sectari velint, sed Deus ita res disponit, vt diuersus omninò sit exitus. Vulgariter dicimus, *El hombre propone, y Dios dispone.* * Qui vult gesta sua iuxta suum votum & studium disponi, id ad Dei referat beneplacitum. Vndè cum Deus disposuerit quod ei placitum erit, hominis propositio, studium, votum sortietur, ad optatum deueniet effectum.]

Qui studium aut propositum dirigit iuxta Dei beneplacitum, semper optatum assequetur effectum.

Vers. 10. Diuinatio in labiis Regis, in iudicio non errabit os eius. Nam Deus speciali cura adest Principibus, vt rectam pronuncient sententiam, & in rebus ambiguis, & obscuris quasi diuinent, nec aberrent. Vt iudicium Salomonis inter duas meretrices ostendit. * Nec ineptè dixerim, accipienda esse dicta, ac iussa Regum quasi diuina oracula, cum Dei teneant locum, illisque sine cunctatione parendum.]

Parendum Regis iussis, vti diuino oraculo.

Vers. 11. Pondus, & statera iudicia Domini sunt. Deus omnia facit cum summa iustitia, & æquitate, ac si cuncta opera sua ad subtilissimum aurificis bilancis vocaret examen. *Et opera eius omnes lapides sacculi.* Alludit ad vete-

rum

tum ritum, qui ad examinanda pondera vtebantur lapidibus, eosque in sacculo repositos apud se habebant. Ex Hebræo, *Pondus statera iusta est Domini, & opus eius omnes lapides sa. culi.* Quia vel vnicum Dei opus, omnes ad iusti pondera gerenda lapides æquitate vincit. Seu *opus eius lapides sacculi*, id est. * Deus instituit huiusmodi lapides, seu libras, ne iniquis ponderibus iustitia violetur.]

Deus instituit libras, ne in ponderibus iustitia violetur.

Vers. 12. Abominabiles Regi, qui agunt impiè: quoniã iustitia firmatur solium. Debent inmsi admodum esse Regibus Ministri iniusti, pendet etenim Regnorum stabilitas ex iustitiæ obseruatione. * O quot ex iustitiæ violatione Imperia corruerunt! Vnde Reges si student suum stabiliri Imperium, Ministros iniustos à regimine amoueant.]

Ex iustitiæ obseruatione Regnorum stabilitas.

Vers. 13. Voluntas Regum labia iusta. Volunt plerumque Reges, suos Ministros iustis ad proferendas sententias labiis vti: *& qui recta loquitur*, qui iustam profert sententiam, *diligetur* ab eis. * At non sufficit, Reges huiusmodi gerere voluntatem, necessarium est eos diligenter vestigare, an Ministri opere compleant piam illam eorum voluntatem circa iusta iudicia ferenda.]

Non sufficit Reges gerere voluntatem, vt Ministri iuste decernãt, debent illos vrgere, vt id omnino præstent.

Vers. 14. Indignatio Regis, nuncy mortis. Nam qui sibi Regem iratum aspectant, mortem megeruunt, quasi extremum iudicium sibi esset indictum. * Hoc ad spiritualia transferas oportet. Cum Deum ob commissum graue crimen tibi comperis esse iratum, æternæ mortis ad te nuncium aduenisse non dubites.] At *vir Sapiens placabit eam*, mortis irruentis iram placabit sapienter accurrens ad pœnitentiam, quã Dei indignatio mansuescit.

Peccare, idem est, ac mortis nuncium recipere.

Vers. 15. In hilaritate vultus Regis vita. Quemadmodum indignatio Regis mortem prænunciat, sic hilaritas vitam affert, & animum aspectantis bona spe complet. *Et clementia eius quasi imber serotinus*, diu expectatus, & ideo gratissimus.

Vers. 16. Posside Sapientiam, quia auro melior est, & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. Opes cunctæ haud possunt cum Sapientia ac prudentia comparati. * Vnde taxantur diuites, qui filios suos ab studio litterarum auertunt viles eis relicturi diuitias, eum facilè potuerint eos augustioris thesauri facere possessores.]

Taxabilis diues, qui filium ob studio litterarum auertit.

Vers. 17. Semita iustorum declinat mala, seu insti per viam rectam virtutis incedunt à vitiosum itinere fugientes. *Custos animæ suæ seruat viam suam.* Cui cordi est animam suam custodire, seruat viam suam attentè, suas actiones examinando, ne in aliquo delinquens, aberret. * Conscientiæ examen admodum vtile ad iustè in via ad superos procedendum.]

Conscientiæ examen valdè vtile ad iustè in via procedendum.

Vers. 18. Contritionem præcedit superbia, est causa ruinæ; *lante ruinam* enim seu contritionem huiusmodi *exaltatur spiritus*, seu animus inaniter effertur. * Quod de contritione vel ruina luxuriei quotidie experimento constat. Plerumque etenim superbiæ vanitas luxuriei confusione vindicatur.]

Assolet superbia luxuriæ flagello ri.

Vers. 19. Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. Felicior est homo pauper qui inter mites & humiles annumeratur: quàm ad superborum cœtum pertinere, cum eisque spolia diuidens haud iustè acquisita diuitiis abundare.

Vers. 20. Eruditus in verbo, seu in re, de qua agitur, in negotio, quod est præ manibus, *reperiet bona*, diuitiis opplebitur. At *qui sperat in Domino, beatus est.* Seu qui temporalium diuitiatum acquisitione non nititur, sed in Domino suam spem, ac fiduciam collocat, beatitudine vera potitur, siue Dei gratia, quæ quidem est omnium felicitatum epilogatio.

Vers. 21. Qui Sapiens est corde, appellabitur prudens. Qui Sapiens fuerit non solùm ore verba compta planè futilia proferens, sed corde veram scientiam adeptus: appellabitur prudens, & cordatus, & hoc nomine magni fiet. *Et qui dulcis eloquio maiora percipiet:* Sed multò pluris æstimabitur ille, qui præter veram Sapientiam nactus etiam eloquentiam fuerit. * Non dubium, quin ex eloquentia magnum decus & ornatum Sapientia recipiat.]

Ex eloquentia magnum decus, & ornatum Sapientia recipit.

Vers. 22. Fons vitæ, seu causa vitæ, id est, multorum bonorum est *eruditio possidentis* eam eruditionem. Græcè, *Possidentibus*: Eruditionem multitudo bonorum. *Doctrina stultorum fatuitas.* Quæcumque docent, aut dicunt stulti, mera est fatuitas. * *Doctrina stultorum.* Bellè quidem. Agnatum enim est insipienti velle docere; seque aptum ad magisterium reputare.]

Proprium est fatui, velle docere, seque aptum ad magisterium reputare.

Vers. 23. Cor Sapientis erudiet os eius. Ex interna enim Sapientia ac prudentia verba cordata procedunt. * Vnde sermo assolet esse prudentis viri vel imprudentis documentum. *Et labys eius addet gratiam.* Tota enim sermonis venustas ex sapienti corde promanat.

Sermo prudentis viri, aut imprudentiæ documentum.

Vers. 24. Fauus mellis composita verba: dulcedo animæ, sanitas ossium. Suauissima, ac gratissima sunt verba a Sapiente composita, animo dulcedinem infundunt, & corpori sanitatem; nam quæ animum recreant, etiam corpori prosunt.

Vers. 25. Est via, quæ videtur homini recta. Existimat homo aliquam viuendi rationem esse sibi salutarem, v. gr. huic vel illi muneri præfici: *& nouissima eius via ducunt ad mortem*, in perditionem deuiantem tandem adducit. * Vnde prudentis est officia non ambire, & ad ea haud sine superioris imperio promoueri.]

Prudentis est officia illustria non ambire, fortassè ducant ad perditionem.

Vers. 26. Anima laborantis laborat sibi, vt scilicet sibi paret, quæ ad vitam sunt necessaria, & opportuna. *Quia compulit eos os suum*, quia ad laborem ineundum homines compellit ciborum ad sedandam famem necessitas.

Vers. 27. Vir impius fodit malum, multo labore quærit, & quasi abditum in lucem profert. In Hebræo est, כרה *choreh*, id est, *Emit.* Vulgariter dixeris, *El peccar nole sale de valde.* * Miser equidem qui tanto laborum, ac tribulationum pretio comparat damnationem.] *Et in labijs eius ignis ardescit*, quia discordias, rixas, iurgia, ac seditiones suscitat, quibus, velot accenso igne, torquetur, vt iam vel hic incipiat æternum conflagraturus, ardere.

Peccator magno laborum pretio damnationem comparat.

Vers. 28. Homo peruersus suscitat lites. Alij *susurro*, excitat discordias inter fratres: *& verbosus separat Principes.* Hebr. *Susurro* animis disiungit etiam viros Principes, vnde bella procedunt. * *Peruersus* igitur *homo* idem est, quod *susurro.* Nam qui seminat inter fratres discor-

Susurro homo peruersus.

dias non poterat mitiori malitiæ epitheto designari.]

Verſ. 29. Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam. Lactat, inquam, allicit, & in fraudem trahit. * Eſt quidem egregiæ iniquitatis documentum amicum lactare, & ſeducere, præcipuè ſi eum ad patranda crimina deducas.]

Magnæ iniquitatis documẽtũ eſt, amicum ſeducere.

Verſ. 30. Qui attonitis oculis, ſeu animo totus in malitiam defixus *cogitat praua: mordens labia ſua, perficiet malum*, inſtar vehementer irati, in prauum opus, quod concepit aoimo, erumpet. * Vt conſtet, impium quærentem in crimine voluptatem, potios torturam inuenire.]

Impius in peccatis torturam inuenit.

Verſ. 31. Corona dignitatis ſenectus, quæ in vijs iuſtitiæ reperietur. Hebr. *Diadema gloriæ canities*, non quæcumque, ſed quæ per vias iuſtitiæ, & ſanctitatis incedens reperitur. * In ſene ſanctitate prædito tanta eſt pulchritudo, vt valeat cum gloriæ diademate comparari.]

In ſene iuſto tãta eſt pulchritudo, vt valeat quodammodò cũ gloriæ diademate cõparari.

Verſ. 32. Melior eſt patiens viro forti. Magis eminet fortitudo in patiendo, & tolerando aduerſa, quàm in arduis fortiter aggrediendis. *Et qui dominatur animo ſuo, expugnatore Vrbium.* Aptè cecinit ille,

Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Mœnia.

Verſ. 33. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. In humanis nihil ſine nutu, & diſpenſatione diuina, vt ne ſortes quidem, quæ cæcæ fortunæ ab hominibus tribui aſſolent, & ſine ratione cadere, diuinæ moderationis ſint exortes.

CAPVT XVII.

Prudentiæ & ſtultitiæ, pietatis & impietatis varias conditiones, contrarios effectus Sapiens annotat.



1\. MELIOR eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena
victimis cum iurgio. 2. Seruus ſapiens dominabitur
filiis ſtultis, & inter fratres hæreditatem diuidet. 3. Sicut
igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat
Dominus. 4. Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax
obtemperat labiis mendacibus. 5. Qui deſpicit pauperem,
exprobrat factori eius: & qui ruina lætatur alterius,
non erit impunitus. 6. Corona ſenum filij filiorum: & gloria filiorum patres eorum.
7. Non decent ſtultum verba compoſita; nec principem labium mentiens.
8. Gemma gratiſſima, exſpectatio præſtolantis: quocumque ſe vertit, prudenter
intelligit. 9. Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero ſermone repetit, ſeparat
fœderatos. 10. Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ
apud ſtultum. 11. Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur
contra eum. 12. Expedit magis vrſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo
confidenti in ſtultitia ſua. 13. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de
domo eius. 14. Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum: & antequam patiatur
contumeliam, iudicium deſerit. 15. Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum,
abominabilis eſt vterque apud Deum. 16. Quid prodeſt ſtulto habere diuitias,
cùm ſapientiam emere non poſſit? Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam:
& qui euitat diſcere, incidet in mala. 17. Omni tempore diligit qui amicus
eſt: & frater in anguſtiis comprobatur. 18. Stultus homo plaudet manibus, cùm
ſpoponderit pro amico ſuo. 19. Qui meditatur diſcordias, diligit rixas: & qui
exaltat oſtium, quærit ruinam. 20. Qui peruerſi cordis eſt, non inueniet bonum:
& qui vertit linguam, incidet in malum. 21. Natus eſt ſtultus in ignominiam ſuam:
ſed nec pater in fatuo lætabitur. 22. Animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus
triſtis exiccat oſſa. 23. Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas
iudicij. 24. In facie prudentis lucet ſapientia: oculi ſtultorum in finibus terræ.
25. Ira patris, filius ſtultus: & dolor matris quæ genuit eum. 26. Non eſt bonum,
damnum inferre iuſto: nec percutere principem, qui recta iudicat. 27. Qui moderatur
ſermones ſuos, doctus & prudens eſt: & pretioſi ſpiritus vir eruditus. 28.
Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur: & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.

COMMEN

COMMENTARII.

ERS. 1. *Melior*, ac ſuauior *eſt buccella* panis *ſicca cum gaudio* cordis, *quàm domus plena victimis*, ſeu copioſis cibis, qui è victimis mactatis in domos recipiuntur, cum familiarium iorgio. * Vt agricolarum tenuem menſam commeodes, vbi inopia ciborum, ſed copia pacis.]

Agricolarum in menſa, penuria ciborum, ſed pacis abundantia.

Verſ. 2. Seruus Sapiens dominabitur filiis ſtultis domini ſui bonorum hæredibus, *& inter fratres hæreditatem diuidet* tanquam moderator à patre relictus. Talis Ioſeph in Put.fatis domo, & poſtmodum in Pharaonis regia, omnia moderabatur. Seruus fidelis ioter filios dilectos eſt computandus. Vnde aliter locum expendo: Seruus Sapiens cum filiis patrisfamilias hæreditatem diuidet relictam ſibi, vti filius, ob benemerita portionem accipiendo. Ideò dicitur. *Inter fratres*, ſuos videlicet, *diuidet hæreditatem.* Iam enim ob fidelitatem, & prudentiam gubernationis dignus factus eſt vti filius æſtimari.]

Seruus fidelis inter filios eſt annumerandus.

Verſ. 3. Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: *ita* per tribulatioonum ignem iuſtorum *corda probat Dominus*. Sic Iobum, Tobiam, Ioſephum, & alios Diuos multis permiſit laboribus afflictari. * Dum colens iuſtitiam ægritudinibus afficeris, ſeu aliis ctemaris ærumnis, te argentum & aurum exiſtima probationis camino addictum, patienterque ſuſtine, ne minus habe os comperiare.]

Patienter iuſtus labores ſuſtineat, vt argẽtum, & aurum eſſe in igne appareat.

Verſ. 4. Malus obedit linguæ iniquæ: & fallax obtemperat labiis mendacibus. Hebr. *Audit* linquam iniquam, *audit* labia mendacia: ſeu vnuſquiſque iis capitur rebus, iis actionibus delectatur, quæ eius conueniunt ingenio. * Vnde mali malis, mendaces mendacibus facilè congregantur.]

Improbi improbis facillimè congregantur.

Verſ. 5. Qui deſpicit pauperem, exprobat factori eius, qui illum inopia premi diſpoſuit. *Et qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Incidet enim in ruinam, quæ aliis dabit lætitiæ occaſionem. * Nam per qoæ quis peccat, per eadem plerumque torquetur.

Per quæ quis peccat, per eadem torquetur.

Verſ. 6. Corona ſenum filij filiorum. Gloria, decus, ornamentum ſenum ſunt nepotes, per quos ſecuriores de poſteritate fiunt: & per quos ipſi etiam poſt obitum quodammodo ſunt ſuperſtites. *Et gloria filiorum patres eorum.* Eorum namque nobilitas, ac virtus filios exornat. * Curent parentes iuſtè viuere, vt habeant filij, vndè poſtmodum poſſint gloriari.]

Parentes iuſtè viuentes gloria ſunt æternùm filiorum.

Verſ. 7. Non decent ſtultum verba compoſita. Hebraicè, *Non decorum ſtulte labium dignitatis.* Dedecet. imperitum de rebus grauibus, quæ captum, & ſtatom illius ſuperant, diſputare. * Vnde Principes inuigilent, ne ad munera, & officia regiminis imperiti eligantur.] *Nec Principem labium mendax.* Plurimum dedecet Regem mentiri; & quæ promittit, non implere. * Nam cum quæ promiſit, non implet, arguitur, tunc, cum promiſit, fuiſſe mentitum.]

Ad officia regiminis dedecet eligi imperitos.

Dedecet Regem nõ implere promiſſa.

Verſ. 8. Gemma gratiſſima, expectatio præſtolantis. Rex iucundiſſima eſt ei, qui diu aliqoid expectauit, & optauit, cum illud conſeqoitur. *Quocumque ſe vertit, prudenter intelligit.* Quocumque ſe vertit is, qui aliqoid expectat, & conſequi optat, prudeoter agit, cautè, ac circumſpectè, ne fortè concepta ſpe decidat. * O quanta citcumſpectione opus eſt tibi cœlorum Regnum expectanti, vti ne tot difficultatibus circumſeptus à ſupremæ felicitatia ſpe cadas!]

Magna circumſpectiõ neceſſaria eſt tibi, ne à ſupremæ felicitatis æternæ ſpe excidas.

Verſ. 9. Qui celat delictum, quærit amicitias. Qui amici delictum operire curat, quærit aotiquam amicitiam conſeruare: qui extranei celat piaculum, expetit nouum amicum inire. * Nihil enim magis amicitiæ agnatum, quàm amici operire defectus.] *Qui altero ſermone repetit, ſeparat fœderatos.* Qui altero, ſeu diuerſo ſermone quæ dicta ſunt, aperit, ſeu repetit, addens aliquid, aut detrahens, amicum ab amico deducit. * O quot amicorum fœdera diſſoluuntur, ex vno, vel altero verbo addito, aut detracto ſuſurroni!]

Nihil magis amicitiæ agnatum quàm amici operire defectus.

Multæ amicitiæ diſſolũtur, ex vno verbo addito, vel detracto ſuſurronis.

Verſ. 10. Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum. Delinquenti cordato magis proficit ad emendationem corripientis vnicom monitum, quàm inſipienti flagellatio centies iterata.

Verſ. 11. Semper iurgia quærit malus. Qui maligno eſt animo, nunquam noo iorgiis, rixis, ac contentionibus delectatur. *Angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Variis affligetur malis in ipſum incurrentibus, quorum mali Angeli ſolent eſſe conciliatores. Pſal. 77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, immiſſiones per Angelos malos.*

Verſ. 12. Expedit magis vrſæ occurrere, raptis fœtibus, tunc enim maximè ſæuit; *quàm fatuo confidenti in ſtultitia ſua.* Nam qui ſunt eiuſmodi ingenij monitiooibus non cedunt, nec vlla vi domari poſſunt, cum teſte Iacobo Epiſt. cap. 3. *Omnis natura beſtiarum: domita ſint à natura humana.* * Igitur fatuus ſuæ ſtultitiæ addictus feris durior eſt animantibus.]

Fatuus ſuæ ſtultitiæ addictus feris durior eſt animantibus.

Verſ. 13. Qui reddit mala pro bonis, vti faciunt, qui ingrato animo laborant: *non recedet malum de domo eius.* In ipſum enim, & in eius familiam permittet Deus infortunia incurrere. Ita frequenter accidit, vel certè vt accidat ingrati merentur. * Fuge ingrati domum ioire, omnium planè malorum, ſeu tribulationum receptaculum.]

Fuge ingrati domum, tribulationum plerumque receptaculum.

Verſ. 14. Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum. Qui caput, ſeu initium dat iurgiis, & litibus, eſt ſicut qui dimittit aquam (ſic Hebr.) id eſt, ſicut qui rumpit aggerem, cui magna vis aquæ incumbit. Vt enim is, rupto ſemel aggere, non poteſt amplius cohibere aquas, quominus ingentia damna creent: Sic qui ſemel occaſionem iorgiorum dedit. *Et antequam patiatur contumeliam, iudicium deſerit.* Dictio Hebraica ריב *rib litem* ſignificat. Quoniam igitur auctor litis & caput iurgij ſimilis eſt laxanti aqnam, quæ ſi ſemel irrumpere permittatur, poſtmodum noo poteſt incommodum euitari: ideò ſi rectè, ac conſultè vult agere, priuſquam in grauem aliquam incidat ignominiam, deſerit cœptam coram Iudice cauſam. Hebr. *Antequam miſceatur lis, dimitte.* * O quot vitaſſes incommoda, ſi litem antequam cœpta eſſet, dimiſiſſes!]

Multa vitat incommoda qui litẽ antequam incipiatur, dimittit.

Verſ. 15. Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum. Qui impium eſſe iuſtum pronunciat, & ioſtum impium

impium esse asserit, meritò inuisus est Domino. Nam huiusmodi testimonio falso quidem honoraturi impietas, & virtus def œdatur.

Vers. 16. *Quid prodest stulto, habere diuitias, cum Sapientiam*, quæ et admodum necessaria est, *emere eis non possit? Qui altam facit domum suam, quærit ruinam*; faciliùs enim alta exædificatio corruit, quàm humilis. *Et qui euitat discere, incidet in mala.* Mediocritas in parandis doctrinis suadetur. Nec enim sublimia, & quæ supra nos sunt, scrutati debemus, ne ruamus, dum nimis attollimur: nec rursus eos debemus imitari, qui auersantes doctrinam, propter imperitiam suam multis patent incommodis. * In rebus cunctis est nimietas noxia: medium tenuere Beati.]

In rebus cūctis noxia est nimietas.

Vers. 17. *Omni tempore* tam prospero quàm aduerso *diligit*, seu diligentis opera præstat, *qui verè amicus est. Et frater in angustiis comprobatur.* Cum egestate, aut incommodo huiusmodi amicus premitur, qui vere est amicus ei diligenter gestit subuenire. Haud sic fictus amicus, de quo *Eccles* 6. *Est amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* * Annota, in secundo emistichio *fratrem*, vocitari, qui in primo *amicus* appellatus fuerat amicum debere esse nobis in fratrem: & fratrem in amicum Quanto affectu fratri egenti succurrimus, tanto debemus amici subuenire egestati: & quanta diligentia verè amici amicum actum ærumna subleuare satagimus, tanta tenemur fratri afflicto solatium adhibere.]

Amicus sit tibi, quasi frater: & frater tibi quasi verus amicus æstimetur, vt afflicto vtrique affectuosè subuenias.

Vers. 18. *Stultus homo plaudet manibus*, gaudet sibi placet, *cùm spoponderit pro amico suo*, non aduertens ex imperitia plerumque ex fideiussione innumera incommoda prouenire spondentibus. * An eum qui pro alio fideiussit, diuitem vnquam aspectasti?]

Qui fide iubet, rarò diues permanet.

Vers. 19. *Qui meditatur discordias, diligit rixas.* Qui eo est ingenio, vt ab aliis dissentiat, & ab eorum sententiis se abducat, rixas amat quæ ex huiusmodi agendi ratione facilè exorinntur. *Et qui exaltat ostium*, Qui altam facit domum, seu superbè de se sentit, & de sua doctrina, ac prudentia extollitur, ob quæ procliuis fit ad contradicendum aliis, & rixandum: *ruinam quærit*, quia sibi incommodum, exitiumve parat, & accrescit.

Vers. 20. *Qui peruersi cordis est*, vel maligno corde, *non inueniet bonum*, imò incidet in malum. *Et qui vertit* linguam seu peruertit, iniqua loquendo, etiam incidet in malum, imò vel hîc mala cuncta subibit. * Est enim omnium malorum præsentium veluti summa, vulgò *Tantomonta* malam, seu dissolutam linguam habere.]

Quasi summa malorū est hîc, linguam malā habere.

Vers. 21. *Natus est stultus in ignominiam suam.* Nam quæ agit, & loquitur eum dehonestant. Nihil profectò stultus potest agere, aut loqui, quod non sapiat stultitiam ab videntibus, & audientibus irridendam. *Sed nec pater in fatuo lætabitur*, potius dolebit talem sibi filium contigisse. * *Nec pater*, bellè quidem: mater enim vel de filio lætari assolet insipienti ex vberiori, ac teneriori matris affectu.]

Mater filium quantumuis stultum habet in delicijs.

Vers. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit*, mœror enim, & curæ intempestiuos canos inducunt. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* animus mœrens vel floridum adolescentem in primo vere ad æstatem adducit.

Vers. 23. *Munera de sinu impius accipit.* de sinu inquam litigantis secreto offerentis *vt peruertat semitas iustitiæ*, ad iustitiam scilicet corrumpendam.

Vers. 24. *In facie prudentis lucet sapientia* Prudens enim à fronte, ab oculis perturbationum excutit notas totam faciem modeste componens quod quidem magna est Sapientia. * Leuis animi est, occultæ perturbationis indicia in facie ab aspicientibus annotanda exponere.] *Oculi stultorum in finibus terræ.* Contrà verò vagi sunt stultorum oculi, quos perpetuò hîc illucque circumferunt, aperientes cordis leuitatem.

Imprudentis est doloris interni in facie indicia exponere.

Vers. 25. *Ira patris filius stultus.* Dolent enim parentes, & irascuntur, cum filios aut disciplinæ incapaces animaduertunt, aut adeo corruptis moribus, vt ad bonam frugem eos nequeant reuocare. *Et dolor matris, quæ genuit eum.* Non est ira matris, sed dolor. * Raro enim mater scit aduersus filium quantumuis discolum iram concipere, concipit quidem dolorem, quia eum concepit, & peperit.]

Pater irascitur ex filio stulto, mater nescit irasci, sed dolet.

Vers. 26. *Non est bonum, malum inferre iusto, nec percutere Principem, qui recta iudicat.* Quemadmodum iniquè ageret, qui iusto auderet damnum inferre: sic se iniquum ostenderet qui Principem, qui recta iudicat, lingua impetere, ac lacerare. LXX. *Neque fas insidiari Principibus iustis.*

Vers. 27. *Qui moderatur sermones suos, doctus, & prudens est.* Quia sermones moderari res est adeò difficilis, vt non solùm requiratur ad id scientia, sed & prudentia sit necessaria. *Et pretiosi spiritus vir eruditus.* Ille est pretiosi spiritus eruditus vir, qui parcè loquitur, spiritum, seu verba sua copiosè non depromens, vti fit in rebus pretiosis: qui quæ tacenda sunt, aut secreta habenda, temerè non effutit.

Vers. 28. *Stultus quoque, si tacuerit, sapiens reputabitur.* Eius enim stultitia non apparebit, quæ sermone potissimum proditur. *Et si compresserit labia sua, intelligens* habebitur. * Ipsum enim silentium ostendit adesse prudentiam linguæ moderatricem, imprudentia namque & inscitia nescit tacere.]

Stultus tacere nescit.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Non debere nos leuiter à semel stabilita amicitia, charitate, iustitia, aliisque virtutibus deflectere, Salomon suadet.

1. OCcasiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. 2. Non recipit stultus verba prudentiæ: nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius. 3. Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium. 4. Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons sapientiæ. 5. Accipere personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij. 6. Labia stulti miscent se rixis: & os eius iurgia prouocat. 7. Os stulti contritio eius: & labia ipsius, ruina animæ eius. 8. Verba bilinguis, quasi simplicia: & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris. Pigrum deiicit timor: animæ autem effeminatorum esurient. 9. Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. 10. Turris fortissima, nomen Domini: ad ipsum currit Iustus, & exaltabitur. 11. Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circundans eum. 12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. 13. Qui prius respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. 14. Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam: spiritum verò ad irascendum facilem quis poterit sustinere? 15. Cor prudens possidebit scientiam: & auris sapientium quærit doctrinam. 16. Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit. 17. Iustus, prior est accusator sui: venit amicus eius, & inuestigabit eum. 18. Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat. 19. Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & iudicia quasi vectes vrbium. 20. De fructu oris viri replebitur venter eius: & genimina labiorum ipsius saturabunt eum. 21. Mors, & vita in manu linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus eius. 22. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum: & hauriet iucunditatem à Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & impius. 23. Cum obsecrationibus loquetur pauper: & diues effabitur rigidè. 24. Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quàm frater.

COMMENTARII.



ERS. 1. *Occasiones affectatè quærit, qui vult recedere ab amico*, seu amicitiam iam olim contractam soluere. Vir huiusmodi *omni tempore erit exprobrabilis*, cuncti enim damnabunt modum illius agendi, quo amicum deserere studuit. * Est certè indecorum facilè ab amico discedere, etiam cum recessus causa viget: quid cum abscessionis causæ requiruntur!]

Exprobrabilis vir, qui affectatè quærit causas recedendi ab amicitia.

Vers. 2. *Non recipit stultus verba prudentiæ*, seu prudentis, qui eius stultas curat corripere actiones. Nisi ea *dixeris, quæ versantur in corde eius*, seu quæ cum eius stulto ingenio concinunt.

Vers. 3. *Impius cum in profundum venerit peccatorum*, seu cum multis grauibus criminibus se implicauerit, *contemnit*, & fræna delinquendi licentiæ relaxat. * Nam si vnum crimen ad aliud patrandum disponit, quid peccatorum efficiet multitudo.] Hunc equidem *sequitur ignominia, & opprobrium.* * Nihil enim magis homini ignominiosum quàm habitu sine fræno delinquere.]

Vnum peccatum est ad alterũ dispositio.

Ignominia hominis est, sine fræno delinquere.

Vers. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri.* Aqua, quæ nunquam exhauritur, est Sapientis viri doctrina. Vel in viri Sapientis dictis mysteria latent: *& torrens redundans fons Sapientiæ.* Ac si diceret, Profundas, & graues sententias vir prudens è pectore eructat quasi copiosa scatutigine, & fonte inexausto, vnde & torrens, & fluuius emanat. * Aquæ profundi putei latent, torrentis omnibus exponuntur. Scientia illa commendatur, quæ non latet in puteo profunda, sed quæ in morem fluminis omnibus bibenda exponitur.] Quid prodest, virũ esse Sapientiæ puteum? (*que sea vn pozo de sciencia.* si sibi aquas retineat absconditas, nec aliis salubriter epotandas manifestet?

Qui puteus est Sapientiæ, non sibi soli retineat aquas, sed aliis epotandas exponat. Sit puteus & flumen.

Vers. 5. *Accipere personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij.* Dicitur tunc accipi à Iudice alicuius persona, cum inferenda sententia non tam causæ, quàm personæ ratio habetur, verbi gratia, quia diues, quia propinquus,

Cuiuslibet quus,&c. * Si ergo bonum non est, sed maxime illum, diuitis, aut propinqui personam accipere, quia diues est, vel propinquus, pessimum procul dubio erit personam impij accipere, quia impius est.]

Cuiuslibet personā accipere iudicem, malum est, accipere impij personam, pessimum.

Vers.6. Labia stulti miscent se rixis. quia stultus omni inurbitate carens facile verba, quæ iniuriam subolent, profert, queis ad iram prouocant colloquentes. Vnde *os eius iurgia prouocat.*

Vers.7. Os stulti contritio eius, ruinam stulto eius præparant verba; quia sæpè qui audiens sibi probra proferri, in illum iratus insurgit, & vulnere afficit. Et prætereà *labia ipsius ruina est animæ eius*, dum probra effutiens proximo, graui crimine defædatur.

Vers.8. Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris. Nam susurrones,& bilingues sic verba sua concinnant, vt sincerè,& absque dolo agere videantur, vt facilius decipiant: animum autem sauciant, ac pectus fodiunt, doloreque vulnerant. *Pigrum deiicit timor*, laboris subeundi ex agri cultu, vel ex officij vel artis exercitamento: vndè huiusmodi *effeminatorum*, qui animo virili non sunt, *animæ esurient*, seu fame & egestate discruciabuntur. * Nam qui non laborat, non manducat.]

Qui non laborat, esuriat.

Vers.9. Qui mollis,& dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Pro *frater est*, alij scripsêre *similis est*. Qui ergo pigritia laborat, otio torpet dum oportebat in cultura agri (verbi gratia) operam exhibere: similis planè est illi, qui agrum illum fructibus plenum dissiparet ac perderet. Æquale enim incommodum sustinet ex laboris incuria,ac agri pleni iam dissipatione sustineret.

Vers.10. Turris fortissima nomen Domini, seu ipse Dominus cum omni sua potentia Sapientia, aliisque attributis, quæ gloriosè nominamus,celebramus,& inuocamus est nobis inuocantis fortissima turris. *Ad ipsum currit iustus, & exaltabitur*, celso ac tuto loco in hac turri constitutus. * At si ad dulcissimum Iesu nomen locum transferre libeat: ipsum in periculis inuocate, idem tibi erit, ac in munitissima turri,seu arce constitui.]

Iesu nomen est inuocanti turris munitissima.

Vers.11. Substantia diuitis Vrbs roboris eius; nam in diuitiis tanquam in arce diuites confidunt, dum iusti spem in Dei nomine locant. *Et quasi murus validus circumdans eum.* * O stulte, num opes poterunt te ab irruente ægritudine exitiali liberare? Annon hi muri te circundantes irruente morte aranea filamino existent?

Quàm fragilis diuiti opum protectio.

Vers.12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis. Nam contritionem & exitium humiliationis superbia præcedit. *Et antequam glorificetur, humiliatur.* Qui enim se humiliat, exaltabitur. * Proxima itaque ad humiliationem dispositio est superbia,& ad exaltationem humiliatio.}

Proxima ad humiliationem dispositio superbia, ad exaltationem humiliatio.

Vers.13. Qui prius respondet quàm audiat eum, qui vult interrogare, *stultum se esse demonstrat*, nequit enim ad propositum nondum propositum respondere. Vnde *confusione dignum* se exerit, ab audientibus irridendus.

Vers.14. Spiritus viri seu animi alacritas *sustentat imbecillitatem suam*, seu corporis subleuat ægritudinem, vel debilitatem. Senes vidi adolescentes ex spiritus vi fortitudine superantes. *Spiritum verò ad irascendum facilem, quis poterit sustinere.* Oportet quidem virum esse alacrem animo, & non deiectum: non tamen iracundum; nam ad iram procliuem nemo ferre potest. * Certè biliosum hominis ingenium aptius est ad agendum, quàm tardum, ac pigrum: dummodo comprimatur sic à prudenti, & tolerante, vt non facilè immoderata prorumpat in verba, in iram prosiliat.]

Biliosum ingenium aptius ad operandū, quàm tardū, dummodò non facilè prorumpat in iram.

Vers.15. Cor prudentis possidebit scientiam, quia diligenter illam vti hereditatem prædiuitem procurabit acquirere. * Mihi credite nec ingenium prudens, & acutum scientiam possidet, nisi studio diligenter incumbat] *Et auris Sapientium quærit doctrinam.* Vel ipsi Sapientes qui sunt iam scientiæ possessores, adhuc studio insistunt, vt vberiorem scientiam adipiscantur.

Nec ingenium perspicax scientiā acquirit, nisi studio diligenter incūbat.

Vers.16. Donum hominis dilatat viam eius. Munera facilem ei viam, & aditum aperiunt, *& ante Principes spatium ei faciunt.* Volgari idiomate explicare liceat. *Dadle cabida aun con los Principes.* Omnes quidem muneribus delectantur acceptis. * Qui experit sibi ad Principes, ad Magistratus aditum reserari det.] * Quod ad spiritum referre si velis, eleemosynam ad Deum viam reserare planam, aditum aperire non dubites]

Ad Principes aditum munera aperiunt. Eleemosyna ad Deum aditum aperit.

Vers.17. Iustus prior est accusator sui, seipsum prius reprehendit, & emendat. Dein *cum venit amicus* (Hebr. proximus) *eius, inuestigabit eum*, seu in eius mores inquiret, vt & ipsum, si emendatus non sit, salutarem reducat in viam. * Veræ amicitiæ est amicum corripere delinquentem] * Porrò qui iustus est, tarò alterius correptione, si enim alicuius sit conscius defectus, iustitia eum cogit, vt acri stimulo cruciectur, donec eum pœnitudine abluat.]

Veræ est amicitiæ, amicum delinquentem corripere. Iustus seipsum piaculi conscius reprehendit, & emendat.

Vers.18. Contradictiones comprimit sors Discordias assolent sedare sortes, quibus lites etiam inter potentes aliquando dirimuntur. *Et inter potentes quoque diiudicat.*, seu Iudicis sors gerit officium, sententiam proferens, litemque dirimens.

Vers.19. Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi Ciuitas firma, muris vtique circumsepta hosti præcludens aditum. *Et iudicia quasi vectes Vrbium.* Quemadmodum autem concordiâ firmæ sunt priuatorum domus, sine amicus qui ab amico adiuuatur: sic iustitia & æquitate asseruata, secura est ciuitas melius, quàm seris ac vectibus communita. * Quàm verum! Cùm videtis vrbes corruere, haud errabis, si iustitiæ munimenta esse labefactata iudicaueris.]

Ex iniustitia corruunt Vrbes.

Vers.20. De fructu oris viri replebitur venter eius: & geminina labiorum ipsius saturabunt eum. Vnicuique bene, aut malè futurum prout bene vel male loquitur. Vberem ideo, fructum, aut mercedem recipiet, qui prudenter loquetur,& qui sermone suo aliis proderit. * Vt concionatores edoceantur, eis præmium, vel supplicium ex proficuo eorum, aut ex inutili,& ideò noxio, sermone præparari.]

Concionator recipit præmiū, vel supplicium ex vtili eius vel inutili sermone.

Vers.21. Mors & vita in manu linguæ, Vndè *qui diligunt eam, comedent fructus eius.* LXX. *Qui autem continent eam.* Qui,vt par est,diligunt linguam, & proinde custodiunt eam, & illi dominantur, eius fructibus satiabuntur. * Lingua

Ex bono, vel malo vsu linguæ pendet falus, vel satietas æterna.

guà Diuitis epulonis æterna siti torquetur, quia pauperi dira fuit imprecatio, quia detractionis verba protulit? Qui ergo lingua ad pietatis verba proferenda vsus fuerit æterna satietate donabitur.] * Preme illud: *Qui diligunt eam.* LXX. *Qui continent eam.* Illos verè diligimus, quos continere, aut reprimere, ne delinquant, procuramus.]

Illum verè diligis, quē procuras cōtinere, ne in scelera excidat.

Vers. 22. Qui inuenit mulierem bonam, inueniet bonum, cunctis bonis absolutè oppletur, *& hauriet iucunditatem à Domino.* Hoc enim beneficium, quod Dei proprium est, illi iucunditatem, & in cura rerum domesticarum adferet leuamenta. * *Iucunditatem a Domino* gloriam haud ineptè vocitarim. Et quidem probæ colligari vxori, cœleste quodammodo gaudium, & iucunditas est.] *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum* Dei beneficio acceptum. E contra *qui tenet*, seu retinet *adulteram, stultus est.* * Nam sibi dedecus & ignominiam conciliat: & fortunarum damnum, si adulterinam prolem pro legitima alat: *& impius*, quia peccatum adulteræ fouet.]

Quasi cœlestis exultatio est viro, probam vxorem inuenire.

Qui retinet vxorē adulteram, stultus est, & impius.

Vers. 23. Cum obsecrationibus loquetur pauper. Nam paupertas humilitatem edocet: *& diues effabitur rigidè*, seu superbè, & arroganter. Quia diuitiæ animum erigunt. * Vnde pauper superbus omnibus est inuisus, si vel diues superbus omnium conciliat odium.]

Pauper superbus omnibus est inuisus.

Vers. 24. Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quàm frater. Qui humanus, benignus, & suauis est, & in necessitatibus amico offert opem magis quàm propinquus, aut etiam frater, à sociis diligitur. * Mihi credite, verum amicum cunctis propinquis esse præponendum. Deserant fratres fratrem egentem, ei succurret amicus.]

Verus amicus cunctis propinquis est præponendus.

CAPVT XIX.

Simplicitatis, & rectitudinis: mansuetudinis & patientiæ: misericordiæ & correptionis Salomon laudes persequitur.

1. MELIOR est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quàm
diues torquens labia sua, & insipiens. 2. Vbi non est scien-
tia animæ, non est bonum: & qui festinus est pedibus, of-
fendet. 3. Stultitia hominis supplantat gressus eius: &
contra Deum feruet animo suo. 4. Diuitiæ addunt amicos
plurimos: à paupere autem & hi, quos habuit, separantur.
5. Testis falsus non erit impunitus: & qui mendacia loqui-
tur, non effugiet. 5. Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuen-
tis. 7. Fratres hominis, pauperis oderunt eum: insuper & amici procul recesse-
runt ab eo. Qui tantùm verba sectatur, nihil habebit: 8. qui autem possessor est
mentis, diligit animam suam, & custos prudentiæ inueniet bona. 9. Falsus testis
non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, peribit. 10. Non decent stultum
deliciæ, nec seruum dominari principibus. 11. Doctrina viri per patientiam no-
scitur: & gloria eius est iniqua prætergredi. 12. Sicut fremitus leonis, ita & regis
ira: & sicut ros super herbam, ita & hilaritas eius. 13. Dolor patris, filius stultus:
& tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier. 14. Domus, & diuitiæ dantur à pa-
rentibus: à Domino autem propriè vxor prudens. 15. Pigredo immittit soporem,
& anima dissoluta esuriet. 16. Qui custodit mandatum, custodit animam suam:
qui autem negligit viam suam, mortificabitur. 17. Fœneratur Domino qui mise-
retur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei. 18. Erudi filium tuum, ne de-
speres: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam. 19. Qui impatiens
est, sustinebit damnum: & cùm rapuerit, aliud apponet. 20. Audi consilium, &
suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis. 21. Multæ cogitationes in cor-
de viri: voluntas autem Domini permanebit. 22. Homo indigens misericors est:
& melior est pauper, quàm vir mendax. 23. Timor Domini ad vitam: & in ple-
nitudine commorabitur, absque visitatione pessima. 24. Abscondit piger manum
suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. 25. Pestilente flagellato stultus
sapientior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. 26. Qui af-
fligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix. 27. Non cesses fili au-
dire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ. 28. Testis iniquus deridet iudi-
cium: & os impiorum deuorat iniquitatem. 29. Parata sunt derisoribus iudicia:
& mallei percutientes stultorum corporibus.

COMMENTARII.

ERS. 1. *Melior eſt pauper, qui ambulat in ſimplicitate ſua*, ſeu candidè ac ſincerè agit, *quàm diues torquens labia*, Chald. *peruerſus labiis*, id eſt, qui peruerſis ſermonibus vtitur, ſimplici oppoſitus, *&* alibi *inſipiens.* * Quàm proprium inſipientis eſt labiorum peruerſitate laborare!] *Et inſipiens*, (ait) qui ſcilicet ſibi videtur callidus, & aſtutus, cum tamen re vera inſipiens eſt.

Proprium eſt inſipiẽtis labiorum peruerſitate laborare.

Verſ. 2. Vbi non eſt ſcientia animæ, cum quis ſeipſum ignorat, (Chald. *Qui neſcit animam ſuam*,) *non eſt bonum ei.* * Noſcere enim ſeipſum, antonomaſticè *bonum* eſt reputandum, cum bonorum omnium ſit origo.] *Et qui feſtinus eſt pedibus*, qui temerè ac nimium feſtinanter negotia gerit, quod agnatum eſt ei qui ſeipſum non ſatis agnoſcit, *offendet*, multis offendiculis retardabitur eo, quod non prius mature negotia digeſſit. * Digere prius cauſæ tuæ iuſtitiam, ne in lite greſſus aut proceſſus tui facilè offendant.] Vnde.

Noſcere ſeipſum omnium eſt bonorum origo.

Digerenda priùs cauſæ iuſtitia, ne in lite obſtacula reperias.

Verſ. 3. Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius, eſt illi ruinæ occaſio, dum negotia optatum non ſortiuntur effectum, *Et contra Deum feruet animo ſuo*, ſeu contra Deum iraſcitur, non ſuæ ſtultitiæ vt debuiſſet, ſed Deo tribuens, quod res infeliciter euenerit.

Verſ. 4. Diuitiæ addunt amicos plurimos. Nam vbi grana profunduntur, plures volucres congregantur. *A paupere autem & hi, quos habuit, ſeparantur*, ne cogantur ei ex iure amicitiæ ſubuenire.

Verſ. 5. Teſtis falſus non erit impunitus. Nam licet terreni Iudicis aliquando valeat euitare ſententiam, ſiſtendus tamen cœleſtis tribunali Regis, quem fallere non poterit. *Et qui mendacia loquitur*, horribilem illius ſententiam *non effugiet.*

Verſ. 6. Multi colunt perſonam potentis ob timorem plerumquè, ne ab iis incommodo afficiantur. *Et amici ſunt dona tribuentis*, ſeu non colunt ſolùm in facie aut exterius eum, à quo dona, ſeu munera accipiunt, ſed eum veraciter amant; quia verè ab eo diligi vident, dum eis munera largitur. * Signum namque veri amatoris eſt dona amato conferre.]

Signum veri amatoris eſt, dona amato largiri.

Verſ. 7. Fratres hominis pauperis, oderunt eum: inſuper & amici longe receſſerunt ab eo. Vnde conſtat fratres illos propinquitatis iura violare, nam fratrum bona communia eſſe deberent: amicos verò verè amicos non eſſe, dum amici egentis inopiam haud propriam eſſe reputarunt, cum amicorum omnia ſint communia. * Non ſe fratrem oſtendit qui fratrem deſerit indigentem, nec verè ſe oſtentat amicum, qui ab amico egente recedit; deberet enim egere cum ipſo, ſi inopiæ eius ſubuenire non poſſet.] *Qui tantum verba ſectatur*, vt faciunt illi, qui ſolùm verborum ornatui, & elegantiæ inſiſtunt, & de rebus verbis ſubiectis non æquè ſunt ſoliciti, *nihil habebit*, nullum inde ſolidum fructum percipiet. * Monentur hinc concionatores nullum fructum percipi ex ſermone, cum præcipua eorum cura ad verborum elegantiam attendit.] *Qui autem poſſeſſor eſt mentis, diligit animam*, qui cordatus eſt, & non verborum ſolum lenocinia ſectatur, ſed ea quæ animum ſolidè paſcunt, *diligit animam ſuam*, de ſe ipſo bene meretur, rerum proficuarum cognitioni intendens, *& cuſtos prudentiæ inueniet bona*, & ei bene erit, qui non ſolùm audit, & cognoſcit prudentiam, ſed animo etiam cuſtodit, & opere exhibet. * Profectò concionator, qui vtilem non profert doctrinam auditoribus *animam ſuam* non diligit; nam cordatis imprudens admodum, & Deo inuiſus exponitur, cuius horribili iudicio aliquando parebit æterno addicendus ſupplicio.]

Nec verè frater, nec verè amicus eſt, qui à paupere fratre, vel amico recedit.

Nullus fructus ex ſermone percipitur, cum Concionator nimium ad verborum elegantiam attendit.

Suam non diligit, ſed odit animam Cõcionator, qui ad auditorum vtilitatem non attendit.

Verſ. 10. Non decent ſtultum deliciæ, ſeu ſtulto non debentur oblectationes; ſed caſtigationes potius & flagella: prudentibus verò debentur ad animi relaxationem, poſtquàm grauium rerum ſtudiis fuerint laſſati. *Nec ſeruum decet dominari Principibus.* * Vnde Princeps, qui totam imperandi, ſeu gubernandi, rationem Miniſtris attribuit, nec ipſe immediate negotia diſcutit, ac definit, huiuſmodi afficitur indecentia.]

Indecens eſt Principi, totum imperãdi munus Miniſtris committere.

Verſ. 11. Doctrina viri per patientiam noſcitur, ex patientia enim, & animi moderatione oſtenditur, quàm benè quis ſit inſtitutus. *Et gloria eius eſt, iniqua prætergredi*, ſeu iniurias diſſimulatione tranſilire.

Verſ. 12. Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira, omnibus ſcilicet timorem incutiens. *Et ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius.* Nam quemadmodum gramina rore vegetantur, recreantur, & quaſi reuocantur ad vitam: ita ſubditi qui Regis iracundia emarcuére, eiuſdem reddita hilaritate recreantur. * Vnde Reges ediſcant haud facile iracundiæ habenas laxare, ne vt leones à ſubditis timeantur, ſed vt placidus roa amentur.]

Rex curet non vt leo timeri, ſed vt placidus ros amari.

Verſ. 13. Dolor patris filius ſtultus, qui ſe pudet illum genuiſſe. *Et tecta iugiter perſtillantia litigioſa mulier.* * Nam quemadmodùm tecta perſtillantia domum labefactant, habitationem ſordidam, & moleſtam reddunt, & incolas fugant, ita mulier rixoſa, qua cum nullus poterit habitare, famuli fugiunt, mariruſque ſi non fugit, ibi veluti carceri inuitus amandatur.]

Mulier rixoſa & viro & famulis moleſtiſſima inſtar tecti perſtillantis.

Verſ. 14. Domus, & diuitiæ filiis dantur à parentibus: *à Domino autem propriè vxor prudens.* Hæreditario iure obueniunt diuitiæ, vt quaſi fortunæ donum ſint tam bonis, quàm malis commune: at ſingulari Dei dono viro prudens vxor addicitur. * Vndè qui huiuſmodi dono decoratur, debet largitori ſemper gratitudinis munera offerre.]

Gratias Deo propriè largitori vxoris bonæ vir debet ſemper reddere.

Verſ. 15. Pigredo immittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet. Ex pigritia duplex euenit incommodum, quorum vnum ex alio exoritur. Pigritia ſomnum conciliat, ſomnus opera negligit, quibus inſiſtendum fuiſſet: ex quo tandem egeſtas, & fames procedit.

Verſ. 16. Qui cuſtodit mandatum, ſeu diuinam legem, *cuſtodit animam ſuam*, ne piacula incurrat. *Qui autem negligit viam ſuam*, ſeu actiones ſuas, non curans, vt ad diuinæ legis normam exigantur, *mortificabitur*, ſeu mortem incurret æternam, ſante Domino Matth. 19. *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Verſ. 17. Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, ſortem a Domino cum magno accipiet

fœnore,

fœnore, qui centuplum hîc, & vitam postmodum interminabilem promittit. *Et vicissitudinem suam reddet ei*, mercedem, quam meretur, & vicem reddet pro misericordia, quam inopi exhibuit.

Vers. 18. *Erudi filium tuum, ne desperes*, licet ob illius inertiam tibi oleum, & operam perdere videatur. Nam diligenti institutione, & instanti parentum cura multum proficitur. *Ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam.* Caue tamen, ne ira illum vrgeas, vt in morbum incidat, aut alia ratione male à re habitus, moriatur. * Sunt qui filios tam acriter corripiunt, vt magis ad eorum mortem, quàm eruditionem *animam* seu vires exercere videantur.] * Non desperandum de filij correctione quantumuis inscij, vel discoli, si assidua ac prudens parentum cura adhibeatur.]

Parẽs filium immoderatè corripiẽs, non corripit, sed occidit eum.

Nunquam desperanda est filij correptio, si adsit assidua parentum admonitio.

Vers. 19. *Qui impatiens est*, & de emendatione filij sui desperat, illúmque permittit moribus prauis vti; *sustinebit damnum* ob filij nequitiam, patris quidem opprobrium. *Et cum rapuerit, aliud apponet.* Qui planè filius cum semel fuerit furatus, alia furta adiiciet, habitumque facilè acquiret, si pater negligat, eum à praua agendi consuetudine abducat. * Pondera illud: *Et cum rapuerit, aliud apponet.* Ex vno crimine facilior redderur ad aliud: semel enim delinquere, faciliorem reddit hominem ad rursum delinquendum. Rarò peccatum solum incedit.] Quid vero familiæ magis ignominiosum quàm filium vilissimo latrocinij vitio inquinari?

Ex vno delicto homo facilior redditur ad aliud: & rarò peccatũ solum incedit.

Vers. 20. *Audi consilium*, & suscipe disciplinam: parentum consilia audi, correptionem libenter admitte: *Vt sis sapiens in nouissimis tuis.* Alij, *in senectute*: vt cum ad senectam perueneris sapiens ac prudens habearis à cunctis reuerendus. * Nihil enim in sene abominabilius quàm inscitia, quæ quidem ab indisciplinata iuuentute ortum ducit.]

Nihil abominabilius in sene, quàm inscitia, quæ quidem ab indisciplinata iuuenta ortum ducit.

Vers. 21. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.* Multa de se, rebusque suis homines cogitant, multa tentant, & mouent ad sui incrementa honoris, & opum: id autem efficitur, quod Dominus voluit, *Non enim est qui eius possit resistere voluntati.* * Vnde edocemur, cuncta consilia, ac conatus nostros dirigendos, vt in eis Dei voluntatem exequamur; siquidem consilium Domini internum manere necessum est.]

Cuncti nostri conatus ad Dei voluntatem dirigendi.

Vers. 22. *Homo indigens, misericors est.* Nam cum experimento compererit, quàm sit durum cum egestate conflictari, aliis facilè egentibus miseretur. *Et melior est pauper quam vir mendax.* Melior, inquam, est pauper qui quantum per suam paupertatem licet, miseretur, & benefacit, quàm diues mendax, qui, ne det, mentitur, & se non habere, quod tribuat, causatur. * Certè faciliùs pauper eleemosynam tribuit indigenti, quàm affluens opibus.] * Qui dum dicit: *Quod dem non habeo*, se mendacem profitetur. Quid autem magis ignominiosum, quàm de more mentiri, & publice se mendacem profiteri?]

Faciliùs pauper, quàm diues paupe- ri locuerit.

Diues, qui pauperi dicit: *Non habeo*, se mendacem esse profitetur.

Vers. 23. *Timor Domini ad vitam perducit: & in plenitudine commorabitur absque visitatione pessima.* In rerum omnium affluentia persistet, *nec visitabitur à malo* (sic Hebr.) id est nihil mali ei obueniet.

Vers. 24. *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat.* Tanta ignauia est hominis pigri, vt etiam præclarissimas occasiones (queis suius posset rebus consulere) turpiter negligat. Quemadmodum si quis lauta mensa sibi proposita, fame perire mallet, quàm manu cibos ad os amouere.

Vers. 25. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Homine scelesto punito, vt meretur, stulti, hoc est mali, à peccando, pœnæ metu abducentur. *Si autem corripueris Sapientem, intelliget disciplinam.* Stultus non eruditur, nisi flagellationis metu, Sapiens verò verbo correptionis monitus culpam agnoscit (quia Sapiens) & illam emendat * Nihil difficilius quam stultum ad frugem ducere meliorem, quia non callet piaculi grauitatem.

Difficilè ad frugem meliorem adducere stultũ, quia nõ callet culpæ grauitatem.

Vers. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix.* Qui verbis indecoris patrem affligit, aut minis impudentibus matrem timidam fugere facit, ignominia inuretur, & omnis infelicitatis erit receptaculum.

Vers. 27. *Non cesses fili audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ.* Nam si parentum doctrinam non audieris, si eruditi contempseris, haud poteris scientiam adipisci, & cum ignorantibus comparaberis.

Vers. 28. *Testis iniquus deridet iudicium*, contemnit Iudicum consessum cum procaciter audet mentiri, & illis pro verò falsum obtrudere. * Mendax enim nunquam confunditur, nam etsi de mendacio arguatur, additis mendaciis ad obiecta intrepidè respondet.] *Et os impiorum deuorat iniquitatem*, patenti bucca, id est, auidissimè, pleoissimè sese criminibus infarciat, Quod Eliphaz Iobo simili phrasi dicebat, *Bibit quasi aquam iniquitatem.* Iob. 15.

Mendax nũquam confunditur, ab obiectionibus enim additis mendaciis respondet.

Vers 29. *Parata sunt derisoribus iudicia.* Mala imminent huiusmodi impiis peccata auidè vorantibus legis quidem diuinæ derisoribus innumera mala, quibus eorum scelera vindicentur. *Et mallei percutientes stultorum corporibus.* Hebr. pro *mallei* habet, *percussiones*, Chald. *verbera*, LXX. *Supplicia* tum hîc tum in futuro corporibus & animis stultorum seu peccatorum sunt præparata. Haud insanient impunè. * Vndè apertè colligitur, permitti à Deo impios hos tot facinora deglutire itati admodum Numinis esse documentum: multiplicatio enim scelerum pœnæ connotat additionem.]

Magnũ Dei supplicium, permittere, vt impius delicta multiplicet.

CAPVT XX.

Ebrietatem cauendam, Magistratus minimè offendendos, contentionem, & otium vitandum, nos Salomon edocet.

1\. LVXVRIOSA res, vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque
his delectatur, non erit sapiens. 2. Sicut rugitus leonis, ita
& terror regis: qui prouocat eum, peccat in animam suam.
3\. Honor est homini, qui separat se à contentionibus: omnes
autem stulti miscentur contumeliis. 4. Propter frigus piger
arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.
5\. Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri: sed homo
sapiens exhauriet illud. 6. Multi homines misericordes vocantur: virum autem
fidelem quis inueniet? 7. Iustus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se
filios derelinquet. 8. Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu
suo. 9. Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato? 10. Pondus
& pondus, mensura & mensura: vtrumque abominabile est apud Deum. 11. Ex
studiis suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera eius. 12. Aurem audientem,
& oculum videntem, Dominus fecit vtrumque. 13. Noli diligere somnum, ne
te egestas opprimat: aperi oculos tuos, & saturare panibus. 14. Malum est, malum
est, dicit omnis emptor: & cùm recesserit, tunc gloriabitur. 15. Et aurum, & multitudo
gemmarum: & vas pretiosum labia scientiæ. 16. Tolle vestimentum eius, qui
fideiussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo. 17. Suauis est homini
panis mendacij: & posteà implebitur os eius calculo. 18. Cogitationes consiliis
roborantur: & gubernaculis tractanda sunt bella. 19. Ei, qui reuelat mysteria, & ambulat
fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commisceatis. 20. Qui maledicit patri
suo, & matri, extinguetur lucerna eius in mediis tenebris. 21. Hereditas, ad quam
festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. 22. Ne dicas: Reddam
malum: exspecta Dominum; & liberabit te. 23. Abominatio est apud Dominum
pondus & pondus: statera dolosa non est bona. 24. A Domino diriguntur gressus
viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam? 25. Ruina est homini deuorare
sanctos, & post vota retractare. 26. Dissipat impios tex sapiens, & incuruat
super eos fornicem. 27. Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat
omnia secreta ventris. 28. Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur
clementia thronus eius. 29. Exultatio iuuenum, fortitudo eorum: & dignitas
senum, canities. 30. Liuor vulneris absterget mala: & plagæ in secretioribus
ventris.

COMMENTARII.

VERS. 1. *Luxuriosa res est vinum*, seu vini immoderatus vsus. LXX. *ἀκόλαστον*, id est, res incoercita, effrænis, intemperans, prodiga verborũ, sannarum, litium, ciborum, vestium, opum, veneris. * In vini immoderato vsu omne delicti genus continetur. Vnde Paulus Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Græcè *aowrlas*, seu *omne genus luxus*. Qui ebrietati traditur, omne vitiorum genus in radice admittit.] *Et tumultuosa ebrietas*, seu tumultuum, ac rixarum occasio. *Quicumque his delectatur, non erit Sapiens*: hebetat enim intellectum vini immoderata potio.

In ebrietate omne vitiorum genus.

Vers. 2. Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis. Vnde *qui prouocat eum* sermone, vel actione inurbana, *peccat in animam suam*, in seipsum, & in vitam suam, sibi periculum lacescens.

Vers. 3. Honor est homini, qui separat se à contentionibus. * Nam indecorum est contendere, ac verbis rixari, viliorumque homuncionum, immò & muliercularum proprium.] *Omnes autem stulti*, qui de honore ac decentia minimè curant, *miscentur contumeliis*, quæ in rixis, & cootentionibus assolent iactitari.

Indecorum viro rixari, & verbis cõtendere.

Vers. 4. Propter frigus piger arare noluit, titionibus adhæsit in hyeme. *Mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* * Legitima otij consequentia est, mendicare.] * Quàm pulchrè addidit Salomon, *Mendicabit, & non dabitur illi.* Nam cum homo sine ægritudine, potens viribus ostiatim mendicat, omnes obiicinot illi: Cur non laboras?]

Legitima consequẽtia otij est mendicare.

Omnes abnegant stipẽ illi, qui cum laborare valeat, mendicat.

Vers. 5. Sicut aqua profunda, sic consilium in corde

de viri. Viri prudentis consilia tam recondita esse debent in corde, vt difficilè admodùm sit cuilibet ea scrutari. *Sed tamen homo Sapiens exhauriet illud*, ad ima penetrabis profunditatis huiusce, & quasi abysso exhausta, consilia, quæ latebant, sua solertia inuestigabit, & dignoscet. * Haud tibi persuadeas posse piaculum occultum hominum effugere cognitionem, si vel eor hominis *inscrutabile* (vti *lere* 17. dicitur) tandem Sapienti reseratur. Nam dum adest curiosus vestigator, difficillimè poterit diu operiri.]

Peccatum quantumuis occultum latere diu non potest.

Vers. 6. *Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet?* Multi celebrantur vt misericordes, & benefici; sed non multi sunt huiusmodi; nam pauci exactè ac fideliter misericordiam in egentes exercent, nihil aliud spectantes quàm diuinam gloriam, ex pauperis leuamine. * In eleemosyna à Domino affectus & intentio magis, quàm effectus aspicitur.]

In eleemosyna magis à Deo affectus, & intentio, quàm effectus aspicitur.

Vers. 7. *Iustus, qui ambulat in simplicitate sua* sincere, candidè, & sine fraudibus, *beatos post se filios derelinquet*, id est, morum suorum imitatores, vel in cunctis felices. * Deus enim patrentum iustitiam vel etiam in filiis assolet munerare.]

Assolet Deus etiam in filiis patrum iustitiam munerare.

Vers. 8. *Rex, qui sedet in solio iudicij*, qui non otiatur, sed pro sui muneris ratione iudicia exercet, & se ex animo gubernationi addicit: *dissipat omne malum intuitu suo*, eum sit præsens, & rebus, quæ geruntur, intersit, & negotia per seipsum tractet, omne malum dissipat, nam omnes in officio continet, nec facilè est, illi fucum facere: peccantes punit, & de Republica male meritos suppliciis afficit. * Tota Regni perditio ex Regis abstractione à solio seu ab immediata gubernatione habet exortum.]

Tota Regni perditio ex Regis abstractione ab immediato regimine oritur.

Vers. 9. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum?* Nam vti ait Apostolus, *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* I. Ioan. I. Nemo ergo iactitet: *Purus sum à peccato.*

Vers. 10. *Pondus, & pondus, mensura & mensura: vtrumque abominabile est apud Deum.* Varia pondera, & varias mensuras habere, vt in pondetando, vel in mensurando decipias, est abominabile Domino.

Vers. 11. *Ex studijs suis intelligitur puer si munda, & recta sint opera eius.* Iis rebus, quibus pueri delectantur, satis indicant, prius, an impij cordati, an insipientes sint futuri. * Vnde dedent patentes quodcumque studium, seo actionem impietatem futuram indicantem in filio corripere, vt mutato studio puerili, turpis illa indicatio mutetur.]

Puerilia studia quæ quidem impietatem futuram filij parètes corripiant.

Vers. 12. *Aurem audientem, & oculum videntem Dominus fecit vtrumque.* Quandoquidem Dei munere aures habemus, & oculos, & sentiendi facultatibus ornati sumus, iustum est nos illis rectè vti, & ad eum finem, ad quem sunt sensus instituti eorum vsum dirigamus. * Piaculum intolerabile impudentis, qui beneficio vtitur in benefactoris iniuriam.]

Impudentis est beneficio vti in benefactoris iniuriam.

Vers. 13. *Noli diligere somnum*, otio torpere, *ne te egestas opprimat. Aperi oculos tuos, & saturare panibus*, vigila, labora, vt abundes.

Vers. 14. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor.* Assolent emptores, vt vilius emant, rerum venalium proclamare defectus: *& cum recesserit, tunc gloriabitur*, quod rem bonam exiguo comparauerit pretio. * En hominis ingenium semper in rebus bonis defectus confingentis.]

Ingenium hominis in rebus bonis defectus cõfingens.

Vers. 15. *Est aurum* pretiosum apud homines. *& multitudo gemmarum* magni ab hominibus æstimatur. *Et vas pretiosum labia scientiæ.* At omni auro, & gemmis pretiosius est vas, seu gemma augustior est Sapientis os hominis, labiumve peritum viri Sapientis simul & eloquentis.

Vers. 16. *Tolle vestimentum eius, qui fideiussor extitit alieni: & pro extraneis aufer pignus ab eo.* Metetur, qui temerè fideiussit, vt vestibus, aut stragulis spolietur, vt creditori, cui se obligauit, satisfaciat. * Vidisti alicuius fideiussorem? Vidi. Ergo citò videbis eum nudum mendicare; fideiussionem enim sectatur egestas.]

Fideiussionẽ sectatur egestas.

Vers. 17. *Suauis est homini panis mendacij*, id est, mendaciis, ac fraudibus acquisitus: *& postea implebitur os eius calculo* Hebr. *pro calculo* חצץ *chatzaz* seu *lapillis arena commixtis*, quos ad vexandum alios panibus solebant immiscere. Vnde Seneca panes lapidosos vocitat *l. 2. de Benef. cap. 7.* * Omne vitium os calculo seu lapillis torquentibus implet, quia initio suaue est. postea amaritudine exundans, atque ita meritò suauitatem aptè *panis mendacij* vocitatum.]

Omne vitiũ suaue initio, postmodùm amarissimũ est.

Vers. 18. *Cogitationes consiliis roborantur.* Quæ facere cogitamus, non priùs, suscipienda sunt, quàm de illis consilium prudens sumpserimus, & apto fundamine nixi poterimus securè intentus exequutioni tradere. * Nam qui repente operatur, pœnitudini esse solet obnoxius.] *Et gubernaculis tractanda sunt bella.* Non vitibus tantum, & exercitibus cum hoste pugnandum: sed solertia, ac prudentia curandum, vt illi superiores esse possimus. * Non minus sed magis proficit ad belli prosperitatem gubernatio prudens, quàm militum copiæ.]

Qui repentè operatur, est pœnitudini obnoxius.

Magis proficit ad prosperitatem belli prudens gubernatio, quàm copia militum.

Vers. 19. *Ei, qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua*, seu qui secreta referat sibi commissa, vel fraudibus vtitur, ad decipiendum, vel loquax est, *ne commiscearis.* Nec enim impunè ex huiusmodi euades consortio. * Amicus facilis ad secreta reuelanda & loquax fugiendus.] * Et quidem loquaci non committenda arcana. Nam vt loquatur, secreta reserabit. Vulgariter expendo. *Aterrque de hablar, dira quanto sabe.*]

Amicus reuelans secreta sum fugiẽdus.

Loquaci non committẽda arcana, quæ vt loquatur, reuelabit.

Vers. 20. *Qui maledixerit patri suo, & matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris.* Qui patentibus maledicere ausus fuerit, in tenebris ignominiæ, afflictionis, ac vindictæ felicitas, gloria, ac splendor obruetur. * Ignominia enim afficitur filius, qui parentes non reueretur.] * Alij pro *lucerna eius* transtulere, *Filij eius*, nam per hos elatesuot mortui parentes. Sensus erit, filiis dilectis immaturè sublatis orbabitur filius, qui patentibus maledixerit, vt in filiis puniatur filius, qui reuerendum deliquit in parentem.]

Ignominia affi itur filius, qui parentes non reueretur.

In propriis filiis plectitur filius, qui in parentes iniuribus exubit.

Vers. 21. *Hereditas, ad quam festinatur in principio* præpropera aditione, vel susceptione, non sat excussis oneribus: *in nouissimo benedictione carebit*, id est, non diù prosperum cursum tenebit. Accidit enim sæpe, vt hæreditatis onera superent fructuum vtilitatem. * Priusergo quàm

Prius quàm

hære

hæreditatem tibi relictam testamento adeas, eius onera discure.]

tibi relictam adeas hæreditatem, eius onera discure.

» *Vers.* 22. *Ne dicas. Reddam malum*, vindictam de accepta iniuria sumam, *expecta Dominum, & liberabit te*, fer patienter, donec Dominus, qui suorum curam habet, & proprias reputat suorum iniurias, te liberet, & si oportuerit, vindictam assumet. * Horribilem quis de inimico vindictam assumit, dum patienter iniuriam tolerat, tunc enim Deus causam suscipit diuexati iniustè, vt acrius delioquenti vulnus infligat.]

Horribilem vindictã de inimico sumit, qui ei iniuriam inferenti parcit.

Vers. 23. *Abominatio est apud Dominum pondus & pondus, & statera dolosa non est bona.* Decipere emptores in pondere inuisum est Deo, qui fallere nescit: & vti dolosa statera, bonum haud potest esse, vnde tot tamque furti crimina profluunt, in rectissimi Iudicis libra aliquando ponderanda.

Vers. 24. *A Domino diriguntur gressus viri*, siue ab eius directione nostræ pendent actiones, & quo termino gressus conquiescent. *Quis autem hominum intelligere potest viam suam?* Quid ei potissimum sit agendum, & quis actionum futurus sit finis, & euentus. * Vnde qui iuxta Dei beneplacitum gressus dirigit, minimè glorietur; nescit enim, an recta persistet in via, & tandem cœlestis patria requie potietur.]

Qui stat, cogitet, se cadere posse, & de præsenti rectitudine non glorietur.

Vers. 25. *Ruina est homini deuorare Sanctos.* Heb. *Corrumpere sanctitatem*, seu res sanctas & Deo sacratas, spoliando bonis loca sacra, seu personas sanctas exactionibus, ac tributis, diuexando. * Profectò qui Sanctos, Religiosos, Clericos huiusmodi exactione afficit, eos, instar ferarum, diriter deuorat.] Vnde *ruina* ei indicitur. * Mihi credite, inde Regnorum ruinam exordium habere, vnde loca sacra, vel personæ sacræ tributis pergrauantur.] Item ruina est homini, *post vota*, seu postquam aliquid Deo deuotum, vel dedicatum est à te, aut ab alio, id ipsum *retractare*.

A iniustis Instar ferarum Sanctos deuorat, qui eos iniustis tributis aggrauat.

Ex grauamine Ecclesiæ ex tributis, Regnorum ruina procedit.

Vers. 26. *Dissipat impios Rex Sapiens*, Sapientis enim Regis est impudentes peccatores de medio tollere, ne alios improbâ societate inficiant. *Et super impios incuruat fornicem*, id est, ita obruit illos, delet, ac sepelit, ac si, deturbato in subiectos fornice cubiculi, totos ruinis inuolueret. Hebr. *Inducit super eos rotam*, quod supplicij genus fuit olim Hebræis, ac Syris vsitatum, quo Dauid in Ammonitas animaduertit, 2. *Reg.* 12. & 1. *Paralip.* 20.

Vers. 27. *Lucerna Domini spiraculum hominis*, id est anima rationalis, & vis intelligendi est quasi lucerna quædam in homine accensa, Domini beneficio, *quæ inuestigat secreta ventris*, seu quâ homo cognoscit omnia, quæ in homine latent, qui scilicet sint eius affectus, quæ studia, & cogitationes. * Vnde extinctam crediderim esse lucernam seu intellectum illius, qui facilè adulatori credit, cum ex verbis deberet decipiendi agnoscere studium.]

Qui adulatoris nõ cognoscit affectũ decipiendi, captus est intellectu.

Vers. 28. *Misericordia, & veritas custodiunt Regem*, id est clementia & iustitia Principis æternant imperium. *Et roboratur clementia thronus eius.* * Licet enim vtraque virtus requiratur, tamen clementia potissimum Regnum roborat, quia subditorum animos, eorumque beneuolentiam Principi conciliat.]

Clementia Regis imperium roborat.

Vers. 29. *Exultatio iuuenum fortitudo eorum.* Ex fortitudine enim assulent adolescentes exultare, ac gloriari. *Et dignitas senum canities.* Ex canitie possunt senes dignè exultare, sicut de fortitudine iuuenes. * Quia sola canities eos dignos efficit reuerentia.]

Sola canities senes reuerẽtia dignos ostentat.

Vers. 30. *Liuor vulneris absterget mala.* Quia adolescens discolus (ex. gr.) qui de fortitudine gloriatur, & passim rixas excitat vulgariter *Espadachin*, si ab aliis acriter vulneretur, ab inquietudine emendatur, nec rursum audet ciuilia illa certamina inire. *Et plagæ in secretioribus ventris.* Et morbi interni, ac graues, queis homines addicti voluptatibus assolent discruciari: sua vexatione faciunt animam sobriam, & à voluptate corpora reuocant. * Certè ægritudines ex vitiis exortæ cordatum hominem assolent edocere, vt voluptates, ex quibus duxére originem, exitiali odio prosequatur; vnde Dei beneficio noscimus prouenisse.]

Ægritudines, quæ docent hominem fugere voluptates, Dei beneficio obueniunt.



CAPVT XXI.

Nos Salomon Deum in omnibus obsequi, misericordiæ, iustitiæ, reliquisque virtutibus incumbere edocet.

1. SICVT diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud. 2. Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus. 3. Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quàm victimæ. 4. Exaltatio oculorum est dilatatio cordis: lucerna impiorum peccatum. 5. Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger semper in egestate est. 6. Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis. 7. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium. 8. Peruersa via viri, aliena est: qui autem mundus est, rectum opus eius. 9. Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi. 10. Anima impij desiderat malum, non miserebitur proximo suo. 11. Mulctato pesti

pestilente sapientior erit paruulus:& si sectetur sapientem,sumet scientiam. 12. Ex-
cogitat iustus de domo impij, vt detrahat impios à malo. 13. Qui obturat aurem
suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. 14. Munus abs-
conditum extinguit iras,& donum in sinu indignationem maximam. 15. Gaudium
iusto est facere iudicium, & pauor operantibus iniquitatem. 16. Vir,qui errauerit
à via doctrinæ,in cœtu gigantum commorabitur. 17. Qui diligit epulas,in egestate
erit: qui amat vinum,& pinguia, non ditabitur. 18. Pro iusto datur impius: & pro
rectis iniquus. 19. Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa
& iracunda. 20. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti: & impru-
dens homo dissipabit illud. 21. Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet
vitam, iustitiam, & gloriam. 22. Ciuitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit
robur fiduciæ eius. 23. Qui custodit os suum,& linguam suam, custodit ab angu-
stiis animam suam. 24. Superbus & arrogans vocatur indoctus,qui in ira operatur
superbiam. 25. Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius
operari: 26. tota die concupiscit & desiderat: qui autem iustus est, tribuet, & non
cessabit. 27. Hostiæ impiorum abominabiles,quia offeruntur ex scelere. 28. Te-
stis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam. 29. Vir impius procaciter
obfirmat vultum suum: qui autem rectus est,corrigit viam suam. 30. Non est sa-
pientia, non est prudentia,non est consilium contra Dominum. 31. Equus paratur
ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.

COMMENTARII.



ERS.1. *Sicut diuisiones* (Hebr. *riui*) *aquarum* sunt in manu olitoris, qui eos deducit ad areolas olerum irrigandas & quò libuerit per decliues canales aquam ducit: *ità cor Regis in manu Domini*, quia Rex quantumcumque superbus,potens,& effrænis, est tamen integrè in potestate Dei, qui *quocumque voluerit, inclinat illud*, non violentè cogendo,vt somniauit Lutherus, Caluinus, & alij liberi arbitrij hostes) sed suauiter inuitando,flectendo,ducendo,hoc est, interius obiiciendo,quæ nouit eius ingenio congruere, vt liberè se flectat, quò Deus desiderat. Ita flexit cor Cyri,Darij,Artaxerxis, Assueri,Regum Persarum, vt Iudæis fauerent.

Vers 2. *Omnis via viri recta sibi videtur*, *actiones*, vel institutum vitæ,agendique ratio homini eorum auctori placent, seque rectum iter inire existimat. *Appendit autem corda Dominus*. Deus autem potissimum requirit in actionibus cordis rectitudinem,sine qua ratio virtutis perit. * Multa opera displicent Deo, eo quod externæ eorum rectitudini recta intentio interna non adest.]

Multa opera externè recta displicent Deo ob rectæ intentionis defectum.

Vers.3. *Facere misericordiam, & iudicium*, seu vera loqui,cuique quod suum est,tribuere, *magis placet Domino,quàm victima*. Non enim placet Deo sacrificia, cum deest iustitia, & misericordia,quos ab hominibus requirit. Ose.6. *Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquàm holocausta*. * Sacrificia Deo non placent si iustitia, ac misericordia in offerente desint.]

Sacrificia Deo nō placent si in offerente iustitia & misericordia desint.

Vers.4. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis*, id est, superbia, arrogantia, fastus est vanitatis typus. *Lucerna impiorum peccatum*, superbia,tumor,& omne peccatum id sunt, in quo impij suam gloriam constituunt. * Quàm stultum, existimare peccatores, inter delictorum tenebras elucere posse, & ipsas peccati tenebras lucernam existere.]

Stultè existimat impius posse se ex peccato lucere.

Vers.5. *Cogitationes robusti semper in abundantia*. Hebr. *diligentis,& seduli* viri. Machinationes viri diligentis semper illum in abundantia constituunt; diligentia enim & conatus robustus vincit ad opes acquirendas difficultatem. *Omnis autem piger semper in egestate est*. Dum enim detrectat laborando paulatim ditescere, sed solis inhiat occasionib⁹ celeriter,& simul ex aliorum,seu liberalitate,seu infortunio,seu malis artibus ditescendi; fallentibus illis, vt sæpè fit, perpetuò sua in miseria manet. * Nemo repentè diues, assiduus labor facit opes paulatim increscere.]

Nemo repentè fit diues, assiduus labor facit paulatim opes increscere.

Vers.6. *Qui congregat thesauros lingua mendacij*, seu qui mentiendo & fallendo sibi diuitias parat, *vanus,& excors est*, quia vanas, & perituras diuitias quærit. * Nihil enim ex fraude acquisitum poterit permanere.] *Et impingetur ad laqueos mortis*. capietur, constringetur laqueis mortis æternæ. * En stultitiam eius, qui fraudibus gestit opes acquirere: eas non possidere, perituras scilicet, & æternam vitam pro interminabili morte commutare: verè *vanus,& excors* à Sapiente vocitatur.]

Opes ex fraude acquisitæ pereunt.

Stultissimus est qui curat fraude opes acquirere, eas enim nō possidet, & perit æternùm.

Vers.7. *Rapinæ impiorum detrahent eos* in perniciem, *quia noluerunt facere iudicium*, sed id quod iustum erat agere, contempsere.

Vers.8. *Peruersa via viri aliena est* ab hominis natura secundùm eius primæuum institutum. *Qui autem mundus est, rectum opus eius*. sicut peccator per viam alienam incedit,sic mundus à labe peccati, seu iustus viam minimè ab hominis natura, & æquitate alienam terit.

Vers. 9. *Melius est sedere in angulo domatis*. Hebraicè *tecti*. LXX. *non tecti* more Palæstinorum, & omnium Orientalium, qui tectis fere planis vtebantur. Præstat itaque sub dio degere,vbi tempestatibus, & iniuriis aëris exponaris, *quàm cum muliere litigiosa*, seu rixosa *in domo communi* pluribus,id est, ampla & commoda commorari. * Rixosæ enim fœminæ lingua horribiles diritate superat tempestates.]

Rixosæ mulieris lingua horribiles diritate tempestates superat.

Vers. 10. *Anima impij desiderat malum*. Impius, qui voluptatibus, aliisque criminibus implicat

plicati desiderat; *non miserebitur proximo suo*, vt egenti succurrat. * Nam si misereretur, à peccandi studio fortasse recederet, sic misericordia extinguit peccatum.]

Non miseretur proximo indigēti, qui peccatis studet.

Vers. 11. *Mulctato pestilente sapientior erit paruulus.* Qui paruulus est sensu & Sapientia, deceptionibusque obnoxius, ex supplicio illato delinquentibus, documentum capit, ne ad huiusmodi piacula patranda feratur. * Confert admodùm ad aliorum exemplum, delinquentes acriter puniri.] *Et si sectetur paruulus Sapientiam, sumet scientiam*, id est, si insipiens non sit, non poterit non in alieno capite capere documentum.

Confert admodum ad aliorum exēplum delinquentes puniri.

Vers. 12. *Excogitat iustus de domo impij, vt detrahat impios à malo.* Vir iustus de salute proximi solicitè cogitat, & rationem meditatur attentè, quâ possit illum, ac domum eius à peccatis abducere. * Agnatum est iustis expetere, & procurare, vt alij iustitiam sectentur.]

Agnatum est iusto procurare, vt alius iustitiam sectentur.

Vers. 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: & ipse clamabit, & non exaudietur.* * Assolet enim Deus disponere, vt qui pauperi non miseretur cum diues est, paupertatis aliquando iniuria prematur, cui, in supplicium, clamitanti nullus miserebitur.]

Diues qui clamantem inopem non audit, fortassè ipse ad inopiam veniens clamabit, & nemo ei miserebitur.

Vers. 14. *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam*, concipit quis aduersum eum, qui eius fratrem occidit (v. gr.) iram, & magnam admodum indignationem, quâ succensus festinat ad Iudices: si aliquis cum illo de munere secreto quasi in sinum absconditè mittendo, agat, iracundia mollescit, & tandem maxima friget indignatio. * Nam pecunia agnatum est omni vulneri medicamen.]

Pecunia agnatum est omni vulneri medicamen.

Vers. 15. *Gaudium iusto est, facere iudicium*, seu id, quod iustum est, præstare: *& pauor operantibus iniquitatem.* Nam reluctante conscientia mali delinquunt, scientes peccatis suis pœnas deberi. Sapi. 17. *Semper præsumit sæua perturbata conscientia*, vnde non mirum, si cum delinquis, pauore afficiatis. Quænam potest in crimine inesse delectatio, si vix potest sine pauore perpetrari?]

Haud potest crimen sine pauore patrari.

Vers. 16. *Vir, qui errauerit à via doctrinæ*, seu qui diuinæ legis dogmata non seruauerit, *in cœtu Gigantū commorabitur.* Vox Hebræa רפאים raphaim variè vertitur; nam aliqui reddunt *gigantes*, alij *dæmones*, alij *mortuos*. Symmachus eos intelligit, qui cum Deo pugnare, illique resistere non verentur. Cùm dæmonibus gigantibus scilicet qui contra Dominum rebellarunt, cum æternùm mortuis plectentur, qui in Deum irreligiosi, & in proximum violenti fuerint, vt de gigantibus traditur à Poëtis.

Vers. 17. *Qui diligit epulas*, seu splendidæ gaudet quotidie mensæ hærere, *in egestate erit.* * Parsimonia enim diuitiæ parantur, non mensarum luxu.] *Qui* ergo *amat vinum*, eoque amoris, seu affectus in id, vi, immoderatè vtitur, *& pinguia*, seu epulas pretio immodico comparandas, *non ditabitur.*

Parsimonia diuitiæ parantur, non mensarum luxu.

Vers. 18. *Pro iusto datur impius.* LXX. *Expiatio iusti est impius.* Fit aliquando, vt vno, aut paucis peccantibus, tota Respublica supplicio afficiatur. Vt ergo iustis seu innocentibus salus sit, plectendus is, qui peccauit, vt hac quasi victima cæsa, Domini furor conquiescat. Exempli sunt hoc Israëlitæ, cum Acham furatus est de anathemate contra Dei præscriptum; eo enim lapidibus obruto, *auersus est furor Domini ab eis.* Ios. 7. Igitur *pro rectis* incolumiter asseruandis *iniquus* plectatur. * O quoties tota perit, aut grauissimis incommodis Respublica afficitur innocens, eo quod iniqui à Iudicibus permittuntur incolumes!]

Respublica innocens à Deo plectitur, quia Iudices negligunt plectere impios.

Vers. 19. *Melius est habitare in terra deserta* vbi feræ desæuiunt, *quàm cum muliere rixosa, & iracunda.* * Ita enim super iram mulieris nequeque in leonum, aut tygridum habitaculis inuenietur.]

Satiùs habitare cū leonibus, quàm cum muliere iracunda.

Vers. 20. *Thesaurus desiderabilis*, seu aurum & argentum, cuius desiderio accenduntur auari, *& oleum*, seu odorata vnguenta, queis olim vtebantur Hebræi, vel simpliciter oleum, in quo non exigua diuitiarum pars illius æui consistebat: est *in habitaculo iusti. Et imprudens homo dissipabit illud.* Iusti parentes diuitias congregant, & imprudentes filij prodigè illis vtentes cito eas comminuunt. * Quoridie accidit, vt quas paulatim quis acquisiuit opes, festinanter hæres sine eius labore partas absumat.]

Quas paulatim pater acquisiuit opes, filius sine labore partas festinanter absumit.

Vers. 21. *Qui sequitur iustitiam, & misericordiam: inueniet vitam, iustitiam, & gloriam.* Nullum enim homo rectum exerit opus quod speciali præmio non muneretur: imò superaffluenti. Ideò duobus illis particulis: *Misericordiam*, & Iustitiam tres illæ respondent: *Vitam, Iustitiam, Gloriam.*

Superaffluēter Deus recta opera munerat.

Vers. 22. *Ciuitatem fortium ascendit Sapiens.* Fit nonnunquam, vt munitæ admodum ciuitates consilio, & astu capiantur, quas vis non potuit in oppugnantis potestatem redigere. Vnde Sap. 6. *Melior est Sapientia, quàm vires.* Vnde post ascensum in ciuitatem, *destruxit robur fiduciæ eius*, locum munitum, cui fidebat, & in quo eiues tutos se esse putabant. Nullum tam arduum aut difficile propositum, quod operantis Sapientia non assequatur.]

Omne difficile propositum Sapientia operantis assequitur.

Vers. 23. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam*, seu vitam *suam.* * Quot pericula, quot neces ex linguæ non frænatæ immoderatione prodiere!]

Multa pericula ex linguæ intemperātia prodeunt.

Vers. 24. *Superbus, & arrogans vocatur indoctus*, id est, stultus. LXX. λοιμός, id est, *Pestilens, pessimus*, Superbi & arrogantis viri agnatum epitheton. * Quid autem pestilenti, aut pessimo homini cum indocto, vt Septuaginta duo illis doctissimis Interpretibus idem esse videatur, *Indoctus & Pestilens*, vel *Pessimus?* Certè quia superbia, & arrogantia, quod pessimum, ac pestilens viriū est, plerumque ex inscitia, vel stultitia habet exortum.] *Qui superbus* indoctus quidem, *in ira operatur superbiam*; proprium enim superborum est, facilè excandescere, se læsos putant, aut suam existimationem violatam esse credunt.

Superbia ex stultitia ortum habet.

Vers. 25. 26. *Desideria occidunt pigrum*, torquetur enim rei consequendi desiderio *nolunt enim quidquam manus eius operari, tota die concupiscit, & desiderat*: nunquam verò desideriorum potest nancisci executionem, eum ad ea manus admouere refugiat, quibus exequi possent. * Vnde piger suorum desideriorum, & affectuum martyr esse conspicitur.]

Piger suorum desideriorum martyr est.

Vers. 27. *Hostia impiorum abominabiles, quia offeruntur*

feruntur ex scelere, scilicet patræ. Vnde *Eccle.* 34. dicitur, *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*.

Vers. 28. *Testis mendax peribit.* Nam conuictus in iudicio, pœnis falsorum testium subiacebit. *Vir obediens loquetur victoriam.* Qui autem etiam sententiæ Iudicis à falso teste decepti paret, tandem loquetur victoriam, emergente aliquando, vt solet veritate. * Cum veritas sit lux, non fit lux, haud potest mendacij tenebris diu obrui. LXX. transferunt. *Vir obediens custoditus loquetur*, seu, vt alij exponunt, *Cautè loquetur*, vt falso testi opponatur, qui temerè loquitur, nec diuinam offensam, nec proximi iniuriam, nec proprium peccatum, nec eius pœnam cauens. * Vel *cautè loquetur* verba immoderata contra falsum proferens testem. Commendabilis quidem vir, difficillimum namque est, eum, qui falsè accusatur, cautè loqui.]

Veritas cum sit lux, non potest diu mendaciorum tenebris obrui.

Difficile est, vt qui accusatur falsò, non loqui contra accusatorem.

Vers. 29. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum*, seu procaciter in cœpto perstat. *Qui autem rectus est, corrigit viam suam*. si forte aliquando dixit, aliquid, quod proximo obesse videatur, & quod ipse verum esse sincerè putauit agnoscens errorem, eum ingenuè fatetur, & se deceptum fuisse proclamat.

Vers. 30. *Non est Sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deum*, quod scilicet contra Dei dispositionem possit præualere.

Vers. 31. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.* Nulla sine Domini auxilio potentia proficit. Quamuis enim Rex aliquis copioso sit equitatu instructus, prosperum successum sperare non potest, nisi ei Dominus opitulator adsit. *Fallax equus ad salutem &c. Psal.* 32. * Vndè Catholicus Rex Philippus IV. piissimè, ac prudentissimè, dum exercitus nostri sunt cum hoste confligaturi, vbique Imperij precationes efflagitat. Nouit enim Regis esse præparare copias, equitatum colligere, militum fortiter dimicare; Dei autem elargiri victoriam.]

Regis est præparare exercitum, militum dimicare, Dei autem victoriam elargiri.

CAPVT XXII.

Salomon de cura boni nominis, de cordis mundicie, de misericordia, de fiducia in Deum, hoc in capite disserit.



1. MELIVS est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: super argentum & aurum, gratia bona. 2. Diues & pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus. 3. Callidus vidit malum, & abscondit se: innocens pertransiit, & afflictus est damno. 4. Finis modestiæ timor Domini, diuitiæ & gloria & vita. 5. Arma & gladij in via peruersi: custos autem animæ suæ longè recedit ab eis. 6. Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. 7. Diues pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis: 8. Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consummabitur. 9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam & honorem acquiret qui dat munera: animam autem aufert accipientium. 10. Ejice derisorem, & exibit cum eo iurgium: cessabúntque causæ & contumeliæ. 11. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. 12. Oculi Domini custodiunt scientiam: & supplantantur verba iniqui. 13. Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. 14. Fouea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam. 15. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. 16. Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit. 17. Inclina aurem tuam, & audi verba sapientium: appone autem cor ad doctrinam meam. 18. quæ pulchra erit tibi, cùm seruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis. 19. Vt sit in Domino fiducia tua, vnde & ostendi eam tibi hodie. 20. Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus & scientia: 21. vt ostenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis, respondere ex his illis qui miserunt te. 22. Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta: 23. quia iudicabit Dominus causam eius: & configet eos, qui confixerunt animam eius. 24. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: 25. ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. 26. Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis: 27. si enim non habes vnde restituas, quid causæ est vt tollas operimentum de cubili tuo? 28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. 29. Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

COMMENTARII.



ERS. 1. *Melius est nomen bonum,* seu bonam habere famam, *quàm diuitiæ multæ.* Quid enim diuitiæ prosunt ad hominis commoda, si attrita fama afficitur, qua personam necessum est ab omnibus despici:] *Super argentum, & aurum gratia bona*, seu hominibus, inter quos diues viuit, gratum esse, quod adipisci nequit, qui mala seu sanguinis, seu morum fama deturpatur.

Non prosunt diuitiæ, cum persona mala ex fama contemnitur.

Vers.2. Diues & pauper obuiauerunt sibi: In Rebublica pauperes adsunt, & diuites, humilis fortunæ, ac diuites passim occurrunt. *Vtriusque operator est Dominus*, naturali conditione pares sunt. * Vnde non contemnendi pauperes, qui æquales natura, fortè moribus meliores existunt.]

Non contemnat diues pauperem, æqualem naturâ, moribus fortassè meliorem.

Vers.3. Callidus cautus, prudens, *Vidit malum, & abscondit se*, imminens periculum animaduertit, & ab eo se abstrahere curauit. *Innocens* nimium simplex (Chald. *insipiens*) *pertransiit*, perrexit in eo, quod cœperat, *& afflictus est damno*, periculum non aduertens, vel non, vt debuisset, magni faciens, in id incidens afflictione est affectus. * Sapientis est, vel periculi vmbram maximè in materia conscientiæ celeriter fugere.]

Vel periculi vmbrã prudens fugit.

Vers.4. Finis modestiæ Timor Domini. Pro *Modestia* in Hebræo est ענוה *hananah* id est, *Humilitatis*, vt sit sensus, Humilitatis finis, seu fructus est, hominis animum diuino timori subiectum reddere: sicut effectus seu fructus superbiæ est, hominem à diuino timore abstrahere. Item humilitatis fructus est *diuitiæ, gloria, & vita.* Humilis enim præter timorem Dei diuitias, felicitatem, vitæ longitudinem, & gloriam adipiscitur. * Et quandò vera humilitas non cunctis spiritualibus bonis, & plerumque temporalibus stipatur?]

Humilis omnibus bonis stipatur.

Vers.5. Arma & gladij in via peruersi, multiplex periculi genus in impiorũ cursu reperitur. *Custos autem animæ suæ longè recedit ab eis*, qui animam, seu vitam suam voluerit à periculis immunẽ custodire, à via impiorum longè recedit. * Si cum impiis ineas societatem, multis incommodis, quibus Deus illos assolet flagellare, tolerare cogeris.]

Recede ab impiis, ne eorum suppliciis, societatis causa, efficiaris.

Vers.6. Prouerbium vetus, & verum *est*: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Chald. *Imbue puerum, vel instilla puero doctrinam*, nempe eius ætati conuenientem, ita vt capere possit; retinebit illam, etiam in senio. * Pueritiæ & adolescentiæ mores vel in senectute vigent. Adolescentia libidini addicta, turpem senectam connotat. * Hinc edisceant parentes, quanti ponderis sit, filios vel adolescentes bonis moribus informari. Nam

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.]

Adolescentia libidini addicta, libidinosam senectam connotat.

Magna sit cura parentibus in filiis instruendis.

Vers.7. Diues, nequitiâ temporum, *pauperibus imperat.* * Quia magistratus dignis sæpè non præparantur, & aliquandò emuntur] * Frequenter verò diuites iudicantur ad regimina aptiores existere; quia si diues sis, Sapiens, & prudens, & rectus esse iudicaberis.] *Et qui accipit mutuum, seruus est fœneratoris*, siue obnoxius est interusurium soluere. * Quod quidem genus est seruitutis.

Magistratus diuitibus dãtur aliquandò venales.

Diues cunctis dotibus ornati iudicatur.

Genus seruitutis, fœneratori interusurium soluere.

Vers.8. Qui seminat iniquitatem, metet mala. Fructus enim sparso semini respondet. * Peccati fructus omnium malorum colligatio.] *Et virga iræ suæ consummabitur* Peccator hisce malis obruendus peccati quidem messe; propterea quod seminauit iram, virgam scilicet, quâ alios oppressit, & afflixit; seu virga potestatis suæ non pro iustitia, sed pro iracundia sua fuerit in subiectos abusus, conteritur quidem, & affligitur à Deo ærumnis, qui alius iniustè conterit, & affligit.]

Peccati fructum omnium malorũ colligatio.

Qui alium iniustè conterit, à Deo iustè conteretur.

Vers.9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. De panibus enim suis, non de alienis, dedit pauperi. * Non benedicitur, qui de bonis furto, vel iniustè acquisitis, eleemosynam gerit, sed qui de propriis opibus inopi succurrit.] *Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientiũ.* Qui militibus dona, vel præmia largitur, eos excitat ad exerendas vires, vnde victoria comparatur: ab omnibus honoratur, & magni fit liberalis, & munificus & cæteros accipientes sibi deuincit, sibi reddit obnoxios, etiam sępè (proh dolor) contra æquum, & iustum. * O quàm potens, quàm valida, quàm omnia vincens munerum elargitio.

De propriis bonis eleemosyna agẽda.

Quàm potens, quàm omnia vincens munerum elargitio.

Vers.10. Eijce derisorem. LXX. λοιμὸς *pestilentem.* Excute à te pestilentem, qui domi omnia iurgiis, & contentionibus miscet: & exiuit cum eo iurgium, *cessabuntque causa iurgij, & contumelia.* * Apposité derisor *pestilens* vocitatur: Nam aliorum actiones irridet, in familia, in Vrbe infecturam omnes ingerit pestilentiam.

Derisor est Reipublicæ pestis.

Vers.11. Qui diligit cordis munditiam, sinceritatem animi, & integritatem ab omni fuco, ac prauitate alienam, *propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem*, ob sincerum, ac verum sermonem gratus Principi existet. * Certè qui Regibus mendaciter, ac fucatè loquuntur studentes adulationi pij Principis non callent ingenium, cui agnatum est, velle, vt sibi in omnibus veritas, licet acida referetur.] * O tempora, quandò operculo, seu profundo silentio obruta veritate, curant proceres mendaciis Regum gratiam inire!]

Pio Regi agnatum est, velle, vt sibi in cũctis veritas licet acida referetur.

Multi immeritò curãt ex mendaciis Regum gratiam inire.

Vers.12. Oculi Domini custodiunt scientiam. seu claram rerum omnium, quæ geruntur, notitiam habent: *& supplantantur verba iniqui.* Cum igitur omnia videat Deus, non illum latent iniquorum eiusmodi Regem fallentium dola, & mendacia; sed illis occurrit, & eorum conatus euertit. * Conatus eorum qui Regem mendaciis seducere curant, tandem reserantur, & acriter puniuntur.]

Conatus eorum, qui mẽdaciis Regẽ student decipere, reserantur, & puniuntur.

Vers.13. Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. Magna sunt pericula, quæ perinde ac leonem timeo: haud expedit è domo procedere. * Proprium pigri hominis est in cunctis rebus leones, seu pericula somniare.]

Hominis pigri est in cũctis rebus pericula sõniare.

Vers.14. Fouea profunda, os alienæ, seu blanditiæ adulteræ, vel meretricis: *cui iratus est Dominus* ob peccata & flagitia patrata, incidet in eam foueam, seu adulterio fœdari permittetur. * Luxuriei peccatum foueam esse tartaream non dubites, cui adulter, aut mæchator velut in-

Luxuriei peccatum tartarea est fouea.

ferno

Magnum est Dei irati documentum, & supplicium impij, cum in aliud crimen incidere permittitur.

ferno additur.] * Profectò peccator à Deo permittitur in alia, atque alia crimina labi, vt posteriora sint pœna priorum. Graue enim admodum supplicium est ei, qui deliquit in vno, in alterum incidere peccatum: & manifestum irati Numinis documentum.]

Vers. 15. *Stultitia colligata est in corde pueri: & virga disciplinæ fugabit eam.* Cum stultitia, vel insipientia puero tenaciter adhæret, castigatio, quia ad disciplinam conformatur eam radicitus auellet. * Non desperet parens, si filium ingenio hebetem aspectarit: cum enim hebetudo assidua correptione superatur.]

Ingenium pueri laborans hebetudine, patris assidua correptione sanatur.

Vers. 16. *Qui calumniatur pauperem*, seu in eum calumniam confingit, aut excitat, *Vt augeat diuitias suas.* illius auferens calumnia substantiam: *dabit ipse ditiori.* Permittet enim Deus, vt ditior ac potentior contra calumniatorem calumniam effingat, & diuitias proprias, quamque ex paupere substantiam iniustè acquisiuit, auferat in supplicium: vt in quo quis peccauit, per id puniatur.]

Per calumniã opes proprias amittet, qui per calumniam acquisiuit alienas.

Vers. 17. 18. *Inclina aurem tuam, & audi verba Sapientum*: appone autem cor tuum, non solum aures, *ad doctrinam meam. Quæ quidem pulchra erit tibi, cum seruaueris eam in ventre tuo, in tuis visceribus, & redundabit in labijs tuis.* Pulcher, seu spectabilis eris iis, qui dignouerint, te acquirendæ Sapientiæ operam dedisse: & scientia, quam audiendo Sapientes acquisiisti, tuis in sermonibus apparebit. Nam cordati, & Sapientes prudenter loquuntur. * Et quidem ex prudenti loquela facilè pectoris, ex quo profluit prudentiam, ac Sapientiam agnoscimus.]

Ex prudenti sermone facilè pectoris, ex quo profluit, Sapientiam, ac prudentiam agnoscimus.

Vers. 19. *Vt sit in Domino fiducia tua.* Nectè cum eo, quod dictum est proximè, *Inclina aurem tuam &c.* vt finis significetur doctrinam audiendi, scilicet, vt per illam auditam & seruatam, in Domino quis securè fidere possit. *Vnde & ostendi eam tibi hodie*, id est, vt discas Deo fidere in horum Prouerbiorum sententiis tibi Sapientiæ expressi necessitatem, & vtilitatem.

Vers. 20. 21. *Ecce descripsi eam tibi tripliciter.* Multipliciter te Sapientiam, vt in Deo fiduciam collocares, edocui, varia tradens documenta, & eadem frequenter inculcando, & repetendo, *in cogitationibus, & in scientia*, id est, cum magna rerum meditatione & cogitatione. *Vt ostenderem tibi firmitatem*, seu res certas, solidam, doctrinam, & *veritatis eloquia tradens respondere ex his, illis, qui miserunt te.* Id est, vt traditis à me dogmatibus, benè instructus, iis respondere possis, qui te ad discendum, vel ad negotium aliquod tractandum immisère.

Vers. 23. *Non facias violentiam pauperi: quia pauper est*, ex eo factus insolentior; quia se ille non valeat vlcisci. Certè ex eo, quod pauper est, misericordia potiùs est dignus. * Vel potiùs, quia pauper est, Dei gerit imaginem, qui in pauperibus egere, toties affirmat. Vnde vexationem pauperis in Deum refluere, quis dubitet?] *Neque conteras egenum in porta*, cum scilicet in iudicio opprimens. Olim enim iuxta Ciuitatum portas prætoria aderant, vbi ius dicebatur. *Quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Dominus pauperem defendet, pro ipso pronuntians sententiam, téque damnabit, ac puniet. Ne nimiùm inops affligentur in hominum iudicio iniustè damnati, supremi Iudicis tribunal appellent, qui eorum causæ aderit Aduocatus, & Iudex.]

Non est vexandus pauper, ne Deus in illo dinexetur.

Deus causarum pauperis est Aduocatus, & Iudex.

Vers. 24. 25. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso*: ne fortè *discas*, seu mores *eius ediscas, & sumas scandalum animæ tuæ*, ne scilicet tibi irascendi occasionem præbeat, qua prouocatus in aliquod delictum incidas. * Difficile est amicitiam cum quolibet peccatore contrahere, & eius consortio mores illius non ediscere.]

Difficile est cum peccatore amicitiã inire, & eius non ediscere impietatem.

Vers. 26. 27. *Noli esse cum his, qui defigunt manus suas*, qui fideiubent: (Datur fides dexteram dexteræ iungendo, quod est manus defigere,) *& qui vades se offerunt pro debitis*, seu qui pro alio spondent. (Qui spondent in re capitali Vades, qui in re pecuniaria *Prædes* vocitantur. Sed noster interpres vnum pro alio accipit.) *Si enim non habes vnde restituas, quid causa est, vt tollas operimentum de cubili tuo.* Cur in eas te coniicis angustias, vt creditore pecuniam à te repetente, cum soluendo non sis, permittere cogaris, vt ipsa lectuli tui stragula auferat? * Fideiussor aduertat, dic, quâ fideiubet se & cibo, & lectulo priuare. Plures vidi, ob fideiussionem vilem cibum ostiatim petiisse, séque recepisse hospitalis ad lectulum.]

Fideiussores plerumq; cibo, ac lecto spoliantur.

Vers. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos*, seu fines agrorum, quos veteres posuerunt, in alienam irrumpendo possessionem, & tenuiorem vicinum submouendo: sed retine terminos, *quos posuerunt patres*, seu *proaui tui.* * Pars enim illa fundi, quam fraude, aut vi possideris, in fructiferam omnem reddet hæreditatem, totum fundum faciet sterilem.

Pars fundi iniustè possessa infœcundum totum fundum reddit.

Vers. 29. *Vidisti virum velocem in opere suo*, seu strenuè negotia tractantem, ac breui temporis spatio aptè expedientem? *Coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles*, Rex eum sibi asciscet, & opera illius vtetur, nec in famulatu virorum ignobilium hærebit: sed ad honores, publicáque munera producetur. * Si temporarij Reges diligentem diligunt famulatum: quid cœlestis Regum Imperator?]

Deus vult suis in famulis rectè operandi diligentiam.

CAPVT XXIII.

Inter epulas linguæ custodiæ inuigilandum, consortia inuidorum vitanda, nimiis opibus non inhiandum acquirendis, alienis præcipuè minimè comparandas, cauendam crapulam, & luxuriam, Salomon conatur persuadere.

1. QVANDO sederis vt comedas cum principe,diligenter attende
quæ apposita sunt ante faciem tuam: 2. & statue cultrum
in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam,
3. ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.
4. Noli laborare vt diteris:sed prudentiæ tuæ pone modum.
5. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere:
quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.
6. Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius: 7. quoniam in
similitudinem arioli & coniectoris, æstimat quod ignorat. Comede & bibe, dicet
tibi: & mens eius non est tecum. 8. Cibos, quos comederas, euomes: & perdes
pulchros sermones tuos. 9. In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient
doctrinam eloquij tui. 10. Ne attingas paruulorum terminos: & agrum pupillorum
ne introëas: 11. Propinquus enim illorum fortis est: & ipse iudicabit contra
te causam illorum. 12. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba
scientiæ. 13. Noli subtrahere à puero disciplinam:si enim percusseris eum virga,non
morietur. 14. Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno liberabis.
15. Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum: 16. & exultabunt
renes mei, cùm locuta fuerint rectum labia tua. 17. Non æmuletur cor
tuum peccatores:sed in timore Domini esto tota die: 18. quia habebis spem in nouissimo,&
præstolatio tua non auferetur. 19. Audi fili mi, & esto sapiens: & dirige
in via animum tuum 20. Noli esse in conuiuiis potatorum,nec in comessationibus
eorum,qui carnes ad vescendum conferunt: 21. quia vacantes potibus,& dantes
symbola consumentur,& vestietur pannis dormitatio. 22. Audi patrem tuum,qui
genuit te:& ne contemnas cum senuerit mater tua. 23. Veritatem eme,& noli vendere
sapientiam,& doctrinam,& intelligentiam. 24. Exultat gaudio pater iusti:qui
sapientem genuit,lætabitur in eo. 25. Gaudeat pater tuus,& mater tua,& exultet
quæ genuit te. 26. Præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas custodiant.
27. Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus,aliena. 28. Insidiatur in
via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet. 29. Cui væ;cuius patri væ; cui
rixæ?cui foueæ?cui sine causa vulnera?cui suffusio oculorum; 30. Nónne his, qui
commorantur in vino,& student calicibus epotandis? 31. Ne intuearis vinum quando
flauescit,cùm splenduerit in vitro color eius:ingreditur blandè, 32. sed in nouissimo
mordebit vt coluber,& sicut regulus venena diffundet. 33. Oculi tui videbunt
extraneas, & cor tuum loquetur peruersa. 34. Et eris sicut dormiens in medio
mari,& quasi sopitus gubernator, amisso clauo: 35. & dices: Verberauerunt me,
sed non dolui:traxerunt me,& ego non sensi:quando euigilabo, & rursus vina reperiam?

COMMENTARII.

ERS. 1.2.3. Quando sederis, vt comedas cum Principe,diligenter attende,quæ *apposita sunt tibi* fercula *ante faciem tuam* edenda: *& statue cultrum in gutture tuo*, cohibe, scilicet, appetitum, & veluti cultro gutturi infixo, refrænare stude immodicam ciborum appositorum appetentiam. *Si tamen habes in potestate animam tuam*, si tamen tui compos es,& vales teipsum cohibere. Hebr. *Babal nephes si dominus es animæ.* * Principum enim, seu procerum mensa ferculis abundans facilè solet in inuitatis animi dominium auferre, vt vix potentes sint,gulæ appetitum infrænare.Si, inquam,tui potens es, *ne desideres de cibis eius,in quo est panis mendacij*, seu cibus suauis, qui facilè

Mensa ciborum plena inuitati aufert quodammodò potentiam, vt appetitum valeat infrænare.

lè comedentem decipit, vt cum ſe moderatè comediſſe putet, poſtmodum deprehendat, ſe temperantiæ fines prætergreſſum. Locus à multis ſacræ Euchariſtiæ accommodatur, quem is conſcutitem, ſi particula illa: *In quo eſt panis mendacij*, me non auerteret, in menſa enim Euchariſtica *verè eſt cibus, verè, eſt potus*. Leont. *Verus cibus, verus potus*. * Si autem adhuc velis de Euchariſtia exponi: cum ad ſacerrimam menſam acceſſeris vt comedas cum cœleſti Principe, ſeu (vt alij transferunt) *Vt comedas Principem, ſtatue cultrum gutturi tuo*, comede ſcilicet, ac ſi poſt communionem iugulandus eſſes. Tunc enim comedes ad vitam, cum ea ſumpſeris cibum præparatione, qua illicò moriturus curares accedere.] * Et quidem ſacerrimus panis hic, inſtar Gedeonis volantis panis, ſimul eſt gladius iis, qui indignè ad menſam accedunt. Vnde indignus ſibi perſuadeat cultrum gutturi, ſeu animo ſtatuere exitialem, cum Euchariſticum panem indignus abſumit.]

Sic accede ad Euchariſticam menſam, quaſi poſt communionem eſſes iugulandus, vt accurata præparatione ſtudeas.

Panis Euchariſticus ſimul eſt gladius indignè ſumentibus.

Verſ.4. Noli laborare, vt diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum, prudentiæ inquam, vel induſtriæ, quà homines in comparandis opibus vtuntur, de qua Dominus *Lu. 16.* ait: *Filij huius ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis, in generatione ſua*. * Nimia circa opum acquiſitione ſolicitudo, taxabilis procul dubio eſt; ingenerat enim animi deſidiam ad cœleſtes opes comparandas.]

Nimia circa opum acquiſitionem ſolicitudo taxabilis eſt.

Verſ.5. Ne igitur *erigas oculos tuos ad opes, quas non poteſt habere*, quantumuis eas conſequi expetas, etſi conſequutus eas fueris, haud poteris diu poſſidere, *quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cœlum*. fugient à te opes, nec eas aſſequi poteris, non magis quàm aquilas altiſſimè deuolantes. * Opes alatæ ſunt, difficilè poterit quis eas diu poſſidere.] ſi verò prudentiſſimus vis, opes tuas vtiliter *ad cœlum*, inſtar in morem aquilæ deuolare, priuſquam à te fugiant, eas pauperum in ſinum transfer.]

Opes pennatas difficilè quis poterit diu poſſidere.

Opes pauperi commiſſæ in cœlum vtiliter deuolant.

Verſ.6.7. Ne comedas cum homine inuido & ne deſideres cibos eius Hebr. *Ne comedas panem mali oculi*. Phraſi Hebræorum *bonus oculus* dicitur homo liberalis; *malus* verò *oculus* homo parcus, & inuidus Cum huiuſmodi homine ne comedas, licet enim te ad prandium inuitet, tamèn quia ſordidè auarus eſt, dolet, cum ſua videt abſumi, nec liberali dat animo, ſed conuiuis illa inuidet, & ſi poſſet, ſubtraheret. *Quoniam in ſimilitudinem arioli, & coniectoris, æſtimat quod ignorat*. Cum enim menſæ aſſederis, intra ſe, quaſi futuri coniector, & diuinus cogitabit, & æſtimabit, quàm multum ſis comeſturus, & dum comedes, bolos, quos in os ingeres numerabit, anxius ne nimis multa abſumas. *Te eſtarà contando los bocados. Comede, & bibe, dicet tibi: & mens eius non eſt tecum*. Non ex animo hoc dicit, vellet enim, te potiùs parum comedere, & appoſitis eduliis parcere. * Hoc quidem eſt hominis inuidi ingenium parcum, miſerum eſſe, atque mendacem.]

Inuidus parcus, miſer ac mendax eſt.

Verſ.8. Cibos, quos comederas, euomes, ſeu cum illiberalitatem illius animaduerteris, adeo inſuaues erunt tibi epulæ illæ, vt velles, ſi poſſes comeſtos cibos euomere. *Et perdes pulchros ſermones tuos*, mœſtitia occupatus, animus non poterit hilariter & amicè confabulari, ſed nihil magis optabis, quàm poſſe te inde ſubducere.

Verſ.9. In auribus inſipientium ne loquaris, ne cum inſipientibus ineas ſermonem: *quià deſpiciet doctrinam eloquij tui*, iudicans illam eſſe deliramenta. * Vt ediſcant Concionatores, rudibus hominibus ſubtiles conceptus haud eſſe proferendos; agricolæ enim rudes tunc iudicant ineptam ſtultamque fuiſſe concionem, cum eam minimè calluere.]

Ruſtici ſubtiles Concionatoris conceptus deliramenta eſſe iudicant.

Verſ. 10 11. Ne attingas paruulorum terminos. & agrum pupillorum ne introeas. Propinquus enim illorum fortis eſt, & ille iudicabit contra te cauſam illorum. Cum quis apud Iſraëlitas ad inopiam redactus, ſuam poſſeſſionem vendidiſſet, is, qui erat propinquior pauperis, poterat quod venditum erat, redimere. *Leuit. 25.* Caue igitur pauperis, & pupilli deſpecti quidem, ſubſtantiam poſſidere: fortem propinquum habet, qui fundum redimat, & iudicet eum, qui poſſidet iniuſtè. * Quinam redemptor hic, qui ſimul eſt Iudex, & propinquus? Certè Deus, qui dicit, Quòd *minimis meis*, ſeu pauperibus *feciſtis, mihi feciſtis*. ipſe redimet ablata; quia Redemptor eſt, & Iudex potens & rectus inopum iniurias vlciſcetur.]

Deus propinquus pauperis iniuria affecti redimit ab eo ablata, & raptorem iudicat, & punit.

Verſ.12. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, applica non ſolùm aures, ſed animum ad doctrinam, & *aures tuas ad verba ſcientiæ*. * Non proficit aures applicare ad Concionatoris doctrinam, ſi auditor ſimul præcordia non applicet.]

Non proficit applicare aures ad Concionem, ſi cor non applicetur.

Verſ. 13.14. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, correptionem, & caſtigationem: haud virgæ parcas; *ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur*, puerum flagella non occident. Taxantur parentes, qui ſtultè filiorum amatores exiſtimant eorum valetudini flagella nocere: vnde contra Magiſtros aſſolent (ſæpè vidi) querulì inſurgere:] *Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno*, de ſepulchro, ſeu morte temporali, quam illum incurſurum timebas, & ſimul de æterna, vitia eius corripiens liberabis.

Filij valetudini flagella non nocent.

Verſ. 15.16. Fili mi, ſi Sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum, ſi fueris Sapientiam adeptus, ita vt prudenter, & cordatè loqui, & agere valeas de tuis profectibus mirum in modum exultatione afficiar, túque ſimul gaudio perfrueris. Exultabunt profectò (rurſum dixerim) *renes* (ſeu cor) *mei, cum locuta fuerint rectum labia tua*, ſeu cum te ex ſermonibus prudentibus omnes compererint eſſe rectum. * Ex rectitudine enim cordis os loquitur recta, & animi affectus ex ſermonibus colliguntur.]

Verba cordis affectus indicant.

Verſ. 17.18. Non æmuletur cor tuum peccatores, non imiteris peccatores, vel illis inuideas, etiamſi proſperè agere videantur: *Sed in timore Domini eſto tota die*, ſemper Dei legem obſeruando. *Quia habebis ſpem in nouiſſimo, & præſtolatio tua non auferetur*, per perſeuerantiam in Dei timore, habebis tandem quod modò ſperas, perfrueris optatis. * Fallax peccatoris ſpes conſequendi, quod optat; à Deo enim irato quid expectabit iniquus!]

Fallax peccatori ſpes conſequendi, quod optat.

Verſ.19. Audi fili mi, & eſto Sapiens, & dirige in via animum tuum, fac ex doctrina, quam meo ab ore accipis, vt rectè incedas, ſemitis inſiſtendo iuſtitiæ.

Verſ.20.

Verſ. 20.21. *Noli eſſe in conuiuiis potatorum, neque in commeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt.* Fuge menſam, vbi nimio potui meri, & immoderato carnium indulgetur edulio. *Quia vacantes potibus, & dantes ſymbola* (cum ſcilicet magis opiparum ſit conuiuium, quilibet ex conuiuis aliqua edulia conferunt in commune) *conſumentur*, ſeu redigentur ad inopiam: *& veſtietur pannis dormitatio*, id eſt, negligentia, & ſomnus nimius, quo corripiuntur, qui crapulæ, & guloſitati ſe indulgent, eos faciet pannis (Hebr. *veſtibus ruptis ac laceris indui.* * Qui enim crapulæ indulgent, tandem abſumptis nummis, laceri, ac pannoſi oberrant.]

Qui crapulæ indulgent, laceri, & pānoſi aberrant.

Verſ. 22.23. *Audi patrem tuū, qui genuit te.* Eo quod à patre tuo genitus es, debes eius præceptis obedire. Et ne contemnas, quæ à patre didiciſti dogmata, *cum ſenuerit mater tua.* * Filij etenim viduæ, cum eam ſenio vident confectam, aſſolent liberiùs operari fragile correptionis frænum contemnentes.] Vel non contemnas matrem cùm ſenuerit memor, te cum anguſtiis ac doloribus fuiſſe enixam. * Nunquam contemnendi parentes, ſed maximè cum ſenes ſunt, & magis filiorum indigent adiutorio.] *Veritatem eme*, ſemper quidem pretioſam, & magnis ſumptibus laborum acquirendam: *& noli vendere Sapientiam!* cum Sapientiam adeptus fueris, noli eam à te abiicere, noli alienare *doctrinam*, *& intelligentiam* omnium theſaurorum pretioſiſſimam.

Solet filius matris viduæ & ſenis correptionem contemnere.

Parentes reuerendi à filiis maximè in ſenectute.

Verſ. 24.25. *Exultat gaudio pater iuſti, qui ſapientem genuit lætabitur in eo.* * Mater aſſolet de filij externa pulchritudine exultare: pater verò prudens de ſanctis filij moribus, de Sapientia, qua actiones ſcit componere, gloriatur.] *Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet, quæ genuit te?* Tanta ſit morum tuorum pulchritudo, vt non ſolum pater tuus gaudeat, ſed & mater, ſeu genitrix tua ex corporis pulchritudine ad animi tranſiliat elegantiam, indeque vehementer exultet.

Matris eſt lætari de filij pulchritudine, patris autem de Sapientia.

Verſ. 26. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*, animum accommodans ad audienda, admittendaque, quæ ſum dicturus: *& oculi tui vias meas cuſtodiant*, & lumina mentis tuæ ſemper vias, quas tibi monſtrauero, obſeruent.

Verſ. 27. *Fouea enim profunda eſt meretrix*, in quam incautus, & non monitus miſerè decides. LXX. *Dolium perforatum eſt meretrix*, quod nemo poterit implere. * Meretrix namque haud facilè pecuniis impletur, ſed licet multa ingeras, adhoc plura deſiderat, & poſtulat.] *Et puteus anguſtus aliena*, è quo difficile poteris emergere.

Meretrix nūquam nummis impletur, inſtar perforati dolei.

Verſ. 28. *Inſidiatur via quaſi latro.* * Huiuſmodi enim mulierculārum amor, non eſt amor; ſed latrocinium; non enim cupiunt placere, ſed furari.] *Et quos incautos viderit, interficiet*, vita animi, aut etiam corporis priuabit. * Annon vidiſti meretricum occaſione innumera homicidia patrati.]

Meretricis amor, amor non eſt, ſed latrocinium.

Occaſione meretricum multa homicidia.

Verſ. 29. 30. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum?* Cuinam quæſo *væ* imminet, vulgo *Ai demi*, id eſt calamitas, quæ ſuſpiria triſtia admodum cordis excitat? cuiuſnam inquam patri *væ ay demi, ay demi?* Certè patri illius iuuenis, qui meretricis laqueo capitur, cuius vicem dolet, qui eum tanto genuit exitio. Cuinam verò rixæ periculoſæ? cuinam foueæ inquam incidat, dum caput ac pedes non ſatis officium ſuum exerunt? cuinam ſine cauſa vulnera, ferro gratis ſtricto; cuinam ſoffuſio oculorum, ſeu cœcitas mentis corporiſque præparatur? *Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* * Quàm vile ebrietatis vitium, ex quo tot, tam ſtultæ, tam ſine ratione actiones procedunt!] Igitur fili,

Ex ebrietate ſtultæ procedunt actiones.

Verſ. 31.32.33. *Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius*, guſtus excitans appetitum. *Ingreditur blandè*, fauces delinit, & guſtui gratum eſt. *Sed in nouiſſimo mordebit, vt coluber.* Quemadmodum enim venenum totum corpus peruadit, illud ſtupefacit, & mortem conciliat: ita ebrietatem ſenſuum, ac mentis torpor ſequitur, vulnera, ac mors corporis, & animæ per peccatum: *& ſicut regulus*, ſeu baſiliſcus *venena diffundet.* * Certè regulus ſolo necat aſpectu: ergo vinum, *quando flaueſcit* ne intuearis, te enim vel aſpectu interficiet, ſi ex pulchro colore eius concipis ſuauitatem, & te excitas ad calicem exhauriendum. *Oculi tui videbunt extraneas*, Hebr. *extranea.* Si ebrietate afficiaris, viſa abſurda oculis tuis obuerſabuntur, nec res vti ſunt, aſpicies. *Et cor tuum loquetur peruerſa*, quæ non decent loqueris, & quæ in corde retinebas arcana, peruerſa ſæpe, reſerabis.

Vinum reguli inſtar, ſolo necat aſpectu.

Verſ. 34.35. *Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clauo.* Mens enim fumida crapulæ caligine obſcuratur, nec ſenſus, ac eorum functiones regit: ſed mero æſtuans, & fluctuans ebrius, inconditè mouetur, loquitur, & agit. *Et dices: Verberauerunt me, ſed non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi.* Dices, inquam cum crapulam edormieris, & euigilaueris: Vino ſenſibus obſtupefactis flagellatus & raptatus per ſolum nullo fui affectus dolore. *Quando* igitur *euigilabo*, ſeu ſurgam è lectulo, *& vina*, rurſum epotanda, *reperiam?* * En vnum è grauiſſimis ebrietatis malis, quod homines cùm intelligant, ſe propter vinum vſu rationis caruiſſe, ac ſenſuum: adhuc tamen bibendi teneantur ſtudio, & vix ebrietate diſcuſſa, repetunt calices, quibus rurſum inebrientur. Ita quidem vt in huiuſmodi homuncionibus vna ebrietas ſit ad alteram proxima diſpoſitio]

Vna ebrietas eſt proxima ad alteram diſpoſitio.

CAPVT XXIV.

Docet nos Salomon, consortia mala vitare, Sapientiæ studere, oppressum iuuare, iudicare iustè, malum malo non reddere, nec indulgere otio.

1. NE æmuleris viros malos,nec desideres esse cum eis: 2. quia
rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labis eorum lo-
quuntur. 3. Sapientia ædificabitur domus, & prudentia ro-
borabitur. 4. In doctrina replebuntur cellaria, vniuersa
substantia pretiosa & pulcherrima. 5. Vir sapiens, fortis est:
& vir doctus,robustus & validus. 6. Quia cum dispositione
initur bellum:& erit salus vbi multa consilia sunt. 7. Excel-
sa stulto sapientia,in porta non aperiet os suum. 8. Qui cogitat mala facere,stultus
vocabitur. 9. Cogitatio stulti peccatum est: & abominatio hominum detractor.
10. Si despetaueris lassus in die angustiæ:imminuetur fortitudo tua. 11. Erue eos,
qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne cessés.
12. Si dixeris: Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, &
seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddétque homini iuxta opera sua. 13. Comede,
fili mi,mel,quia bonum est,& fauum dulcissimum gutturi tuo. 14. Sic & doctrina
sapientiæ animæ tuæ: quam cùm inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tuà
non peribit. 15. Ne insidieris,& quæras impietatem in domo iusti,neque vastes re-
quiem eius. 16. Septies enim cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in
malum. 17. Cùm ceciderit inimicus tuus,ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet
cor tuum, 18. ne fortè videat Dominus,& displiceat ei,& auferat ab eo iram suam.
19. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios: 20. quoniam non habent
futurorum spem mali: & lucerna impiorum extinguetur. 21. Time Dominum,
fili mi, & regem: & cum detractoribus non commiscearis: 22. quoniam repentè
consurget perditio eorum: & ruinam vtriusque quis nouit? 23. Hæc quoque sa-
pientibus: Cognoscere personam in iudicio non est bonum. 24. Qui dicunt im-
pio: Iustus es, maledicent eis populi, detestabuntur eos tribus. 25. Qui arguunt
eum, laudabuntur: super ipsos veniet benedictio. 26. Labia deosculabitur, qui
recta verba respondet. 27. Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum
tuum: vt posteà ædifices domum tuam. 28. Ne sis testis frustrà contra proximum
tuum: nec lactes quemquam labiis tuis. 29. Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic
faciam ei: reddam vnicuique secundùm opus suum. 30. Per agrum hominis pi-
gri transiui, & per vineam viri stulti: 31. & ecce totum repleuerant vrticæ,& ope-
ruerant superficiem eius spinæ,& maceria lapidum destructa erat. 32. Quod cùm
vidissem,posui in corde meo,& exemplo didici disciplinam. 33. Parum, inquam,
dormies,modicum dormitabis,pauxillum manus conseres,vt quiescas: 34. & veniet
tibi quasi cursor egestas,& mendicitas quasi vir armatus.

COMMENTARII.



VERS. 1.2. *Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis.* Periculosa enim est & animo, & corpori eorum consuetudo; *quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.* Vnde vel edoceberis ab eis rapinam, & fraudem, vel si in eis à Iudice deprehendantur eandem pœnam ob consortium dare cogeris. * O quàm periculosa animo, & corpori iniquorum societas!]

Periculosa animo, & corpori prauorum societas.

R.P. Ant. de Escob. & Mend. in SS. Script. tom. V.

Vers. 3. Sapientiâ ædificabitur domus, & prudentiâ roborabitur. Familia recta institutione filiorum, reliquorúmque familiarium roboratur, ac crescit feliciter per Sapientiam, ac prudentiam eius, qui illi præest. * Vndè quicumque familiarium defectus, familiæ præsidi erit attribuendus.]

Quilibet familiariũ defectus attribuendus est præsidi domus.

Vers. 4. In doctrina replebuntur cellaria, apothecæ, domus, officinæ, & cubicula apposita diffluent abundantia, & ornatu ob patrisfamilias prudentiam. & Sapientiam; vnde *vniuersa substantia* domus *pretiosa* aderit, *& pulcherrima.*

Vers. 5. Vir Sapiens fortis est, & vir doctus robustus,

bustus, & validus. Quia licet corporis viribus sit nonnunquam infirmior: tamen per Sapientiam, & prudentiam ita supplet fortitudinis defectum, vt facillimè subditorum renitentiam superet, & contundat audaciam. * Prælati infirmi prudentia potentissima est ad subditorum duritiem emolliendam, contundendam audaciam.]

Infirmi Prælati prudentia potentissima ad duritiem subditi emolliendam.

Vers. 6. Quia cum dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia sunt. Vis nosse, quàm sit potentissima ad gubernationem rectam subditorũ prudẽtia præsidis? Exemplũ tibi sit initum bellum, in quo militum ordo, bellica disciplina, consilia, astus, & stratagemata; quæ per Ducis prudentiam, ac scientiam præstantur, maximè prosunt ad victoriam. * Et quando victoria Ducis prudentiæ non debetur?]

Ducis prudentiæ, victoriæ debetur.

Vers. 7. Excelsa stulto Sapientia, tam edito loco sita est Sapientia, vt ad eam stultus pertingere non possit. Vndè *in porta non aperiet os suum*, publicis consiliis, vel iudiciis non intererit; quæ quidem Sapientiam, ac prudentiam requirunt.

Vers. 8. Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. Hebr. *Vir scelerum*, seu homo flagitiosus, & sceleratus à cunctis habebitur. * Proprium enim stultorum est, vitiis laxare fræna; quia nec habet suæ salutis rationem, nec ponderat flagitiorum grauitatem.]

Proprium stulti, sine fræno peccare.

Vers. 9. Cogitatio stulti peccatum est, hoc est stultus, & sceleratus de peccato patrando assiduè cogitat: *& abominatio hominum detractor.* * Qui enim audit absenti alteri detrahentem, prudenter cogitat sibi ab eodem detractore minimè parcendum, cum absens extiterit.]

Omnibus abominabilis est detractor.

Vers. 10. Si desperaueris lassus in die angustia: imminuetur fortitudo tua. Ex Hebræo Pagnin. *Remissus fuisti in die angustia: angusta fortitudo tua.* Eorum exigua est fortitudo, & patientia, qui ad quælibet aduersa animo excidunt, & de meliori fortuna desperant. * Certè in aduersis quantumcumque horribilibus de meliori successu desperare exigui admodum animi est; rotati enim sunt fortunæ processus.]

Exigui animi est in infelici euentu de felici desperare.

Vers. 11. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, si innocentes esse compereris. * Nocentibus enim in aliorum exemplum agnatum debet esse patibulum.] *Et qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses*, omnem adhibe diligentiam, ne pauper innocens exitiali supplicio addicatur. Quod monebat Dauid Psal. 81. *Eripite pauperem, & egenum, de manu peccatoris*, qui eum iniustè damnat, *liberate.*

Nocentibus in aliorum exemplum agnatum est patibulum.

Vers. 12. Si dixeris: Vires non suppetunt, ad liberandum innocentem, calumniatoribus resistendo, & iis, qui eum iniustè opprimunt: *Qui inspector est cordis, ipse intelligit*, an verè excuseris: *& seruatorem animæ tuæ nihil fallit; reddétque homini iuxta opera sua.* Hebr. *Qui seruat*, vel *custodit animam tuam.* Nihil fallit Deum seruatorem, & custodem animæ tuæ, cuius beneficio vt tu ab innumeris malis seruaris immunis: ita par est, vt tu etiam in aliis, qui periclitantur asseruandis sis solicitus. * Hinc Religiosi, quorum spirituali incolumitati Deus specialiter attendit, tenentur opem iis diligenter ferre, quibus mors spiritualis imminet.] Caue igitur si non gesseris. Iudex enim, qui falli non potest dignoscens te mendaciter excusari, meritò supplicio iratus afficiet.

Religiosi, quos Deus tam specialiter seruat, tenẽtur proximo seruando à culpis incumbere.

Vers. 13. 14. Comede fili mi, mel, quia bonum est, & fauum Dulcissimum gutturi tuo. Appete fructus Sapientiæ, & cum eos adeptus fueris, illis fruere, quia animæ dulciores sunt, quàm mellis fauus solet esse palato. *Sic ergo erit & doctrina Sapientiæ animæ tuæ; quàm cum*, post exanthlatos labores, *inueneris*, seu assequutus fueris, *habebis in nouissimis spem* æternam vitam assequendi, *& spes tua non peribit*, sed gloria potieris. * Nec dubium Sapientiam conferre admodum morituro ad actus doloris, & amoris eliciendum, ex vberiori malitiæ criminis cognitione, & æterni contemplatione status.]

Sapientia proficit admodum in mortis articulo, ad animi aptiorem dispositionem.

Vers. 15. Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti. Ne studiosa obseruatione studeas in iusto, qui pacatè cum omnibus viuere conatur, inuenire, quod carpas, dolis ad hoc instructis. Nam licet leuia quædam in eo deprehendi fortè possint errata, sine quibus hæc vita non ducitur; non autem facilè aliqua grauis culpa in eo inuenietur. Idcóque *neque vastes requiem eius.* * O quanta in domo, in communitate Religiosorum inquietudo adest, dum aliquis vel ex zelo falso plerumque, vel ex inuidia, vel ex odio aliorum, actiones vestigare satagit, qui quidem si errata leuia admittunt, graui tamen delicto abhorrent maculari!]

Religiosæ communitatis est quietudo grauis, cum quis aliorum errata vestigare satagit, ex prauo zelo.

Vers. 16. Septies enim cadet iustus, & resurget. Nomine *iusti* verè seruato, cadet sæpè sæpius multa leuia piacula committens, & resurgit velociter. *Impij verè corruent in malum*; diu enim in peccato persistunt. * Nam cum sit onus grauissimum velocem impedit resurrectionem, maturæ obstat pœnitentiæ.

Graue onus lethalis peccati veloci obstat pœnitentiæ.

Vers. 17. 18. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius non exultet cor tuum: Cum videris inimicum in graue piaculum incidisse, ne exultes. *Ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Ne fortè Deus qui videt, & cui tuus prauus displicuit affectus, iram, quam exeruit, permittens illum in peccatum excidere: in tuum caput transferat, te permittendo simili, vel grauiori crimine fœdari. * Qui de peccato exultat alieno, simile peccatum patrare permittitur.] * Horribile profectò supplicium est tartari vincens diritatem, dum peccator ex vno crimine in aliud incidere permittitur.]

Qui de peccato alieno gaudet, simile patrare permittitur.

Horribile suppliciũ est, permitti peccatorem, ex vno crimine in aliud incidere.

Vers. 19. 20. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris, aut imiteris impios, vel inuidia aut zelo ex eorum fœlicitate commoueatis. *Quoniam non habent futurorum spem mali.* Licet fortassè nunc abundent, non sperant, seu habent respectum ad futuram mutationem. *Nihil enim inuenient omnes viri diuitiarum in manibus suis* Psal. 75. Vnde *& lucerna* huiusmodi *impiorum extinguetur*, seu fulgor, qui ex opibus eis nunc procedit, inopiæ insperatæ tenebris deperibit. * Impios enim Deus assolet hìc plectere inopia, quæ quidem eis grauissimum est supplicium, cum nequeant inopiâ pressi, difficiles captare voluptates.]

Graue supplicium est impio, quã opibus abũdauit, inopiâ premi.

Vers. 21. 22. Time Dominum, fili mi, & Regem. Dominum quidem, quia potens est animam, & corpus in gehennam perdere: & Regem qui in terris Dei agit vicarium: *& cum detractoribus*, qui Dei, Regísque mandatis detrahunt, malè de iis loquentes, & ad illorum contemptum alios incitantes, *non commisceatis.* Quoniam repentè

exurget

exurget perditio eorum, subitò Deus in detractores huiusmodi animaduertet: *Et ruinam vtriusque quis nouit?* Nemo quidem; quia subitò, & inopinatò inferetur vtrique detractori, (nempè illi, qui contra Dei præcepta, & ei, qui contra iussa Principis prauè loquutus est,) ruina. * Cum igitur Rex Dei sit vicarius in terris, qui detrahit Regi, æquè videtur iustè puniri, ac si contra Deum murmur excitaret.]

Qui detrahit Regi, quasi Deo detraheret, reputatur, & punitur.

Vers. 23. *Hæc quoque Sapientibus* enuncio dogmata, quæ addiderim; insipientibus enim nihil prodesset dictitari. *Cognoscere personam in iudicio*, seu personam accipere, quia diues, quia propinquus, quia amicus, *non est bonum*, sed malum omnino.

Vers 24. *Qui dicunt impio: Iustus es*. Malum est etiam asserere, impium esse iustum. Isa. 5. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus*. Meritò *male dicent* eiusmodi adulatoribus *populi, & detestabuntur eos tribus*, aut *gentes*, vt LXX. transferunt. * Quid detestabilius, quàm iustam facere adulatione iniquitatem in virtutis iniuriam?]

Detestabile, facere iustã iniquitatem in virtutis iniuriam.

Vers. 25. Qui arguunt eum, laudabuntur: qui impium redarguunt, & sontem iouentum pro merito puniunt, *laudabuntur* à cunctis, qui illius laudatores detestabantur: *& super ipsos veniet benedictio*, à Deo, & ab hominibus benedicentur.

Vers. 26. *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet*. Iudex, qui sine acceptione personarum, quod æquum est, pronunciat: & generatim quisquis rogatus, sanè, & sapienter respondet: admitetur ad oscula, seu ad arctam aliorum amicitiam. * Rectitudo enim, & vrbanitas conciliat amicitias.]

Rectitudo, & vrbanitas conciliat amicitias.

Vers. 27. *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum: vt postea ædifices domum tuam*, Prius para *foris*, seu *in vico* (vt Hebr.) negotiationem tuam, agrum ita versare seu colere cura, vt vberes ex eo fructus colligas: & post hæc poteris ædificationem domus inire. Quasi diceret: Priusquam ad fabricam nouæ domus animum adiicias, compara tibi sufficientes diuitias, idque vel negotiando in vicis & Vrbibus, vel agriculturam ruri exercendo: nam ædificia sumptus ingentes poscunt. * Vulgari explicabo parœmia, *Las obras de las sobras*. Stultus planè qui domum curat ædificare, cum vix habeat quo domestici eius alantur.]

Stultè quis curat domũ ædificare, cũ vix habeat quid domestici comedant.

Vers. 27. Ne sis testis frustrà contra proximum tuum. Hebr. *Gratis*, Vatabl. *Temerè*. Nè præter meritum proximi, vel sine vrgenti causa socium, vel amicum tuum; obiecto temerè crimine vel contumelia, seu apud Iudicem, seu apud conciues traducas vel accuses. *Nec è contrà lactes quempiam*, seu aduleris cuiquam *labiis tuis*. * Quasi æquale sit quodammodo vitium aliquem falsò accusare, ac eum adulatione decipere.] LXX. loco illius particulæ, *Ne sis testis, frustra* legunt: Ne sis testis falsus. Pulchrè planè. Testis enim falsus frustra accusat proximum, cum agnatum sit mendacio tandem manifestari.] Vnde accusatus absoluitur]

Quasi æquale quodammodò vitiũ est, aliquem falsò accusare, ac adulatione decipere.

Testis falsus frustra accusat; quia citò mendacium manifestatur.

Vers. 29. *Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam ei: reddam vnicuique secundum opus suum*. Ne, quæso, fili, superbe iactites, Vlciscar iniuriam: me diuexantem diuexabo, eius operans ad exemplum.

Vers. 30. 31. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam stulti: & ecce totum repleuerant vrtica, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat*. Per pigritiam enim stultitiæ quidem agnatam culturæ agri & vineæ operam non expenderat: vnde pro messe vrticæ, pro vindemiæ fructibus spinæ colligendæ exponebantur: & si aliqui in vinea botri gratis adoluerant, maceriæ reficiendæ incuria, viatorum siti dedére refrigerium.

Vers. 32. *Quod cum vidissem, posui in corde meo*, seu animum aduerti, vulgariter dicerem, *Hice reflexion, & exemplo* hominis pigri, & stulti *didici disciplinam*. *Escarmente en cabeza agena.* * Magis enim stultus essem, si ex eiusmodi alienis malis cautionem non sumerem.]

Stultus est, qui ex alienis malis nõ sumit cautionem.

Vers. 33. *Parum*, inquam, seu dixi, *dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, vt quiescas*. id est, etiamsi parum dormias, aut etiam solummodò dormites (quod accidit cum in somnum proni nondum autem dormimus) & manus complices *ad pectus* (sic Hebr.) de more quiescere curantis: *Veniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi vir armatus*. Quasi cursor, inquam, qui lentè progredienti subitus, & inopinatus superuenit: & quasi vir armatus, cui non valeas resistere. Si egestas superuenit homini parum dormienti, & modicum dormitanti quid eis accidet qui interminabili pigritiæ sopore corripiuntur? * Nec dormitare modicum debet, qui expetit ab egestatis incommodis liberari.]

Nec modicum dormitare debet: qui vult ab egestatis incommodis liberari.

CAPVT XXV.

Oftendit Salomon, in quo gloria Dei, ac Regum fita fit: fuadet, pietatem, humilitatem, aliafque fectare virtutes, quæ variis metaphoris adumbrantur.

1. HÆ quoque parabolæ Salomonis, quas tranftulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda. 2. Gloria Dei eft celare verbum, & gloria Regum inueftigare fermonem. 3. Cœlum furfum, & terra deorfum, & cor Regum infcrutabile. 4. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriffimum. 5. Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iuftitia thronus eius. 6. Ne gloriofus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne fteteris. 7. Melius eft enim vt dicatur tibi: Afcende huc; quàm vt humilieris coram principe. 8. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito: ne poftea emendare non poffis, cùm dehoneftaueris amicum tuum. 9. Caufam tuam tracta cum amico tuo, & fecretũ extraneo ne reueles: 10. ne fortè infultet tibi cùm audierit, & exprobrare non ceffet. Gratia & amicitia liberant: quas tibi ferua, ne exprobrabilis fias. 11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore fuo. 12. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit fapientem, & aurem obedientem. 13. Sicut frigus niuis in die meffis, ita legatus fidelis ei, qui mifit eum, animam ipfius requiefcere facit. 14. Nubes, & ventus, & pluuiæ non fequentes, vir gloriofus, & promiffa non complens. 15. Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam. 16. Mel inueniſti, comede quod fufficit tibi, ne fortè fatiatus euomas illud. 17. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando fatiatus oderit te. 18. Iaculum, & gladius, & fagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum fuum falfum teftimonium. 19. Deus putridus, & pes laffus, qui fperant fuper infideli in die anguftiæ, 20. & amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peffimo. Sicut tinea veftimento, & vermis ligno: ita triftitia viri nocet cordi. 21. Si efurierit inimicus tuus, ciba illum, fi fitierit, da ei aquam bibere: 22. prunas enim congregabis fuper caput eius, & Dominus reddet tibi. 23. Ventus aquilo diffipat pluuias, & facies triftis linguam detrahentem. 24. Melius eft federe in angulo domatis, quàm cum muliere litigiofa, & in domo communi. 25. Aqua frigida animæ fitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. 26. Fons turbatus pede, & vena corrupta, iuftus cadens coram impio. 27. Sicut qui mel multum comedit, non eft ei bonum: 28. fic qui fcrutator eft maieftatis, opprimetur à gloria. 29. Sicut vrbs patens & abfque murorum ambitu, ita vir qui non poteft in loquendo cohibere fpiritum fuum.

COMMENTARII.



VERS. 1. *Hæ quoque parabolæ Salomonis* fequuntur eas, quæ præceffére. *Quas* quidem *tranftulerunt* non ex vna in alteram linguam, fed ex variis fchedis, aut libris, in quibus fparfim inuentæ funt, in vnum collegere *viri Ezechiæ* docti *Regis Iuda*, feu fub Ezechia Rege, qualis fuit Sobna, qui in diebus Ezechiæ fcriba fuit, hoc eft, diuinæ legis peritus.

Verf. 2. Gloria Dei eft, celare verbum. Ad Dei maieftatem pertinet rationes iudiciorum, & confiliorum fuorum abfcondere; cum enim fit omnium Dominus, fuperiorem, vel parem non habet, cui rationem reddere cogatur, *Et* è contra *gloria Regum inueftigare fermonem*, Decorum eft Regibus fuorum decretorum rationes & fundamenta inueftigare, & in promptu habere, vt calumniatoribus poffint fatisfacere. * Tunc enim fubditi decretis difficilibus obediunt libenter, cum vident iufta, vtilique niti ratione.] Difficilium decretorum Rex fubditis rationẽ manifeftet, vt faciliùs ipfi obediant.

Verf. 3. Cœlum furfum, & terra deorfum, & cor Regum infcrutabile. Vt difficile eft, diftantiam cœli à terra, feu cœli altitudinem, & terræ profunditatem veftigare: ita Regis cor. Nam ficut expedit, difficilium decretorum caufas exponere, neceffarium tamen eft confi-

lia

lia circa gubernationem, circa expeditiones belli, & alia huiusmodi ita secreta esse, vt à nemine indagari, ac comprehendi possint: alioquin irritæ excident, & à maleuolis euertentur. * O quot dispositiones admodum vtiles irritas esse vidimus ob consilij Regij reserationem!]

Consilium Regis secretum decet: alioquin eius vtilis corruet dispositio.

Vers.4. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum de manu artificis, qui illud efformauit. Quemadmodum aurem, cum aufertur rubigo ex argento, egreditur vas purum: haud aliter si è Regno impietas auferatur, putum erit per iustitiæ splendorem, stabile, ac firmum. * Mihi credite, ob iustitiam violatam, & scoriam vitiorum, quam Principes non curant à subditis auferre, Imperia florentissima corruere, totaque in rubiginem esse conuersa.]

Ob ciuium peccata Regna corruunt.

Vers. 5. Aufer impietatem de vultu Regis, seu à Rege: *& firmabitur iustitia thronus eius.* Et Regis sanctitate Imperium obfirmabitur felicissimum. * Preme illud. *Aufer impietatem de vultu Regis.* Bellè dixit *de vultu.* Nam cum in vultu, hoc est in manifesto piacula Principis exponuntur subditorum scandalo: magis excitant Dominum ad supplicium. Magnum Reipublicæ incommodum, Regem non esse porom: sed maximum procul dublo est, cum ad *vultum* prodit impuritas ad exemplum.]

Maximum Regni incómodum cum Regis peccata prodeunt in publicum.

Vers. 6. Ne gloriosus (LXX. Superbus) *appareas coram Rege: & in loco magnorum ne steteris*, seu coram Regni proceribus, & in loco eis destinato, ac debito. Fuge ambitionem.

Vers.7. Melius est enim, vt dicatur tibi: Ascende huc, hunc locum mihi debitum occupa, (ex inuitantis proceris vrbanitate.) *quàm vt humilieris coram Principe*, de loco, quem occupaueras, deiectus.

Vers. 8. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò. Cum rixa aliqua fuerit inter te, & alterum excitata, ne ira correptus, si aliquod peccatum de illo notaueras, illicò proferas. *Ne postea*, extincta iracundia, *emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum*, cuius defectus debueras amicitiæ iure operire. * Muliebris equidem ingenij est non virilis, cum rixantur, suos inuicem reserare defectus.]

Muliebris ingenij, non virilis est, cum rixantur, suos inuicem defectus publicare.

Vers.9.10. Causam tuã tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles: ne fortè insultet tibi, cum audierit, & exprobrare non cesset. Ne scilicet exprobret obiiciendo dedecus aliquod tuum, quod illi tanquam amico, consilij capiendi causa, communicaueris. * Prudens enim difficulter amico suum secretum reserat: ne fortè verus amicus non existat. Igitur imprudens omnino ostendetur, qui extraneo manifestat.] *Gratia, & amicitia liberant: quas tibi serua, ne exprobrabilis fias.* Vera amicitia, & bene apud alios fundata gratia ab hoc te liberabit incommodo: has tibi confirma. Nam si te amicus ex corde dilexerit, & apud reliquos, queis eum agis, gratiosus extitis: omnia, quæ ad tuum dedecus pertinere poterunt, cautè vitabunt. * Aptiùs dixerim, *Ne vilis fias.* Qui enim vero amico, & gratia apud cunctos fultus non est, parui fieri solet.]

Imprudens est, qui secretum suũ extraneo reserat.

Sine vero amico, & gratia apud populũ, parui quisque æstimatur.

Vers.11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Vt mala aurea argenteis lecti columellis imposita ob operis elegantiam aspicientes delectant: ita quæ Sapienter, & opportunè dicuntur, audientes oblectant, & dicenti ipsi decus addunt.

Vers.12. In auris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit Sapientem, & aurem obedientem. Quemadmodum margaritum fulgens in aurem auream, cui inseritur, admodum ornat: ita monitor Sapiens exornat aurem obedientem, quæ scilicet corripientem exaudit. * Preme illud: *Qui arguit Sapientem.* Nemo tam Sapiens in operando, qui non habeat in quo argui, vel corripi possit.]

Nemo tam Sapiens in operando, qui non habeat in quo corripi possit.

Vers.13. Sicut frigus niuis in die messis, ità legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. Tempore æstiuo frigus, qui ex apposita niue, potui communicatur, haurientem refrigerat, ac lætificat. Haud aliter fidelis legatus, cum prosperam expeditionem eorum, ad quæ missus fuerat, mittenti manifestat.

Vers.14. Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens. Quemadmodum aliquando nubes cœlum tegunt, & venti ingruunt, & strepunt tonitrua, & tamen desiderati imbres in terram non profunduntur: haud aliter iactabundi quidam homines multa pollicentur parum, aut nihil præstant. * Cum audieris igitur aliquem multa polliceri, scito, nulla impleturum.]

Cum audieris, aliquem multa polliceri, scito, nulla impleturum.

Vers.15. Patientia lenietur Princeps: petitor, seu candidatus, qui aliquod ambit officium, aut donum à Rege, patienter perseuerans in petitione, licet sæpius repulsam tulerit, tandem duritiem Regis lenit ex patientia, & optatis potitur.] * Quid non à cœlesti Rege perseuerans patienter in precibus, assequetur?] Et lingua mollis confringet duritiam. Sic *Cap.15.1. Responsio mollis frangit iram.*

Patienter sufferens Regis repulsã, qui aliquid honoris, vel opũ ambit, tandem consequitur: Quid à Rege cœlesti, non assequetur precibus instans.

Vers.16. Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi: ne fortè exsatiatus euomas illud. Modum adhibe in omnibus, ac præsertim in iis, quæ sensus oblectant. * Nimium enim sensuum oblectationi indulgere, graui corporis ac animi morbo, nauseam assolet excitare.]

In omnibus, præcipuè in iis, quæ sensũ oblectant, modus adhibendus.

Vers. 17. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui: nequando satiatus, oderit te. Nimia enim ad domum aliorum ingressio fastidium ingenerare solet, & odium. * LXX. *Raro induc pedem in domum proximi.* Hebr. *Pretiosum fac pedem tuum.* Qui frequenter alium inuisit, visitationem, quam pretiosam & æstimabilem poterat offerre, vilem & contemnendam prodigus exponit.]

Rara visitatio pretiosa est, & æstimabilis: frequẽs verò vilis, & contemnenda.

Vers.18. Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo, qui loquitur contrà proximum suum falsum testimonium. Imò iaculo, gladio, & sagitta dirior, hæc enim instrumenta corpus vulnerant, & occidunt: testimonium verò falsum animum exitiali vulnere afficit. * Qui honoris vitam æstimat, eliget sagittã configi potius, quàm famam modica affici læsione.]

Qui honoris vitam æstimat, eliget potius sagittã configi, quàm famã vulnerari.

Vers. 19. 20. Dens putridus & pes lassus, qui sperant super infideli in die angustiæ. Nam vt dens putridus cibos molere nequit, sed potius si illo vtaris, dolorem excitat: ita qui spem collocat in infideli amico. Eodem spectat pedis lassi similitudo fatigati scilicet podagra, (v. gr.) quo frustrà quis nitatur. *Et amittit pallium in die frigoris.* Frustrà sperat, & se tunc destitutum animaduertit, cum maximè illius ope indiguisset: sicut pallio hyeme pallio ad frigus arcendum

dum indigemus. *Infideli*, ait. Nam fidelis amicus calamitatis tempore non recedit. * Vnde si de fidelitate amici vis periculum facere, annota, num angustiæ, ægritudinis, aut inopiæ tempore solus existas.] *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.* R. Dauid putat *nitrum* esse alumen, quo lana dealbatur; aut saponem, quo dealbantur vestes Caiet. ait vestes sapone non mundari, si ei addatur acetum. Qui ergo cordi malis vehementer afflicto cantiones consolationis importunè inculcat, dolorem non magis absterget, quàm eluantur è vestibus maculæ sapone & aceto. *Cordi pessimo* Hebr. *Cordi malo*, id est mœrenti. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi*, illud scilicet cutis exedendo.

Fidelis amicus afflictionis tempore non recedit.

Vers. 21. 22. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius*, seu ignitos carbones non iræ, aut vindictæ: sed charitatis, & amoris, quæ eum inflammet ad redamandum. * Quomodò omnia non vincat charitas, si vel inimicum truculentum dulcissimum transferre in amicum?] Vel si velis carbones illos non ad charitatis ardorem, sed ad vindictæ ignem referri, qui bonum pro malo inimicis reddit, ita eum torquet, ac si ignitos supra caput eius carbones spargeret. Absit autem, vt vindictæ affectu inimico beneficia conferas.] Et *Dominus reddet tibi* cœleste præmium, qui prædicat, inimicos esse diligendos.

Charitas omnia vincit.

Benefacere inimico, est illum diuiter torquere.

Vers. 23. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.* Vt aquilone nubes, è quibus imbres dissipantur: haud aliter oblocutiones de absentibus tristi audientis facie assolent conticescere. Non enim murmuratio, aut detractio habet locum, cum auribus secundis non excipiuntur.]

Murmuratio dissipatur, cum tristi facie auditur.

Vers. 24. *Melius est sedere in angulo domus, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi.* Domum communem vocitarim publicum hospitium, quod recipiendis agentibus iter exponitur; cuius habitatio molesta assolet esse hospitibus, ob varia quæ inibi patiuntur incommoda. Sensus igitur est. Satiùs quidem angulo domus hætescere, seu *Viuir en vn rinçon*, & in domo communi, siue in communi hospitio semper habitare: quàm mulieris rixosæ in habitaculo degere, eiusque tragœdias passim excitatas exaudire. *Capite* 21. 9. aliter exposui.

Vers. 25. *Aqua frigida animæ sitienti: & nuncius bonus de terra longinqua.* Vt haustus aquæ frigidæ est sitienti gratissimus, ita bonus nuncius diu è longinqua regione expectatus.

Vers. 26. *Fons turbatus pede, & vena corrupta*, seu vena aquæ pede turbata, aut infecta sordibus est *iustus cadens coram impio.* Nam cum iustus aliquod labitur, in piaculum, eius fama ab impiis denigratur. * *Coram impio*, ait iusti enim dolent vicem cadentis, eiusque defectum satagunt operire, scientes stantem posse cadere.]

Impiorum est, iusti cadentis piaculum publicare: id operis iustus.

Vers. 27. *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum*, quia licet sit gustui suaue, tamen immodicè sumptum, valetudini officit, & grauat stomachum: *sic qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria.* Licet enim Maiestatis diuinæ mysteria scrutari sit suauissimum, tamen etiam in hoc, modus est statuendus, ne huiusmodi cibo plusquam ferre potest pectus, grauati, rerum excellentia obruamur. * Vel in spiritualibus, modus est adhibendus. Vndè Sapiens alibi, *Noli esse nimium iustus*]

Vel in spiritualibus, modus est statuendus.

Vers. 28. *Sicut Vrbs patens, & absque murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum* similis est loquax in custoditæ Ciuitatis ambitu murorum carenti, ex qua quilibet, & quà voluerit horâ potest exire, quia scilicet, verba temerè erumpunt, nec examinantur iudicio rationis, priusquam proferantur. *Cohibere spiritum* est, loquendi intemperantiam moderari. * Si ergo loquax, est sine custodia Ciuitas, consequens est, eius ingressum quibuscumque vitiis volentibus ingredi, patere.]

Loquax Ciuitas sine custodia cunctis vitiis offerens ingressum.

CAPVT XXVI.

A Sapiente edocemur, non ex altare stultum, non curare calumnias, cum stulto non stultescere, non indulgere pigritiæ, inepto honores non conferre, nobis minimè sapere, bilingues non esse, adulatoribus non auscultare.



1. QVOMODO nix in æstate, & pluuiæ in messe; sic indecens est stulto gloria. 2. Sicut auis ad alta transuolans, & passer quò libet vadens: sic maledictum frustrà prolatum in quempiam superueniet. 3. Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium. 4. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. 5. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. 6. Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium stultum. 7. Quomodo pulchras frustrà habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola. 8. Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit insipienti honorem. 9. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti: sic parabola in ore stultorum

ſtultorum. 10. Iudicium determinat cauſas: & qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat. 11. Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. 12. Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens. 13. Dicit piger: Leo eſt in via, & leæna in itineribus: 14. ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo. 15. Abſcondit piger manum ſub aſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eam conuerterit. 16. Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias. 17. Sicut qui apprehendit auribus canem, ſic qui tranſit impatiens, & commiſcetur rixæ alterius. 18. Sicut noxius eſt qui mittit ſagittas, & lanceas in mortem: ita vir: qui fraudulenter nocet amico ſuo: & cum fuerit deprehenſus, dicit: Ludens feci. 20. Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis: & ſuſurrone ſubtracto, iurgia conquieſcent. 21. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. 22. Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad intima ventris. 23. Quomodo ſi argento ſordido ornare velis vas fictile, ſic labia tumentia cum peſſimo corde ſociata. 24. Labiis ſuis intelligitur inimicus, cùm in corde tractauerit dolos. 25. Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne crediderit ei: quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius. 26. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio. 27. Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. 28. Lingua fallax non amat veritatem & os lubricum operatur ruinas.

COMMENTARII.



VERS. 1. *Quomodo nix in æſtate,* quæ maturandis frugibus nocet *& pluuiæ in meſſe*, quæ ipſam meſſem impedit: *ſic indecens eſt ſtulto gloria*; ineptè enim collocantur honorifica munera, cum inſipienti, qui illa malè gerit, conferuntur. * An indecentia hæc reſultet in ſtultum, an in conferentem ei honores? Profectò in conferentem potius refunditur, qui indecenter ſuo ſatisfecit officio. Indecens Princeps eſt, qui honorifica officia confert indigno.]

Indecens eſt Princeps qui ſtulto honorifica officia confert.

Verſ. 2. ſicut auis ad alia tranſuolans, & paſſer quò libet vadens: ſic maledictum fruſtrà, ſeu ſine cauſa *prolatum, in quempiam ſuperueniet*, ſiue iacietur. Maledicta, quæ ſine cauſa in aliquem iaciuntur, illi non obſunt, ſed ſimilia ſunt præteruolanti auiculæ, quæ non amplius apparet. * Vnde parentum maledictio filiis ſine cauſa iactitata nunquam habet effectum.]

Parentum maledictio filiis ſine cauſa iactitata non habet effectum.

Verſ. 3. Flagellum equo, & chamus aſino: & virga in dorſo imprudentium. Vt equus, & aſinus virga, & fræno indigent, quia ratione carent, & ſenſu reguntur: haud aliter imprudens flagello opus habet, quoad ea, quæ refugit, vrgeatur: fræno vt cohibeatur ab iis, quæ malè appetit. * Semper videris, imprudentem correptionis verba non intelligere, virga aliquando corrigi.]

Imprudens non verbis, ſed virga corripiendus.

Verſ. 4. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ſeu illius ſtultitiam imitando, dum contendit, dum conuitia effutit, dum vociferatur: *ne efficiaris ei ſimilis.*

Verſ. 5. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, id eſt, vt eius meretur ſtultitia, eum ſolidis rationibus conuincendo prudentibuſque arguendo ſermonibus. *ne ſibi Sapiens eſſe videatur*, ne ſcilicet, ſi taceas, videaris eius approbare ſtultitiam, vnde ſe prudentem præſumat exiſtere. * Cum ab imprudente, impudente quidem probrum exaudis, nó exeris impatientiæ piaculum: ſed potiùs charitatis effectum, illum modeſtè dum corripis.]

Modeſtè ſtultum corripere, te verbo pungentem, virtus eſt.

Verſ. 6. Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium ſtultum. Prouerbo *Bibens iniquitatem* eſt in Hebræo, *Bibens damnum*. Non alius vtitur nuncio ſtulto, quam is qui claudus eſt; ita vt ipſe nullatenus ire valeat, & alium aptiorem haud habet miniſtrum. Ipſe tamen bibet damnum, ſeu erratі ſui pœna afficietur ex inutili, & exitiali plerumque nuncij expeditione. * Nunquam non ſubit incommoda, qui ad cuiuſlibet negotij expeditionem miniſtro vtitur imprudenti.]

Semper dãna ſubit, qui ad negotia miniſtro imprudenti vtitur.

Verſ. 7. Quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias: ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola. Quemadmodum claudus fruſtra, ſeu inutiliter tibias pulchras habet, cum eis vti bene non poſſit: ita non decet in ore ſtulti parabola, qui illa benè, & opportune vti neſcit. * Stultum vocitarim Concionatorem, qui eloquens cum ſit, pulchraque proferat verba: haud naſcit auditorum moribus accommodate. Claudus ille eſt profectò pulchras inutiliter tibias habens.]

Claudus eſt Concionator, & ſtultus, qui pulchris vtitur verbis, & neſcit ea auditorum moribus applicare.

Verſ. 8. Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit inſipienti honorem. Rem abſurdiſſimam ille gerit, qui indignum dignitatibus ornat: non minùs quàm faceret ille, qui pretioſum lapidem in aceruum communium lapidum proiiceret, quales cumuli ad ſtatuas Mercurij in biuiis, aut triuiis iuxta veterum conſuetudinem paſſim exponebantur, quos cumulos tranſeuntes lapidis alicuius acceſſione augebant. * Nec ineptè dixerim, honorare inſipientem, idem eſſe ac colere idolum.]

Honorare officiis inſipiẽtem idem eſt, ac colere idolum.

Verſ. 9. Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti: ſic parabola in ore ſtultorum. Quemadmodùm ſi ſpinoſus ramus ſit in manu temulẽti, quo ille benè non vtitur, ſed ſeipſum illius tractatione cruentat, & alios etiam lacerat; ita parabola vel ſapiens dictum quo pungi quis poſſet, & ad virtutem ſtimulari, ſi in ore ſtulti adſit, qui opportunè eo vti non nouit, & ipſi, & audientibus nocumentum affert. * Spinoſa quidem eſt gubernationis, ſeu regiminis virga:

Spinea regiminis virga in manu inſipientis cum & ſubditos cruentat.

qua

quæ si insipientis Iudicis manui tradatur, eum dititer ac subditos cruentabit.]

Vers.10. Iudicium determinat causas : & qui imponit stulte silentium, iras mitigat : sicut prolata Iudicis sentētia, controuersiæ & lites diriniuntur, & silentium litigatoribus imponitur : ita Sapiens, qui stulto silētium indicit, iras eius, audientiúmque ipsum componit, & sedat.

Vers.11. Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum : sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. Quemadmodùm canis immundè iterùm comedit quod euomuerat : imprudens stultè locutus iterùm, atque iterùm repetit stultitiam epulum et suauissimum.

Vers.12. Vidisti hominem Sapientem sibi videri? magis illo spem habebit, insipiens Magis sperandum de insipienti aliquandò, id est de *improbo* (vt alij exponunt) quàm de sapiente, & probo, qui sibi talis videtur, & de sua probitate, ac sapientia superbè effertur. Exemplo tibi sit Pharisæus, & Publicanus. Vidi sæpè improbum ad frugem recipi meliorem : rarò autem aspexi eum, qui de sua probitate, aut sapientia præsumit, à seductione remoueri.]

Faciliùs est, improbū cōuerti, quàm de sua probitate, aut Sapiētia præsumentem emendari.

Vers.13.14. Dicit piger : Leo est in via, & leæna in itineribus. Omnia stulto difficultatibus plena, periculisque obnoxia obiiciuntur : vndè *sicut ostium vertitur in cardine suo,* sed semper in eodem loco hæret; *ita piger in lectulo suo* manet otiosus.

Vers.15. Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat, si ad os suum eam conuerterit. Tanta pigro est incuria, vt admouens manum ad cibos accipiendos, illum etiam piget ad os manum admouere, vt corpus reficiatur.

Vers.16. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. Pigro suadet pigritia, se multis sapiētibus sapientiorem esse. Vt vulgariter liceat exponere, *Piensa, que Sabe mas que los siete Sabios de Gracia.* Vndè prudentes non adit, vt illos consulat. * Quid non pigritia mali suadebit auctori? Dum ergò se sapientiorem esse putat, eligendo otio & quieti vacare, iis; qui negotiosam vtilem planè vitæ rationem elegerunt, inopia omnium incommodorum origine premitur.]

Quid non pigritia mali suo suadet auctori?

Vers.17. Sicut qui apprehendit auribus canem : sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius. Canis est animal, quod facilè irritatur, vndè auribus apprehensus, dentes, ac rictum in eum, à quo tenetur, conuertit. Id quidem accidit, non semel iis, qui se rixis immiscet, rixantium enim tela in se conuertunt. Hebr. *Sic qui transit, & irascitur in lite non sua.* * Imprudens proculdubiò est qui irâ affectus, & non vt aliorum extinguat iracundiam, rixis se immiscet alienis.]

Imprudens est, qui iratus, & non vt aliorum sedet iras, rixis se immiscet alienis.

Vers.18.19. Sicut noxius est, qui mittit sagittas, & lanceas in mortem, seu ad occidendum : *ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo; & cum fuerit deprehensus dicit : Ludens feci.* Verùm ludentem fecisse minimè credetur. Nec enim ioco aut nugis attribuenda est actio, quæ alicui nocere possit. Iocos, qui nocet exitiali sagittæ aut lanceæ comparandus. Hispanicum vulgare prouerbium. *No son buenas las burlas, que dañan.*]

Iocus aut nugæ, quæ alicui nocent, nugæ nō sūt, sed sagittæ.

Vers.20. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis : & susurrone subtracto, iurgia conquiescent, cuius malitia iurgiorum ignis succenditur, & accrescit. Rarò videbis iurgia inter domesticos vigere, quæ ex susurronum iniquitate non prodierint.]

Susurrones iurgiorum auctores.

Vers.21. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem : sic homo iracundus suscitat rixas. Quemadmodum carbo, si prunis ardentibus admoueatur, ignem concipit : non secus iracundus homo occasione oblata facilè exardescit.

Vers.22. Verba susurronis quasi simplicia, ac sincerè prolata videntur : *& ipsa perueniunt ad intima ventris,* intestinum enim odium inter amicos, ac domesticos solent ingenerare.

Vers.23. Quomodò si argento sordido, seu ab scoria non expurgato, vel ipsa scoria argenti *ornare velis vas fictile : sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.* Quemadmodùm vasi fictili, ac vili non malè conuenit vile argentum, siue scoria, quæ argenti quoddam est quasi excrementum : ita benè sociantur inter se labia tumentia, seu lingua arrogans, & cor malignum. Dignum planè patella operculum. * Profectò labiorum superbia, verborum arrogantia ex corde pessimo plerumquè procedit.]

Verborum superbia & arrogātia ex pessimo corde plerumquè procedit.

Vers.24. Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos. Verba cordis inimicitiam facilè manifestant. * Licet enim quis dolos occultare nitatur : tamen aliquæ sceleris notæ in verbis, aut in vultu aut gestibus solent exponi.]

Difficile quis cordis dolos occultabit.

Vers.25. Quandò igitur huiusmodi inimicus *submiserit vocem suam* blandiens submissè, ac modestè loquendo, *ne credideris ei; quoniam septem,* id est, *plurima nequitia sunt in corde illius.*

Vers.26. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio, seu multorum conuentu.* Nihil enim occultum, quod non reueletur, maximè cum impius id fraudibus operire affectat. Noli delinquere hoc prætextu : Nemo sciet. Nam peccato agnata est publicatio.]

Peccato agnata est publicatio.

Vers.27. Qui fodit foueam, incidet in eam; si eo consilio fodit, vt in eam proximus incidat. * Id Dauid cecinit. *Psal.7. Lacum aperuit, & effodit eum : & incidit in foueam, quam fecit.* Amanus lignum erigens Mardochæo tibi sit in exemplum. *Et qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Hebraica vox גלל *galal retare lapidem* significat. Qui lapidem funda rotat, volnerabitur eodem lapide ad ipsum recurrente.

In foueam incides, quā proximo parasti.

Vers.28. Lingua fallax non amat veritatem, si eam enim amaret fallaciis non læderet. *Et os lubricum operatur ruinas.* LXX. *Os sine tegmine.* Alij *Os lene, molle, blandum,* ac proindè fallax. Alij Os, quod facilè loquitur, *nec fideliter seruat arcana* Hoc quidem ruinarum, & incommodorum existit occasio. Grauissimæ ruinæ ex secreti violatione quotidie exoriuntur.]

Ruinæ quotidiè exoriūtur ex secreti violatione.

CAPVT XXVII.

Docemur, non procrastinare, non vanè nos laudare, iram fugere, amicitiam fouere, adulationem deuitare, mansuetudine iram compescere, curam nostrorum gerere.

1. NE glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat
dies. 2. Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, &
non labia tua. 3. Graue est saxum, & onerosa arena: sed
ira stulti vtroque grauior. 4. Ira non habet misericordiam,
nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?
5. Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus.
6. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula
odientis. 7. Anima saturata calcabit fauum: & anima esuriens etiam amarum pro
dulci sumet. 8. Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum
suum, 9. Vnguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis
anima dulcoratur. 10. Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris: & domum
fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior est vicinus iuxta, quàm fra-
ter procul. 11. Stude Sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, vt possis exprobranti
respondere sermonem. 12. Astutus videns malum, absconditus est: paruuli tran-
seuntes sustinuerunt dispendia. 13. Tolle vestimentum eius, qui spopondit pro
extraneo: & pro alienis, aufer ei pignus. 14. Qui benedicit proximo suo voce
grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit. 15. Tecta perstillantia in
die frigoris, & litigiosa mulier comparantur: 16. qui retinet eam, quasi qui ven-
tum teneat, & oleum dexteræ suæ vocabit. 17. Ferrum ferro exacuitur, & homo
exacuit faciem amici sui, 18. Qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui cu-
stos est domini sui, glorificabitur. 19. Quomodo in aquis resplendent vultus pro-
spicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. 20. Infernus & per-
ditio nunquam implentur, similiter & oculi hominum insatiabiles. 21. Quomodo
probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore lau-
dantis. Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam. 22. Si
contuderis stultum in pila quasi prisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo
stultitia eius. 23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuósque greges considera:
24. Non enim habebis iugiter potestatem: sed corona tribuetur in generationem &
generationem. 25. Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt
fœna de montibus. 26. Agni ad vestimentum tuum: & hœdi, ad agri pretium.
27. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum
ancillis tuis.

COMMENTARII.



VERS. 1. *Ne glorieris in crastinum,* seu de crastina felicitate aut fortuna: *ignorans, quid superuentura pariet dies;* nam omnia quæ in crastinum pendent, valdè incerta sunt: & quotidiè vides rerum futurarum successus inopinatis casibus præpediri. * Chald. pro *Superuentura pariet dies* posuit, *Hodierna pariet dies.* Frustrà tibi in crastinum aliquid tibi temerè promittis, cum nec scias quid sit demum vel hodierna die futurum. Quare ne vel ad horam differ de piaculis pœnitere.]

Non procrastinanda pœnitentia.

Vers. 2. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. * Laus enim proprio ex ore vilescit. Et certissima egregia gesta in dubium saltem reuocantur.]

Laus ex proprio ore certa gesta in dubium adducit.

Vers. 3. Graue est saxum, & onerosa arena: Sed ira stulti, qui scilicet, sine causa, ac molestè irascitur, *vtroque grauior.* Quia saxa & arenæ grauant corpus, ira autem stulti molesta est ac grauis animo. * Molestissimum quidem est stulti irrationalem contentionem audire.]

Audire stulti contentiones, molestissimum.

Vers. 4. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, dum feruet, dum irati animus æstuat. Et impetum hominis sic *concitati* ferre quis poterit?

Vers. 5. Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus, qui nullo beneficio se prodit. * Et quidem verè non amat, qui amati non curat errata corripere.]

Verè non amat, qui amati errata non corripit.

Vers.6. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Seu seuera correptio, quàm fraudulenta oscula odiotis. * Ille enim vulnerando sanat: hic verò leniendo exasperat vulnus.]

Inimicus osculo officit.

Vers.7. Anima saturata calcabit fauum, qui iam satur est cibo, reiiciet, despiciet, fastidiet vel suauissima fercula: *Et anima esuriens etiam cibum amarum pro dulci sumet.*

Vers.8. Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum. Is qui statum, & vocationem suam deserit, multis incommodis, ac periculis sese exponit: similis quidem auibus, quæ cum è nido euolant, & huc illucque diuagantur, aut visco capiuntur, aut aucupi cedunt in prædam. * Tales esse crediderim, qui ex secuto Religionis nido periculosum volant ad sæculum, misera plerumquè tartarei aucupis præda.]

Qui è Religionis statu remeat ad sæculum, degit periculosè.

Vers.9. Vnguento, & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis anima dulcoratur. Vt odoratis vnguentis & aromaticis cor hominis recreatur, ita mens anxia opportuno sapientis amici consilio.

Vers.10. Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Amicum tuum, quique ante fuit patris tui amicus, cuius amicitiam ne mors quidem dissoluit, ne vnquam deseras, aut dimittas, sed pro viribus complectere: & in die afflictionis tuæ domum talis amici longo experimento probati potiùs adi opis, consilij, aut solatij causa, quam domum fratris, vel propinqui. Istius enim & fides certior, & gratia promptior, & subsidium aderit opportunius. Propinqui te deserent in angustia, in egestate: verus amicus nunquam deserit.] *Melior est vicinus iuxta, quàm frater procul* degens, longéque dissitus: quem loci intercapedo non corpore solùm, sed & animo à te distraxit. * Naturale hoc absentiæ vitium dilecti admodum ingerere obliuionem.] Certè vicinitatis bonum quotidiana comprobat experientia.

In necessitate citiùs amicus, quàm propinqui succurrit.

Absentia ingerit animo obliuionem.

Vers.11. Stude Sapientia fili mi, & lætifica cor meum: vt possis exprobranti respondere sermonem, vt si quis tibi crimen aliquod impingat, te ipsum possis à calumnia vindicare, & causam tuam defendere. * Erit tibi admodum vtile ad quietem, ad marsupium Aduocati patrocinio non indigere dum propriæ causæ Aduocatus existis.]

Felix sapiens qui ad suam causam alieno Aduocato non indiget.

Vers.12. Astutus videns malum, seu à longè coniectans, *absconditus est* ne læsionem incurrat: *Paruuli transeuntes,* seo imprudentes, qui incommoda non præuident, nec abscondi curarunt, *sustinuerunt dispendia* imminentis mali sustinuerunt effectus.

Vers.13. Tolle vestimentum eius, qui spopondit pro extraneo, & pro alienis aufer ei pignus Qui pro extraneis & alienis fideiubet stultè, dignus est, vt creditor ei pro pignore vel vestimentum auferat. Preme illa: *Pro extraneo. Pro alienis.* Nam fideiussor propinqui, vel amici non ita damnabilis obiicietur.

Fideiubere pro propinquo, vel amico non damnabile.

Vers.14. Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, quando somno proximus ille indulget, *maledicenti* similis erit, creat enim molestiam ac si malediceret. * Taxantur qui importuno tempore aliquid faciunt.] Talis esset, qui nocturno tempore, cum dormiendum est, te laudaret; quamuis enim laus grata nostris auribus soleat accidere, importunitas autem temporis eam molestam reddit.

Taxantur qui importunè aliquid, aliàs æstimabile, gerunt.

Vers.15.16. Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur. Vtrumque enim coget te è domo fugere *Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat.* Qui conatur eam cohibere ne clamet, aut rixetur tam frustrà laborat, quàm si curaret ventì impetum retardare. *Et oleum dexteræ suæ vocabit.* Ac si diceret: Perindè est eam tenere, ac oleum manu constringere, quod cum lubricum sit, quantò magis manum in pugnum cogis, frustrà conabitur retinere. * Vndè, mihi credite, Satiùs erit vociferantem fœminam perstillante tecto molestiorem aufugere.]

Vociferantem fœminam perstillanti tecto molestiorem fugere, remedium est vnicum.

Vers.17. Ferrum ferro exacuitur: & homo exacuit faciem amici sui. Hebr. pro *ferro* est ברזל *barzal* id est, *Chalybe,* Chalybs ferro permixtus, durus lento, ad gladios concinnandos & aciem acuendam accommodatissimus est: si tamen ignis accedat, quo in vnum consentur. Sic homo sui amici faciem exacuit. Si durus quispiam ac seuerus totusque chalybeus, alteri ferreo, id est, lento, ac flexibili firmo amore ac amicitia colligetur par indè exsurget ad omnia ardua, ac difficilia seu agenda, seu ferenda. * Profectò si maritus lenitate ac mansuetudine sua, instar ferri, se lentum ac flexibilem exhibeat vxori chalybis in morem rigidiori, ac duriori: felix par coniugum coaslabit vtrumque amor accedens.

Felix par coniugum cum alter blandus alterius duritiem curat emollire.

Vers.18. Qui seruat ficum, ne arescat, noxia submouendo. *comedet fructus eius. Et qui custos est domini sui,* illum obseruans, & obsequio illum demerens, *glorificabitur.* LXX. *honorabitur.*

Vers.19. Quomodò in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Prudentes, ac solertes viri ita hominum, queiscumque agunt propensiones, & studia callent, ac si in speculo illa contemplarentur. * Os enim plerumque affolet ex cordis abundantia verba proferre. Vndè sermones haud ineptè cordis speculum vocitarim.]

Verba sunt cordis speculum. Vbi eius studia vidimus.

Vers.20. Infernus, & perditio nunquam implentur: similiter & oculi hominum insatiabiles. Quemadmodum mors nûquam explêtur, etiamsi piures homines sepulchri inferno addicat: haud aliter oculus cupidi, & auari semper plura desiderat. Pulchrè cupiditas plùs & plùs acquirendi, sepulchro comparatur, vt saltem audiens auarus mortis, ac sepulchri nomen ab anxia opum periturarum acquisitione contineat affectum. Cur diuitias tanto labore comparas, quibus mori non veteris, sed moriturus consumpturo prodigè custodis hæredi?]

Auarus mortis frænatur obedit.

Vers.21. Quomodò probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis. Illi enim Sapientes ac prudentes probantur existere, qui laudibus non inflantur. *Cor iniqui inquirit mala: cor autem rectum inquirit scientiam.* Sicut proprium est iniqui, diligenter vestigare, quonammodo vberius possit suo appetitui satisfacere: sic proprium est iusti scientiæ vberiori eorum, quæ ad animi salutem attinent inhiare. * Magna desidia iusti esset, si ab impio vinceretur, dum ille diligentem se ad mortem ostentat, dum ipse ad vitam se præbet ignauum.

Pigeat iustum deside se ostendere ad vitam, dû impius se tùm solertē ad mortem ostendit.

Vers.

Verſ. 22. *Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo : non auferetur ab eo ſtultitia eius.* Qui priſanas parabant, hordeum aqua perfuſum & tumens ſiccabant in ſole, mox in pila ligno piſtillo tantiſper tundebant, donec corticem & glumam exueret. Hunc effectum præſtare, difficile eſt, ſed non impoſſibile. * At inſitam à natura ſtultitiam ab aliquo excutere, ferè impoſſibile videtur.

Inſita à natura ſtultitia difficilè excutitur.

Verſ. 23. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui:* Si paterfamilias es, tuos greges, (in quibus olim ſitæ erant diuitiæ) frequenter viſita, vt agnoſcas, quo ſint numero, quo habitu, ſuppeditenturque illis necne ea quibus opus habent. *Tuos greges conſidera.* Tui ſunt, non cuſtodis: cuſtos autem non ita diligenter gregem ſeruat alienum. * Allegoria Paſtoris Principes officij ſui monet. Tua eſt ô Princeps Reſpublica non Miniſtrorum, agnoſcere teneris, vultum gregis, & diligenter veſtigare, quonammodo ſe gerant cuſtodes? An ſolum curent gregum lacte ac lana potiri? Tota ruina gregis Reipublicæ, totum exitium ex Principis incuria circa conſiderationem, & inſpectionem gregis abſque dubio exoritur.]

Tota ruina Reipublicæ ex incuria Principum circa immediatam gubernatione exoritur.

Verſ. 24. *Non enim habebis iugiter poteſtatem,* curandi illius tui gregis : ſed vel viribus collabentibus, vel ſubtracto magiſtratu, cogeris manum aliquando tollere. Interea ſi ſedulam antè curam geſſeris, *corona, tibi tribuetur,* non laudis tantum, ſed mercedis & gloriæ *in generatione, & generationem.* * Monentur Reges non ſemper Regno ac regimine eſſe fruituros, ſed cœleſti Regi aliquando reddituros gubernationis rationem. * Vt ediſcant, non negligere faciem gregis, ſeu immediatam ſubditorum curam, quorum defectus ipſis ſunt imputandi.]

Rex immediatæ ſubditorum curæ aſſiſtat, redditurus pro eis rationem.

Verſ. 25. *Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus.* Vt alas gregem non habes, opus multis expenſis, nam prata patent, & montes graminibus virent, & colligere licet fœna, quæ hyeme ſufficiant, eaque in gregum pabula recondere. * Præferenda igitur eſt paſtoritia vita vitæ politicæ. Nam cum honores, quos ambiunt, qui in Ciuitatibus agunt, facilè amittantur, & ab vno ad alium tranſeant extraneum, diuitiæ quæ re pecuaria parantur, manent, & ad hæredes tranſmittuntur.]

Paſtoritia vita œconomicæ præferenda.

Verſ. 26. *Agni ad veſtimentum tuum, & hædi & agri pretium.* Ex fructibus gregum victum habebis, & veſtitum : vellera quidem ad veſtes, lac, & carnes ad cibum, imò numeratis hædis pro pretio, agros poteris comparare. * Vndenam homines aliàs cenſibus abundantes, hodiè inopia premuntur? Cenſus deficiunt, debitores enim ſoluendo non ſunt. Quàm prudens qui colendæ terræ, alendiſque gregibus ſuum impendit ſtudium, indefectibili plerumque reditu abundaturus.

Diues, qui colendæ terræ, & gregibus alendis ſtudium impendit.

Verſ. 27. *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.* Dum equites, & diuites ſæculi delicatiori vtuntur alimento, cui comparando validæ opes vix ſufficiunt : tibi, ac domeſticis tuis grex tuus viliorem fateor, ſed ſecuram, & abundantem præſtabit annonam. Quid ditiùs quàm mutuata pecunia quod Equiti non accidit, non indigere?]

Ditior eſt agricola Equitibus, ſiquidem mutuata pecunia non indiget.

CAPVT XXVIII.

Suadet Salomon, ne circa neceſſitatem paueamus, ne crimina publica ſint impunita, ne pauperes pauperem opprimamus, ne vſuris, aliiſve malis artibus adaugeamus opes, ne homicidis, aut furibus admiſceamur, ne quid à parentibus ſubtrahamus inuitis.

1. FVGIT impius, nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo
confidens, abſque terrore erit. 2. Propter peccata terræ multi
principes eius: & propter hominis ſapientiam, & horum ſcien-
tiam quæ dicuntur, vita dulcis longior erit. 3. Vir pauper
calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri vehementi, in quo pa-
ratur fames. 4. Qui derelinquunt legem, laudant impium:
qui cuſtodiunt, ſuccenduntur contra eum. 5. Viri mali non
cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia. 6. Me-
lior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm diues in prauis itineribus. 7. Qui
cuſtodit legem, filius ſapiens eſt : qui autem comeſſatores paſcit, confundit patrem
ſuum. 8. Qui coaceruat diuitias vſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat
eas. 9. Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. 10. Qui
decipit iuſtos in via mala, in interitu ſuo corruet: & ſimplices poſſidebunt bona eius.
11. Sapiens ſibi videtur vir diues: pauper autem prudens ſcrutabitur eum. 12. In
exultatione iuſtorum multa gloria eſt: regnantibus impiis ruinæ hominum. 13. Qui
abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea,
miſericordiam conſequetur. 14. Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus: qui verò
mentis eſt duræ, corruet in malum. 15. Leo rugiens, & vrſus eſuriens, princeps

implus ſuper populum pauperem. 16. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius. 17. Hominem, qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi vſque ad lacum fugerit, nemo ſuſtiner. 18. Qui ambular ſimpliciter, ſaluus erit: qui peruerſis graditur viis, concider ſemel. 19. Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium, replebitur egeſtate. 20. Vir fidelis multùm laudabitur: qui aurem feſtinar ditari, non erit innocens. 21. Qui cognoſcit in iudicio faciem, non benefacit: iſte & pro buccella panis deſerir veritatem. 22. Vir, qui feſtinat ditari, & aliis inuider, ignorat quòd egeſtas ſuperueniet ei. 23. Qui corripit hominem, gratiam poſteà inuenier apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit. 24. Qui ſubſtrahit aliquid à patre ſuo, & à matre, & dicit hoc non eſſe peccarum, particeps homicidæ eſt. 25. Qui ſe iactar, & dilatar, iurgia concitat: qui verò ſperar in Domino, ſanabitur. 26. Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt: qui autem graditur ſapienter, ipſe ſaluabitur. 27. Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicir deprecantem, ſuſtinebit penuriam. 28. Cùm ſurrexerint impij, abſcondentur homines: cùm illi perierint, multiplicabuntur iuſti.

COMMENTARII.

VERS.1. *Fugit impius, nemine perſequente: Iuſtus autem quaſi leo confiſtens, abſque terrore erit.* Semper metu peccator afficitur, ſua enim improba conſcientia terretur: dùm iuſtus, inſtar leonis, intrepidus adſtat inter perſecutores. * Nunquam non mala conſcientia timet foliorum ex ſonitu: bona autem ſemper, vel perſtrepente militum tumultu quaſi tenui aura illectus obdormit.]

Mala conſcientia ſemper timida, bona ſecuritate ſemper fruitur.

Verſ.2. Propter peccata terræ multi Principes eius. Citò enim pereunt, & alij aliis ſuccedunt: ex quo ſeditiones in Republica oriri aſſolent. Magnum eſt Reipublicæ ſupplicium bono Principe orbari: imo frequenter vnum alij ſuccedere.] *Et propter hominis Sapientiam, & horum ſcientiam, quæ dicuntur vita dulcis longior erit.* Propter Sapientiam Principis regnantis, & propter prudentiam eorum qui illi adſunt à conſiliis, & opportunitatem conſiliorum, quæ ad bonum Reipublicæ regimen aſſumuntur, quibus peccata populi prohibentur, & pauperum cauſa iuſtè agitur, dulcis, ac longior erit Principis vita, Deo illam ad Reipublicæ commodum producente. * Vndè Rex debet probos ſibi adducere conſiliarios, è quorum Sapientia ac iuſtitia propriæ vitæ longitudo pendet. Vulgariter dixerim: *Porque en ello le va la vida.*

Supplicium Reipublicæ eſt bono Rege orbari, & frequenter vnum alij ſuccedere.

Regis vitæ longitudo & proſperitas Regni ex bonis conſiliariis pendet.

Verſ.3. Vir pauper calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames. Inops qui inopem calumnia afficit, dum eum deberet potius eius miſeratione tangi, miſeriam ipſe expertus: ſimilis profectò eſt vehementi imbri, qui meſſes comminuit, vnde fames exoritur. Nam cùm pluuiæ ſint ad fœcundandam terram inſtitutæ, tamen violenti imbres ſata ſternunt, & famem inducunt. Haud aliter pauper in pauperem violentus, & calumniis illum exagitans, cum miſericordiam exercere deberet, imbri ſimilis exponitur. * Crudelis eſt, qui laboribus actus, eorum non miſeretur, quos videt laboribus torqueri.]

Crudelis eſt, qui laboribus actus nō miſeretur eorum, qui labores patiuntur.

Verſ 4. Qui dereliquerunt legem, laudant impium. Qui legum iugum ferre contemnunt, impios laudant, eiſque fauent ſibi quidem ſimilibus, prauas ſuas actiones in prauis illorum actionibus commendantes. *Qui autem legem cuſtodiunt, ſuccenduntur contra eum*, zelo quidem iuſtitiæ. * Quomodo poterit pleno ore vocitari iuſtus, qui audiens paſſim iuratores nomen Dei blaſphemantes, videns ſcortorum publicè impudicitiam, zelo legis non ſuccenditur, ſi non vt delinquentes carpat, ſaltem vt Dei doleat iniuriam?]

Iuſtus videns ab aliis Dei legem violari, debet Dei iniuriam dolere, vt pleno ore iuſtus vocari mereatur.

Verſ.5. Viri mali non cogitant iudicium, ſiue quod iuſtum eſt. *Qui autem* inquirunt Dominum, *(los que buſcan à Dios) animaduertunt omnia* ſeu omnia cautè circumſpiciunt, ne fortè in aliquo offendant, & delinquant. * Inquirentes Dominum perfectionis amatores intelligo, quos decet omnia animaduertere, hoc eſt, non ſolùm grauia peccata vitare, ſed & à leuibus piaculis abſtinere, quamlibet fugere imperfectionem.]

Perfectioni ſtudentes nō ſolum grauia crimina debent vitare, vel verum & ab omni perfectione abſtinere.

Verſ.6. Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, ſinceritate, & rectitudine: *quàm dives in prauis itineribus* viriorum, præſertim iniuſtitiæ. * Equidem paupertas amplius eſt ad virtutem accomodata, quàm diuitiæ, quæ plerunque ſunt iniuſtitiæ fomes.]

Accommodatior ad virtutē paupertas, quàm diuitiæ.

Verſ.7. Qui cuſtodit legem diuinam, & ea quæ à parente præcipiuntur, filius Sapiens eſt. *Qui autem comeſſatores paſcit*, intempeſtiuis conuiuiis indulgens, *confundit patrem ſuum*, quem pudore, ac mœrore afficit, dum vider temperantiam offendi, & diuitias comminui.

Verſ.8. Qui coacernat diuitias vſuris, & fœnore, liberali in pauperes congregat ea, id eſt diuitias illas malè partas congregat liberali filio, qui quæ pater congregauit auarè, liberaliter in pauperes diſtribuet. LXX. *Ei, qui miſeretur inopum, congregat eas.* * Profectò congreganti non proſunt, alius non ipſe diuitias vſuris acquiſitas expendit. Et quando diuitiæ iniquè partæ acquirenti profuerunt?]

Diuitiæ iniquè partæ acquirenti non proſunt.

Verſ.9. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Nam quemadmodum ipſe non vult Deum loquentem per legem audire, ita Deus illum orantem non exaudiet. * Qui vtiles Concionatoris ſermones negligit exaudire, ne non ipſe orans à Domino exaudiatur.]

Qui vtilem Concionem audire negligit, timeat ne non ipſe orans à Deo audiatur.

Verſ.10. Qui decipit iuſtos in via mala, (Hebraicè

braïcè *Qui errare facit iustos in viam malam* (id est, ad vitia, & malos attrahens mores: *in interitu suo corruet*, ipse peribit, vel in interitu, quem aliis parabat corruet. Hebr. *In foueam suam ipse cadet. Et simplices possidebunt bona eius.* Aquila *& simplices obtinebunt bona*, id est, bonis & sinceris benè erit * Ego *foueam* illam, tartarum esse existimo, credens, malitiam illam, qua quis alios ad peccandum inducit, tartaro esse agnatam.]

Reprobatio-nis iudi-cium trahe-re alios ad peccatum.

Vers. 11. *Sapiens sibi videtur vir diues.* Qui diuites sunt, putant etiam, se esse Sapientes; quia augendarum opum industriam & artem optimam, maximè nobilem Sapientiæ partem esse putant. *Pauper autem prudens*, siue pauper spiritu (hic enim verè sapit, & prudens est) *scrutabitur eum*, sagacis Iudicis instar, inquirendo, quo iure, qu[illegible]tulo, quidque possideat: & deprehensum iniustitia redarguet, damnabit, bonis spoliabit, mulctabit pœnis tum in hoc sæculo, (vti sæpè contingit) tum in futuro, vbi pauperes futuros Iudices Christus Dominus *Matth.* 19. prædixit. * Pauperes spiritu futuri die nouissima Iudices damnabunt diuitum insipientiam, ostendentes veram Sapientiam esse, opes despicere.]

Vera Sapientia opes despicere.

Vers. 12. *In exultatione iustorum multa gloria est.* Cum iusti exultant, quòd scilicet, eorum res secundæ sunt, quia impiis, in Republica oppressis, honos est virtuti, & ipsi dominantur, & in pretio habentur: *multa gloria est* ipsi Reipublicæ. *Regnantibus* verò *impiis ruina hominum*, status enim Reipublicæ labefactatur, & euertitur. * Cum iusti vigent, & æstimantur, Respublica floret, cum impij florent & magni fiunt, Respublica omnino marcescit.]

Cum iusti æstimantur, Respublica floret: cum impij florẽt, illa marcescit.

Vers. 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Qui scelera sua cognoscere non vult, sed de iis cum admonetur, abnegat, excusat, vel extenuat, non *prosperabitur* (sic Hebr.) *Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*, id est, errati veniam apud Deum & homines, qui dolenti, agnoscenti, & confitenti pœnam condonant. * Quam stultus qui propter timorem crimina in confessione abscondit, cum eorum confessio potiùs Confessarij amorem, misericordiámque sibi conciliat.]

Stultus, qui ob timorem in confessione crimina abscondit.

Vers. 14. *Beatus homo, qui semper est pauidus* scilicet timens Deum offendere. *Qui verò mentis est dura*, adeo vt nullo timore commoueatur, *corruet in malum*, facilè in crimina prolabetur.

Vers. 15. *Leo rugiens, & vrsus esuriens, Princeps impius super populum pauperem.* Rugit leo cum esurit, ipseque, & vrsus esuriens crudeliores in ouiculas irruunt. Princeps ergò impius leo, ac vrsus famescens in medio populi inopis ostentatur, eum enim decipit, & exhaurit. Vides impios Principes qui se deberent erga subditos gerere, vt Pastores, comparari à sapiente cum immanissimis & crudelissimis bestiis, quæ propter naturalem feritatem & potentiam nulli parcunt, à nullo vincuntur, nec facilè satiantur, inquit Iansen.

Vers. 16. *Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam.* Princeps qui non intelligit quodnam sit munus suum, & in qua posita sit Principum felicitas, nempe si suos habeat bene affectos, & beneuolos potius erga se, quàm metuentes: permittet vigere calumniatorum vota, subditorum defensationi non incumbet. * Tota Principatus felicitas est, subditos benè affectos potius, quàm timentes esse procurare.] *Qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius.* Nec enim pauperum substantiæ calumniosas parabit insidias, vt rapiat. Vnde benedictione eorum longam ei ac felicem vitam à Domino impetrabunt. * Mihi credite, vitam Regis, qui ab auaritia abhorrens nimis ciues liberat à tributis, ex eorum benedictionibus geri diuturnam. Quid autem efficient pauperum maledictiones actorum exactionibus, nisi Principis vitam decurtare?

Principis felicitas subditos benè affectos habere.

Vita Principis non auari diuturna fit pauperũ benedictionibus. E cõtra eorumdem maledictionibus decurtatur.

Vers. 17. *Hominem qui calumniatur animæ sanguinem*, Hebr. *Qui per calumniam opprimit*, & sanguinem, in quo est anima seu vita, profundit iniustè, siue actor fuerit, siue testis, siue Iudex. *Si* ex desperatione vel furiarum agitatione *vsque ad lacum* præcipitia *fugerit*, vt violenta morte vitam inuisam abrumpat, *nemo sustinet*, seu nemo impediet, nemo detinebit. *Adeo omnibus odiosum est homicidium.] LXX. *Profugus erit, & non in securitate.* Vulgariter. *No estara seguro, aunque se esconda en el infierno, Vsque ad lacum fugerit.* * Deus enim vix permittit homicidij crimen celari. Hirundes B.ssum, grues Ibyci, Canes Pyrrhi & Hesiodi interfectores prodiderunt.]

Omnibus odiosum est homicidiũ.

Vix Deus permittit homicidij crimen celari.

Vers. 18. *Qui ambulat simpliciter*, innocenter, iustè, *saluus erit* à ruina: *qui peruersis graditur viis, concidet semel.* Hebr. *Concidet in vna*, seu aliquando concidet in vna, vel altera via non recta.* Taxantur qui per vias non vsitatas perfectionis asperitate plenas student incedere: qui quidem obnoxij sunt ruinæ.]

Qui per vias inusitatas spiritus incedere student ruinæ sunt obnoxij.

Vers. 19. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate.* Diligens agricultor vberibus fructibus potietur, dum sectator otij premitur inopia. *Videtis equites, & ciues qui censuum redditibus fidunt, miserè indigere, dum agricolæ diligentes & industrij abundanter victitant ex labore.

Ditiores sunt agricolæ, quàm equites.

Vers. 20. *Vir fidelis*, seu verax, qui alios mendaciis non circumuenit, *multum laudabitur*, omnium laudibus efferetur. *Qui autem festinat ditari* fraudibus ac dolis, *non erit innocens* nec peccato carebit, nec pœna, & à cunctis probro afficietur, dum fidelis collaudatur.

Vers. 21. *Qui cognoscit in iudicio faciem*, seu Iudex, qui personam acceptat, quia propinquus, quia amicus, &c. *non benefacit*, imò grauiter delinquit. *Iste & pro bucella panis deserit veritatem.* Huiusmodi Iudex tam iniustum se ostendit, vt pro re vilissima audeat lædere veritatem. * Acceptio personarum adeò Iudicis famam fœdat, vt quilibet de eo suspicietur, pro bucella panis contra veritatem esse iudicaturum.]

Acceptio personarum Iudicis famam nimis deturpat.

Vers. 22. *Vir, qui festinat ditari, & aliis inuidet* siue aliorum lucrum, suum damnum reputans, illudque anteuertere, & præripere studens: *ignorat, quod egestas superueniet ei*, in immodicæ auaritiæ supplicium.

Vers. 23. *Qui corripit hominem*, licet tunc fortasse contra se asperum experiatur, *gratiam postea inueniet apud eum*, (aduertentem scilicet, correptionem illam ex suæ emendationis zelo fuisse exortam) *magis quam ille, qui per lingua*

blandimenta decipit: nec eam gratiam inueniet, qui adulatoria verba protulit ad eius deceptionem.

Vers. 24. Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit, hoc non esse peccatum: particeps homicidæ est. Filius, qui parentum suorum fortunas clanculum suffuratur, quasi id sibi liceat, nec esse piaculum fallitur toto cœlo; nam reuera particeps ac socius est, & officio fungitur homicidæ prædonis, qui alios spoliat iniustè. * Licet enim filius vt pars quædam, seu membrum parentum, consors sit fortunarum eorundem: quia tamen est pars adhuc subiecta, nondum habet vtendi libertatem, nisi dependenter à nutu parentum. Vndè si illis inuitis fortunas subtrahit, nihil differt a latrone, ac deprædatore, qui in aliena bona manus mittit.

Filius bona parentum subtrahens ipsis inuitis, haud à deprædatore differt.

Vers. 25. Qui se iactat, & dilatat, seu tumidus, ac superbus est, *iurgia concitat.* Tales enim homines assolent vanitatis plena verba proferre, quæ audientibus contentionis materiam exhibent, vndè rixæ procedant. *Qui verò sperat in Domino.* humilis nimirum, qui nihil sibi arrogat, sed totus ex Deo pendet, sanabitur, sanus erit audientibus, nec enim ex eius verbis rixæ excitabuntur.

Vers. 26. Qui confidit in corde suo, in sua scientia, prudentia, ac consiliis: *stultus est. Qui autem graditur sapienter,* non cor suum, nec sua consilia, sed sapientiam ducem sequens, *ipse saluabitur,* seu liberabitur ab incommodis, quæ in corde suo confidentes incurrunt.

Vers. 27. Qui dat pauperi, non indigebit. Non propterea indigebis, quod tribueris inopi eleemosynam. Nam *qui despicit deprecantem* pauperem. *Sustinebit penuriam.* Tantùm abest, vt ex stipe erogata pauperibus tibi accurrat egestas, vt si non dedisses, & auarè subtraxisses manum, merito ex supplicio penuriam incurreres. * Crudeles erga pauperes frequenter egestate premuntur, vt ex proprio famis cruciatu discant famescentibus misereri.]

Crudeles erga pauperes, frequenter egestate puniuntur.

Vers. 28. Cum surrexerint impij ad honores, & publica munera cum potestate producti, *abscondentur homines*, iusti, seu subditi omnes se subtrahent, illorum iniustam violentiam timentes. *Cum autem illi perierint, multiplicabuntur iusti.* Nam ex locis: in quibus latuerunt, emergent. * Nihil magis timendum, quàm in manu impij virga potestatis.]

Nihil magis timendum, quàm potestatis virga in manu impiorum.

CAPVT XXIX.

Asserit Salomon, correptionem diligendam, iustitiam curandam, iram, & adulationem cauendam, non contemnendam inopiam, fouendam religionem, circunspectionem in verbis obseruandam, furi non patrocinandum, &c.



1. VIRO, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus: & eum sanitas non sequetur. 2. In multiplicatione Iustorum lætabitur vulgus: cùm impij sumpserint principatum, gemet populus. 3. Vir, qui amat sapientiam, lætificat patrem suum: qui autem nutrit scorta, perdet substantiam. 4. Rex iustus erigit terram, vir auarus destruet eam. 5. Homo, qui blandis, fictísque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius. 6. Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus: & iustus laudabit, atque gaudebit. 7. Nouit iustus causam pauperum: impius ignorat scientiam. 8. Homines pestilentes dissipant ciuitatem: sapientes verò auertunt furorem. 9. Vir sapiens, si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem. 10. Viri sanguinum oderunt simplicem: iusti autem quærunt animam eius. 11. Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, & reseruat in posterum. 12. Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. 13. Pauper & creditor obuiauerunt sibi: vtriusque illuminator est Dominus. 14. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. 15. Virga atque correptio tribuit sapientiam, puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. 16. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera: & Iusti ruinas eorum videbunt. 17. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. 18. Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus: qui verò custodit legem, beatus est. 19. Seruus verbis non potest erudiri: quia quod dicis intelligit, & respondere contemnit. 20. Vidisti hominem velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est, quàm illius correptio. 21. Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum posteà sentiet eum contumacem. 22. Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuior. 23. Superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria.

24. Qui

24. Qui cum fure participat, odit animam suam : adiurantem audit, & non iudi-
cat. 25. Qui timet hominem, citò corruet : qui sperat in Domino, subleuabitur.
26. Multi requirunt faciem principis: & iudicium à Domino egreditur singulorum.
27. Abominantur iusti virum impium : & abominantur impij eos, qui in recta sunt
via. Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.

COMMENTARII.



ERS.1. *Viro, qui corripientem se dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus : & eum sanitas non sequetur*, nunquam curabitur. * Correptio enim vnicum assolet esse erranti medicamen : vnde spreto Medico : persistet ægritudo, desperatus peribit ægrotans.]

Correptio agnatum erranti medicamen.

Vers. 2. *In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus.* Ciues exultabunt, cum iusti aucti fuerint dignitatibus, publicisque muneribus. Pagnin. *Cum dominantes fuerint iusti.* Iusti enim Magistratus rectam gerent gubernationem. *Cum verò impij sumpserint Principatum, gemet populus*, præsagiens se iniuria regendum. * Hinc moneantur Principes quàm accuratè debeant incumbere, vt Magistratus iusti Vrbibus præponantur.]

Magistratus iusti Vrbibus eligendi.

Vers. 3. *Vir, qui amat Sapientiam*, eius dogmata affectuosè curans ediscere, *lætificat patrem suum : qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.* * Appositè filio amanti Sapientiam nutrientem scorta opposuit. Nam filius, qui litterarum studio non vacat, plerumque otio torpens, voluptatibus captandis impendit studium.]

Adolescens, qui litteris non vacat, plerumquè voluptatibus captãdis studet.

Vers. 4. *Rex iustus erigit terram*, seu in bonum restituit statum. Si autem fuerit *vir auarus* subditorum substantiam emungens, *destruet* eam. * Et quando ex auaritia Principis, quâ non necessaria tributa imponit, non periit Imperium?]

Ex auaritia Principis perit Imperium.

Vers. 5. *Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo : rete expandit gressibus eius.* Quia studet verbis illis eum decipere, deceptumque perdere. * Rete est, exitiale quidem, adulationis sermo.]

Rete exitiale est adulationis sermo.

Vers. 6. *Peccantem virum iniquum*, iniustè scilicet, & dolosè agendo, *inuoluet laqueus*, quem ipse ad alium capiendum instruxerat. *& iustus laudabit* Deum, *atque gaudebit*. quod ereptus fuerit è periculo, dum laqueus diuinâ ope contritus est, fante Dauide, *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Vers. 7. *Nouit iustus causam pauperum*, illorum curam habendo, & agendo in iudicio, ne innocentia lædatur. *Impius* Iudex *ignorat scientiam*, à iuribus fauentibus inopi mentem auertit, quasi illa ignoraret. Cum apud impium Iudicem pauperis causa geritur, ius fauens ignoratur : cum diuitis causa discutitur, omnia ei fauentia iura in memoriam accurrunt, & quæ non fauent, è memoria labuntur.]

Apud prauũ Iudicem omnia pauperi fauentia iura ignorantur : fauentia diuiti disertè sciuntur.

Vers. 8. *Homines pestilentes dissipant Ciuitatem*, scelesti viri Vrbibus sunt exitium, dum Deus propter improbos aliquos, in cunctos animaduertit. *Sapientes verò*, seu perfecti quidam homines qui vera Sapientia, id est iustitia vigent, Dei *auertunt furorem*. * O quoties ob iniquorum insignium crimina Vrbes deperiissent, si alicuius egregia sanctitate præditi precibus non protegerentur!]

Insignis sanctitatis vir protegit Vrbem, ne ob multorũ pereat iniquitatem.

Vers. 9. *Vir Sapiens, si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem.* Oportet, Sapientem cum stulto contentiones vitare, ex quibus nunquam non sine noxa procedet. * Nã si irascatur Sapiens, stultus magis ex scandescet: si non irascatur, sed rideat, stultus se contemptum putans, vehementius irritatur.]

Sapiens fugiat cũ stulto contendere, non impunè euasurus.

Vers. 10. *Viri sanguinum* scelesti, & sanguinis effusores, *oderunt simplicem* iustum, rectum, sincerum suis moribus valdè dissimilem. *Iusti autem quærunt animum eius*, seruare curant vitam iusti, vt ab scelestiorum insidiis eripiatur.

Vers. 11. *Totum spiritum suum profert stultus : Sapiens differt, & reseruat in posterum.* Stultus quidquid nouit, quidquid animo concipit, statim loquitur; Sapiens verò moderatè agit, nec temerè loquitur, nec suam omnem scientiam ostentat vna vice; sed ad occasionis reseruat opportunitatem. * Vulgariter expendere liceat. *El necio todo lo dice de vna vez, el prudente se guarda para las occasiones.*]

Stultus quæ nouit vna vice profert, Sapiens pro opportunitate loquitur.

Vers. 12. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij*, mendacia, calumnias innocentum, adulationes : *omnes Ministros habet impios.* Nam cum mendaciis, adulationibus, & calumniis locum apud Principem esse animaduertant, iis grassantur, & nullum scelus non admittunt, vt quod cupiunt, consequantur. * Vndè si Princeps cupit, pios habere Ministros, rectos fouere Iudices, mendaciis, calumniis, adulationibus aures præbeat ingratas.]

Si Rex volt rectos habere Ministros, mendaciis & adulationibus ingratas præbeat aures.

Vers. 13. *Pauper & creditor obuiauerunt sibi.* Pauper debitor & creditor eius diuersæ conditionis homines vbiquè reperiuntur, ibique sibi mutuò occurrunt. Siuè plenus est mundus hominibus diuersæ fortunæ, & vnum alterum quærit, vnus, vt mutuum accipiat, alter vt mutuum det. *Vtriusque illuminator est Dominus*, vtrisque donat huius lucis aura frui, vtrisque vitam impertit vnus & idem Dominus. * Vndè nemo contemnendus, vel premendus iniquè; quia qui pauper est, fieri potest, vt diuite melior sit: & vtrumque Deus qui eos condidit, iudicabit.

Pauper non contemnendus, qui diuite fortasse melior est apud Deum.

Vers. 14. *Rex, qui iudicat in veritate pauperes*, pro pauperibus innocentibus & à potentiore oppressis sententiam ferendo; *thronus eius in æternum firmabitur*, seu longo tempore Regnum possidebit. * Princeps ergo cupiens diu felix viuere, pauperes protegat.]

Princeps diu felix viuit pauperes si protegat innocentes.

Vers. 15. *Virga, atque correptio tribuit Sapientiam* puero : *puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam*, seu afficit pudore. * Dicit potiùs *matrem*, quàm patrem, quia vitiosa erga filios indulgentia matris propria est potiùs, quàm patris. * Vel dicit *matrem*, nec de patre gerit mentionem, vt viduam esse innuat. Agnatum enim est plerumquè matrem viduam filium *suæ voluntati* dimittere. O quàm ineptè filij viduæ educantur!]

Erga filios indulgentia matris propria est potiùs, quàm patris.

Filij viduæ malè plerũquè educantur.

Vers. 16. *In multiplicatione impiorum multiplicabuntur*

cabuntur scelera, qnia à pluribus delinquentibus plura scelera perpetrantur. *Et iusti ruinas eorum videbunt*, iusti diuina protectione seruati, & impiis superstites, diuinam in eos aspectabunt vltionem.

Ex filio insipienti nihil cõmodi parens speret.

*Vers.*17. *Erudi filium, & refrigerabit te.* Hebr. *Quiescere te faciet*, id est, tibi erit solatio & præsidio, *& dabit delicias animo tuo.* * Nihil pater commodi ex filio inerudito speret; ignorantia eniin fouet ingratitudinem.]

Multitudine Concionatorum, qui nudam nõ proferunt veritatem, vitia populi increscunt.

*Vers.*18. *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus.* Deficiente diuini verbi salutari præconio, boni ciaiummores deficient, scelera redundabunt. * O tempora, quandò ex Concionatorum abundantia plara vitia grassantur. Certè Concionatores qui tantùm satágunt auditorum mulcere aures conceptuum acumine, nec nudam eis proferunt veritatem, exitiales sunt populo: vitia enim non solùm non emendantur, verùm ex correptionis nugatoriæ (adulationis dixerim) fuco magis increscunt] *Qui verò custodit legem, beatus est.* Populus autem diuinæ legis tenax, quod tunc accidit, cum frequentes sunt diuini verbi veri ac zelo succensi præcones: beatitudine hìc, & æternùm potietur.

*Vers.*19. *Seruus* malus, & qui seruili est animo, *verbis non potest erudiri, quia quod dicis intelligit, & respondere contemnit*, seu obedire non curat.

Difficile est, vitium loquacitatis corrigi.

*Vers.*20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est, quàm illius correptio*, potiùs expectandum, seu timendum est, ne huiusmodi homo stultum aliquod dicat, aut faciat, quàm vt prauum illum morem emendet. * Difficilè admodum est, vitium loquacitatis corrigi.]

Seruus erudiendus vt filius, sed vt seruus nutriendus.

*Vers.*21. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem* iussis exequendis. Nam vt filius nutritus, contemnet, quæ seruilia sunt, opera exercere. * Ama seruum vti filium, vt eum erudias: non autem delicatè nutrias vt filium, sed vt seruum.

*Vers.*22. *Vir iracundus prouocat rixas: & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuior*, contendendo, rixando, de aliis obloquendo, &c.

*Vers.*23. *Superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria.* Huic germana est Euangelij sententia, *Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Participem esse furti alterius & animo, & corpori exitiosum.

*Vers.*24. *Qui cum fure participat*, id est, qui furti particeps est, *odit animam suam*, grauissimo periurij crimine illam saucians. Nam *adiurantem audit, & non indicat*, id est, à publico Magistratu rogatus legitimè sub iuramento, furtum, quod nouit alterum admisisse, negat. Hîc igitur furti particeps odit non solùm animam, sed & vitam suam in discrimen adducit, nam si periurij conuictus fuerit, cum fure simul publico iudicio emori cogetur. * Vndè participem esse furti, & animo, & corpori exitiale esse quis dubitet?]

*Vers.*25. *Qui timet hominem* potiùs, quàm Deum, *cito corruet* in aliquod malum, aut exitium incurret. *Qui* autem *sperat in Domino, sublenabitur* à malis, in quæ timens magis hominem, incidisset.

Vt quis licitis potiatur optatis magis curet Deum, quàm Principum gratiam propitium habere.

*Vers.*26. *Multi requirunt faciem Principis*, seu Principis fauorem ambiunt: *& iudicium à Domino egreditur singulorum*, id est, magis soliciti esse deberent de Dei omnium Iudice fauore conciliando. Tandem enim fit quod Deus vult de hominibus, & causis eorum; nam cor Regis in manu Dei: vndè potissimùm Deus est propitiandus. * Vt quis optatis licitis potiatur, magis curet Deum, quàm gratiam Procerum propitium habere.]

*Vers.*27. *Abominantur iusti virum impium: abominantur impij eos, qui in recta sunt via*, seu qui rectam virtutis semitam sectantur. *Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.* Filius qui hactenùs tradita documenta obseruauerit: à perditione & exitio corporis, ac præsertim animæ liberabitur.

CAPVT XXX.

Salomon docet, Sapientiæ fundamentum esse: scire te nihil scire; Dei enim maiestas inscrutabilis est, & eloquium eius infallibile. Mox quatuor pessima vitia, quatuor insatiabilia, quatuor celerrimè transeuntia, quatuor orbem turbantia, quatuor animalcula sapientissima, quatuor feliciter gradientia, quatuor maximè cauenda describit.

1. 
ERBA Congregantis filii Vomentis. Visio, quam locutus est
vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait: 2. Stultissimus sum virorum, & Sapientia hominum
non est mecum. 3. Non didici Sapientiam, & non noui
scientiam Sanctorum. 4. Quis ascendit in cælum atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit omnes
terminos terræ? quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti? 5. Omnis
sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se: 6. ne addas quidquam verbis
illius, & arguaris, inueniarísque mendax. 7. Duo rogaui te, ne deneges mihi
antequam

antequam moriar. 8. Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me. Mendicitatem,& diuitias ne dederis mihi:tribue tantùm victui meo necessaria: 9. ne fortè satiatus illiciat ad negandum,& dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. 10. Ne accuses seruum ad dominum suum ne fortè maledicat tibi,& corruas. 11. Generatio.quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. 12. Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. 13. Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ. 14. Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra,& pauperes ex hominibus. 15. Sanguisugæ duæ sunt filiæ,dicentes: Affer, affer. Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit: Sufficit. 16. Infernus & os vuluæ, & terra,quæ non satiatur aqua: ignis verò numquam dicit:Sufficit. 17. Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, eff diant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. 18. Tria sunt difficilia mihi,& quartum penitus ignoro. 19. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia. 20. Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum. 21. Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere: 22. Per seruum cùm regnauerit: per stultum cùm saturatus fuerit cibo: 23. per odiosam mulierem cùm in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam cùm fuerit hæres dominæ suæ. 24. Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora Sapientibus: 25. Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi: 26. lepusculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum: 27. Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: 28. stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. 29. Tria sunt, quæ benè gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter: 30. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum: 31. gallus succinctus lumbos: & aries: nec est rex,qui resistat ei. 32. Est qui stultus apparuit postquam eleuatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum. 33. Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac,exprimit butyrum:& qui vehementer emungit,elicit sanguinem:& qui prouocat iras, producit discordias.

COMMENTARII.

VERS 1. *Verba congregantis filij Vomentis.* Hebr. *Verba Agur filij Iakeh.* Assolet Latinus Interpres nomina propria Hebraica latinitate donare,cum aliquam habent emphasim, vti hæc videntur habere. *Congregans* enim significat eum, qui multam Sapientiam, & multas doctas sententias partim proprio studio,partim vsu & experientiâ.partim diuina reuelatione collegerat. *Filius vomens* seu *vomitus* saturum designat, & expletum diuinis epulis, scilicet illustrationibus adeò plenum, vt eas eructet, & in aliorum vsus cogatur euomere. *Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait*: Hebr. *Prophetiam dixit vir ad Ithiel & Vcal.* Vir Deo plenus Agur hanc visionem,seu prophetiam exposuit duobus filiis,vel discipulis suis Ithiel,& Vcal. Itaquè hoc caput propriè Auctorem habet Agur,cuius tamen dicta Salomon suis parabolis adiunxit, vt illis consona, & iisdem planè digna: suis dictis admiscens, quare etiam tanquam Salomonis citantur.

Vers.2. Stultissimus sum virorum, me omnium virorum stultissimum agnosco existere: *& Sapientia* hominum studio comparata qualis in hominibus doctis aspicitur, *non est mecum.* Modestiæ causa hæc Sapiens præmisit,nam Sapiens interrogatus vt sententiam dicat,ita sæpè præfatur: Hispanicè etiam dicimus, *yo soi ignorante, con todo eso dire loque me parece.* * Veræ Sapientiæ fundamentum est, scite, te scite nihil. Veræ Sapientiæ fundamentú est scite, te scire nihil.

Vers.3. Non didici Sapientiam, rerum naturalium, & humanarum non calui cognitionem: *& non noui scientiam Sanctorum.* Scientiam scilicet rerum diuinarum, & sanctarum: vel scientiam,qualis fuit in sanctis Prophetis, & in sanctis residet Angelis.

Vers. 4. Quis ascendit in cœlum, vt scilicet hanc Sapientiam sibi compararet: *atque descendit*, vt quæ illic vidit, valeat ore proferre? *Quis continuit spiritum in manibus suis*, seu quis est præter Deum, cui venti pareant? *Quis colligauit aquas quasi in vestimento*, sine in nubibus continuit, ac suspendit, ne defluerent, sed illius nutum expectarent? Quis suscitauit omnes terminos terræ,seu statuit, atque constituit? *Quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* Hoc est, an nosti nomen eius aut nomen filij eius, qui hoc solus potest? Dicimur ignorare nomen Dei, quia eius naturam nomine vtcumque explicatam ignoramus: ac si diceret, Quis eum nouit, aut eius filium?

Vers.5. Omnis sermo Dei ignitus. Psal.17. *Eloquia Domini igne examinata.* Est sermo Dei purissimus,ac purgatissimus ab omni vitio falsitatis, & corruptionis. *Clypeus est sperantibus in se.* Deus est clypeus vti Dauid cecinit *Psalmo* citato: *Protector est omnium sperantium in se.*

Verf.6. Ne addas, quidquam verbis illius,& arguaris, inueniarisque mendax, seu corruptorem esse arguaris. * Verbo Dei nihil addendum, quod illi repugnet: nec auferendum, mutilando illud, aut viriando, quod agunt hæretici.]

Verbo Dei nihil addendum, vel auferendum.

Verf. 6.7.8.9. Duo rogaui te, ne deneges mihi, antequam morior, scilicet, dum viuo. *Vanitatem, & verba mendacij longè fac à me.* Vt autem nec vanitate extollar, nec sim mendax: *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria. Ne fortè satiatus* diuitiarum abundantia, *illiciar, ad negandum*, seu deserendum Dominum: *Et dicam, Quis est Dominus?* sic Pharan, *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius?* Exo. 5. *Aut egestate compulsus, furer*, seu actus furia in verba mendacij prorumpam, *& periurem nomen Dei mei.* Paupertas enim me alliciet ad furtum, rogatus verò à Iudice de delicto commisso peierabo. * Preme illud: *Nè fortè satiatur, illiciar ad negandum* Deum. Certè diuitiarum affluentia aliquos ad tantæ vanitatis cumulum extulere, vt atheistarum in morem, Deum haud nosse videantur.] * Et illud: *Aut egestate compulsus furer, & periurem.* Vilium homuncinnum proprium est ob potus, vel cibi mercedem periuria perpetrare.] * Apposité ait: *Furer, & periurem.* Quis enim nisi furiosus, peierare audebit?]

Affluentiæ diuitiarū aggnatus atheismus.

Vilium homuncionum propriū est, falsò iurare ob vilē mercedem.

Qui peierat, se furiosum ostendit.

Verf.10. Ne accuses seruum ad Dominum suum temerè. Condolendum namque iis, qui seruilis sunt conditionis, & ad quælibet eorum errata sæpè conniuendum, tanquam qui ipsa status conditione sunt grauati. * Certe seruitus ipsa eorum errati sufficiens est supplicium.] *Ne fortè maledicat tibi*, seu ne tibi malè precetur actus supplicio, *& corruas* Deo crudelitatem tuam puniente.

Erratorum serui ipsa seruitus sufficiēs est supplicium.

Verf.11. Detestabilia genera hominum, quæ subiicit: *Generatio, qua patri suo maledicit, & qua matri sua non benedicit.* * Filius enim non solùm debet suæ matri non maledicere, sed benedicere iure tenetur eam, quæ gestauit in vtero, & cum dolore eum enixa est.]

Filius non solùm debet matri non malè docere, sed & benedicere iure tenetur.

Verf.12. Et *generatio, quæ sibi munda videtur*, vel quia sordibus defædari ignorat, vel quia illas non curat abstergere: *& tamen non est lota à sordibus suis.* Loquitur de sordibus vitiorum. Nunquam debes de conscientiæ mundicie præsumere: te immundum reputa vt frequenter inclamites: *Ampliùs laua me ab iniquitate mea. Psal. 50.*]

De conscientiæ mundicie nunquā præsumendum.

Verf.13. Et generatio, cuius excelsi sunt oculi; & palpebra eius in alta surrecta. Hic profectò superborum est habitus, meritò aspicientibus detestabilis.

Verf.14. Et generatio, qua pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Crudeles intelligit, & auarus, qui velut feræ pauperes lacerant, quibus dentes sunt quasi gladij. * Pondera illud: *Pro dentibus gladios habet.* Dum enim auarus pauperum substantiam comedit, eos quasi gladio vulneratos interimit, dum ex necessitate perire coguntur.]

Auarus qui pauperū substantiam comedit, eos simul gladio interimit.

Verf.15.16. Sanguisuga duæ sunt filia dicentes, Affer, affer. Cupiditatis, quæ velut sanguisuga quædam est duæ sunt filiæ imò tres, seu potiùs quatuor, quæ quidem nunquam satiantur. *Tria enim sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit, sufficit. Infernus*, mors: *& os vulua*, mulierum concupiscentia: *terra, qua non saturatur aqua*, arens scilicet & sabulosa: *ignis verò nunquam dicit sufficit*, ei enim quò plus addit lignorum, magis incenditur. * Apposité verò Sapiens duas illas particulas copulauit. *Infernus & os vulua*, mors enim, perditio, tartarus cum impudica fœmina colligantur.]

Mors, perditio, tartarus cum impudica fœmina colligantur.

Verf.17. Oculum, qui subsannat patrem seu deridet: *& qui despicit partum matris sua*, vel qui matrem suam non reueretur, cui plurimum debet ex eius conceptus vtero, ab ea in lucem editus, & educatus: *effodiant eum corui de torrentibus*, (assolent corui ædificare, & versari circa torrentes & fluuios) tàm ingrati filij oculos coruus ingratus crudeliter eruat: *& comedant eum filij aquila*, id est immaturè moriatur, vt eius cadauer aquilæ carniuoræ absumant. * Filij parentum despectores & mentis cœcitate, & immaturo obitu puniuntur.] * Particula illa, *Et qui despicit partum matris sua* non cadat sine pondere. Nam qui matrem despicit, eius despicit partum, id est, seipsum ab ea enixum. Porrò se despicit quasi malè natum, qui matrem despicere non veretur.]

Filij parentum despectores & cœcitate mentis, & immatura morte puniuntur.

Se despicit quasi malè natum, qui matrem despicit.

Verf.18.19. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Quatuor sunt mihi *admirabilia* (sic Hebr.) cum eorum causam aut modum ignorem. *Viam aquila in cœlo*, quæ se mirum in modum in altum attollit, nec vestigium post volatum relinquit. *Viam colubri super petram*, cuius via tortuosa est & lubrica super & inter saxa adeò, vt eam post lapsum difficillimum sit inuestigare. *Viam nauis in medio mari*, quæ secundum ventum linteis excipiens citissimè fertur, nec vestigia reliquit. *Et viam viri in adolescentia*, quæ vaga admodum est, instabilis, & vaga adeò, vt errores illius vllus vix retexere possit. Hebr. est בעלמה *bealmah, in adolescentula*, seu *Virgine*, quibus verbis propheticè admirabilis Christi conceptio in Virginis vtero, & eiusdem natiuitas videtur indicari. * Certè mihi admirabilis etiam obiicitur via, seu vita eius qui Virginis Deiparæ protectione nititur, quem sæpè vidi per varios casus, per criminum discrimina, tandem tantæ protectricis ope æternæ felicitatis in patriam peruenire.]

Mirabilis est via hominis, qui Deiparæ protectione nititur, post varios enim casus tādem patriā æternā potitur.

Verf.20. Talis est via mulieris adultera, seu similiter mihi latent adulterantis fœminæ turpes actiones: *qua comedit*, rem turpem honestè ac prudenter expressit. * Taxans quidem eos, qui impudicis verbis vtuntur.] *Et tergens os suum dicit: Non comedi*, malum non sum operata.

Qui impudicis verbis vtitur, taxatur.

Verf.21.22.23. Per tria mouetur terra. Tria sunt, per quæ terra turbatur, ac quodammodò tremit: *& quartum non potest sustinere*, tanto oneri impar. *Per seruum, cum regnauerit.* Nescit enim fortunæ prosperitate cum moderamine vti, & metuens contemni, plerumquè crudelis exsurgit. Verum adagium illud:

Asperius nihil est misero, cum surgit in altum.

Rarò videris miserū fortunæ fauorē ad celsum munus euectum, quem typho superbiæ elatum nō agnoscas; superbiam autem crudelitatis matrē esse quis dubitet?] *Per stultum, cum saturatus fuerit cibo.* Nam cibi, ac vini quo æstuat, intemperantia, efficit, vt magis suam prodat stultitiam petulanter loquendo, & agendo. Aliqui de saturitate

Miser ad altum munus euectum plerumquè superbus, & crudelis.

Diues stultus intolerabilia delirамenta exerit pecuniarum ope.

turitate diuitiarum aptiùs intelligunt. * Et quidem diues stultus pecuniæ ope tanta deliramenta cogitat, tàm ineptas exetit actiones, vt eum non possint conciues sustinete.] *Per odiosam mulierem, cum in matrimonium fuerit assumpta*, seu per mulierem odio dignam, propter malos mores: hæc enim in coniugium sumpta, facta materfamilias domum perturbat. *Et per ancillam, cum fuerit hares domina sua.* Hæc quidem si domina præmortua, aut à viro expolsa, in coniugem assumitur, intolerabilis fit familiæ.

Intolerabilis fit famula à Domino in vxorem assumpta.

* Huiusmodi enim ancillæ, vel famulæ maiores quàm pro sua conditione assumunt spiritus.]

Vers. 24.25.26.27.28. Quatuor sunt minima terra, seu ex minoribus terræ animalculis, *& ipsa sunt sapientiora sapientibus:* nam naturæ instinctu quædam industriæ opera exercent maiori solertia quàm homines sapientes, quam scilicet homines, qui Sapientiæ sunt capaces. *Formica* enim sunt *populus infirmus*, seu corpore exiguo, & infirmo, sed non est exigua huius populi prouidentia, *qui* quidem *praparat in messe cibum*, mirabili planè dexteritate. *Lepusculus*, (Hebr. *Saphan*, quod est genericum nomen multis animalibus fugacibus, & degentibus in latebris commune) *plebs inualida* & infirma, *qui collocat in petra cubile suum*, loco tuto, & minus accesso, vt se à venatoribus liberum præstet. *Locusta*, quæ *Regem non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas.* Id est locustæ proficiscendi tempus, incedendi ordinem, quiescendi stationes, & castra mouendi opportunitatem non minùs seruant, quàm si Regem, vel Ducem haberet, quem sequerentur. *Stellio* item (genus lacertæ, vulgo *Tarantula ò Lagartija manibus nititur, & moratur in domibus Regis.* Sapiens profectò animalculum, quod manibus vtens potuit verticem domus Regiæ tenere,

Tenuis fortunæ homines solertia, actionibúsq; probis nitentes ad munera conspicua posse peruenire non desperent.

* Animalis huiusce exemplo tenuis fortunæ homines admonentur, vt industriâ ac solertiâ nitentes, non desperent se ad conspicua munera posse peruenire: quod quotidiana docent experimenta.]

Vers. 29.30.31.32. Tria sunt, qua benè gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter. Hebr. *pulchre.* Primum *leo fortissimus bestiarum*, qui *ad nullius pauebit occursũ*, magnificè procul dubio incedit, Deindè *gallus succinctus lumbos* seu paratus ad gressum, ad pugnam, ad procreationem pulchre graditur. Tertio *aries*, qui magnificè incedit: quasi dux ante gregem: *nec est Rex, qui resistat ei.* id est, cum tanta incedit maiestate, vt vel Rex nequeat se cum illo componere. Poëtica loquendi formula. Sic de liliis & floribus Christus Dominus Matt. 6. *Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis* Quartò, qui benè seu ostentatiuè graditur, *est, qui stultus apparuit*, id est, stultus, qui aparuerit, *postquam eleuatus est in sublime*, seu constitutus in excelso aliquo dignitatis throno. Quam vanè, quàm superbe se gerit. *Si enim* (pro, *quod si*) *intellexisset* periculum suum, aut quid sibi expediret, *ori suo imposuisset manum*, seu petere gradum illum desisset.

Stultus planè est, qui ad regimen eleuari postulat.

* Stultus profectò est qui postulat, ad gubernationis thronum eleuari tot difficultatibus, tot obnoxium periculis? quæ qui intelligit, fugit, qui verò non fugit, non intelligit; vndè stultum se esse confirmat.]

Vers. 33. Qui autem fortiter premit vbera, ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Ouis vbera fortiter pastoris manu pressa, lac offerunt, quod suaue cogat in butyrum, vehementer verò compressa, sanguinem quasi è vulnere proferunt. Hoc stultus ad thronum euectus exitialiter agit.

Princeps modicis tributis lac eliciat è subditis ouibus, nimiis sanguinem non emungat.

* Ediscant Principes sic cum subditis ouibus se gerere, vt si opus sit, fortiter tributorum lac, vtile quidem, eliciatur, sed non *vehementer*, id est, non sit tam dira tributorum exactio, vt pro lacte sanguinẽ exitium oui, Regi inutilis, accidat elici.] *Et qui prouocat iras, producit discordias*, Stultus præterea ad thronum euectus gubernationis haud se iratum (faciliter quidem) potest continere, vnde ira percitus vel immoderata verba profert, vel iniustas gerit actiones, queis subditorum discordiis, & rixis præbeatur occasio.

CAPVT XXXI.

Monet Salomon, vitandam libidinem, crapulam, iniustitiam. Et occasione matris (ex cuius ore loquitur) mulieris excellentis subnectit encomium, quod quidem per 22. versus iuxta totidem litteras, Hebræorum, à qualibet littera singulos versus inchoando, prosequitur.

1. VERBA Lamuelis regis, Visio, qua erudiuit eum mater sua.
2. Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte vo-
torum meorum? 3. Ne dederis mulieribus substantiam
tuam, & diuitias tuas ad delendos reges. 4. Noli regibus,
ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est
vbi regnat ebrietas. 5. & ne fortè bibant, & obliuiscantur
iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. 6. Date sice-
ram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: 7. bibant, & obliuiscantur
egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius. 8. Aperi os tuum muto, &
causis omnium filiorum qui pertranseunt: 9. aperi os tuum, decerne quod iustum
est, & iudica inopem & pauperem. 10. Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de

de vltimis finibus pretium eius. 11. Confidit in ea cor viri sui,& spoliis non indigebit.
12. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ. 13. Quæsiuit
lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. 14. Facta est quasi nauis
institoris, de longè portans panem suum. 15. Et de nocte surrexit, deditque præ-
dam domesticis suis,& cibaria ancillis suis. 16. Considerauit agrum,& emit eum:de
fructu manuum suarum plantauit vineam. 17. Accinxit fortitudine lumbos suos,
& roborauit brachium suum. 18. Gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius:
non extinguetur in nocte lucerna eius. 19. Manum suam misit ad fortia, & digiti
eius apprehenderunt fusum. 20. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas ex-
tendit ad pauperem. 21. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim
domestici eius vestiti sunt duplicibus. 22. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus
& purpura indumentum eius. 23. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cùm
senatoribus terræ. 24. Sindonem fecit,& vendidit,& cingulum tradidit Chananæo.
25. Fortitudo & decor indumentum eius,& ridebit in die nouissimo. 26. Os suum
aperuit sapientiæ,& lex clementiæ in lingua eius. 27. Considerauit semitas domus
suæ, & panem otiosa non comedit. 28. Surrexerunt filij eius,& beatissimam præ-
dicauerunt;vir eius,& laudauit eam. 29. Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu
supergressa es vniuersas. 30. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens
Dominum,ipsa laudabitur. 31. Date ei de fructu manuum suarum:& laudent eam
in portis opera eius.

COMMENTARII.



VERS. 1. *Verba Samuelis Regis*, id est Salomonis,cuius etymologia est, *Ipsi Deus* vel *Cum ipso est Deus.* Hæc quæ sequuntur verba sunt Salomonis Regis, cum quo Deus est, vel in quo Deus adest. * Nec potest Concionator vtiliter sermonem proferre, si Deus in ipso non commoratur.] Visio,id est,doctrina prophetica à Spiritu Sancto per reuelationem accepta, *qua erudiuit eum mater sua.* Bethsabee adhuc tenerum. * Talibus monitis decet pias matres filiis adblandiri.] Heroïna illa prophetiæ dono collustrata periculum præuidit futurorum amorum Salomonis,ac proindè conatur iam indè à puero aduersus eas pestes eum salubribus monitis præmunire. * Et quidem tanta est humanitati agnata fragilitas, vt quilibet parens futura filij pericula valeat præuidere.] Aptè dixit, *Qua erudiuit eum mater sua.* * Ad matrem enim specialiter pertinet simul cum lacte filium vtilibus monitis enutrire.]

Non potest Cōcionator vtiliter verba proferre, si Deus in ipso non adest.

Piæ matres piis monitis debent filiis adblandiri.

Quilibet parens potest esse futurorū filij periculorum propheta.

Ad matrem specialiter attinet, simul cum lacte salutari doctrina filium enutrire.

Vers. 2. Quid dilecte mi,dicam tibi. (Bethsabea ait) *Quid dilecte vteri mei*, seu specialiter à me dilecte,quia te vtero gestaui? *Quid dilecte votorum eorum*, seu in quem tendunt vota,& desideria mea? Quid dicam tibi, quem tot titulis vehementer amo? Hæc accipe dogmata.

Vers. 3. Ne dederis mulieribus substantiam tuam. LXX *diuitias*, ne opes voluptatibus noxiis captandis expendas. *Et diuitias tuas ad delendos Reges.* Vitium enim libidinis perdit Reges eorumque delet nomina. * Rex enim esse desinit omnium existimatione,qui impudicitia se communem homuncionem profitetur. Vnde Regio nomine quasi diuinus,actus libidine incipit esse humanus.]

Rex libidini addictus regio nomine, quasi diuino, deleto, incipit esse humanus.

Vers. 4.5 Noli Regibus,ô Samuel, noli Regibus dare vinum, quo ebrietas conciliatur Regi prorsus indigna. Nam præterquam quod est libidinis fomes, *nullum secretum est,vbi regnat ebrietas.* Et ne *fortè bibant* Reges, *& obliuiscantur iudiciorum*, seu iustitiæ, *& mutent causam filiorum pauperis*, id est, malè in pauperum causa pronuncient.

Vers. 6.7. Date siceram mœrentibus. Sicera est vinum, & quidquid vim habet inebriandi, vndè LXX. vertunt: Date inebriatiuum. Vinum ô fili non Regi propinandum, sed mœrenti modicè adhibendum, nam vinum lætificat cor hominis, & eos qui amaro sunt animo ad hilaritatem reuocat; vndè addit, *& vinum iis, qui amaro sunt animo. Bibant hi, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* * Ac si diceret, vinum non sit frequens valentibus potus, sed mœrentibus medicamen.]

Vinum non sit potus valenti, sed ægro medicamen.

Vers. 8.9. Aperi os tuum muto, patrocinare in causa ei, qui opera tua eget, & nescit ipse causam suam defendere. * O quot huiusmodi mutorum periere causæ eo quod nescientes ipsi eas defendere, pius Aduocatus non adfuit, qui linguam mutis adhiberet.] *Et causis omnium filiorum,qui pertranseunt.* Protege peregrinos, qui cum sint magis iniuriæ obnoxij, speciali Regis patrocinio opus habent. * Peregrinos *filios* aptè appellauit,vt innuat,eorum causas sic protegendas esse, ac si filij lis ageretur.] *Aperi os tuum,decerne,quod iustum est,& indica inopem, & pauperem.* Pro inope pronuncia,ne potentioris potentia opprimatur. * Cur de iudicio diuitum non agit mentionem, sed solùm de pauperum causa replicato nomine *Inopem, & pauperem* recordatur? Certè quia diuitum ius semper à Iudicibus protegitur, pauperum verò ius plerumquè in eorum æstimatione minuitur: Saltem de causæ iustitia perspicua quidem, assolent dubitare.]

Multæ causis pereunt ob pij Aduocati defectum.

Sic peregrini causa protegenda, ac si filij lis ageretur.

Diuitum ius sæpe protegitur à Iudicibus:de pauperum iure assolent dubitare.

Vers. 10. Iam, (vti aduerti) occasione matris subnectis fortis fœminæ encomium, id persequens per 22. versus iuxta 22. litteras Hebræorum. * Vt significet, talem mulierem omnibus litteris, seu omnibus numeris absolutam esse, & omnes litteras quomodocumque combinatas tali heroïnæ laudandæ non sufficere.] *Mulierem* enim *fortem quis inueniet?* Mulier,

Omnes litteræ quomodocumque combinatæ non sufficiūt ad mulierē fortem, seu virtute præditam laudandam.

virtute excellens (Hispanè *Muger de valor*) vbinam, & à quonam diligenti scrutatore inuenietur? *Procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Res admodum rara est, ac pretiosa, vt sunt ea, quæ ex vltimis Regionibus ad nos aduehuntur. * Vt mulier possit æstimationem *fortis* acquirere, omnibus debet esse velut in Regionibus longè dissitis collocata, domus scilicet claustris abscondita, difficile communi patens aspectui.]

Vt mulier *fortis* nomen acquirat, debet domo recludi, quâ si in longè dissita Regione degeret.

Vers. 11. *Confidit in ea cor viri sui.* Vir eius non metuit, ne incontinens sit, ne rem familiarem prodigat, ne torpeat negligentia. *Et spolijs non indigebit*, seu re domestica, nam per vxoris diligentiam domus, rebus ad vitam necessariis abundat. * Cum familia penuria laborat, negligentia, seu otium vxoris arguitur.]

Cum familia penuria laborat, otium vxoris arguitur.

Vers. 12. *Reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ suæ.* Erit viro suo multorum bonorum causa: nullum verò incommodum, aut periculum illi afferet. * Proba equidem vxor & precibus ad Deum profusis, & prudentibus monitis virum à malo retrahit, & ad bona sectanda allicit.]

Vxor proba virum à malo retrahit, ad bonũ allicit.

Vers. 13. *Quæsiuit lanam, & linum*, operis faciendi auida, nec expectauit, vt maritus eam operis materiam obtrudens, ad operandum hortaretur. * Proba etenim fœmina non indiget viri monito, vt domestico labori fugiens otium, incumbat.] *Et operata est consilio manuum suarum.* Hebr. *Operata est voluntate manuum.* Ipsa volens, & spontè manus ad opus admouit. Ea profectò voluntate, seu spontanea manuum operatione, opus promouit. * Nam quæ voluntate fiunt, dexteriùs geruntur, & citiùs promouentur.]

Proba vxor nõ eget mariti monito, vt labori domestico incumbat.

Quæ voluntate fiũt, dexteriùs geruntur, & citiùs promouentur.

Vers. 14. *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Facta est similis mercatorum nauibus, quæ aliquas asportant merces, aliquas important. Sic enim materfamilias vendit ea quibus abundat, & quæ non sunt vsui, & vicissim quæ sunt necessaria domui præparat. De longè portare panem est, extraordinaria quadam industria, & remota quodammodò aliquid parare. Sic matrisfamilias industria ex rebus alioqui inutilibus cuiusmodi sunt attritæ vestes, & alia huiusmodi, quæ in domibus negliguntur, peculiolam colligit, ex qua linum mercatur, aut lanam, vnde telas conficiat, & vestes. * Vxoris probæ industria, quæ inutilia sunt in domo, & passim abiiciuntur, in vtilia, ac necessaria conuertuntur.]

Vxoris industria, quæ inutilia sunt in domo, in vtilia ac necessaria conuertuntur.

Vers. 15. *Et de nocte surrexit*, id est, ante lucem *dedítque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* LXX. *Dedit escas domesticis.* Retineo Hebræam vocem טרף *tereph* quæ propriè *prædam* seu rapinam significat, & sic sententiam explico. Valdè manè surgens cibos non quouis modo partos, sed labore, ac sudore, quasi vi deprædatos domesticis impertit, vt singuli ad sua quæque ministeria refecti procedant. * Summo manè materfamilias surgens, efficit domesticos manè euigilare, & ministerio operam incumbere. Dominus somniculosus famulos facit, in vtramque autem obdormire, & serò, ac segniter ad laborem procedere.]

Dominus somniculosus famulos efficit in vtramque aurem obdormire, & segniter ad opera procedere.

Vers. 16. *Considerauit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantauit vineam.* Cum attentè scrutata aduertisset, quendam agrum aptum esse ad plantas vitiorum serendas, vineam plantauit sumptum agendo de iis, quæ manuum industria & domestico labori acquisierat.

Vers. 17. *Accinxit fortitudine lumbos suos*, assumpsit fortem, ac virilem animum: & roborauit brachium suum, ad huiusmodi opera exequenda, quæ vix viri exequerentur.

Vers. 18. *Gustauit, & vidit, quià bona est negotiatio eius.* Ipso experimento didicit, aptam esse negotiationem, quâ ex lino & lana pecuniam acquisiuit, quâ potuisset cibum familiæ præparare. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, aliquot noctis horas ipsa cum ancillis suis institit operi, ex quo tantam experta est vtilitatem.

Vers. 19. *Manum misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum*, seu vnà cum ancillis colo, & fuso fila ducere non cessauit. * Vt fœminæ ediscant fortis mulieris armamenta esse colum & vertibulum sicut fortis militis gladius.]

Armamentá fortis mulieris colum & fusum, sicut militis gladius.

Vers. 20. *Manum suam aperuit inopi.* Nec solùm familiæ sustentandæ suas dicauit operas, pauperibus simul munifica extitit manu quidem aperta, id est, largè eis subsidia præbendo. * Eleemosyna enim opes non minuit sed auget.] Vndè adiicit Sapiens, & palmas suas extendit *ad pauperem*, cui manum aperuerat. Vt scilicet à paupere reciperet ambobus manibus, quod vnica manu aperta tribueret. * Qui enim agit eleemosynam plùs quam erogat, accipit.]

Eleemosyna auget opes.

Qui agit eleemosynam, plus quàm erogat, accipit.

Vers. 21. *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus*, seu internis & externis vestibus sunt aptè muniti.

Vers. 22. *Stragulatam vestem fecit sibi*, variam, & pretiosam vestem sibi ipsa perfecit. *Byssus enim & purpura indumentum eius*, tàm nobili heroïnæ agnatum. Nec enim dedecet fœminas nobiles, & diuites pretiosis vti vestimentis.]

Decens est fœminas nobiles & diuites pretiosis vti vestibus.

Vers. 23. *Nobilis in portis vir eius*, celebris, & clarus ostentabitur maritus eius in portis, vbi forum erat, prætoria, ac tribunalia: *quando sederit cum Senatoribus terræ*, Iudicibus, vel proceribus populi. * Sancta enim & prudens vxor virum facit esse æstimabilem: sicut vxor praua maritum efficit à cunctis contemni.]

Vxor proba mariti decus, dedecus praua.

Vers. 24. *Sindonem* seu linteum ex subtili lino, qua ad ornatum capitis vtuntur mulieres illustres (à Sidone Ciuitate Phœniciæ nomen accepit, vbi primò inuentum fuit) *fecit, & vendidit, & cingulum*, seu zonas perelegantes acu pictas, *tradidit Chananæo*, seu Chananæis mercatoribus. *Chananæus* hîc nomen mercatorem significat, quod multi ex Chananæis mercaturæ operam darent, ac præsertim illi, qui oppida mari viciniora incolebant.

Vers. 25. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Eaque pretiosam vestem inducendo corpori fecit sibi, præcipuè fortitudine & honestate animum ornare curauit. *Et ridebit in die nouissimo.* Vndè in morte exultabit, quando à cœlesti Iudice non corporeus vestitus, sed animi spectatur ornatus.

Vers. 26. *Os suum aperuit Sapientiæ*, non vana loquitur, sed consideratè & sapienter verba profert. *Et lex clementiæ in lingua eius.* lex clementiæ in ore eius versatur, id est pietatis & misericor-

cordiæ proximis exhibendæ. * Vt hinc nonnullarum mulierum nobilium lingua raxetur, io qualex clementiæ non viget, sed murmurationis, ac mendacij exlex consuetudo. Commendabilis planè os, vbi lex semper residet pietatis.]

Commendabilis lingua in qua semper lex residet pietatis.

*Vers.*27. *Considerauit semitas domus suæ.* Non solùm propriæ conscientiæ puritati attendit, sed diligenter inspexit, an domestici omnes ità vt par est, se gererent. * Hæc heroum obligatio non solùm propriæ, sed & domesticorum saluti attendere.] *Et panem otiosa non comedit.* Quæ domesticorum corporeis commodis, & simul spirituali profectui tam diligens incumbit, se otio minimè torpere testatur.

Heroum obligatio nō solùm propriæ, sed domesticorum saluti attendere.

Vers. 28. *Surrexerunt filij eius, beatissimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.* Maritus, & filij eam in publicis consessibus laudant: maritus quidem ore, filij autem modestia, quam ex matris dogmatis didicere. * Profectò filij probè educati, modesti, vrbani parentes mirificè suo aspectu collaudant.]

Filij probe educati parentes solo aspectu collaudant.

*Vers.*29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias,* Multas vidi (ait maritus laudans vxorem) fœminas congregandis diuitiis temporariis, & spiritualibus operam dedisse meritò commendandas: sed *tu* ò fœmina illustris, *supergressa es vniuersas.*

*Vers.*30. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo,* de quo assolent fœminæ gloriari. *Mulier timens Dominum,* verè pulchra, ipsa laudabitur, exterioo non eget encomiaste, seipsa commendat laude.

*Vers.*31. *Date ei de fructu manuum suarum,* id est propria facinora. Quicumque, inquam, talis Heroinæ laudes vultis decantare, commemorate res ab ipsamet gestas, & aliena omittite. Quid enim opus, patriam, parentes, clientelam, & maiorum encomia celebrare, vbi tanta suppetunt, & tam propria ipsimet digna laude facinora? *Et laudent eam in portis opera eius* laudent non tantum inter domesticos parietes, sed etiam in foris, & theatris, ac celeberrimis ciuium ac Magistratuum conuentibus. * Vel fœminæ absconditæ virtus operiri noo potest: lux est quæ nequit claustri nube celari. * Edisce, nullum debere ex illustri solùm natalitio collaudari; *laudent* eum *opera eius*, quæ si non adsint commendatione digna, encomium ex genere magis est vituperium: quod cum nobilis ille fuerit, opera nobilitati agnata non gesserit.

Virtus quantumuis occulta celari noo potest

Opera te. nō natalitium laudet.



LIBER



LIBER SECVNDVS.
COMMENTARII LITERALES, ET MORALES
ECCLESIASTES.

PROLVSIO.

In huiusce libri Salomonis, qui dicitur *Concionator*, vestibulo inuenio, vndenam Concionatores hauriant, ad proferenda vtiliter auditoribus dogmata Sacra, auxilium. Inquit enim Ecclesiastes, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Vbi Richardus Laurent. *lib.* 1. *de laud. Virg.* profatur. *Omnes aquæ dulces, scilicet omne genus gratiarum, & omnia charismata intrant in mare, id est, Mariam; & mare, id est Maria, non redundat, siue non intumescit*, sibi omnia retinens. Nam *ad locum, vbi exeunt flumina* beneficiorum *reuertuntur, vt iterùm fluant ad nos: sicut enim nec maris profunditas, sic nec Mariæ liberalitas potest exhauriri; indeficienter enim, & indefessè dat gratiam vniuersis.* Sic ille.

Omne gratiarum genus intrat in mare Mariæ.



CAPVT PRIMVM.

Salomon describit terræ, & elementorum omnium mutationes, generationes ac corruptiones rerum sublunarium, cælorum & syderum circuitiones: ex quorum cognitione nulla tranquillitas humano animo: ex vsu nulla satietas sensibus: ex experientia nulla Sapienti voluptas; sed vbique difficultas, vbiquè labor.

1. ERBA Ecclesiastæ, filij Dauid, regis Ierusalem. 2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. 3. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole? 4. Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat. 5. Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens, 6. gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant. 8. Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. 9. Quid est quòd fuit? ipsum quod futurum est, quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. 10. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. 11. Non est priorum

memoria

memoria: ſed nec eorum quidem, quæ poſteà futura ſunt, erit recordatio apud eos,
qui futuri ſunt in nouiſſimo. 12. Ego Eccleſiaſtes fui rex Iſraël in Ieruſalem, 13. &
propoſui in animo meo quærere & inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub
ſole. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparen-
tur in ea. 14. Vidi cuncta, quæ fiunt ſub Sole; & ecce vniuerſa vanitas, & af-
flictio ſpiritus. 15. Peruerſi difficilè corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt nu-
merus. 16. Locutus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus ſum, &
præceſſi omnes Sapientia, qui fuerunt ante me in Ieruſalem: & mens mea con-
templata eſt multa ſapienter, & didici. 17. Dedíque cor meum vt ſcirem pru-
dentiam atque doctrinam, erroréſque & ſtultitiam: & agnoui quòd in his quoque
eſſet labor, & afflictio ſpiritus: 18. eò quòd in multa Sapientia, multa ſit indigna-
tio: & qui addit ſcientiam, addit & laborem.

COMMENTARII.

ERS. 1. *Verba Eccleſiaſtæ filij Dauid Regis Ieruſalem.* Verba Concionatoris Salomonis Regis Ieruſalem Dauidis filij, quibus more Concionatorio de rerum vanitate diſſerit, alijſque argumentis ad mores efformandos appoſitis. * Nec enim poteſt Concionator appellari, qui conceptus ad morum compoſitionem inutiles profert auditoribus.

Qui conceptus inutiles ad mores efformandos profert, haud poteſt Concionator appellari.

Verſ. 2. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas. Vanitas vaniſſima res occupat humanas. Illud vanum vocitatur, quod leue eſt, & vile, quod deficit. Græcè *Vapor vaporum*, vel vapor fumi, & aura tenuis, quæ facilè ſoluitur. De ſe Salomon in tertia perſona loquitur modeſtiæ cauſa, ſicut Paulus de ſe ipſo loquens, ait 2. *Cor.* 12. *Scio hominem in Chriſto ſiue in corpore, &c.* * Docens Concionatores non plauſum ambire, ſed ſolùm Dei gloriam, & auditorum vtilitatem procurare.] *Omnia* (repetit) *vanitas.* In omnibus enim creatis vanitas ineſt ob naturæ earum inconſtantiam, mutabilitatem, fallacem ſpeciem, invtilitatem ad ea conſequenda, quæ nobis proponimus, moleſtias & curas, quas nobis afferunt. * Omne id, quod ad virtutem non proficit, & ſpiritum affligit, vanum eſt.]

Concionator nó quærat plauſum; ſed Dei gloriam, ac proximi vtilitatem.

Omne id, quod animo non prodeſt, eum affligés eſt vanum.

Verſ. 3. Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub Sole ſiue in hac vita vbi ſolis fruimur vſura, Quid ſupereſt homini poſt tot labores, quos in hac vita ſuſtinet, quo præmio potitur? *Sub Sole* inquit, non ſupra Solem. Omnes labores, qui ſub Sole, id eſt propter mundialium rerum acquiſitionem ſuſtinentur, inutiles, vacui, ſine præmio. Cum igitur ſupra ſolem, id eſt propter cœleſtium acquiſitionem laborare, infallibili quidem muneris ſpe.]

Qui ſub Sole laborat, id eſt, propter terrena ſine præmij ſpe ſtultè defatigatur.

Verſ. 4. Generatio præterit, & generatio aduenit. Hominum alij moriuntur, alij naſcuntur, & in defunctorum locum ſuccedunt. * Cur non agnato ordine dixit, *Generatio aduenit, generatio præterit*, ſiquidem priùs eſt naſci, quam mori? Certè quia tam breuis, tam fallax eſt vita, vt priùs quodammodò ſit mori, quàm naſci.] *Terra autem in æternum ſtat.* Terra eadem permanet, eſtque quaſi commune diuerſorium venientium & abeuntium.

Tam fallax eſt vita, vt priùs quodámodò ſit mori, quàm naſci.

Verſ. 5. 6. Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum, vnde fulgens proceſſerat, abſoluto curſu *reuertitur. Ibique renaſcens*; ſeu è tumulo occidentali reſurgens, *gyrat per Meridiem, & vertitur ad Aquilonem* perficiens quidem annorum Solarium motum, acceſſum, ac receſſum inter tropicos Cancri & Capricorni: Æſtiuo enim tempore Sol ad Aquilonem vergit, hyeme ad Meridiem. *Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* Vniuerſa peruadens peruolat ventus, & in circulos ſuos reuertitur; nam ex duodecim ventis reſpondentibus totidem cœli, terræque plagis, nunquam non aliquis aliquam mundi plagam perflat. Et quidem inter cauſas generationis, & corruptionis ſublunarium, quas hîc Sapiens recenſet: interque errabunda, & inconſtantia vniuerſi, non vltimum locum tenent venti, qui nec ipſi quieſcunt vnquam, nec aërem, nec aquam, nec terram quieſcere ſinunt, ſed acri ſuo flatu, & aliquando peſtilenti pluribus locis perniciem afferunt, & ruinam.

Verſ. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, non laxat habenas, vt maiorem ſitum occupet, ſed abſórptis tot fluminibus, in aſſignato termino cótinetur. *Ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant*, id eſt, ad mare, & mari conterminam abyſſum aquarum, quæ iam inde à mundi exordio eſt in terræ viſceribus, (ſicut in corpore humano maxima ſanguinis copia adeſt in hepate, & in corde) indéque per innumeros cuniculos quaſi per venas diſperguntur aquæ per omnes partes terræ, & certis locis iam colatæ in fontes, & in flumina erumpunt.

Verſ. 8. Cuncta res, difficiles, ſeu afferentes laborem volenti earum ſcientiam, ac cognitionem comparare. *Non poteſt eas homo explicare ſermone.* Tanta enim rerum difficultas, vt explicandi eas verbis ſuperent facultatem. *Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Hi enim ſenſus in hominibus ſemper vana cognoſcere appetunt, & citius fatigantur, quàm ſatientur.

Verſ. 9. Quid eſt, quod fuit ipſum? quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? ipſum, quod faciendum eſt. In naturalibus idem cœlorum motus, eadem elementorum collocatio, animalium ſpecies, & proprietates eædem. In moralibus eadem hominum ſtudia circa honores, diuitias, mercaturam, militiam, &c. Vnde

Verſ. 10. Nihil ſub Sole nouum, nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt, iam enim præceſ-
ſit

Taxantur, qui existimãt se nouos cõceptuũ partus edidisse.

cit in seculis, quæ fuerunt antè nos. * Vt Concionatoribus, & omnibus qui student litteris vanitas taxetur, dum existimant nouos conceptuum edidisse partus, quos iam iam à seculis alij enixi fuere.]

Vers. 11. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo. Solet enim ipsa vetustas hominum nomina, & res gestas abolere. * Vnde stulti, qui ad perpetuam mundi memoriam laborare satagunt: stabilissima quæque corruunt, & si alicuius permaneut reliquiæ, Auctoris nomen omninò aboletur.]

Stultus, qui ad perpetuã mundi memoriam satagit laborare.

Vers. 12. 13. Ego Ecclesiastes, seu Concionator vester me mundialis vanitatis exemplum expono. *Fui enim Rex Israël, in Ierusalem* meam Curiam, meam Regiam habens: *& proposui in animo meo, quærere, & inuestigare Sapienter de omnibus.* id est, ex scientiarum principiis, quæ falli non solent, rerum effectus penetrare omnes, *quæ fiunt sub Sole. Hanc occupationem pessimam*, seu laboriosam admodum, *dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.* * Scientiarum studium vtile admodum, sed maxima spiritus, ac corporis parrum molestia.] * Preme illud: *Dedit Deus*, seu Dei dono accepimus. Munus enim Dei est, hominem studij laborem libenter tolerare ad otij pericula fugienda.] * Adiicit, *Filiis hominum.* Nam qui otio torpet, & Sapientiæ acquirendæ, cum potest, non expendit studium, non cum hominum filiis, sed cum filiis bestiarum debet annumerari.]

Molestum admodũ est vtile scientiarum studium.

Dei beneficio accipimus inclinationem ad litterarum studium.

Qui Sapientiæ acquirẽdæ non studet, quasi nõ est homo.

Vers. 14. Vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole, vt cognoscerem, num alia occupatio esset sine molestia, vt studio scientiarum nuncium remitterem: *Et ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus*, id est, animo molestiam afferentia.

Vers. 15. Stultorum infinitus est numerus. Attamen post diligentem inquisitioné didici, stultorum, qui ab acquirendæ Sapientiæ labore recedunt putantes, posse se sine labore alia gerere munera, penè infinitum esse numerum. Et quamuis conarer eos ad studium Sapientiæ reducere, arduam susciperem prouinciam; quia peruersè de rebus iudicantes difficilè admodum corriguntur, vnde in stultorum cœtu persistunt. * Stulti ad meliorem frugem reductio ferè est impossibilis.

Stulti reductio ferè est impossibilis.

Vers. 16. Locutus sum in corde meo, mecum recogitaui, dicens. *Ecce magnus effectus sum Magister, & præcessi omnes Sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem: & mens mea contemplata est multa Sapienter, & didici.* * Postquam se omnes Sapientia præcessisse ostendit: postquam multa contemplasse ex acquisita Sapientia affirmauit: adiicit, *Et didici.* Quid quæso didicit adhuc, qui tanta Sapientia præditus fuerat? Profectò nullus tam Sapiens inuenitur, cui non residenat plura, ac plura ediscenda.]

Nullus tam Sapiens, cui non resideãt plura, ac plura ediscenda.

Vers. 17. 18. Dedique cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam siuè scientiam: erroresq; & stultitiam; nam contrariis contraria intelliguntur: *& agnoui, quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus*, id est, in his cognoscendis scilicet Sapientia, prudentia erroribus, & stultitia. *Eo quod in multa Sapientia multa sit indignatio.* id est, multus fastus & elatio Sapientis, qui simpliciores contemnit, & illis irascitur cum interrogatur. Nam doctissimus quisque laboriosissimè docet, cum illis sit graue & molestum in minutis rebus, & sibi facilibus versari, interim luctando cum discipuli ignorantia. * Obiicies: Non doceat Sapiens, & non aderit indignationis occasio. Certè dedeceret Sapientem pium non docere; à Deo enim Sapientiam accepit, vt non solùm sibi proficeret, sed aliis ferret vtilitatem.] *Et qui addit scientiam addit, & laborem*, scilicet in docendo, fante Tullio, *Quo quisque est ingeniosior, hoc docet iracundius, & laboriosius.*

Sapientem dedecet, alios non docere.

CAPVT II.

Asserit Sapiens, se studio Sapientiæ ob molestias seposito, ad corporis voluptates captandas, transtulisse: sed ibi non reperta requie, ad Sapientiam Conciliandam cum voluptatibus, rediisse; sed frustra: vnde vtroque fastidito, se tradidisse, ait, vanissimæ acquirendarum opum solicitudini, non tam sibi, quàm hæredibus profuturarum ignotis.



1. DIxi ego in corde meo: Vadam, & affluam deliciis, & fruar
bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas. 2. Risum reputaui
errorem: & gaudio dixi: Quid frustrà deciperis?
3. Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam,
vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitatémque
stultitiam, donec viderem quid esset vtile filiis hominum:
quo facto opus est sub Sole numero dierum vitæ suæ. 4. Magnificaui
opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, 5. feci hortos, &
pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus, 6. & extruxi mihi piscinas aquarum,
vt irrigarem siluam lignorum germinantium, 7. possedi seruos & ancillas,
multámque familiam habui, armenta quoque, & magnos ouium greges, vltrà omnes

nes qui fuerunt ante me in Ierusalem: 8. coaceruaui mihi argentum, & aurum, & substantias regum, ac prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos & vrceos in ministerio ad vina fundenda: 9. & supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem: sapientia quoque perseuerauit mecum. 10. Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaueram: & hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo. 11. Cúmque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustrà sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. 12. Transiui ad contemplandam sapientiam, erroréśque & stultitiam (quid est, inquam, homo, vt sequi possit regem Factorem suum?) 13. & vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris. 14. Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat: & didici quòd vnus vtriusque esset interitus. 15. Et dixi in corde meo: Si vnus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest quòd maiorem sapientiæ dedi operam? Locutúsque cum mente mea, animaduerti quòd hoc quoque esset vanitas. 16. Non enim erit memoria sapientis similiter vt stulti in perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter vt indoctus. 17. Et idcircò tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuersa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus. 18. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me 19. quem ignoro, vtrùm sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui & sollicitus fui, & est quidquam tam vanum? 20. Vnde cessaui, renuntiauítque cor meum vlterà laborare sub sole. 21. Nam cùm alius laboret in sapientia, & doctrina, & sollicitudine, homini otioso quæsita, dimittit: & hoc ergo vanitas, & magnum malum. 22. Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est. 23. Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nónne vanitas est? 24. Nónne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? & hoc de manu Dei est. 25. Quis ita deuorabit, & deliciis affluet vt ego? 26. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget, & tradat ei qui placuit Deo: sed & hoc vanitas est, & cassa sollicitudo mentis.

COMMENTARII.



ERS. 1. Dixi ego in corde meo: Vadam, & tandem inueniam aliquid, quo possit spiritus Sapientiæ molestiis defatigatus requiescere, *& affluam deliciis, & fruar bonis* delectabilibus. *Et vidi*, seu experimento didici, *quod hoc quoque esset vanitas.*

Vers. 2. Risum reputaui errorem. Hebr. מהולל *meholel immoderationem, nimietatem, insaniam*, Risum seu exultationem, quam ex deliciis capiebam, comperi esse immoderatam, ac nimiam insaniam. *Et gaudio dixi*: (per prosopopeiam gaudium alloquitur) *Quid frustra deciperis?* quærens requiem animo meo, cum immoderatum gaudium vitiosum sit res prorsus inanis? Hebr. loco huius particulæ, *Quid frustra deciperis?* est, *Quid hoc facis?* Vulgariter, *Que haces con esto?* ac si diceret, *No haces nada*. * Nullum enim gaudium illicitum potest animo veram exhibere lætitiam.]

Nullũ gaudium illicitum potest animo veram dare lætitiam.

Vers. 3. Cogitaui in corde meo abstrahere à vino. Vini & ebrietatis nomine omne genus voluptati intelligitur, præsertim gustus, & qui hunc sequuntur voluptatis tactus. Cùm comperissem illicitum, seu immoderatum gaudium rem esse inanem, & vitiosam, statui à vino, seu ab eis voluptatibus sensus meos abstrahere, *vt animum meum* sursum *transferrem ad Sapientiam, deuitaremque stultitiam.* * Nimia enim vini potio, immoderat voluptatum visus hominem procul dubio reddit stultum.] * Aptè verò noxiæ voluptates in vino signantur, quia ex nimia vini potione fons vitiorum emanat.] *Donec viderem, quid esset vtile filiis hominum.* Nam dum in his versabar, rem omnem conferebam, vt explorarem, quid verè homini bonum vtile sit, & iucundum *Quo facto opus est sub Sole numero dierum vitæ suæ*, id est, quid sit illud quod facere debent filij hominum vt rem maximè vtilem, & iucundam obtineant. Hebr. & Græcè, *Donec viderem, quid sit bonum filiis hominum, quod faciant sub Sole* (dum vixerint in terra) *in numero dierum vitæ suæ*, seu toto vitæ curriculo.

Vinum, & voluptates hominem reddunt stultum.

Ex nimia vini potione fons vitiorum emanat.

Vers. 4 5. Magnificaui opera mea. Magna opera feci mihi in commodum, in voluptatem, in delicias. *Ædificaui domos, & plantaui vineas. feci hortos & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus.* Inutilis prorsus domus præcelsæ ædificatio, si simul vinea, horti, ac pomaria non plantentur, quorum fructibus domus, seu familia persistere valeat. Stultè domum ædificas, qui

è do

Stultè domum ædificat, qui ex domesticorū victu aufert, quod ædificationi impendit.

mesticorum victu necessario aufers, quod ædificio impendis. Vnde verum est Hispanicum prouerbium. *Las obras de las sobras.*

Vers. 6.7.8.9. Extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem siluam, seu hortos *lignorum* siue arborum *germinantium. Possedi seruos, & ancillas, multámque familiam habui,* ad cuius alimenta *armenta quoque, & magnos ouium greges* possedi, *vltra omnes, qui fuerunt ante me* Reges *in Ierusalem.* Nec vineis, pomariis, armentis, ac gregibus satis abundans, seu satis abundare existimans: *coaceruaui mihi argentum, & aurum. & substantias Regum, & prouinciarum,* seu diuitias, quæ ex Prouinciis tributariis, ex Regum muneribus, ex negotiatione etiam, ac missione classium in Ophir &c. parabantur. *Feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum,* seu delicatas epulas, aliásque lautitias, quibus homines assolent delectari. *scyphos, & vrceos in ministerio ad vina fundenda: & supergressus sum opibus omnes, qui antè me fuerunt in Ierusalem. Sapientia quoque perseuerauit mecum,* contemplatione, & iudicio speculatiuo, non praxi & vsu morali.

Inter delicias haud potest Sapiētia perfectè persistere.

* Nec enim inter tot delicias poterat Sapientia perfectè persistere.] * Pondera particulas: *Extruxi mihi piscinas. Coaceruaui mihi argentum, & aurum. Feci mihi cantores.* Mihi cuncta paraui. Et nihil Regno? & nihil subditis? tibi omnia? Non probus Princeps, qui sibi solùm omnia commoda præparat subditorum oblitus.]

Non probus Rex, qui sibi omnia commoda præparat subditorum oblitus.

Vers. 10. Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis, cuncta cordis expleui desideria: *nec prohibui cor meum, quin in omni voluptate frueretur & oblectaret se in his, quæ præparaueram: & hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo.* Pars in Scriptura frequenter pro Charissimo bono sumitur. Psal. 15. *Dominus pars hereditatis mea.* Hoc ergo mihi charissimum bonum reputaui, si his, quæ parauetam, fruerer.

Vers. 11. Cumque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram: vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. * *Labores, & afflictionem* aptè vocitat delicias, ac voluptates, vti doceat expertus, sequi impietatem magis laboriosum esse, quàm sectari virtutem.] * Preme illud: *Cumque me conuertissem ad vniuersa opera, &c.* Qui vitiis sectandis dedit operam si vult si ab errore deducere, se ad anteactæ vitæ contēplationem conuertat, & videbit quanto labore, quanto animi exitio comparauit, quod tam citò deperiit!]

Sequi impietatem, magis laboriosum est, quàm sectari virtutem.

Vt quis se ab errore abducat, se ad anteactæ vitæ respectum conuertat, & videbit, se labore acquisiisse id, quod citò deperiit.

Vers. 12. 13. Transiui ad contemplandam Sapientiam, erroresque, & stultitiam. Alternantibus animi cogitationibus dubius, ad Sapientiæ studium me reuocaui, curauique eam adipisci, & errores, ac stultitiam agnoscere, vt vitare possem. (*Quid est inquam homo, vt sequi possit Regem Factorem* suum.) Quàm stultus est homo, quantum errat, cum sibi persuadet, se posse Deum Creatorem suum, & rerum omnium consequi seu assequi in obtinenda hac plena beatitudine, & perfecta felicitate!* Quàm Sapiens Salomon se insignis stultitiæ arguit, quod maiora viribus humanis, & soli Deo propria tentarit assequi veram felicitatem mediis ad illam remotissimis, vino, crapula, libidinibus, diuitiis, ædificiis, &c. quæ non nisi sordes sunt, & impedimenta potius, quàm adiumenta ad veram fælicitatem, quæ quidem à solis virtutis sectatoribus potest inueniri.] *Et vidi, quod tantum præcederet Sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.* Hoc ipsa luce clarius.

Vera felicitas solùm hîc potest in virtutis exercitamento inueniri.

Vers 14 Sapientis oculi in capite eius. Sapiens oculos habet in capite, vbi iudicium residet, & videt quæ vtilia, quæ sint inutilia; dum *stultus in tenebris ambulat*, aptus enim hisce luminibus noxia plerumque pro vtilibus eligit. *Et didici,* mentis oculis vtens, *quod vnus vtriusque esset interitus.* Cùm Sapientiam, & stultitiam inter se compararem, & dissimiles eas in ratione agendi, viuendi, progrediendi comperterim; at omnino pares, ac similes in quibusdam humanis esse didici, nempe in ipsa morte, ac vitæ exitu. * Sapiens enim & insipiens æqualiter mortis subsunt imperio.]

Sapiens, & insipiens æqualiter mortis subsunt imperio.

Vers. 15. Et dixi in corde meo: si vnus & stulti, & meus occasus erit: quid mihi proderit, quod maiorem Sapientiæ dedi operam? Quid mihi proderit ad vitam beatam illa Sapientiæ supra stultitiam abundantia, & præstantia, si me non efficit beatum, neque humanis periculis, ac casibus eripit. * Quælibet hîc præstantia opum, nobilitatis, flocci æstimanda, cum possessorem ab humanitatis miseriis non eripiat. *Locutusque cum mente mea, animaduerti, quod hoc quoque esset vanitas.* Non quidem ipsa Sapientia, aut illius possessio, sed curiositas, & nimia sciendi solicitudo, vel certè ipsius Sapientis status humanis casibus obnoxius, & Sapientis irritus conatus in obtinenda vitæ tranquillitate.

Quælibet præstātia nobilitatis, opū &c. quæ à communibus non eripit ærūnis, flocci æstimanda.

Vers. 16. 17. Non enim erit memoria Sapientis similiter, vt stulti, in perpetuum. & futura tempora obliuione cuncta pariter operient. Sequutura ætas probabit noua, suspiciet sæculi sui Sapientes, contemnet antiquos. Passim videmus, veterum aliquot Sapientissimorum virorum nomina tantum, plurimorum verò ne nomina quidem extare. * Multi enim Scriptores præcedentis Auctoris libros transcribunt, idem opus proprio suo nomine exponentes, quo se Auctores ostentant cum transcriptores solùm extiterint veri Auctoris nomen abolentes.] *Moritur doctus similiter, & indoctus.* Do quòd opera, ac nomina Auctorum persistant: quid absens proderit defuncto Doctori commendatio? *Et idcirco taduit* me vitæ meæ, instituti mei, & studij tam pertinaciter addicti in rerum comparanda cognitione. Tæduit, inquam, me *videntem mala vniuersa esse sub Sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritus.* Hebr. *Taduit me vita mea, quia malum,* seu superfluum *super me opus, quod factum est sub Sole.* Id est, quia experior ipsi mihi Regi, ac Sapienti perinde ac stulto, aut vili homuncioni humanos casus, ac ærumnas instare.

Multi se Auctores Voluminis se esse iactant, cum solùm sint alieni operis transcriptores.

Vers. 18. 19. 20. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub *Sole studiosissimè laboraui,* ad parandas opes, ad coaceruandum argentum, & aurum, *habiturus heredem post me, quem ignoro, vtrum Sapiens* ad eis rectè vtendum: *an stultus*, ad prauum earum diuitiarum vsus *futurus sit: & dominabitur* adhuc stultus *in laboribus meis, quibus desudaui. & solicitus fui: & est quidquam tam vanum?* O quot parentes solliciti admodum ostentantur, in opibus acquirendis, quas stultus & filius prodigalitatis, & libidinum facient incitamenta! Quare per annos solicitè aceruas, quæ hæres tuus consumat in die?

Stultum qui per annos diu aceruas, quas hæres consumat in die.

die? Proh hominis stultitiam!] *Vnde cessaui, renunciauique cor meum vltrà laborare sub Sole*, seu huic inutili, ac noxiæ solicitudiui coaceruandi diuitias studere. * Mirum planè aliquem reperiri parentem, qui à solicitudine acquitendarum opum recesserit, dubius, an filius eis benè vsurus existet.

Mirum, reperiri patrē qui solicitus non sit de diuitiis filio acquirendis, timens, an eis benè sit vsurus.

Vers. 21. *Nam cum alius laboret in Sapientia, & doctrina, & solicitudine homini otioso quæsita dimittit: & hoc ergo vanitas. & magnum malum* & acquirenti, & otioso hæredi; acquirenti, quia molestè, ac laboriosè parauit opes: hæredi, quia otio cum torpeat, consequens est, diuitias sine labore partas omnis generis flagitiorum segetem ei esse futuras. * Otioso enim relinquere diuitias, malum omninò, quia ei relinquis fomitem vitiorum.]

Qui relinquit otioso hæredi opes, ei relinquit vitiorum fomitem.

Vers. 22. *Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub Sole cruciatus est?* Quem fructum, quod commodum ipse reportat ex nimio illo labore & solicitudine? Non quidem cœleste præmium, cùm pietatis operi alicui opes non sacrauerit: nec temporalem gratitudinis mercedem. * Mirum enim esset, si aliquis inueniretur hæres, qui erga relinquentem sibi opes foueret gratitudinem.]

Nihil ingratius hærede erga relinquentem ei opes.

Vers. 23. Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. Qui parat, seu congregat diuitias nec die quiescit, nec nocte verè dormit; nam dum corpus excubat, mens huc & illuc diuagatur: *Sonando grangerias.* relinquendas illi, qui tam citò disperdet. *Et hoc nonne vanitas est?*

Vers. 24. *Nonne melius est, comedere, & bibere?* id est, frui partis, & concessis à Deo, nec auarè, & imprudenter illa ingrato hæredi recondere? *& ostendere animæ sua bona de laboribus suis? & hoc est* donum nempe naturale, vtpotè naturalis prudentiæ, & liciti, ac liberalis amoris erga seipsum, *de manu Dei*, hoc est, à Deo Authore naturæ datum, & inditum. Subtaxat auaros, qui vt diuitias asseruent hæredibus, ipsi fame premuntur.]

Taxantur illi, qui vt opes auarè recondant, fame premuntur.

Vers. 25. *Quis ita deuorabit, & deliciis affluet, vt ego?* Quis meliore iure absumet opes, & deliciis fruetur, quàm is ipse, qui illas multo labore & solicitudine parauit?

Vers. 26. *Homini bono in conspectu suo dedit Deus Sapientiam, & scientiam, & lætitiam* Qui bonus est in conspectu in oculis Domini gratus, à Deo accepit Sapientiam assequi, opes acquirere, eis scire vti, & lætari. * Iusto enim omnia cedunt in bonum.] *Peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo*, vt bonis suis non fruatur, sed hæredem post se eum relinquat, quem voluerit Deus bonorum illorum esse possessorem. *Sed & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis.* Hebr. *Afflictio spiritus.*

Iusto omnia cedunt in bonum.

CAPVT III.

Ex mutabilitate rerum sublunarium probat Salomon, nullam in his esse hominis felicitatem: sed ex diuinorum operum stabilitate, ad vitam tranquillè agendam, curasque præposteras reijciendas hortatur.

1. OMNIA tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub
cælo. 2. Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus
plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est. 3. Tempus
occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruendi, &
tempus ædificandi. 4 Tempus flendi, & tempus ridendi.
Tempus plangendi, & tempus saltandi. 5. Tempus spargendi
lapides, & tempus colligendi. Tempus amplexandi, &
tempus longè fieri ab amplexibus. 6. Tempus acquirendi, & tempus perdendi.
Tempus custodiendi, & tempus abiiciendi. 7. Tempus scindendi, & tempus consuendi.
Tempus tacendi, & tempus loquendi. 8. Tempus dilectionis, & tempus
odij. Tempus belli, & tempus pacis. 9. Quid habet ampliùs homo de labore
suo? 10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, vt distendantur in
ea. 11. Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum,
vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.
12. Et cognoui quòd non esset melius nisi lætari, & facere benè in vita sua. 13. Omnis
enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei
est. 14. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum:
non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur. 15.
Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt iam fuerunt: & Deus instaurat
quod abiit. 16. Vidi sub Sole in loco judicij impietatem, & in loco iustitiæ
iniquitatem. 17. Et dixi in corde meo: Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus

pus omnis rei tunc erit. 18. Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret
eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis. 19. Idcircò vnus interitus est hominis
& iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriun-
tur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius: cuncta subiacent
vanitati, 20. & omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt, & in terram pa-
riter reuertuntur. 21. Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum: &
si spiritus iumentorum descendat deorsum? 22. Et deprehendi nihil esse melius
quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum ad-
ducet, vt post se futura cognoscat?

COMMENTARII.



VERS. 1. *Omnia tempus* suum habent. (Symmac. *Omnis negotij, ac ministerij hora est:) & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo.* Mox subiicit Sapiens quatuordena exemplorum paria: sed ex paucis istis cuique similiter de omnibus philosophandum relinquit.

Vers. 2.3.4.5. Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatum est, vt nota alia vitis, vel arbor, exurgat. *Tempus occidendi* in bello, vel in tẽpore pacis, cũ scelesti vltimo supplicio afficiuntur: *& tẽpus sanandi* vulnera, vel ægritudinibus medendi. *Tempus destruendi* domos, quæ minantur ruinam: *& tempus* nouas *ædificandi. Tempus flendi, & tempus ridendi*, ex ærumnæ, vel felicitatis varietate. *Tempus plangendi, & tempus saltandi.* Fletus, de quo ante, significat lacrymas, quas priuatim fundimus: at verbum *Plangendi* luctum explicat solemniorem, qualis in funeribus excitatur. *Ierem.* 16. *Tempus spargendi lapides.* dirutis parietibus *& tempus colligendi* dispersos. *Tempus amplexandi*, seu dandi operam rei vxoriæ. *& tempus longè fieri ab amplexibus.* Alij de conciliandis, ac dissoluendis amicitiis intelligunt. * Certè si amicus infideliter agere reperitur, validam dissoluendi amicitiam exhibet occasionem; ab huiusmodi amplexibus longè fias, qui quidem Iudæ osculum imitantur.]

Ab amici infidelis amplexu, sicut à Iudæ osculo fuge.

Vers. 6.7.8.9. Tempus acquirendi, & tempus perdendi, id est, expendendi opes acquisitas. *Tempus custodiendi* rem familiarem: *& tempus abiiciendi*, vt eum in tempestate fit mercium grauium voluntaria iactura. *Tempus scindendi*, seu lacerandi vestes: *& tempus* easdem *consuendi. Tempus tacendi*, ne importunè locutum esse videare. *& tempus loquendi. Tempus dilectionis* proximorum, qui iustè viuunt: *& tempus odij* sancti à Dauide approbati, cum cecinit *Psal.* 118. *iniquos odio habui.* Adiicit tamen, *Perfecto odio oderam illos*, * Perfectum dixerim esse odium, quando pia animi præcessione odio habes iniquitatem, diligis humanitatem peccatoris.] *Tempus belli*, cum Regnorum iura violantur: *& tempus pacis*, cum fœdera inter Principes ineuntur. *Quid habet amplius homo de labore suo?* Post tot rerum mutationes & varietates, & post tot labores, quos in iis sustinuit, quid vtilitatis, aut muneris homini superest. * Mirum plane, quòd cum Salomon tot temporum descripserit instantias, non assignarit tempus *peccandi, & pœnitendi?* Certè peccandi iam assignauit quatuordena illa præfata tempora, quia in cunctis illis assolent plura cõmitti piacula. Quare vero pœnitentiæ tempus non memorat? Quia ipsa delinquendi instantia, tempus idem peccandi debet quodammodo esse tempus pœnitentiæ, ob vitæ incertitudinem.]

Iniquitas peccatoris odio habenda, humanitas illius amanda.

Tempus ipsum peccandi, debet quodammodo esse tempus pœnitendi ob vitæ incertitudinem.

Vers. 10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filijs hominum, vt distendantur in ea, vt occupentur, vel affligantur. Consideraui, inquam, vitam hanc plenam esse molestiis.

Vers. 11. Cuncta fecit Deus bona quidem & vtilia, *si in tempore suo*, seu opportunè hisce rebus vti nouerimus. *Et mundum* Græcè *συν-να αιωνα*) hoc est omnia, quæ in æuo sunt facta, vel in omnibus spatiis & interuallis durationis, *tradidit disputationi eorum.* (Hebr. *Tradidit in corda ipsorum*) siue proposuit humano cordi ad bonum, hoc est, vt de creaturarum cognitione cogitaret, loqueretur, disputaret, & per eas ad Creatorem ipsum assurgeret. *Vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.* Ita Deus hominis considerationi, ac disputationi mundum, seu res creatas proposuit: vt tamen diuini huius operis causas, effectus, proprietates ab initio vsque ad finem, hoc est, perfectè assequi non valeat. Vnde etiam in harum rerum curiosa peruestigatione vanitas est, & spiritus afflictio.

Vers. 12. Et cognoui, quòd non esset melius, nisi lætari, & facere bona in via sua. Experimento didici, nihil homini conuenientius esse, quàm hisce curis ablegatis lætè, ac piè viuere. * Pietas enim, ac sanctitas vitæ cordi ingerit lætitiam, quâ quidem delinquendo priuamur. *Lætari* ergo) *& facere benè.*]

Rectam vitam lætitia comitatur, prauam verò tristitia.

Vers. 13. Omnis enim homo, qui comedit, & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. Nihil priuata vita felicius, abstracta acquirendarum opum solicitudine. Magnum enim Dei est donum, si homo labore suo acquirat sufficientem sustentationi annonam, & quale quale aliquod ad futura rei familiaris augmentum videat. * Magna hominis felicitas est, independenter ab aliorum ope proprio ex labore honestè victitare.]

Magna felicitas, independẽter ab aliorum ope, proprio ex labore viuere.

Vers. 14. Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum, id est, quæ Deus peculiari prouidentia, ac beneuolentia confert hominibus, non spiritualia modò, sed & temporalia, quamuis natura sua sint fluxa & caduca: tamen à tam potenti manu suprà vel præter naturam suam, accipiunt stabilitatem, ac constantiam. * Hoc dixerim de gaudio, diuitiis, honoribus, pace, tranquillitate, si quando ea Deus amicis suis ad vitam iucundè transigendam largiri decreuit. Sanctè enim quis potest vel temporalium bonorum abundantia

Sanctè quis potest rerum temporaliũ abundantia frui.

potiri.] *Non poſſumus* Dei operibus *quidquam addere, vel auferre.* Sunt enim perfecta in genere ſuo. Nam *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen.1. *Quæ quidem fecit Deus vt timeatur,* dum eius Sapientia) & potentia & potentia ex eius operibus obiicitur. * Certè creaturarum (quas excitauit Deus hominum obſequio) beneficium ad timorem nos prouocat; nam poſt beneficium præſtitum, rigidum de eius vſu examen à Deo gerendum ingratis indicitur.]

Beneficia nobis à Deo collata timorē incutiunt, ob examen de eorū vſu gerendum à Iudice.

Verſ.15. Quod factum eſt, ipſum permanet: quæ futura ſunt, iam fuerunt; & Deus inſtaurat, quod abiit. Quod ſemel decretum eſt à Deo, quantumcumque ab antiquo, adhuc perſiſtit, & ſuo tempore fiet. Et quæ futura ſunt, iam ſic decreta ſunt ab æterno. Et hunc ſuum ſanctæ & immutabilis prouidentiæ circa dona ſua priſtinum morem atque tenorem quotidie inſtaurat, & ſemper aſſeruat.

Verſ.16. Vidi ſub ſole in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem. In ipſis Iudicum tribunalibus, qui iuſtitiæ, & æquitatis propugnatores eſſe deberent, annotaui iniuſtitiam, & iniquitatem vigere. * Extremum Reipublicæ exitium, cum iudicat, & regit iniquitas.]

Extrema Reipublicæ calamitas cū iniquitas iudicat.

Verſ.17. Et dixi in corde meo, Iuſtum & impium iudicabit Deus. Licet ad tempus innocens & pauper Iudicum nequitia, potentiorum violentia opprimuntur: at tandem omnes diuini Iudicis tribunali ſiſtendi ſunt, qui quidem vnicuique pro merito reddet. *Tempus omnis rei tunc erit.* Tunc ſcilicet ſatisfiet iuſtitiæ, res omnes componentur, & exigentur ad diuini normam iudicij. Hiſpanè dixeris. *Entonces ſe a Iuſtaran las partidas.*

Verſ.18.19. Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, & oſtenderet, ſimiles eſſe beſtiis. LXX. *Vt diſcernat eos Deus.* Si nulla eſſet hominibus exſpectatio ſinceri iudicij diuini, & futurorum bonorum, nihil quodammodo homines à iumentis in ratione, ac conditione naturæ differrent: vti bruta à Iudicibus ſine melioris fortunæ ſpe tractarentur. * Cum igitur in humano tribunali iniuſtè damnaris, diuinum appella, vbi plenè tuæ iuſtitiæ ſatisfiet.] Aliter aptiùs totum locum expendo: Cum non inuenirem cauſam aliam, ob quam Deus permittat, in loco iudicij iniquitatem: viſum eſt mihi, velle eum huiuſmodi humanis tumultibus hominem probare, ſeu exercere, vt videat ſe in hac vita parum differre à brutis. *Idcircò vnus interitus eſt hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* Interim verò Deus dilatione ſui iudicij, & occultatione futuræ ſortis iuſtorum, & impiorum, probat, an homo aliquid beſtiis ſublimiùs ſapiat, & an futurum iudicium, & bonorum operum mercedem expectet, malorum pœnam reformidet. * Certè ſimilis brutis oſtentatur in animo, ille, quem non retrahit ab iniquitate iudicij futuri memoria.] *Cuncta ſubiacent vanitati.*

Cum in humano tribunali iniuſtè damnaris, diuinum appella.

Bruto eſt ſimilis, quem non retrahit à peccatis iudicij memoria.

Verſ.20. Et omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur. Redit Salomon ad illud ſuum iam ſæpè traditum axioma, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* * Tam vana eſt hominum mens, vt Eccleſiaſtes ſeu Concionator debeat crebrò eum cinere interitus perfundere.]

Sæpè Concionator debet auditoribus mortis memoriam renouare.

Verſ.21. Quis nouit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum. Quis experimentali ſenſuum notitia cognouit, num ſpiritus, ſeu animus hominum ſuperſtes maneat poſt obitum, & immortalis? *Et ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum*, id eſt penitus cum corpore diſſoluatur, & intereat.

Verſ.22. Et deprehendi, nihil eſſe melius, quàm lætari hominem in opere ſuo. Ex bonis corporeis ſi quid ad beatitudinem aliquam, & tranquillitatem animi velis elicere, ne te crucient ſuperfluæ de futuris ſolicitudines, & inanes curæ: ſed ne opprimant corpus nimiæ voluptates, quibus & caro extenuatur, & animus obruteſcit; ſed frugaliter ſimul ac liberaliter vtere iam partis, & tibi primùm, dein & proximo tuo cum lætitia benefacias. Et quæ ſic impenderis, ſcias eſſe partem, & portionem hæreditatis tuæ; nam quibus non vteris, non tua ſed tuorum hæredum pars erit. Ideo adiicit: *Et hanc eſſe partem illius. Quis enim eum adducet, vt poſt ſe futura cognoſcat?* Quis hominem adducet ad eam notitiam, vt quaſi prophetet qualem ſit habiturus hæredem, an Sapientem, an ſtultum, an prodigum, an frugem. Conſonat Arabica lectio, *Quis eum adducet, vt videat, quid faciendum ſit poſt ſe de illo, quod relinquit.* * Quarè ergo tam ſtultè ſeruas opes, quas poſſes æterno viuens tradere hæredi, nempe Chriſto Domino in paupere.]

Stultè ſeruas diuitias ignoto hæredi, quas poſſe æterno viuēti hæredi relinquere, id eſt, Domino in paupere.

CAPVT

CAPUT IV.

Pergit Salomon humanarum rerum, maximè in honorum ambitione, vanitatem demonstrare; in hac enim sunt multa, quæ animi turbant tranquillitatem.

1. 
ERTI me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, &
lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse
resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. 2. Et
laudaui magis mortuos, quàm viuentes: 3. & feliciorem
vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ
sub sole fiunt. 4. Rursum contemplatus sum omnes labo-
res hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ pro-
ximi: & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est. 5. Stultus complicat ma-
nus suas, & comedit carnes suas, dicens: 6. Melior est pugillus cum requie,
quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi. 7. Considerans
reperi & aliam vanitatem sub sole: 8. vnus est, & secundum non habet,
non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius di-
uitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quo-
que vanitas est, & afflictio pessima. 9. Melius est ergo duos esse simul, quàm
vnum: habent enim emolumentum societatis suæ: 10. si vnus ceciderit, ab altero
fulcietur, væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se. 11. Et si dor-
mierint duo, fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet? 12. Et si quispiam præ-
ualuerit contra vnum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficilè rumpi-
tur. 13. Melior est puer pauper & sapiens, rege sene & stulto, qui nescit
præuidere in posterum. 14. Quòd de carcere catenísque interdum quis egre-
diatur ad regnum: & alius natus in regno, inopia consumatur. 15. Vidi cun-
ctos viuentes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consur-
get pro eo. 16. Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum: &
qui posteà futuri sunt, non lætabuntur eo: sed & hoc vanitas & afflictio spiritus.
17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua vt audias. Mul-
tò enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt
mali.

COMMENTARII.


ERS. 1. *Verti me ad alia vestiganda*, vt caperem documentum, num animi tranquillitas posset alibi comparari: *Et vidi calumnias, quæ sub Sole geruntur* contra innocentes, *& lacrymas innocentium* ex accepta iniuria excitatas: *& neminem consolatorem*, qui verbo, aut ope leuaret oppressos. * Nec dubium durissimas ærumnas consolatoriis verbis emolliri.] *Nec posse resistere eorum violentia cunctorum auxilio destitutos.* * Væ soli, cum à calumniatore, maximè si mendacium famam vulneret, distorquetur.

Durissimæ ærumnæ verbis consolatoriis emolliuntur.

Væ soli, cum calũnia circa famam afficitur.

Vers. 2. 3. Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes. Affici calumniis tam graue malum duxi, vt eius comparatione mortem remedium esse putarem, non pœnam. Sic Elias cum Achabi, & Iezabelis persecutionem contra fideles aspiceret, *petiuit animæ suæ, vt moreretur*. 3. Reg. 19. *Et feliciorem vtroque reputaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub Sole fiunt.* Is enim non modo hæc mala nescit, sed neque expertus est. * Adeò iusti pietatem torquet, contra innocentem proximum iniustitiam præualere, vt quodammodo nondum natis inuideat.

Adeò iusti pietatem torquet, præualere contra innocentem calumniam, vt nondum natis quodammodò inuideat.

Vers. 4. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi. Ac si dicat: si quis calumnias & oppressiones violentas potentiorum effugiat, certè æqualium, aut inferiorum non euadit inuidiam. *Et in hoc ergo vanitas, & cura superflua est.* * Certè superflua cura, seu spiritus afflictio est, velle esse superiorem inuidiæ, cum hæc optimum quemque petere soleat, imò nunquam non suauiori cibo pascatur.

Inuidia optimum quemque petit, & suauiori cibo pascitur.

Vers. 5. Stultus complicat manus suas, inuidiam veritus, aliorúmque obloquutiones: *& comedit carnes suas*, se ipso, seu sua ipsa afflictione pascitur. * Aptè vocitatur stultus, qui rectè agens, inuidorum obloquutionibus tristem præstat auditum.] *Comedit*, inquam, *carnes*, seu *dicens:*

Stultus est, qui rectè agens oblocutionibus inuidi tristatur.

Vers. 6. Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione. Ve-

ram

ram planè ſententiam plus iuſto puſillanimes ſuæ pigritiæ, ac inertiæ prætendunt. Veram, inquam ſententiam. Salomon enim *Prou.* 17. aſſerebat, *Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.* At virtus in medio conſiſtit, & ab vtroque extremo abſcedere oportet virtutis cultorem, vt ſcilicet, nec quietis pigritia, nec nimia multorum negotiorum ſuſceptio ſtrenuitatis nomine veletur.

Medium tene, nec pigritia torpeas, nec nimia negotiorum ſuſceptione labores.

Verſ. 7. 8. *Conſiderans reperi & aliam vanitatem ſub Sole: vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem: & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitiis.* Paſſim huiuſmodi vanitas reperitur. Qui filium, qui fratrem nec propinquum, quem conſtituat heredem non habet, ſtultè admodùm tot exantlatis moleſtiis opibus acquirendis ſtudium impendit. Tota autem huius ſtultitia eſt, eſſe *vnum,* & *ſecundum* non habere, cum poſſet multos habere amicos, cum pauperes poſſet ſuos fratres adſciſcere. *Nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* quæ laborans inopi poſſem obtinere. *Hoc quoque vanitas eſt, & afflictio peſſima.*

Qui vnus eſt, nec habet hæredē, ſtultus eſt, ſi non ſtudeat habere ſecūdum, id eſt, pauperes.

Verſ. 9. 10. 11. 12. *Melius eſt ergò duos eſſe ſimul quàm vnum: habet enim emolumentum ſocietatis ſuæ.* Colligit ex præfatis Salomon, melius agere eos, qui pro filio vel fratre, quibus caret, adſciſcat ſibi ſocios, & *amicos faciat de mamona iniquitatis* Luc. 16. Idque propter magna emolumenta, & ingentia commoda, quorum nonnulla mox ſubnectit. * Congruit Hebræum adagium, *Vnus vir, nullus vir: Aut ſocietas, aut mors.* Societatis commoda attende *ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. Et ſi dormierint duo, fouebuntur mutuo;* nam ex alterius calore etiam alter incaleſcit. *vnus quomodo calefiet?* Sicut ergò duo ſimul dormientes ſe inuicem calefaciunt: ſic duo ſimul habitantes ſe inuicem iuuant. *Et ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei. Funiculus triplex difficile rumpitur.* Quò plures eò melius; nec enim facilè poterunt expugnari, & frangi: quemadmodum funis ex multis filis intortus haud facilè rumpitur, cum tamen ſingula fila nullo negotio comminuantur.

Vnus vir nullus vir. Vnde ſocietatis commoda recenſentur.

Verſ. 13. *Melior eſt puer pauper, & Sapiens, Rege ſene & ſtulto, qui neſcit prauidere in poſterum,* nempe pericula, & aduerſos caſus, qui poſſint obrepere. * Prudentia ac prouidentia propriæ Regum virtutes: prudentia præſens ſtatum Regni moderatur: prouidentia futuros præuidet euentus.] Vndè ſi Rex hiſce careat virtutibus, aptior Regno erit puer inops, & nudus potentia, ſi Sapientia vigeat. * Non tam enim opes quàm induſtria, ac prudentia pacem Regni tuentur.]

Prudentia, ac prouidentia propriæ Regis virtutes.

Non tam opes, quàm induſtria pacem Regni tuetur.

Verſ. 14. *Quod de carcere catenisque interdùm quis egrediatur ad Regnum: & alius natus in Regno, inopia conſumatur.* Videmus aliquando, quod iuuenis de carcere ad Regnum aſſumatur, vti Ioſeph ad Ægypti adminiſtrationem. Et quod quis natus in Regno poſt diuturnam, ac pacificam adminiſtrationem paternæ hereditaris, variante fortuna Regno exturbetur. Tales tibi plurimos Plutarchus Maximus, & Tacitus ſuggerent. Vel Regnum non eſt maximi faciendum in terra, quo poteſt Rex auerſa fortuna priuari: & quod valet pauper propitia eadem obtinere.]

Non maximi faciendū Imperium, quo poteſt Rex auerſa fortuna priuari: & quod valet pauper, propitia obtinere.

Verſ. 15. *Vidi cunctos viuentes, qui ambulant ſub Sole, cum adoleſcente ſecundo, qui conſurget pro eo.* Et ſi Rex ſenex Regno non exturbatur, tamen aliud patitur non rarò probri genus, quod ſentiat populares ſuos à ſe dilabi, & ad Principis adoleſcentioris ſucceſſores in Regno gratiam captandam tanquam ad orientem Solem conuerti. Id videbat Salomon in Abſalone & Adonia patris Dauidis tempore. Forſan & in ſuo Roboamo idem iam ſentiebat, *luxuria, & idololatria ſua factus abominabilis populo ſuo, & contemptus etiam ſeruis ſuis,* vt Angelicus Doctor aiebat, *lib.* 3. *Regim. Princ. c.* 8. * Quamuis autem Salomonis vitia id non operarentur, id gereret adulatio. Nam vt ſcitè Plutar. in Pompeio. *Plures adorant Solem orientem, quàm occidentem.*

Adulatio facit ſubditos plures Solem orientem, quam occidentem adorare.

Verſ. 16. *Infinitus numerus eſt populi omnium, qui fuerunt ante eum: & qui poſtea futuri ſunt, non lætabuntur in eo* Et ſi omnes, qui tunc viuunt in Regno, adhæreant iuniori illi Principi, & deſerto patre delicientur cum filio: id tamen non eſt futurum perpetuum. Nam lapſu temporis, ſuborta neſcio vnde ſimultate, non concedirur vltra ex eo lætitia iis, qui tum futuri ſunt, & coguntur non ſine pudore, ad ſeniorem Principem ſuum, quem deſeruerant, redire, vt in Adoniæ, & Abſalomi accidit aſſeclis. *Sed & hoc vanitas, & afflictio ſpiritus.* * Satiùs igitur eſt ſeniori Regi hærere, quàm ad iuniorem Principem fortè defecturum accurrere.]

Satiùs eſt Regi ſeni hærere, quā ad iuniorem hæredem accurrere.

Verſ. 17. *Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias.* Caue, ne ſiniſtro greſſu Templum ineas, ſed dextro pede, id eſt, non alio fine, quàm verbum Dei audiendi, eiuſque legi, quæ ibi explicatur, obtemperandi. Nam ſi vel ex curioſitate, vel ex hypocriſi, vel ex libidine ingrediaris, vel neglecta deuotione interna, ſolo externo ritu haud Dei præceptis obediens, offeras Sacrificium: non Sapiens eris, ſed de ſtultis vnus. *Multò enim melior eſt obedientia hæc, quàm ſtultorum victimæ, qui neſciunt, ſed neque curant quid faciunt mali,* ſiue bonum ſit, ſiue malum: ſiue gratum ſiue ingratum Deo. * Nec reflectunt, eos, qui ad Delubrum libidinis cauſa accedunt, dum ſacrificio interſunt, non Deum colere, ſed ridere: vnde ei odio ſunt & abominationi.]

Qui Templum ingreditur effectu libidinis, Deum non colit, ſed ridet.

CAPVT

CAPVT V.

Prudenter orandum, vota statim soluenda, Dei prouidentiam submissè colendam, carnis impetus comprimendos; quædam interserens de Angelis ac vanis insomniis, Salomon edocet.

1. NE temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad profe-
rendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu
super terram: idcircò sint pauci sermones tui. 2. Multas
curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur
stultitia. 3. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displi-
cet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quodcumque
voueris redde: 4. multóque melius est non vouere, quàm
post votum promissa non reddere. 5. Ne dederis os tuum vt peccare facias car-
nem tuam: neque dicas coram Angelo: Non est prouidentia: ne fortè iratus
Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. 6. Vbi
multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri: tu verò
Deum time. 7. Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti
iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior
est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, 8. & insuper vniuersæ
terræ rex imperat seruienti. 9. Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diui-
tias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. 10. Vbi multæ sunt opes, multi
& qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?
Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diui-
tis non finit eum dormire. 12. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole:
diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. 13. Pereunt enim in afflictione pessima:
generauit filium, qui in summa egestate erit. 14. Sicut egressus est nudus de vtero
matris suæ, sic reuertitur, & nihil auferet secum de labore suo. 15. Miserabilis pror-
sus infirmitas: quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quòd laborauit
in ventum? 16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris & in curis multis, &
in ærumna atque tristitia. 17. Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis,
& bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub Sole, numero die-
rum vitæ suæ, quos dedit ei Deus: & hæc est pars illius. 18. Et omni homini, cui
dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatémque ei tribuit vt comedat ex
eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est donum Dei. 19. Non
enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eò quòd Deus occupet deliciis cor
eius.

COMMENTARII.



ERS. 1. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.* Ne *festinanter* (LXX. sic) cum perturbatione, aut præcipitatione, sine debita maturitate, aut grauitate: sed neque velociter impræmeditate ad Deum preces effundas. * Preme illud: *Ne cor tuum sit velox.* De mentali oratione Sapiens loquitur, ad quam quidem diligens præparatio debet præmitti, vti D. Ignatius meus in illis monitis quæ Additiones vocitat, aduertit.] *Deus enim in cælo, & tu super terram.* Deus in cœlo quasi ex specula facilè te videt orantem: & tu super terram quasi super theatrum oculis, & auribus diuinis planè patescis. *Idcircò sint pauci sermones tui.* Non opus est multis, prolixis, aut compositis verbis, vtpotè apud videntem omnia, & ipsa cordis desideria occulta penetrantem. Simile Christi Domini *Matth.*6. documentum. *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* In oratione non multiplicanda verba, sed cordis affectus.]

Ad Orationem mentalem diligens Præparatio adhibenda.

In oratione non multiplicãda verba, sed cordis affectus.

Vers. 2. Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia. Quemadmodùm enim diurnæ mentis vanitati, inconstantiæ, ac perturbationi nocturna somnia etiam perturbata, minimèque cohærentia respondent: ita multa verba orantis non possunt non afferre in narrando, in pollicendo, vouendo, &c. Stultum aliquod, & inconstans. * Imò passim videmus in familiaribus amico- rum

Qui immer-

deratè loquntur, plura proferti stulta.

rum sermonibus eum, qui immoderatè loquitur, imprudenter plura proferre.]

Vers. 34. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere*, seu implere; *displicet enim ei infidelis*, seu non impleta, *& stulta*, siue temeraria *promissio*.

Stulti est temerè promittere, & postquā promisit, nō esse de impletione solicitum.

* Stulti est temerè promittere, & postquam promisit, de adimplenda promissione non esse solicitum.] *Sed quodcumque voueris redde. Multóque melius est, non vouere, quàm post votum promissa non reddere.* Nec enim homo, non vouendo, peccat; & post votum, non implendo, delinquit.

Vers. 5. *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam*, vel tu pecces (vt sit Synecdoche pars pro toto.) Ne facilè & temerè os soluas, vt votum emittas, quæ tibi sint causa peccati. *Neque dicas coram Angelo*, qui vnicuique comes adhæret, & qui te mendacij potést redarguere: *Non est prouidentia*, seu hoc votum inconsultè protuli, non tantum deliberationis præcessit, vt voluntarium censeri valeat, atque ideo illius religione non teneor. LXX. *Ne dixeris, quia ignorantia est*, id est, quasi ignorans quid agerem, votum emisi. *Ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Alludit ad illas impiorum maledictiones Leuit. 26. *Consumetur in cassum labor vester, frustra seretis sementem.* Deut. 28. *Maledictus eris, ingrediens, & egrediens, &c.* Cunctis maledictionibus circa operum dissipationem videntur affici, qui votum emissum negligit implere.

Eorum qui post vota emissa, ex Religione ad sæculum remeant, cuncta opera, cunctæ prætētiones dissipantur.

* Testor eos, qui Religionem ineuntes, & votis vel simplicibus illigati, eorum, fictis causis, obtinent solutionem, & remeant ad sæculum: certè cuncta manuum eorum opera, omnes conatus dissipatos aspexi.]

Vers. 6. *Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri* Hoc spectat ad eos, qui votorum obligationem eludere conantur. Ac si dicat: sicut somniorum, ità verborum maiorem partem esse vanam: atque ideo cauendum, ne nosmetipsos decipiamus, & concupiscentiis nostris blandiamur, fingentes somnia, dum vota nostra irrita fuisse asseueramus. *Tu verò Deum time*, cui intimi cordis patent affectus.

Vers. 7. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia: non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius: & super hos quoque eminentiores sunt alij: & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti.* Ne mirere, seu ægrè feras, aut indigneris, si videris subuerti iustitiam, pauperesque iniuria torqueri: tu res tuas cura, alij sunt Iudicibus illis superiores, quibus hæc curæ esse debeant, ipsi viderint, quonammodo tantis malis sit occurrendum. Et præter superiores Magistratus, qui Iudices inferiores possunt coërcere, adest supremus Rex, qui omnibus sibi seruientibus, & subiectis imperat. Ad eum pertinet quid facto sit opus, decernete.

Cum videris lædi iustitiā, solatio tibi sit adesse æternum Iudicem, qui strictam officij inferiorum exiget rationem.

* Cùm videris lædi iustitiam, solatium tibi sit, praui Iudicis æternam haud fore potestatem: est enim supremus Iudex æternus, qui muneris benè aut malè gesti ab illo strictam exiget rationem.]

Vers. 9. *Auarus non implebitur pecunia*, seu non satiabitur: *Et qui amat diuitias* immodicè, *fructum non capiet ex eis.* Nam auari non attingunt pecunias suas, nec illas audent expendere, ne imminuantur: vnde illis non fruuntur.

Diues auarus semper inops

* Videor mihi, auari thesaurum esse argenti, aut auri fodinam dissitam apud Indos, quæ quidem prædiues est, sed illi non proficit, vnde misero inopi non felicior.] *Et hoc ergo vanitas.*

Vers. 10. *Vbi multa sunt opes, multi & qui comedunt eas.* Vanitas est in multis opibus felicitatem constituere; qui enim sunt diuites, multam etiam habeant familiam necessarium est, quæ ex eis alatur. *Et quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis.* Ipse possessor, & dominus solùm habet vtilitatis, quòd videat, se diuitem esse aliis; alij enim illas præcipuè absumunt, ipse autem sicut vnus ex illis cibum sumit, & indumentum.

Vers. 12. *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siuè multum comedat.* Quia labore fesso corpori suauis somnus superuenit. *Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Nam cum nimio cibo distenditur ventriculus, somnus placidus non contingit.

Diuitiæ quieti, ac valetudini possidentis eas officiunt.

* Ex quo patet quanta sit diuitiarum vanitas, quæ domini quieti, ac valetudini officiunt.]

Vers. 12. 13. 14. 15. *Est & alia infirmitas pessima*, atrox incommodum, *quam vidi sub sole. diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.* Ob illas enim affligitur animo, dum timet amittere, vel imminuere; cruciatur curis, dum seruandis, augendisque incumbit. Vexatur litibus, raptorum, & grassatorum insidiis: mortem incurrit non raro, seu à domesticis, seu à latronibus, seu à Iudicibus, & sexcentæ sunt illi malorum occasiones.

Abundantia bonorū fortunæ cuncta mala possidenti ministrat.

* Igitur his bonis abundare, idem est ac omnium malorum aciem instrui contra miserum possessorem.] Ad hæc. *Pereunt enim in afflictione*, seu cum afflictione *pessima* possessori, sui: *generauit filium, qui in summa egestate erit.* Pereunt adeò diuitiæ, vt etiam filius eius, & alij, qui sperant se fore hæredes, extrema penuria dispereant. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.* Quià diuitiæ deperiere, & præmium futurum ob pium earum vsum minimè expectat, cum eas aut auarè seruarit, aut violenter amiserit.

Si auarus moriturus aliquid pio operi dedicat, à seipso quasi rapina aufert.

* Illud pende. *Et nihil aufert secum de labore suo.* Non dixit, *Fert*, sed *Aufert*, quod innuit rapinam. Tanta enim diuitis auari in seruandis diuitiis persistentia, vt si aliquid in testamento pio operi litat, id à seipso quasi rapina tollit. *Miserabilis prorsus infirmitas* hæc: *quomodo venit* nudus in mundum, *sic reuertetur. Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum?*

Vers. 16. 17. *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in ærumna, atque tristitia.* Tam parcè auarus, & tàm sordidè victitat, vt non audeat palam, & coram aliis cibum sumere, sed furtiuè, & vt dici solet, è mano comedit. Tantum abest, splendida conuiuia instituat, & opes cum amicis partiatur. Miseri autem cibi illius irritamenta ad gustum sunt curæ, ærumnæ, atque tristitia. *Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub Sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit illi Deus: & hæc est pars illius*, potiri diuitiis, frui bonis, quæ labore acquisiuit.

Iniquum nō est, quēlibet iuxta statum, & opes sine laceria victitare.

* Iniquum non est quemlibet iuxta statum, & opes honestè, & sinè miseria victitare.]

Vers.

Vers. 18.19. *Et omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatémque ei tribuit, vt comedat ex eis, vt fruatur parte sua, & lætetur de labore suo. hoc est donum Dei.* De manu Dei est donum, vt diues sordidus non est, & auarus, sed diuitiis suis cum lætitia fruatur.* Preme particulam, *Vt fruatur parte sua,* non dixit, tota substantia potiatur, sed *parte sua.* Ex diuitis enim opibus pars Deo in Templo, vel in paupere, pars diuiti cedat, est opus.] *Non enim satis recordabitur dierum vita sua, eo quod Deus occupet deliciis cor eius.* Probatur id donum Dei esse. Interim enim dum occupatur huius vitæ commodis, quibus honestè fruitur, non recordabitur, neque ante oculos, & mentem obuersabuntur ærumnæ, quæ mortalium vitam iniucundam reddere assolent. * Cur autem non dixit, *Non recordabitur ærumnarum vita sua,* sed solùm, *Non recordabitur dierum vita sua?* Quia dies humanæ vitæ idem sunt ac labores & ærumnæ.] Vnde si quis velit dicere: Tot vixi diebus, dicat, Tot passus sum ærumnas.]

Ex diuitiis substantia pars Deo, pars ipsi diuiti cedat.

Dies humanæ vitæ idem sunt ac labores & ærumnæ.

CAPVT VI.

Calamitosam diuitis auari conditionem Salomon insectari pergit.

1. EST & aliud malum, quod vidi sub Sole, & quidem frequens
apud homines: 2. Vir, cui dedit Deus diuitias, & substan-
tiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ
desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex
eo, sed homo extraneus vorabit illud, hoc vanitas, & mi-
seria magna est. 3. Si genuerit quispiam centum liberos, &
vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, &
anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturáque careat: de hoc ego
pronuntio quòd melior illo sit abortiuus. 4. Frustrà enim venit, & pergit ad
tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. 5. Non vidit Solem, neque cognouit
distantiam boni & mali: 6. etiamsi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit
perfruitus bonis: nónne ad vnum locum properant omnia? 7. Omnis labor ho-
minis in ore eius: sed anima eius non implebitur. 8. Quid habet amplius Sapiens
à stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita? 9. Melius est videre quod
cupias, quàm desiderare quòd nescias. sed & hoc vanitas est, & præsumptio Spiritus.
10. Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, & scitur quòd homo sit, & non
possit contra fortiorem se in iudicio contendere. 11. Verba sunt plurima, multámque in disputando habentia vanitatem.

COMMENTARII.

VERS. 1. 2. *Est & aliud malum, quod vidi sub Sole, & quidem frequens apud homines. Vt vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat.* Cùm tamen omnibus abundet, omnibus se vacuum ostendit. *Nec enim tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud:* videtur non habere ius dominij ad diuitiarum vsum, & negasse illi Deus, liberaliter & honestè viuendi animum, & voluntatem: vndè opes illius obitu ad alius venient potestaté, qui miseri domini ieiunium auida voracitate vindicabit. *Hoc vanitas, & miseria magna est.* * Quid enim magis miserum quàm te diuitem extraneæ voracitati ieiunare?

Diues auarus extraneæ voracitati ieiunat.

Vers. 3. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit: & tamen anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturáque careat: de hoc ego pronuncio, quod melior illo sit abortiuus. Adeò graue malum est auaritia, vt omnia alia bona, quæ quodammodò felicem hominem faciunt, corrumpat. Id vlteriùs Sapiens expendit, dum asserit abortiuum illo esse meliorem, cuius differentiæ nouem adiicit rationes.

Vers 4.5.6. Prima est, *Non vtatur bonis substantiæ suæ.* Hinc deterior est abortiuo, quia abortiuus non potuit vti quibus caruit: auarus non caruit bonis, & tamen illis vsus non est. Secundò, *sepulturaque careat.* Sepultura caret abortiuus splendida scilicet, & honorifica, sed hanc nec mereri, nec procurare sibi potuit: potuit auarus, & debuit more generis suæ, & neglexit. *Tertiò, Frustra enim venit* abortiuus, id est, suo fine caret, sed simul omnibus miseriis eximitur: auarus verò & frustra natus est, & miseriis maximis seipsum inuoluit. Quartò, *Non vidit Solem,* quia *Nondum natus pergit ad tenebras.* mortis, neque aliud potuit: potuit auarus jucunda vitæ & lucis vsura potiri, maluit autem in tenebris miseriæ marcescere. Quintò, *Et obliuione delebitur nomen eius,* id est, abortiui: sed nec nomen habuit, nec potuit præclaris factis inclarescere: potuit auarus, & contempsit. Sextò, *Neque cognouit distantiam boni & mali,* id est, abortiuus caruit molestiis, & doloribus, nec expertus est, quantum boni sit in vna re, quantum mali in alia: at auarus mille ærumnis, & cruciatibus sciens se ipse conficit. Septimò,

Meliorem esse abortiuũ diuite auaro, nouem Salomon argumentis ostẽdit.

etiamsi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis. Abortiuus vix paucis horis vel diebus aliquid incommodi subiit ferè sine sensu: auarus multò plures annos, & plures dies ætatis miserrimus vixit: & si innumeris annis vixisset, totidem miser, & ærumnosus esset. Octauò abortiuus vix nomen filij meretur: auarus centum liberorum pater, nihil voluptatis hausit ex ipsis, nihil vtilitatis in ipsos deriuauit. Nono, *Nonne ad vnum locum properant omnia.* id est vterque properat? nempè mortis, sepulchri & inferni, *& gehennæ* vti adiicit Chaldæus. Abortiuus nulla sua actuali culpa, nullo scelere grauis, nullis pœnis torquendus: auarus plurimis, grauissimis, æternis in gehenna cruciandus.

Vers. 7. Omnis labor hominis in ore eius Omnis solicitudo auari diuitis versatur, vt victui sibi parando, vestitui, & cæteris vitæ fouendæ necessariis studeat, nihil aliud cogitat, nihil aliud loquitur, nihil aliud curat. *Sed anima eius non implebitur*, seipsum interim nunquam satiat victu quotidiano se defraudans, sese enecans fame. * Crudelis labor, qui cum ad indulgendum affatim genio vnicè dirigatur, quo vberiùs laborando acquiritur, eo diriore fame laborantem excruciat.]

Auarus quò vberius, acquirit, eò crudelius se fame premit

Vers. 8. Quid habet amplius pauper Sapiens à stulto seu præ stulto diuite auaro. *Et quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita?* id est, nisi vt laboret victui parando, quo vitam suam sustentet, & iucundè ac hilariter foueat? Quod etsi laborando manibus, vel etiam mendicando facere cogatur: eò tamen felicior, ac beatior est diuite auaro, quod pauper saltem labore partis vtatur iucundè, sibique indè benefaciat. diues auarus perpetuò laboret, & quantumuis abundet, non tamen vtatur, sed etiam quotidiano dimenso sese miser defraudet. * Igitur felicior est mendicus quàm diues auarus, pluribusque vel hìc bonis potitur.]

Felicior est mendicus, quàm auarus diues, & admodum ditior.

Vers. 9. Melius est videre, quod cupias, melius est considerare, & statuere, quid sit nostro desiderio, nostraque industria, & labore dignum: *quàm desiderare, quod nescias*, quam ignoranti, inexpertæ, præcipiti, ac cœcæ concupiscentiæ habenas laxare desiderij in res illas, quas nescias, vtrum molestiæ tibi, & detrimento: an verò voluptati, ac commodo sint futuræ. * Priùs quam desideria tradere executioni cures, cogita quid commodi, aut incommodi tibi sint allatura.] *Sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus* Hebr. *spiritus afflictio.*

Priùs quàm desideria executioni tradas cogita, quid commodi, aut incommodi tibi sit allaturum.

Vers. 10. Qui, seu quicumque *futurus est* quantumcunque diues, & præsumptuosus, *iam vocatum est nomen eius*, nempe *Adam* ab Hebræo *adamad*, id est, *pulueritius* seu ex puluere rubro compactus. Ex tunc, inquam, scitur futurum terrenum, & mox iterum in terram resoluendum. Et quantascumque congerat opes, quantamcumque potentiam. *Et scitur quod homo sit, & non posse contra fortiorem se in iudicio contendere*, certum est, hominem esse fragilem, nec posse contra Deum fortissimum, ac supremum Iudicem decertare, qui nullis muneribus corrumpi, nullis blandiciis deliniri, nullis fraudibus falli potest. * Apud supremi Iudicis tribunal diuitiæ non valent? Valent vtique ad eum deliniendum, si diues eas hìc dispergit in pauperes.]

Iudicem supremum potest diues delinire, si opes expendat in pauperes.

Vers. 11. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem Multa iactantur, & disputantur ab iis, qui se Sapientes esse putant: sed si his, quæ diximus, quæque certissima sunt, non acquiescant, nihil aliud censenda sunt, quàm vanitas. * Vanum namque est totum id, quod cum virtute non colligatur, quodque ad salutem animi non dirigitur. Vnde taxantur Concionatores qui sermones suos ostentationi, & non auditorum vtilitati proferunt.]

Vana sunt Concionatoris verba, quæ ad auditorum salutem non pertinent.

CAPVT VII.

Salomon humanæ vitæ breuitatem inculcat: quæ bona præ alijs seligenda edocet, ad felicem mortem disponit.


1. VID necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret quid
conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ,
& tempore quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit
indicare quid post eum futurum sub Sole sit? 2. Melius
est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa: & dies mortis
die natiuitatis. 3. Melius est ire ad domum luctus,
quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum ad-
monetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit. 4. Melior est ira risu:
quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. 5. Cor Sapientium
vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia. 6. Melius est à Sapiente corripi,
quàm stultorum adulatione decipi: 7. quia sicut sonitus spinarum ardentium
sub olla, sic risus stulti. sed & hoc vanitas. 8. Calumnia conturbat Sapientem,
& perdet robur cordis illius. 9. Melior est finis orationis, quàm principium.
Melior est patiens arrogante. 10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti
requiescit. 11. Ne dicas: Quid putas causæ est quòd priora tempora meliora fuere
quàm nunc sunt? stulta enim est huiuscemodi interrogatio. 12. Vtilior est Sapien-

tia cum diuitiis, & magis prodest videntibus Solem. 13. Sicut enim protegit Sa-
pientia, sic protegit pecunia, hoc autem plus habet eruditio & Sapientia, quòd vitam
tribuunt possessori suo. 14. Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem
ille despexerit. 15. In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue: sicut enim
hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias,
16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Iustus perit in iustitia sua, & impius
multo viuit tempore in malitia sua. 17. Noli esse iustus multum: neque plus sa-
pias quàm necesse est, ne obstupescas. 18. Ne impiè agas multùm: & noli esse stul-
tus, ne moriaris in tempore non tuo, 19. Bonum est te sustentare iustum, sed & ab
illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit. 20. Sapientia
confortauit Sapientem super decem principes ciuitatis. 21. Non est enim homo
iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. 22. Sed & cunctis sermonibus, qui
dicuntur, ne accōmodes cor tuum: ne fortè audias seruum tuum maledicentem tibi.
23. scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis. 24. Cuncta ten-
taui in Sapientia. Dixi: Sapiens efficiar: & ipsa longiùs recessit à me. 25. multò
magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam? 26. Lustraui vniuer-
sa animo meo, vt scirem, & considerarem: & quærerem Sapientiam, & rationem. & vt
cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium: 27. & inueni amario-
rem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt.
manus illius, qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa,
28. Ecce hoc inueni; dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem,
29. quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi;
mulierem ex omnibus non inueni. 30. Sólummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus
hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis vt Sapiens est?
& quis cognouit solutionem verbi?

COMMENTARII.



ERS. 1. *Quid necesse est homini, maiora se quærere*, id est, ampliora, magnificentiora, & plura, quàm pro hominis statu vel indigentia: *Cum ignoret, quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suæ, & tempore, quo velut vmbra præterit?* His studendum non esse probo ex eo, quod homo ignoret, an quæ appetit, verè sibi conducibilia sint. Secundò, quod breuissimum vitæ humanæ vitæ terminum non expediat impendere non futuris, incertis, vel alienis: sed propriis, vtilibus, certis, ac præsentibus, *Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub Sole sit.* Tertiò, quia incertum, quibus vsibus seruitura sint ea, quæ tanto studio parat, forsan exitio ei, suisque futura. Stultum planè est, magno studio parere, quæ nescis, num tibi, vel tuis parient exitium. * Ex dilectione in filium curas comparare diuitias ei relinquendas: & forsan quia diues sit, hæres damnabitur ex prauo opum vsu, qui si strictam haberet substantiam ad necessarium victum, salutem assequeretur. Odium id dixerim, minimè dilectionem.]

Ex dilectione in filium pater studet ei opes relinquere in illius fortassè exitium æternum.

Vers. 2. Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa. In Hebræo inter hæc duo, *Nomen*, & *vnguentum*, est quædam paranomasia, nam nomen dicitur שם *scem*, & vnguentum, vna littera addita שמן *scemen*, vt ostendatur, nomen & fragrantium idem prorsus existere. Si bonum sit nomen, vnguentum erit odoratissimum: si autem malum, pestilentem efflabit odorem.] *Et dies mortis* melior est *die natiuitatis.* Quia cum nascimur, miseriarum stadium ingredimur: cum verò morimur, euadimus huius vitæ (dicam veriùs mortis) pleni meritis, æternitatis iam candidati euadimus. Ideò Dominus in Lazari amici morte lætatur, in resurrectione lacrymas, eius vicem dolens, effundit.

Nomen & vnguentum idem est: bonum suauem odorem efflat, malum autem pestilentem exhalat.

Vers. 3. Melius proindè est, ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. Quia in conuiuio natalitio festus dies agitur propter natam prolem: in domo luctus mortuus aliquis iacet sepulturæ tradendus, vel in qua defunctus lugetur. In hac enim prudentes lætantur, lacrymantur in illa.] *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit.* * Viuens quidem seu iustus cogitat in domo luctus, se etiam moriturum: qui autem id, haud corde recogitat, se mortuum in crimine esse manifestat.]

Prudens lacrymatur in domo conuiuij, natalitij, in domo luctus lætatur.

Iustus in domo luctus cogitat, se etiam moriturum, peccator minimè.

Vers 4. Melior est ira risu. Præstat, eum qui præest, seueritatem vultus præ se ferre. *Quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* * Benignum se Iudex ostendat delinquenti in sententia ferenda, non autem in vultu ita placidum, vt reus se deliquisse contemnat.]

Iudex seuerū se in vultu, benignum in sententia delinquenti ostendat.

Vers. 5. Cor Sapientium, vbi tristitia est, & cor stultorum, vbi lætitia. Sapientes enim viri graues sunt, & seueri, non leuiculi, & ad risum procliues, vti assolent esse insipientes. * Grauitas ergò vultus cor Sapiens indicat, leuitas verò cor annotat insipiens. Ideò fœminæ ad ridendum procliues.]

Grauitas vultus cor Sapiens, leuitas cor indicat insipiens.

Vers. 6. Meliùs est, à Sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Peccator enim correptione emendatur, adulatione verò, piacula replicat. * Aptè autem adulatores vocitauit *stultos*, quia magna stultitia est velle vt quis peccatum putet esse virtutem.]

Adulator stultus planè est.

Vers. 7. Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla: sic risus stulti. Quemadmodum crepi-

tus ardentis ſpinoſi rami longè auditur, ſic & ſtulti cachinuus: * Prudenti quidem audienti proſuſus pungens ſpina.] *Sed & hoc vanitas.*

Pungens ſpina eſt prudẽti inſipientis cachinnus.

Verſ.8. Calumnia conturbat Sapientem, & perdit robur cordis eius. Mœrorem ei affert, & alacritatem in agendo diſturbat. * Nihil enim Sapienti cuique magis durum, quàm videre eius famam iniuſtè defædari. Inſipientis quidem eſt, dolore non affici cum eius fama vulneratur.]

Inſipientis eſt, dolore non affici cũ eius fama iniuſtè vulneratur.

Verſ.9. Melior eſt finis orationis, quàm principium. Hebr. דבר *dauar verbum, res, negotium,* vt Chald. vertit. Docet Sapiens, parùm eſſe cœpiſſe, niſi perficias. * Si autem lubeat illud verbum *Orationis* de precibus ad Deum profuſis exponere, melior quidem eſt eius finis, quàm principium; quia præmiſſa initio conſideratione, in fine accenduntur affectus ad petendum, quod ſpirituali profectui conſonum videatur. *Melior eſt patiens arrogante.* Qui enim verbi gratia) iniuria afficitur; & patienter tolerat; iniuriantis frangit iram, eumque ad reſipiſcentiam facilè adducit. Arrogans verò magis illum exaſperat, vt ad vberiorem proſiliat iniuriam.]

Melior eſt finis orationis, quàm initium, quia in fine ea præmiſſa meditatione affectus accẽduntur.

Iniuria affecti patientia iniuriantem debellat.

Verſ.10. Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. Stulti prorſus eſt, non ſolùm iram facilè concipere, ſed & eam diù animo fouere. * Sapiens accepta iniuria facilè ſatisfactionem admittit, ſtulto verò nulla vnquam ſatisfactio ſufficiens apparet.]

Inſipiens facilè concipit iram, & difficilè ſedatur.

Verſ.11. Ne dicas: Quid putas cauſæ eſt, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc ſunt? Hiſpanè dicimus: *Qualquier tiempo paſado fue mejor. Stulta enim eſt huiuſmodi interrogatio.* Quia argumentum quidem eſt ignorationis temporum, hiſtoriarum, & priſcorum morum, qui etiam fuere corruptiſſimi. * Nonnullos vidi vicem præſentis temporis dolentes, inclamitare. O tempora antiqua, qui quidem ſi prælapſorum temporum veſtigarent ærumnas, apertè dignoſcerent præſens tempus eſſe felicius.]

Præſentia tempora feliciora prælapſis.

Verſ.12. Vtilior eſt Sapientia cum diuitiis. Nam Sapiens ſi diues ſit, poteſt diuitias in multos bonos vſus expendere: & quia diuitiæ ipſi Sapientiæ decus addunt. * Quod ſi lubeat de Magiſtratu, ad quem Sapiens eligitur, locum expendere: magni momenti eſt illum eſſe diuitem, ne egentis iudicium muneribus corrumpatur.] *Magis ergò prodeſt videntibus ſolem,* ſeu hominibus viuentibus.

Iudex ſi diues ſit, longiùs aberit ab ambitus corruptione.

Verſ.13. Sicut enim protegit Sapientia, ſic protegit pecunia, à multis enim malis, & incommodis eripit: dummodò Sapiens ſit poſſeſſor illius: dixit enim *Vtilior eſt Sapientia cum diuitiis.* * Qui enim Inſipiens pecuniis abundat, à pecunia non protegitur, ſed exitialiter ſæpiùs vulneratur.] *Hoc autem plus habet eruditio, & Sapientia, quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo,* memoriam, ac famæ diuturnitatem: tranquillam & verè homine dignam vitam: imò æternam, quam ſibi verè ſapiens comparat, iuxta legis præſcriptum viuendo.

Pecunia prodeſt Sapienti, inſipienti nocet.

Verſ.14. Conſidera opera Dei, ſiue diſce, *quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* Quædam ſunt opera Dei, quæ homo ſuâ Sapientiâ vel viribus mutare non valet: ſed ad ea corrigenda opus eſt recurſu ad Deum, qui ſolus illis malis mederi poteſt. Talis eſt quem Deus deſpexerit, ſeu deſeruerit: hunc enim nemo hominum *corrigere*, Hebraicè, reconcinnare poteſt. Hoc alij de defectibus naturalibus intelligunt, citantes pro exemplo cœcum, & claudum. Ego autem cum Theologis ad defectus ſpirituales extenderim excœcatorum, & induratorum ex crimine, quod Deus *deſpicere*, ac deſerere dicitur, non omninò, ex totoque; nunquam enim abnegat eis ſufficientia auxilia ad reſipiſcendum) ſed ex parte, & reſpectu aliorum queis longè plura, nobiliora, & efficaciora auxilia largitur. * Hos tales quandiu tales ſunt, nullus hominum nulla arte, ingenio, labore corrigere poteſt: poteſt tamen Deus. Noli ergo ſolis humanis remediis, fruſtrà adhibendis, te fatigare, ſed ad Deum recurre, ad illum preces inſtanter effunde.]

Nulla arte peccatorem induratũ reduces ad frugem meliorem, ſi ad Deum non accurras.

Verſ.15. In die bona fruere bonis. In die plena iucunditatis, & lætitiæ his bonis potire: *& malam diem præcaue,* tempeſtiue diſpice, quâ ratione poſſit tempus ærumnoſum vel euadere, vel commodiſſimè tranſigere. Voluit enim Deus alternis nunc proſperitate, nunc aduerſitate hominem in hac vita perpetuò exercere: tùm alias ob cauſas: tùm *vt non inueniat homo contra eum iuſtas querimonias,* ſeu ne queri poſſit, ſeu iuſtus, ſeu iniuſtus, de perpetuo aliquo & conſtanti rerum ſtatu, qui & fatigationem, & nauſeam, & contemptum parere ſolet. * Pulchrè igitur & vtiliter vita hominis alternis felicitate, ac ærumna componitur.]

Vtiliter vita hominis alternis felicitate, & ærumna componitur.

Verſ.16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ, dum vixi in hac vita fluxa, inani, & inſtabili: *Iuſtus perit in iuſtitia ſua,* cum tamen iuſtè viuat, immaturè moritur, & diuturniore vita dignus videatur. *Et impius multo viuit tempore in malitia ſua,* cum tamen eius impudens vita præproperæ morti eſſe videretur agnata. * Miror Sapientem indè eſſe commotum, cum ſciat diuturnam vitam impio eſſe ſupplicium, qui quo diutiùs viuit in malitia ſua, plures eius multiplicat actus diriùs planè torquendus.] Igitur.

* Grauiſſimo Dei ſupplicio impius longo tempore viuit.

Verſ.17. Noli eſſe iuſtus multum, criminando diuinam prouidentiam, quæ permittit, iuſtum perire ſeu obire in iuſtitia ſua, & impium longo tempore eſſe ſuperſtitem. *Nec plus ſapias, quam neceſſe eſt,* Dei arcana conſilia ſcrutans, & quaſi cum Deo expoſtulans, quod impios non illico puniat. LXX. *Noli argumentari plus quàm oportet.* Talis videtur illa diſputatio Ieremiæ cum Deo cap.12. *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: veruntamen iſta loquar ad te: Quare via impiorum proſperatur, &c.* Noli ergo argumentari, *ne obſtupeſcas.* Nam *ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria.* Prou 25.

Verſ.18. Ne impiè agas multum. Quemadmodùm monui, vt iuſtitiæ zelum immoderatum cohiberes: nec diuinam criminareris prouidentiam; ita nunc moneo, vt ab altero etiam extremo recedas, vt ſcilicet diuinæ prouidentiæ obliuiſcaris, permittens impietati habenas. *Et noli eſſe ſtultus,* nunquam diuina prouidentia cogitando: *ne moriaris in tempore non tuo,* ne tuo malo cogaris, diuinam prouidentiam, quam non cogitas, aut non credis, ſcelerum vindicem experiri, de medio immaturè ſublatus. * Velocitas enim peccandi, & immaturitas moriendi pari aſſolent incedere greſſu.] *Illud preme: Moriaris in tempore non tuo.* id eſt,

Velocitas peccandi & immaturitas moriendi pari ſolẽt greſſu incedere.

impor

impœnitens obeas. Vitæ enim tempos hominis tempus est, ad pœnitentiam agendam: mortis autem tempus, hominis quodammodò non est; quia illud sibi accipit Deus in delinquentis supplicium: ait enim, *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Accipit Deus tempus mortis sæpè, vel repentè vltaio peccatoris auferens, vel ægritudinis vi mentẽ illius obtorans, vnde haud poterit pœnitere. Igitur in tempore tuo pœnitentiam age, quam in tempore non tuo, à Deo quidem sublato, agere non poteris.]

Tẽpus mortis quodammodo tuum non est ad pœnitẽdum. In tempore ergo tuo pœnitentiã age.

Vers. 19. Bonum est, te sustentare iustum Hebr. *thecboz*, id est, *apprehendere. Iustum* autem est neutrius generis. Bonum est, te apprehendere & tenere id, quod iustum est, seu iustitiæ aliqua opera facere. *Sed & ab ille nè subtrahas manum tuam, quià qui timet Deum, nihil negligit.* Sed ab illo iustitiæ exercitamento non recedas eo quod aliqua pia opera exercueris: sed ad perfectiora stude contendere. * In via enim spiritus non proficere, deficere prorsùs est.]

In via spiritus non proficere deficere est.

Vers. 20 21. Sapientia confortauit, auxit, in felici statu constituit *Sapientem super decem*, seu multos (numerus est definitus pro indefinito) *principes Ciuitatis.* Quia Sapientia parto labore & industria acquiritur, natalitio autem otiosis seu sine labore accidit principatus. * Vndè ampliori dignum æstimatione, quàm Principes, crediderim esse Sapientem.] *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Particula *enim* more scripturæ abũdat. Nemo adeò iustus, qui pro fragilitate humana in aliquo non erret, aut peccet. Quod si causalis ea particula retioeatur, erit hæc clausula castigatio superioris sententiæ: quasi dicat: * Sapiens confortatur, roboratur, &c. Quamuis nemo Sapiens ità iustus, qui pro fragilitate humana noo errer in aliquo.

Maiori æstimatione dignior Sapiẽs, quàm principes.

Nemo ità Sapiens, qui in aliquo nõ erret.

Vers. 22. 23. Sed cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne autem præbeas, & sis rigidus eorum censor, quæ domi tuæ à domesticis aguntur: *nè fortè audias seruum tuum maledicentem tibi*, ne fortassè exacerbatus famulus, vel serous tibi malè precetur, conuitietur, vel aliquid de te indignum loquatur. * Haud est prudens pater familias, vel Prælatus qui faciles, gratasque exhibet aures famulo seu subdito alius famuli, vel subditi aperienti defectus; cum soleat prauam deferentis intentionem, aduersum enim se totius familiæ, vel communitatis odium excitabit. *Scis enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti aliis.* Quasi dicat: Tibi ipse testis esse potes, quàm graue sit hoc ad ferendum; nam etiam tu, cum alij te premunt, vel te subditum Prælatus premebat, indignabaris & eius damnabas seueritatem. * Vt Prælatus aliqua subditi errata dissimulet, & non omnium rigidus vindicator: ad memoriam afferat quàm graui subditus olim ipse molestia afficiebatur, quàm male precabatur Præsuli nimium sui censori errati.]

Non est prudens Prælatus, qui gratas præbet aures subdito, de aliis subditis suiſtrè aperienti defectus.

Dissimula Præsul nonnulli subditorum errata, qui subditus indignè ferebas acrẽ tui Prælati censuram.

Vers. 24. 25. Cuncta tentaui in Sapientia. Tentaui Sapienter, attentè, sedolè, vt consequi intelligentia possem, quid boni, & voluptatis, quid mali, & molestiæ, in vnaquaque re inesset. *Dixi: Sapiens efficiar:* hanc etiam Sapientiæ experimentalis partem theoricæ Sapientiæ adiiciam. *Et ipsa longius recessit à me.* Cum me Sapientiæ huiusmodi proximum reputaui, adhuc longissimè me distare deprehendi. * Scientia experimentalis perfecta, ferè nunquam acquiritur. Vndè Præsules post multos regiminis annos prima experimentalis scientiæ rudimenta non norunt.] *Recessit*, inquam, *à me multò magis, quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam?* Hebr. *Et profundum profundum* Profundissima est, & altissima huiusmodi Sapientia, ita vt illam ferè sit impossibile perfectè exhaurire.

Scientiæ experimentalis vix prima rudimẽta post longum regimen Prælatus ediscit.

Vers. 26. 27. Lustraui vniuersa animo meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem Sapientiam, & rationem, Hebr. *Supputationem.* Optaui, & tentaui rerum causas, effectus, ac proprietates mente comprehendere, vt qui arithmeticam callent, multorum numerorum summam computando conficiunt, & exactè sciunt, quot sint vnitates. *Et vt cognoscerem impietatem stulti, & errorum imprudentium: & inueni amariorem* molestiorem, & nocentiorem *morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius.* Cum iam iam quid boni, quid mali in quacumque re inesset me assequi putabam, vt perfectè Sapiens redderer, & Sapientissimus mortalium efficerer: me vacuum inueni. Nam ipsa Sapientia per experimenta rerum sensibilium fuit in me imminuta, & hebetata, cum *inueni amariorem morte mulierem*, id est, cum fui immodicis, immũdis voluptatibus irretitus. * Immoderatus namq; veneris vsus perspicacissimũ hebetat intellectũ.] *Qui placet Deo, effugiet illam.* Qui iustus, ac sanctus est, ac propterea in agendo cum mulieribus circumspectus & cautus. * Qui enim non fugit occasionem, miserè capietur. Nam vitium libidinis fuga est superandum.] Qui autem peccator est, ac proindè in huiusmodi rebus incautus, occasionesque non præcidens delinquendi, *capietur ab illa.* Preme illud: *& sagena cor eius.* Cogitatio, mens, animus mulieris impudicæ in hunc vnum conspirant, vt laqueos, & insidias hominibus instruant. * Vt ediscas, impossibiliter fere sine magna cautela posse te à tot retibus tensis liberari.]

Immoderatus Veneris vsus perspicacissimũ intellectũ hebetat.

Fuga superandum libidinis vitium.

Ferè est impossibile, sine cautela magna, te à laqueis impudicæ fœminæ liberari.

V. 28. 29. Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum. Arabica interpretatio habet, *vnum per vnum*, Syriaca, *vnum in vnũ*, & respondet Hispanica phrasis, *Todo lo mire vno por vno.* Noster itaq; Ecclesiastes asserit, se diligenter, & minutim omnium mulierum propensiones, & studia vestigasse, vt agnosceret, num bona aliqua mulier posset inuenire. *Vt inuenirem rationem*, eius scilicet, quod sequitur, *quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* * Hyperbolica locutione ostenditur, paucos esse viros omni ex parte perfectos: fœminas paucissimas, aut nullas propter sexus imbecilitatem.]

Pauci viri perfecti, fœminæ paucissimæ, vel ferè nullæ.

Vers. 30. Solummodò hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, cum naturali animi rectitudine, sincerum, paucis contentum, simplicem, cum gratuito iustitiæ originalis dono. *Et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* Alij *Adinuentionibus multis.* Multa homines excogitarunt, & multi sunt vel ad voluptatem, & commoda, vel ad honestatem, & splendorem vitæ, quæ summas secũ traxere difficultates, & mala, quibus caruissent, si à pristina illa rectitudine nõ deuiassent. *Quis talis vt Sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi.* Quis erit ita vt Sapiens, seu vt Sapienti similis, vt solutionem, & rationem nouerit rerum difficilium, de quibus est actum?

CAPVT

CAPVT VIII.

Salomon Sapientiæ elucentis quidem in vultu laudes prosequitur, aliáque minutiorum vanitatum genera, queis Sapientia medetur, enumerat.

1. SAPIENTIA hominis lucet in vultu eius,& potentissimus fa-
ciem illius commutabit. 2. Ego os regis obseruo,& præcepta
iuramenti Dei. 3. Ne festines recedere à facie eius, neque
permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit, faciet:
4. & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quis-
quam potest: Quare ita facis? 5. Qui custodit præceptum,
non experietur quidquam mali. Tempus & responsionem
cor sapientis intelligit. 6. Omni negotio tempus est, & opportunitas, & mul-
ta hominis afflictio: 7. quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nun-
tio. 8. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem
in die mortis,nec finitur quiescere ingruente bello,neque saluabit impietas impium.
9. Omnia hæc consideraui, & dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub
sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum. 10. Vidi impios sepul-
tos: qui etiam cùm adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate
quasi iustorum operum,sed & hoc vanitas est. 11. Etenim quia non profertur citò
contra malos sententia,absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. 12. Attra-
men peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego
cognoui quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius. 13. Non
sit bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant qui non
timent faciem Domini. 14. Est & alia vanitas,quæ fit super terram: sunt iusti,qui-
bus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ita securi
sunt, quasi iustorum facta habeant: sed & hoc vanissimum iudico. 15. Laudaui
igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, &
biberet, atque gauderet: & hoc solum secum auferret de labore suo, in diebus vitæ
suæ,quos dedit ei Deus sub sole. 16. Et apposui cor meum vt scirem sapientiam,&
intelligerem distentionem quæ versatur in terra,est homo, qui diebus & noctibus
somnum non capit oculis. 17. Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam
possit homo inuenire rationem,eorum quæ fiunt sub sole: & quantò plus laboraue-
rit ad quærendum, tantò minùs inueniat: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non pote-
rit reperire.

COMMENTARII.



VERS. 1. *Sapientia hominis lucet in vultu eius*, seu oris & faciei lineamentis, adeóque vniuersi corporis habitu, nempe lumine quodam modestiæ, grauitatis, hilaritatis in vultu, in sermone, in incessu, in omnibus motibus, & operibus. *Et potentissimus* Deus *faciem illius commutabit*, siue assolet commutare, vt pro variis temporum,ac rerum necessitatibus,varios induat vultos, nunc ridentis,& consolantis: nunc flentis, & compatientis: nunc obiurgantis, & corripientis. Sed quemcumque vultum induat,semper in eo relucet Sapientia, semper amabilem, ac gratum se præbet. * Preme illud, *sed potentissimus faciem illius commutabit.* Vt Sapiens vultus modestiam, ac seueritatem in risum & hilaritatem commutet,opus est,potentissimam Dei manum adesse: tam stabilis debet ei vultus adesse seueritas.]

Vt Sapiens deposita vultus seueritate, videat, potentissima Dei manus debet adesse.

*Vers.*2. *Ego os Regis obseruo.* Subditi personam induit ad subditorum eruditionem. Ego, inquit, Regem reuereor, & illius iussa exequor: *& præcepta iuramenti Dei*, id est,quæ iureiurando confirmaui. Vel ita studeo Regis asseruare præcepta, ac si Deus ille esset, méque ad obtemperandum iuramento adstrinxissem. * Præsul enim subditis quasi Deus, cui debent obedire ea promptitudine, ac debent vota Deo emissa compleri.]

Præsuli obedi quasi Deo ea promptitudine, quâ votum Deo emissa debêt impleri.

Vers. 3.4. *Ne festines recedere à facie eius.* Quod si Regem offendisti, redi cum eo in gratiam; fugere enim tutum non est, cum longissimæ sint Regis manus. *Ne permaneas in opere malo*, quo Regem offendisti, vel inconsulto proposito recedendi per impatientiam, aut obstinatio-

nem,

nem, à Regis consuetudine. Alij de recessu peccatorum à supremo Rege Deo locum exponunt. * Si Deum offendisti, à peccato pœnitens recede, vt ad Deum redeas propitium à quo irato recessisti. Ne instes recessum prosequi, cum non possis Dei vbiquè existentis manus effugere.] *Quia omne quod voluerit, faciet, & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: Quare id facis.* Quòd tã Dei, quam Principis potestati ad adducendum, vel puniendum fugientem, facilè est accommodatum.

Ne obstinatè peccator à Deo fugiat irato, nec enim potest eius manus effugere.

Vers.5. Qui custodit præceptum Regis, aut Dei *non experietur quidquam mali*, ei ad supplicium, inflictum. *Tempus & responsionem cor Sapientis intelligit.* Sapiens opportuna fandi tempora scit captare, & ita responsionem temperare, & sermones miscere, vt Regem non offendat. Licet enim amara sint veritatis verba, ea sic Sapiens scit condire. Principis gustum dulcedine afficiant. * Politici aulici hac tempestate mos diuersus: ad Regis pia interrogata adulatione ac mendacio respondet omnia prospera Regni esse asseuerans, cum omnem Regni prosperitatem corruisse solus Princeps ignorat.]

Politici aulici ad pia Regis interrogata adulatione, ac mendacio respondent.

Vers.6.7. Omni negotio tempus est, & opportunitas, & multa hominis afflictio; quia ignorat præterita, futura nullo potest scire nuncio. Omni negotio cooficiendo suus est modus, ac tempus opportunum. Sed magna est perplexitas, difficultas, & anxietas in eo vestigando. Nam sæpè præterita non nouimus, ex quibus possemus agere coniecturam de futuris: & futura ipsa sunt admodum, seu penitus obscura, cum incertus sit euentus, qui bonus, aut malus esse possit.

Vers.8. Non est in hominis potestate prohibere spiritum. Non potest homo prohibere spiritum vitalem, ne exeat à corpore: *nec habet potestatem in die mortis*, vt eligat tempus, aut genus ægritudinis, &c. *nec sinitur quiescere ingruente bello*, nemo dimittitur, seu emittitur è castris, instante conflictu: necesse est in prælio vincere, vel mori. Porrò hostis hic est *mors*, vt quidam exponunt: vel vt alij, *diabolus*, qui sub extremum vitæ potissimùm nos oppugnat. *Nec saluabit impietas impium.* Quibusnam armis poterit impius diaboli tunc tela retundere, ac vincere, si impietas eum omninò exarmauit? Necessum est arma virtutum præparare, dum viuis, vt tela diaboli validiùs te in morte oppugnaturi valeas infirmare.]

Virtutum arma præpara dum viuis, vt diaboli tela validius in obitu oppugnaturi retundere possis.

Vers.9. Omnia hæc consideraui, & dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub Sole, seu ad opera omnia consideranda, quæ accidunt in mundo. *Interdum dominatur homo homini in malum suum*, seu eius, qui subit dominatum, vt sub tyrannis accidere solet. Seu eius qui dominatum exercet. Nam frequenter qui tyrannicè dominantur, sibi exitium, ac perniciem creant. Textus Hebraicus vtramque admittit expositionem. * Graue quidem est onus perpeti alterius hominis dominatum: Sed crediderim grauius longè esse dominatum exercere.]

Graue onus est, homini obedire, sed grauius homini imperare.

Vers.10. Vidi impios sepultos honorificè & magno funeris sumptu: *qui etiam cum adhuc viuerent, in loco sancto erant*, optimorum & sanctorum Principum loco habebantur, & prædicabantur ab adulatoribus, quasi iusta essent opera eorum; *Sed & hoc vanitas est*, cum potiùs spectanda sit retributio, quæ illis post obitum manet.

Vers.11.12. Etenim quià nõ profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Quia impij vident, præsenti se, cum delinquunt, frui incolumitate, futurorum instantium quidem pœnarum obliti, laxant iniquitati habenas. *Attamen peccator ex eo quod centies facit malũ*, seu permittatur multiplicare crimina, *& per patientiam Dei sustentatur*, seu toleratur: *ego cognoui, quod erit bonum timẽtibus Deum, qui verentur faciem eius.* Vt impiis male erit, licet eos Deus aliquandiù in hac vita toleret, & ad pœnitentiam expectet; ita bonis, qui Deum timent, prosperè erit in nouissimo tempore, cum Deus pro merito cuique retribuit. * Diuturnior enim Dei patientia grauius connotat peccatoris supplicium.] Illud adnota: *Qui verentur faciem eius*, seu qui rectè operantur, scientes Deum cunctis actionibus, ac cogitationibus esse vbiquè præsentem. * Et quidem infallibilis præsentiæ Dei fidẽ videtur non habere, qui audet in necessaria Iudicis præsentia cõtra ipsum delinquere.]

Diuturnior Dei patientia grauius connotat peccatoris supplicium.

Qui delinquit, videtur infallibilis Dei præsentiæ fidem nõ habere.

Vers.13. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant, qui non timent faciem Domini Hebr. *Bonum non erit impio, & non prolongabit dies*, sit potius eius, quod futurum est prædictio, quàm imprecatio. * Ipsa enim iniqua opera impij infelicitatis, & immaturæ mortis sunt prophetia.]

Iniqua opera sunt impij infelicitatis & immaturæ mortis prophetia.

Vers.14. Est & alia vanitas, quæ fit super terram. Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ità securi sunt, quasi iustorum facta habeant. Est quidem alia vulgi deceptio, quòd ex iis, quæ cernit, iudicat, nec Dei prouidentiam in hac inæqualitate agnoscit, quasi iusti semper sint ærumnis premendi: & iniusti semper prosperè sint acturi. * Finis iustos & impios verè inæquales esse monstrabit, patientia iusti æternùm coronata, breui incolumitate impij perpetuæ addicta infelicitati.] *Sed & hoc vanissimum esse iudico.*

Iusti labores finem habebunt, breuis impij felicitas in infelicitatem trãsibit æternam.

Vers.15. Laudaui igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub Sole, nisi quod comederet, & biberet, atque gauderet. & hoc solum secum auferet de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Dominus sub Sole. Non fauet epicureis, sed reuocat hominem ab inutili mentis curiositate, ac superfluis molestiis, in inquirendis, vel asserendis diuinis iudiciis, & arcana rerum humanarum prouidentia. Eos, inquit, commendo, qui à molesta curiositate abstracti, acquisita substantia honestè & moderatè victitat, læti vtique, quod ab hisce incommodis nimiæ solicitudinis abstrahantur. * Profectò solùm laude digna expetibilisque illorum vita, quam non angit necessitas, & quam lætitia comitatur.]

Illa solùm commendabilis vita, quam nõ angit necessitas, & quam lætitia comitatur.

Vers.16. Et apposui cor meum, vt scirem Sapientiam, & intelligerem distentionem, quæ *versatur in terra.* Toto animi affectu ediscere curaui *distentionem* seu occupationem, quidquid scilicet animum distinet, & anxia solicitudine exercet. *Est homo, qui diebus & noctibus somnũ non capit oculis.* Solicitudinibus & curis somnũ eripientibus, ac præsertim res arcanas vestigandi ac cognoscendi.

Vers.17. Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole. Seu exactè dignoscere. Sunt enim arcana diuinæ prouidentiæ, quæ Deus potius vult venerari, quàm scrutari. *Et quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minus inueniat: etiamsi dixerit Sapiens se nosse, non poterit reperire.* Fallitur enim, aut fallit, neque enim in secreta illa hominibus patescit introitus.

CAPVT IX.

Varios humanarum rerum euentus, ratione quorum ad potentiam, ac prouidentiam diuinam accurrendum Salomon memorat: honestæ iucunditati, & despectæ à vulgo Sapientiæ studendum hortatur.

1. OMNIA hæc tractaui in corde meo, vt curiosè intelligerem:
Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: 2. &
tamen nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit: sed om-
nia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa æquè eue-
niant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo,
immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bo-
nus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deie-
rat. 3. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub Sole fiunt, quia eadem cunctis eue-
niunt. vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in
vita sua, & post hæc ad inferos deducentur. 4. Nemo est qui semper viuat,
& qui huius rei habeat fiduciam: melior est canis viuus leone mortuo.
5. Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt am-
plius, nec habent vltrà mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eo-
rum. 6. Amor quoque, & odium, & inuidiæ simul perierunt, nec habent par-
tem in hoc sæculo, & in opere quod sub sole geritur. 7. Vade ergo & comede in
lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera
tua. 8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo
non deficiat. 9. Perfruere vita cum vxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ
instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est
enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole. 10. Quodcumque facere
potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scien-
tia erunt apud inferos, quò tu properas. 11. Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec
velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum
diuitias, nec artificum gratiam; sed tempus, casúmque in omnibus. 12. Nescit
homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo compre-
henduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo superuene-
rit. 13. Hanc quoque sub Sole vidi Sapientiam, & probaui maximam: 14. Ci-
uitas parua, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, ex-
truxítque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. 15. Inuentúsque est, in
ea vir pauper & Sapiens, & liberauit vrbem per Sapientiam suam, & nullus dein-
ceps recordatus est hominis illius pauperis. 16. Et dicebam ego, meliorem esse
Sapientiam fortitudine: quomodo ergo Sapientia pauperis contempta est, & verba
eius non sunt audita? 17. Verba Sapientium audiuntur in silentio, plusquam cla-
mor principis inter stultos. 18. Melior est Sapientia, quàm arma bellica: & qui in
vno peccauerit, multa bona perdet.

COMMENTARII.

VERS. 1. *Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curiosè intelligerem.* Symmac. *vt ventilarem vniuersa. Sunt stulti, atque Sapientes* in orbe terrarum, *& opera eorum in manu Dei*, in potestate, ac protectione diuina: attamen res est nobis inexplorata omnino, & soli Deo cognita. * Vnde errat, qui solo externo aspectu putat se stulti, ac Sapientis iusti ac peccatoris præcordia lustrare penitus ei esse possibile.] *Et tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit?* Hebr. *etiam amorem & odium nesciens homo.* Ac si diceret: Nescimus, num apud Deum digni simus amore, vel odio: (quod non solùm de amore æternæ prædestinationis, sed etiam de amore secundùm præsentem iustitiam intelligo; nemo enim scit certò sibi remissa esse peccata, & se iustum esse.) * Si ergò nescis an sis odio vel amore dignus: quomodò audes proximi alienum pectus iudicare, eiusque, soli Deo cognitum, affectum secretum inire.]

Solus Deus iusti ac peccatoris præcordia cognoscit.

Errat, qui putat, se occultos proximi affectus posse callere.

Vers. 2. Sed omnia in futurum seruantur incerta eo quod vniuersa aquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sa-

crificia

tristicia contemnenti: sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, ità & ille, qui verum deierat. Rationem reddit, licet non prorsus adæquatam, cur nemo ordinaria via possit esse de propria iustitia certus. Si quis, ait, de eo certus esse posset, maximè id constaret ex diuinis erga eum beneficiis, aliisue euentibus, seu prosperis, seu aduersis: sed ex his nihil certi colligi potest, vtpotè quæ tàm iniustis, quàm iustis sunt communia: Ergo. sic Euripides apud Lucianum conqueritur, nullum esse signum, quo praui à bonis dignoscantur. * Ex laboribus quo homines assolent diuexari, non potest argumentum iniri efficax iustitiæ aut iniustitiæ: aliquando enim iusti magis quàm peccatores torquentur, vt aurum igne rutilius appareat: aliquandò impius diriùs vulneratur in præsentem improbitatis vindictam.]

Ex laboribus quia homines premuntur, nō fit iustitiæ, aut iniustitiæ eorū efficax argumentum.

Vers.3. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub Sole fiunt, difficillimum intellectu, molestissimum, periculosissimum, cum ex eo multi non cognoscendæ diuinæ prouidentiæ ansam arripiant. *Quia eadem cunctis eueniunt: Undè corda filiorum hominum implentur malitia*, seu omni genere peccatorum, *& contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* Quia vident tam iustos, quàm peccatores ærumnis cruciari, delinquendi soluunt habenas, & vitam rectam ducere omninò contemnunt: quod illis occasio est ruinæ, & præcipitis casus in tartarum.

Vers.4. Nemo est, qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam, seu qui semper hîc viuendi spem habeat. *Melior est canis viuus leone mortuo.* Prouerbium est, quo designatur, vitam meliorem esse morte, & vitæ commoditates ad resipiscendum, & promerendum, anteponi statui mortuorum, in quo nulla amplius facultas seu mutandi consilij, seu in melius proficiendi. Licet ob alia quædam vitæ incommoda mors meritò possit præoptari. * Dixerim itaque vitam morte esse meliorem solummodò ad pœnitentiam peccatorum gerendam, vel ad meritorum incrementum. In reliquia autem vitam longo interuallo à morte superari.]

Vita solummodò est melior morte ad pœnitentiam, vel ad meritum: in reliquis mors melior vita ostentatur.

Vers.5. Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius, ex quo possint aliquid noui emolumenti sibi comparare, vel noua præmia mereri, vel resipiscere, aut resilire à malo. * Magnum viuentium bonum, scire se morituros esse: memoria enim mortis & à peccato retrahit, & ad virtutis excitat exercitium.] *Nec habent* mortui, *vltra mercedem, quia obliuioni tradita est memoria illorum.* Nam etiamsi benè operari possent, tamen illa opera meritoria non essent, eo quod sint extra merendi statum. Imò & apud viuentes mortui memoria periit, fante Dauide Psal.30. *Obliuioni datus sum tanquam mortuus, à corde*, seu à memoria hominum.

Mortis memoria & à peccato retrahit, & ad virtutis excitat exercitium.

Vers.6. Amor quoque & odium inuidia simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere, quod sub Sole geritur. Verum est, in mortuo hæc omnia cessare, quia cadauera nec amant, nec oderunt, nec inuident: quemadmodùm nec amantur, nec illis inuidetur.

Vers.7. Vade ergò, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum; quia Deo placent opera tua. Comede, & bibe, vtere modestè bonis acceptis à Deo: ei enim id gratum est, qui dedit tibi hæc bona, non vt ea auarè recludas, sed vt illis potiaris. * Ingratum est quidem Deo, hominem miserè ac strictè transigere vitam, vt diuitias auarè recondat.] Alij particulam causalem *Quia* pro conditionali accipiunt hoc sensu. *si Deo placent opera tua*, id est, si quæsiisti primum Regnum Dei, & iustitiam eius, adiice insuper ex Dei dono aliquem voluptatis ex cibo, ac potu fructum. * Nam qui iustitiæ non student quasi ex furto, non ex Dei dono, videntur ex creaturis voluptatem accipere.]

Non placet Deo hominē strictè viuere, vt opes auarè recondat.

Qui iustitiæ non student, vidētur quasi ex furto, ex creaturis voluptatem accipere, non ex Dei dono.

Vers.8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. Vestis candida signum est lætitiæ, sicut & caput oleo, seu odorato vnguento perfusum. Hilaris, ait, esto, non male cultus, sordidatus, tristitiam ostentans: Comede in lætitia, in gaudio bibe, si Deo places, si opera iusta geris. * Lætitia enim inseparabilis est iustitiæ comes.]

Lætitia inseparabilis est iustitiæ comes.

Vers.9. Perfruere vita cum vxore, quam diligis, omnibus diebus vitæ instabilitatis tuæ, vitæ instabilis tuæ, fragilis, & caducæ, *qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ*, seu quo degis in hoc mundo pleno vanitatis. * Preme illud; *Perfruere vita cum vxore, quam diligis.* Supponit enim Salomon vxorem à marito esse diligendam: Vxor tua est? ergo à te iure coniugij diligenda.] *Hæc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub Sole*, seu hoc est, seu debet esse charissimum bonum, quod ex labore tuo, siue solicitudine hoc in sæculo percipis.

Agnatum est marito iure coniugij vxorem diligere.

Vers.10. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare. Dum vita suppetit, ac vires sufficiunt, alacriter, & strenuè negotiis quæ præ manibus habes, & quæ tuo statui sunt consentanea cura impende. *Quia nec opus, nec ratio, nec Sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quia post mortem, ad quam homo festinat, locus non erit aggrediendi negotij, nec æstimatio rei, aut deliberatio aliquid faciendi, nec Sapientia, calliditas, industria ad exerenda negotia proficiet. * Hinc monemur, iustitiæ opera instanter esse gerenda, ne instante morte, quæ repentè non semel irrumpit, vacuis manibus inueniamur, & inferno, seu tartaro amandemur.]

Iustitiæ opera instanter exere, ne repente morte irruente, vacuis manibus inueniare.

Vers.11. Verti me ad aliud, & vidi sub Sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec Sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam. Vidi in terrarum orbe hominum status dum lustrarem: nec velocissimum ad currendum in stadio præmium semper velocitatis consequi: nec in bello fortissimum, victoriam reportare: nec quemque Sapientia præditum necessariis ad victum potiri, sæpè enim Sapientes cum inopia luctantur: nec eum qui artificiosum opus aliquod exerit, laudem semper consequi, & gratiam magnatorum. *Sed tempus, casumque in omnibus.* Plurimum enim inest in articulis temporum & opportunitatum. * Multaque fortuito mortalibus eueniunt, quæ tamen omnia diuina prouidentia reguntur.]

Multa eueniunt fortuito hominibus, quæ tamen diuina regūtur prouidentia.

Vers.12. Nescit homo finem suum, tempus vel diem mortis, *Sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis ex templo superuenerit.* Superuenit namque mors improuisa, cum in

Posse homines repentè mori, concludit debere te semper esse paratum.

parati existunt.* Posse hominem repentè mori, concludit debere te semper esse paratum.]

Vers.13.14.15. Hanc quoque sub Sole vidi Sapientiam,& probaui esse *maximam. Ciuitas parua, & pauci in ea viri* quicam possiint tutari. *Venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, struxitque munitiones per gyrum,& perfecta est obsidio,* hoca scilicet clausa, Quid plura; *Inuentusque est in ea vir pauper, & Sapiens,* industria præditus, *& liberauit Vrbem per Sapientiam suam* Et tamen post patriæ Vrbis liberationem, *nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis* Ita non infrequenter accidit, vt beneficatoribus gratia non habeatur, præsertim si pauperes sint, & nullum amplius commodum ab illis expectetur.* Militiæ deberent agnata esse præmia, cum strenui milites suam vitam Principum exponunt obsequio: & nihil à Principibus plus obliuioni traditur.]* O Martyres Regis terreni, quàm inutiliter quàm sine præmio vitam profunditis, dum Rex cœlestis pro temporali vita eius lirata obsequio, Martyres suos Regni æterni diademate donat.]

Milites Regis terreni obsequio vitã sine mercede tradunt.

Mundi Martyres sine præmio dant vitam, dum Rex cœlestis suos Martyres Regno donat æterno.

Vers 16. Et dicebam ego, hæc aspiciens: *meliorem esse Sapientiam* Ducum ac militum *fortitudine. Quomodò ergo Sapientia* illa *pauperis* Vrbis liberatoris *contempta est, & verba eius non sunt audita,* cum scilicet codicillum, seu libellum supplicem Regi Vrbis illius Domino tradit. O tempora cum fortitudinis, & Sapientiæ vel industriæ circa rem bellicam difficilè audiuntur preces, difficilius eis præmia impertiuntur.]

Difficile supplices militum libelli leguntur, difficilius eis præmia donantur.

Vers. 17. Verba Sapientium audiuntur in silentio, plusquam clamor Principis inter stultos. Dum Ciuitas illa obsidione premeretur, multa Princeps, vel Magistratus proponebat, aut imperabat ciuibus, quæ æquis animis ab eis, in hoc imperitis, non audiebantur, cum minus salutaria esse crederentur. Adfuit tunc pauper ille Sapiens, audita vox in silentio fuit, probatum consilium,& salus populo parta. Quamquam postea (heu hominum ingratitudo!) nullus deinde illius recurdatus est. * Pauperis enim gesta non memorantur, quasi ipsi paupertati obliuio agnata esse videatur.]


Pauperis gestis præclaris agnata est obliuio.

Vers.18. Melior est Sapientia, quàm arma bellica: & qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Concludo, vtiliorem esse Sapientiam, quàm bellicos apparatus ad Vrbes tutandas, si Sapiens nihil, quod sui officij est, negligat, neque a rectæ rationis & industriæ præceptis vel minimum aberret: nam vnum in aliqua re peccatum bonum eius exitum poterit impedire. Heb. *Peccator vnus perdet multum bonum.* Quemadmodum enim Sapiens vnus seruare potest Ciuitatem, ita etiam vnius errore potest deperire. * Ad mores autem vera est sententia, fere vnius ciuis piaculo totam Vrbem deperire. Sic Achani peccatum vnius cladem Israëlitis attulit. *Ios.7.*

Vnius ciuis peccato aliquando tota Ciuitas perit.

CAPVT X.

Postquam Salomon Sapientiam laudat, & stultitiam maximè ambitiosorum detestatur: non detrahendum Magistratibus, neque eorum imperio repugnandum edocet.



1. MVSCÆ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Pretio-
sior est sapientia, & gloria parua, & ad tempus stultitia.
2. Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra
illius. 3. Sed & in via stultus ambulans, cùm ipse insipiens
sit, omnes stultos æstimat. 4. Si spiritus potestatem haben-
tis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia cura-
tio faciet cessare peccata maxima. 5. Est malum quod vidi
sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis: 6. positum stultum in dig-
nitate sublimi, & diuites sedere deorsum. 7. Vidi seruos in equis, & principes am-
bulantes super terram quasi seruos. 8. Qui fodit foueam, incidet in eam: &
qui dissipat sepem, mordebit eum coluber 9. Qui transfert lapides, affligetur
in eis: & qui scindit ligna: vulnerabitur ab eis. 10. Si retusum fuerit ferrum, &
hoc non vt priùs, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post indu-
striam sequetur sapientia. 11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus ha-
bet qui occultè detrahit. 12. Verba oris sapientis gratia: & labia insipientis
præcipitabunt eum. 13. Initium verborum eius stultitia, & nouissimum oris
illius error pessimus. 14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante
se fuerit: & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare? 15. Labor stul-
torum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. 16. Væ tibi terra, cuius rex
puer est. & cuius principes manè comedunt. 17. Beata terra, cuius rex nobilis est,
& cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.
18. In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit do-
mus,

mus. 19. In riſum faciunt panem,& vinum vt epulentur viuentes:& pecuniæ obe-
diunt omnia. 20. In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne
maledixeris diuiti:quia & aues cæli portabunt vocem tuam,& qui habet pennas,an-
nunciabit ſententiam.

COMMENTARII.

*ERS. 1. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Pretioſior eſt Sapientia, & gloria parua & ad tempus ſtultitia.* Quemadmodum muſcæ odoratis vnguentis immorientes illorum ſuauitatem perdunt,licet muſca paruulum ſit animalculum: ita parua ſæpè res magnum rebus affert detrimentum. * Vnde diſce,ſæpè leuium peccatorum multiplicationem fragrantiſſimam perdere ſanctitatem,dum ad grauia diſponunt errata.] Sic Sapientiam, quæ pretioſior eſt grauis gloria, parua, modicique temporis ſtultitia perdit. Illud *Paruaque* cum *ſtultitia* iunge.

Multiplicatio venialiũ piaculorum fragrantiſſimam perdit ſanctitatem, dum ad grauia diſponunt.

Verſ. 2. Cor Sapientis in dextera eius: & cor ſtulti in ſiniſtra illius. Sapientis dicta, facta,cogitationes omnes in dexteram, hoc eſt, in bonum vergunt: Contrà ſtultorum in ſiniſtram, hoc eſt, tendunt in malum. Exiſtimarim equidem Sapientem carere ſiniſtra, ſtultúmque dexteram non habere: dum video,cuncta opera Sapientis dexteritate ſemper dirigi:ſtulti autem ſemper ſiniſtro euentu prodire.]

Stultus dextra caret manu, Sapiens non habet ſiniſtram.

Verſ. 3. Sed & in via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat. Cum ſtultus ſiniſtram teneat,alios etiam ſibi ſimiles putat eſſe,& a recta via in malum deflectere. Hiſpanum prouerbium: *Pienſa el ladron, que todos ſon de ſu condicion.* * Agnatum quidem eſt impiis cunctos ſibi ſimiles eſſe exiſtimare.]

Impiis agnatum eſt, exiſtimare alios ſibi eſſe ſimiles.

Verſ. 4. Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te. Hebr. eſt, *Dominantis ſpiritus*,Si euectus fueris in Principem, vel Magiſtratum: *locum tuum ne dimiſeris*, ne priſtinam in loquendo, conuerſando modeſtiam, comitatem abiicias. Quod alibi Sapiens dixit, *Rectorem te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis.* Eccli. 32. * A prudentia deuiat, qui Rector effectus exiſtimat,ſe alium à ſubditis eſſe conſtitutum] Vel ne deſere locum,In quem aſcendiſti,ne deſis muneri,& officio tuo; commiſſo tibi inuigila gregi: *Quia curatio faciet ceſſare peccata maxima.* Hebr. *pro Curatio.* alij vertunt *Sanitas, lenitas* Sanitas & integritas animi, lenitaſque Rectoris efficiet, vt defectus quantumuis graues ſubditorum reformentur. * Efficacior eſt Præſulis lenitas ad reducendos ſubditos peccatores ad frugem meliorem,quàm ſeueritas.]

Prudens Rector,non exiſtimat ſe à ſubditis aliũ eſſe conſtitutum.

Præſulis lenitas efficacior eſt ad ſubditorum delinquentium reductionẽ quàm ſeueritas.

Verſ. 5. 6. Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis: poſitum, ſcilicet, *ſtultum in dignitate ſublimi.* Annotaui errorem inuoluntarium aliquandò, ſæpè autem voluntarium Principis,qui amore vel odio eos Magiſtratus conſtituunt, qui hiſce muneribus ſunt indigni. *Et diuites ſedere deorſum.* & viros præſtantes doctrinâ,virtute, prudentiâ ad regimen ſibi debitam non aſſumunt. Id equidem *per errorem* agunt. * Errat enim vel contra proprium decus Princeps, ſe imprudentem, vel iniuſtum exponens taxandum à cunctis, quotiens ineptus Magiſtratus aliquid ſtultum, vel iniuſtum ſuo in munere gerit.]

Quidquid ineptum agit Magiſtratus, Principi eum eligenti ad munus à cũctis tribuitur.

Verſ. 7. Vidi ſeruos in equis, homines ignobiles, vel ſeruili animo equitare vidi: & *Principes*,ſeu viros præſtantes nobilitate & aliis dotibus, *ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos*, ex opum defectu inſtar vulgarium ciuium pedites incedere. * Iam temporum malitia ignobiles equitant diuitiæ, paupertas nobilis pedes incedit.]

Ignobiles equitant diuitiæ, paupertas nobilis pedes incedit.

Verſ. 8. 9. Qui fodit foueam, incidet in eam, malum conſilium ipſi conſultori eſt noxium: *& qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber*, qui alterius ſecuritatem euertit, ſibi vulnus parabit. *Qui transfert lapides, affligetur in eis*: ipſi auctori noxius erit labor, ſtudium, & conatus, quo alium voluerit lædere: *& qui ſcindit ligna, vulnerabitur ab eis.* Quemadmodum qui alterius arbores cædit, vt noceat,ſæpe læditur, aut in crus, aut in pedem impacta ſecuri, vel arboris ipſius vel rami ruina: ſic alterius euerſio, quam quis molitur, aſſolet ipſi ruinam parare, aut vulnere afficere. * Nemo, mihi credite, ſine detrimento ſuo aliis damnum ſolet inferre.]

Nemo ſine ſuo detrimẽto damnum aliis ſolet inferre.

Verſ. 10. Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non vt priùs fuerit acutum, *ſed hebetatum fuerit*, ſecandi vim amiſerit: *multo labore exacuetur*, non enim facilè detergitur rubigo, & iterum acuitur: *& poſt induſtriam* adhibitam *ſequetur Sapientia.* Vt gladius neglectus rubiginem contrahit, & vim ſecandi amittit:ita ingenium doctrinis excultum, ſi Sapientiæ ſtudium intermittatur, hebeſcit, ſi verò iterùm labori legendi aut diſputandi quis incumbat,etiam redibit Sapientia,ſed non ſine labore.* Sapientia quidem iam ſtudio acquiſita, ad ſui conſeruationem interminabili eget ſtudio.]

Scientia ſtudio acquiſita ad ſui conſeruationem interminabili eget ſtudio.

Verſ. 11. Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet,qui occultè detrahit. Occulta detractio alterius ſimilis eſt morſui occulto ſerpentis. * Vndè ſi detractorem exaudiſti,fuge eius conſortium, ſerpens enim eſt. cras tibi exitialem morſum infliget occultè,qui hodie abſentem venenato morſu vulnerauit.]

Eum,qui detrahit,occultè fuge, ſerpẽs enim eſt exitialiter mordens.

Verſ. 12. 13. Verba Sapientis gratia, ſeu grata, & vtilia ſunt audientibus: *& labia inſipientis præcipitabunt eum.* Nam cum ſtultè & parum conſideratè loquatur,grauia ſibi pericula creat, è quibus haud facilè emergit. *Initium* enim *verborum eius ſtultitia, & nouiſſimum oris illius error peſſimus.* Nihil ſanum loquitur ſtultus,tota oratio ab initio vſque ad finem erroribus ſcatet: imò in orationis fine,& epilogo vberior apparet ſtultitia. * Stulti enim ſermo quantò ampliùs producitur, tantò vberiùs auctoris ſui ineptitudinem manifeſtat.]

Quantò plùs producitur ſtulti ſermo, tãtò ampliùs auctoris ſui ineptitudinem aperit.

Verſ. 14. Stultus verba multiplicat, Siue quæ ſequuntur verba frequenter repetit: *Ignorat homo quid ante ſe fuerit: & quid poſt ſe futurum ſit, quis ei poterit indicare?* Nam vt ſtultus ab omni metu poſſit ſecurus degere, voluptatibúſque vacare, ſibi fingit animam immortalem non eſſe, & eos qui antè mortui ſunt, funditus interiiſſe,

tiiſſe, idemque de nnnc viuentibus eſſe futurũ. * Vereorne hoc tempore vel inter Chriſticolas aliqui inueniantur ſtulti animæ immortalitatem abnegantes; ſic enim viuunt, ac ſi mors eſſet animi ioteritus. Voluptates quidem aſſolent hominibus mortalitatis animæ errorem iogerere.]

Voluptates aſſolent homini mortalitatis animę errorem ingerere.

Verſ.15. Labor ſtultorum affliget eos, fruſtrà fatigabit, & torquebit in arduis, & implexis quæſtionibus inodandis, quales occurrunt in Reipublicæ gubernatione, io tractatione rerum diuinarum, &c. Quonammodo enim his ſeſe expedient miſeri, *qui neſciunt in Vrbem pergere?* ideſt, qui etiam vulgares ac faciles res ignorant, qualis eſt viam io Vrbem demonſtrare, quod etiam pueris notiſſimum eſt. * Fruſtrà deſudat ſtultus impius feliciter res ſuas exequi, qui veram viam, id eſt, Sapientiam, & pietatem, vel ignorat, vel non tenet. Sicut dux itineris, non deducet in Vrbem, qui viam eò ducentem ignotat, vel ſequi negligit.]

Impios infeliciter omnia agit, quia veram felicitatis viam ſeu pietatem non tenet.

Verſ.16. Væ tibi terra cuius Rex puer eſt, ætate, ſcilicet, vel Sapientia, cuioa conſilij imbecillitas Reipublicæ regendæ par eſſe non poteſt. *Et cuius Principes manè comedunt*. ſeu ante debitum tempus; vnde cibis, meróque pleni, tota die ad gubernationem tectam inepti exponuntur.* Innuitur gulæ addictos ad regendi munus prorſus ineptos eſſe.] * Cum Rex eſt puer ætate, operæ pretium eſt, vt Principes, ſeu gubernatores Regni non mane comedant, ſicut pueri faciunt, id eſt, vt viri ſint prudentiâ, grauitate, iuſtitiâ, reliquiſque ornati virtutibus.]

Gulæ additi ad regendi munus inepti.

Reges pueri, gubernatores Regni eligantur nõ pueri, ſed moribus ſenes.

Verſ.17. Beata terra, cuius Rex nobilis eſt. Hebraicè eſt בן חורים *ben borim*, quod Hebraizantes variè vertunt, *Filius nobilium, filius ingenuorum, filius Principum, filius candidorum.* Opponitur hæc nobilitas pueritiæ Regiæ non ætatis (nam illi proſpici poteſt maturą prudeotia gubernatorum vt patuit in Ioanne Caſtellæ Rege) ſed morum, & vitiorum, maximè verò guloſitatis & comeſſandi libidini: vndè ſupina omnium voluptatum indulgentia, & publici officij negligeotia prómanat. Ideò adiicit. *Et cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo*, nec guloſitatis affectu tempus menſæ anteuertunt: Comedunt namque *ad reficiendum*, ſeu reparandum corporis vires, *& non ad luxuriam.*

Verſ.18. In pigritiis humiliabitur contignatio: & in infirmitate manuum perſtillabit domus. Quemadmodum ſi domus ſarta tecta oegligantur, corrumpentur paulatim ſtillicidiis imbrium tecta, trabes, parietes, quibus debilitatis ruina ſequitur, quà ædes humiliantur, ſeu excidunt: ita periit animus manuum *infirmitate*, ſegoitie, procraſtinatione in remediis eius laſſitudine adhibendis. * Neceſſarium eſt frequenti ſpiritualis domus reparationi incumbere, quæ quidem noſtra deſidia ſolet funditus euerti. Vndè P. meus D. Ignatius frequentem ſuis alumnis ſpiritus renouationem tam prudenter indixit.]

Neceſſaria eſt frequens ſpiritus renouatio, ne ſpiritualis domus excidat.

Verſ.19. In riſum facient panem & vinum, id eſt, *propter riſum* vt Pagnin. vertit: ſeu *ad voluptatem*, vt Tigurina, perpetuò comeſſantur, & belluantur ſecuri, neiopè duio incuria illorum fatiſcit, & labaſcit Regnum. *Vt epulentur viuentes*, id eſt, homines. * Ac ſi diceret, Principum illorum, (de quibus præmiſerat Salomon manè comedere) incuria, negligentia, deſidiaque quæ guloſitatem, ac voluptatum ſtudium comitatur, corruit Imperium.] *Et pecuniæ obediunt omnia.* Hebr. *Pecunia exaudiunt omnia.* Quia Reginam pecuniam omnia deprecantur, omnia prompta ſeſe offerunt, vbi illa adeſt, & annuit. Profectò guloſi illi Magiſtratus, ne quid vnquam ſuo luxui deſit, toti ſunt in contrahendis pecuniis, & muneribus captandis, quorum intuitu venalia habent omnia, ius, iuſtitiam, honorem, dignitates, vitam, animam, & æteroitatem. * Miniſter auarus omnia vendit.]

Principum guloſitate & affectu in voluptates, corruit Imperium.

Miniſter auarus omnia vendit iuſtitiam, animã, æternitatem.

Verſ. 20. In cogitatione tua Regi ne detrahas, nec occultiſſimè. Hiſpanè dixeris, *Ni por penſamiento murmures del Principe. Et in ſecreto cubiculi tui nè maledixeris diuiti*, ſeu potenti. *Quia & aures cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annũciabit ſententiam*, volucres tuum ſermooem ei annunciabunt. * Hiperbolica iſta loquutio ſignificat, rem etiam occultiſſimè à te dictam, occulto quopiam modo perferendam ad eum, de quo dixiſti. Vnde maximè cauendum, ne Regi detrahas, vel Magiſtratui, quantumuis ſuo deſint officio; nam multos oculos, & aures babent.] Ad litteram verò, aues cœli, nempe grues Ibyci cædem, & ſicarios prodidére, vti Plutarchus *lib. de garrulit.* affirmat. Quod ſi volucres taceant, parietes clamabunt. *Abac. 2. Lapis de pariete clamabit.* Noſter axioma reſpondet *Oyen las paredes*, & quod audiunt garrulæ manifeſtant. * Vide igitur quid vel intra *cubilum tuum*, contrà proximum proximum ore profers.]

Res occultiſſimè à te cõtra proximũ dicta, raró ad aures eius, de quo dixiſti, non peruenit.

Vide quid contra proximum, vel intra cubile loqueris: audiunt enim, & loquuntur parietes.

CAPVT

CAPVT XI.

Salomon ostendit vitæ præsentis vanitatem, mortis memoriam, præmium ac supplicium futurum morborum animi omnium, & præsertim auaritiæ præsens adesse medicamen.

1. MITTE panem tuum super transeuntes aquas: quia post
tempora multa inuenies illum. 2. Da partem septem, nec-
non & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super ter-
ram. 3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram
effundent. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilo-
nem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. 4. Qui obseruat
ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam
metent. 5. Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, & qua
ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator
est omnium. 6. Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia
nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud; & si vtrumque simul, melius erit. 7. Dul-
ce lumen, & delectabile est oculis videre solem. 8. Si annis multis vixerit homo, &
in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum mul-
torum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. 9. Lætare ergo iuue-
nis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula
in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quòd pro omnibus his ad-
ducet te Deus in iudicium. 10. Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne
tua. Adolescentia enim & voluptas vana sunt.

COMMENTARII.

VERS. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas*, eleemosynam impertiendo quasi proiice panem, cibos, & quidquid ab subleuandam pauperum facit inopiam super aquas, quæ transeunt, è quibus quod proiicit, extrahi non potest: non super aquas stagnantes, ex quibus non difficilè posset extrahi. *Quia post tempora multa*, seu post resurrectionem mortuorum *inuenies illum.* Ita Dominus Luc. 14. *Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non valent retribuere* tibi, *retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* * Eleemosyna abiicitur, ac perditur (stultorum iudicio) ita vt in hac vita nulla sit spes recuperandi; sed & in hac vita, & in futura cum maximo incremento recurrit.]

Eleemosyna quasi proiecta in flumina, cum maximo incremento recurrit.

Vers. 2. Da partem septem, nec non & octo. De tuo eleemosynam imperti multis, vel omnibus indigentibus quotquot sese obtulerint. Quando Scriptura ad *septem* adhuc alium numerum addit, plurimos significat. *Mich. 5. 6.* Nullus itaque inops ad te accedens vacuus dimittatur. *Quia ignoras, quid futurum sit malum super terram*, famis, belli, &c. à quo te eleemosyna poterit liberare. Psal. 40. *Qui intelligit super egenum, & pauperem, in die malo liberabit eum Dominus.* * Quotidie videmus, homines pauperibus subleuandis addictos, prosperè agere, & ab innumeris animi, & corporis liberati periculis. Optima igitur ad imminentia mala vitanda præparatio est, te pauperibus munificum ostendere.]

Eleemosynæ gerendæ addictus ab innumeris periculis liberatur.

Vers. 3. Si repleta fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Quemadmodum nubes cum imbre sunt plenæ, eum indistinctè in quaslibet terras profundunt, idque spontaneè, & largè: sic te opportet largè & profusè in quemlibet egenum ostentari, si petat. Sunt qui eleemosynam abnegant alicui, quia videtur posse laborare; alij, quia vestes minus gestat attritas, &c. Haud rectè se gerunt, sufficit enim Dei nomine postulare, vt ei stipes debeat offerri.] *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, tibi erit.* Quemadmodum arbor dum viuis, & stat, æstuanti vmbram, esurienti exhibet fructus: vbi verò securi excisa mortua iacuerit, solum vtilis est ad fabrorum materiam, vel ad ignem: sic humana arbor, dum viuit, vtilis valde potest esse pauperibus aliaque pia opera excitare: post mortem verò siue ad Austrum æternæ felicitatis pertineat, siue ad æternæ damnationis Aquilonem vergat, nullum ei bene merendi supererit spatium. * Innuitur Austri, & Aquilonis metaphora, eleemosynam semper ad Austrum vergere: in pauperes enim quem esse pium, magnum prædestinationis exhibet documentum.]

Cuilibet Dei nomine postulandi indifferenter eleemosyna est conferenda.

In pauperes piũ esse hominem magnũ est prædestinationis documentum.

Vers. 4. Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet. Qui ab eleemosyna facienda terretur ob dubios euentus, verbi gratia ob annonæ futuram caritatem, ob bellum fortè imminens, ob tempus opportunius conferendi, &c. non seminat, id est, negli-

git

Eleemoſyna bonorũ præſentium, ac futurorũ eſt ſeminarium.

git omnes lucri occaſiones : vnde nunquam metet, nihil mercedis à Deo accipiet,neque in hac neque in futura vita.Sine reſpectu vllo futurorum euentuum facienda eleemoſyna bonorum præſentium, & futurorum ſeminarium. Qui ergo non ſeminauerit, non metet.]

Verſ.5. Quomodò ignoras, quæ ſit via ſpiritus, ſeu animæ viuificantis inductio in embryonem, ſordidam illam, mortuam materiam : *& qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis : ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium,* opera ſcilicet,miranda,ſtupenda,quæ circa diuites,& pauperes quotidie operatur,verbi gratia irritos reddit diuitum labores,pauperum conatibus benedicit, Ignoras igitur, quàm ſolers ſit, & benigna prouidentia diuina omnium fabricatrix,& moderatrix, quæ bona tibi, quæ largiaris ſuggerere poteſt, & quæ hîc in præmium accipias modis quidem occultis.

Rectè cœpiſſe in adoleſcentia nõ ſufficit, ſi in ſenectute deficis.

Verſ.6. Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua: Omne vitæ tempus beneficentiæ ſita, ſtatim incipe, & nunquam deſine. *Quia neſcis, quid magis oriatur hoc, aut illud : & ſi vtrumque ſimul, melius erit.* Quia nos latet priorane, an poſteriora opera bona magis Deo ſint placitura : & an ambo ſimul ad gratiam Dei promerendam ſint neceſſaria. * Non ſufficit mane ſemina ſpargere,ſeu initio vitæ virtuti ſtudere, ſi manus torpeat, cum vita adoleſcens, aut virilis ſenectutis declinat in veſperum.]

Verſ.7.8. Dulce lumen, & delectabile eſt oculis, videre Solem. Iucunda hominibus eſt, vita potiri, communi luce frui admodum delectabile. Attamen *ſi annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit* bonorum redundantia: *meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum,* qui poſt mortem ſequentur, nempe æternitatis. *Qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Tunc enim apparebit, quàm ſtultè egerit qui æterna bona breuiſſimæ voluptati, leuiſſimo lucro poſthabuit. * Horribilis procul dubio damnati tormentum erit æternè cogitare, quàm vili pretio vendidit, Deo nunquam frui, & ſine termino torqueri.] Ergo dum potiris felicis vitæ lumine interminabilium tenebrarum recordare.

Horribilis pœna damnatis,cogitare,quàm vili pretio vendiderunt æternam ſalutem.

Verſ.9. Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui tibi, & genio tuo indulgendo, (ironicè hæc dictitantur) nullum pratum ſit, quod tua laſciuia non ineat : *& in intuitu oculorum tuorum,* nihil videas deliciarum, quod non appetas, nihil oppetas, quod non aſſequare. *Et ſcito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Scito te diuino tribunali ſiſtendum, & de omnibus à te reddendam eſſe rationem. * Quàm longe à piaculis patrandis abeſſes, ſi ſtricti infallibilis iudicij inſtantiam mente volueres.] Quod ſi velis ex aliorum ſententia verba hæc non ironicè, ſed ſeriò intelligere : ſuadet Salomon licitis bonis moderatè vtendum, memoriæque ſemper obuerſandum Dei iudicium. * Quod quidem eſt neceſſaria beneficij accepti conſequentia. Beneficium à Deo recepiſti : Ergo ſtrictum aderit tibi de illius vſu iudicium.]

Longè abeſt à piaculo patrando, qui futuri iudicij recordatur.

Beneficium à Deo acceptum eſt neceſſaria iudicij imminentis conſequentia.

Verſ.10. Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. O adoleſcentes,qui cum calente ſanguine feruidiores eſtis ad iram, & ad noxias carnis voluptates : ne hiſce vitiis laxetis habenas. *Adoleſcentia enim, & voluptas vana ſunt.* Citò voluptas tranſit, & flos adoleſcentiæ ſolet irruentis ægritudinis aura marceſcere. Memoria exitus immaturi effrænata adoleſcentia quieſcit.]

Memoria mortis immaturæ effrænata adoleſcentia quieſcit.

CAPVT XII.

Docet Salomon, non eſſe differendam vitæ correctionem vſque ad ſenectutem, cuius grauiſſimas deſcribit moleſtias. Dei Iudicis memoriam conſeruandam, Diuino cultui diligenter incumbendum oſtendit.

1\. MEMENTO Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, ante-
quam veniat tempus afflictionis,& appropinquent anni, de
quibus dicas:Non mihi placent : 2. antequam tenebreſcat
ſol,& lumen,& luna,& ſtellæ,& reuertantur nubes poſt plu-
uiam: 3. quando commouebuntur cuſtodes domus, &
nutabunt viri fortiſſimi,& otioſæ erunt molentes in minuto
numero, & tenebreſcent videntes per foramina: 4. &
claudent oſtia in platea,in humilitate vocis molentis, & conſurgent ad vocem
volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis. 5. Excelſa quoque timebunt,
& formidabunt in via. florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſi-
pabitur capparis : quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circui-
bunt in platea plangentes. 6. Antequam rumpatur funiculus argenteus, & re-
currat vitta aurea, & conteratur hydria ſuper fontem, & confringantur rota
ſuper ciſternam, 7. & reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus
redeat ad Deum, qui dedit illum. 8. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, &
omnia

omnia vanitas. 9. Cúmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum & enarrauit quæ fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas. 10. Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, & veritate plenos. 11. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno. 12. His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequénsque meditatio, carnis afflictio est. 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo: 14. & cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit.

COMMENTARII.



ERS. 1.2.3.4.5. *Memento Creatoris tui*, quem delinquendo obliuioni tradidisti: Et pœnitentiæ vitæque reformationi incumbe *in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat* senecta, *tempus* quidem *afflictionis*, & molestiæ: *& appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.* * Tam molesta enim est grauis senectus vt amor viuendi cunctis viuentibus agnatus conuertatur in tædium.] *Antequam tenebrescat Sol* in oculis senis caligantibus, quia quasi per tenebras vident Solem, vti & aliud quoduis lumen. Igitur propriè, & in seipso sol non tenebrescit; sed in eo, qui prauis oculis aspectat.

Tam molesta est senectus, vt vitæ agnatū amorem in tædium conuertat.

* O quot luminaria magna in se admodum fulgida tenebrescunt tibi, qui prauę intentionis oculis illa prospicis!] *& lumen, & luna, & stella* tenebris tibi offusa videantur ob luminum tuorum caliginem: *& reuertantur nubes post pluuiam*, id est post catarrhos delabentes succedant alij caliginosi vapores ex calore iam debilitato, qui mox etiam in nouos catarrhos resoluentur, depluentque per oculos, per nares, per os, per reliquum corpus. *Quandò commouebuntur custodes domus*, organa reliquorum sensuum: *& nutabunt viri fortissimi* seu vacillabunt crura, fortissima pars hominis: *& otiosæ erunt molentes*, seu dentes *in minuto numero*, nam propter inappetentiam, deiectis ventriculi viribus, desinent prorsus commolere: *& tenebrescent videntes per foramina*, id est, pupillæ, quæ per carneam tunicam fenestratam respiciunt, tenebris offundentur ob defectum spirituum: *& claudent ostia in platea*, oculos, os, aures, nares reddent ineptas vitæ vsibus, perindè, ac si penitus essent occlusæ. *Platea* verò dicitur facies hominis aperta, & conspicua pluribus sensuum quasi ostiis, & officinis distincta. Hoc autem fiet *in humilitate vocis molentis*, seu ob tenuitatem & summissum sonum, cuius causa est paucitas molentium, aut dentium, & pulmonum ac arteriarum debilitas. *Et consurgent ad vocem volucris*, siue ægtè dormient. Nam senes frigescente sanguine, & siccato humore, quibus sopor fouetur, ad leuissimum sonum auiculæ solent euigilare: *& obsurdescent omnes filiæ carminis*, Carmine intelligo omnem concentum: qui per hypallagem dicitur obsurdescere, non in seipso (sicut de sole vidimus *Vers.2.*) sed in auribus senum. *Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via*, id est, fessis poplitibus, etiam plana via difficilis, ac molesta erit. *Florebit amygdalus*, seu corpus canescet. Nam amygdalus omnium arborum prima floribus candidis stipatur. *Impinguabitur locusta*, crura tumebunt, quin & corpus totum pituita, & aqua intercute, & chiragræ, & podagræ tumoribus inflammatum, erit instar ventrosæ locustæ. *Et dissipabitur capparis*, appetentia cibi, & veneris extinguetur, (vti Vatab.) nam vtramque excitat capparis, vti Auicena *lib* 2. *c.*102. edocet. Vnde Chald. vertit. *Prohiberis à concubitu*, & Campēsis, *Peribit appetitus. Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ*, in sepulchrum, & felicem, aut infelicem æternitatem perget. *Et circuibunt in platea plangentes*, seu amici senis vita functi, vel præficæ. Quare autem Salomon hisce enygmaticis verbis, & non vulgaribus nominibus tot senectutis incommoda expressit?

Luminaria magna ex virtutis fulgore prauæ intentionis oculis aspicienti tenebrescunt.

* Certè quia tam fœdæ sunt huius ætatis proprietates, vt turpe sit eas verbis apertis recensere.] * Vel quià hominibus tam amarum est mortis nomen, vt vel senio tam amaro confectis debeat obscuris phrasibus significari.] * Vel quia rarò inuenitur, qui amaram veritatem nudè audeat hominibus aperire.]

Tam fœdæ sunt senectæ proprietates, vt nequeant modestè propriis nominibus aperiri.

Vers.6.7. Ergo memento Creatoris tui, & pœnitentiam age *antequàm rumpatur funiculus argenteus*, seu sacra spina dorsi quæ decem & octo iuncturis constat, & *argentea* vocatur, quia tam os, quàm medulla ossis albo est colore: & cum rumpitur, resoluitur, vel laxatur, fit homo paralyticus, aut moritur, vti Valesius, & alij Medici annotarunt *& recurrat vitta aurea*, id est. meninx, seu membrana tenuis, quæ cerebri est inuolucrum, & quasi vitta illum cingit, & continet, & dicitur *aurea*, quia rufa vt aurum: & quia instar auri, pretiosissima; nam læsa mininge mori hominem, est necesse. *Et conteratur hydria super fontem.* Seu iuxta fontem. Hydria venæ sunt, fons iecur, à quo vt fuore omnes sanguinem hauriunt. Hic fons conteritur, cum vel lapidescit iecur, vnde morbi: vel vulneratur, & scinditur, vnde mors. *Et confringatur rota super cisternam.* Rota hæc est vis attractiua venarum, & circumuolutio nutritiuarum facultatum, quæ continua attractione ex stomacho tanquam ex cisterna hauriunt sibi necessaria. Hæc rota confringi dicitur, cùm vel omnino tollitur, vel præpeditur. *Et reuertatur puluis in terram suam, vndè erat: & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Amarissimū vel senio cōfectis est mortis vocabulum.

Rarò inuenitur, qui alij nudè veritatem amaram annunciet.

Vers. 8.9.10. *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.* Siquidem omnia post perbreuem cursum longo labore plenum fœdo reconduntur in tumulo. *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit, quæ fecerat*, cum dixit Cap.2. *Magnificaui opera mea*: vel cum enarrauit quàm diligentem operam posuisset in assequenda rerum cognitione, quas narrationes Sapiens ad audientium vtilitatem contulit. * Illud preme: *Cumque esset* Necessarium

est, Concionatorem esse Sapientem, vt alios doceat.

Sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum. Quasi diceret, si sapientissimus non esset, non doceret. Nam ad docendum ex suggesto populum, necesse est vt Ecclesiastes, seu Concionator haud vulgari Sapientia, ac prudentia informetur.] * Vel *cum esset sapientissimus, docebat!* Illum Sapientem non commendo, qui occlusum, seu signatum sibi retinet Sapientiæ fontem, nec aliis aquam, referet epotandam.] Ideò Salomon Sapientissimus *inuestigans composuit parabolas multas*, queis legentes ad iustitiam alliceret. *Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.* * Quàm pulchrè egregius Concionator *quæsiuit verba vtilia*, seu quæ facilè ab auditoribus caperentur: subtaxans quidem nostri temporis Concionatores, qui videntur magno labore inutilia prorsus verba quærere, quæ auditores (imò ipsi ferè,) non intelligunt.]

Sapientiæ fontem non recludas, sed aliorum vtilitati hau riendum referа.

Laudo Concionatorem, qui verbis intelligibilibus vtitur: eumq; carpo, qui magno labore verba quærit, quæ auditores, (imò & ipse) vix, intelligunt.

Vers. 11. Verba Sapientium sicut stimuli, & quasi claui, cum vim habeant corda pungendi & penetrandi. * Non est Sapientis concionatoris sermo ille quo non stimulantur ad iustitiam, quo non pungantur auditorum præcordia.] Sunt itaque verba Sapientis quasi claui *in altum defixi, quæ per Magistrorum Consilium data sunt a Pastore vno.* Sacras Scripturas intelligo, & traditiones, quæ ab vno Pastore Deo Scripturarum Auctore præcipuo, & Christo Domino per Magistrorum consilium, quasi per successionem continuam, datæ, communicatæ sunt fidelibus.

Haud Sapiēs sermo ille, quo non pūguntur auditorum præcordia.

Vers. 12. His amplius, seu melius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis. Vnde *frequens meditatio, carnis afflictio est.* Quia mentis agitatio, & pertinax legendi studium capitis, corporisque totius ingerit afflictionem. * Vndè satius est, vnum librum salutaribus monitis plenum eligere. Librorum etiam varietas legenti affert voluptatem, vnius vtilis libri doctrina animum allicit ad virtutem. Vndè *fili mi* (ait Sapiens) *his amplius ne requiras*.]

Melius ad vtilitatē est, vnum librū sanæ doctrinæ terere, quam legere plures.

Vers. 13. 14. Finem loquendi, seu orationis præfatæ epilogum *pariter omnes audiamus*, perpendamus, seu recolamus mente finem, ad quem longa huius Libri oratio dirigitur. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* siue in hoc hominis, dum viuit, est sita felicitas. *Et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siuè bonum, siuè malum illud sit.* Oportet te Deum timere, eiusque custodire mandata. Quia subiicietur districto examini id quod, licèt non plena voluntate, sed ignoratione, & inaduertentia quadam admittitur: & discutietur, an excusationem mereatur, an verò damnandum sit. * Si quæ inaduertenter admittimus tam seuero examini erunt obnoxia: quid grauissima quæque contra ius mandatorum piacula?]

Si quæ inaduertenter admittim' stricto Dei examini sūt obnoxia: quid grauia delicta?



LIBER



LIBER TERTIVS COMMENTARII LITERALES, ET MORALES.

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS.

PROLVSIO.

Canticum hoc trifariam diuiditur, (vtor verbis Guilhelmi Parui, *praefat. libri sui.*) *in illud scilicet, quod cantat Domino omnis terra: & in illud, quod cantant, qui specialiter empti sunt de terra: & in illud, quod cantat illa terra, de qua Veritas orta est. Hoc verè est Canticum Canticorum, quod nemo potest dicere Agno, nisi illa, quae peperit Agnum. Non est Canticum Canticorum, quod cantat illa cum Virginibus, & cum matribus: sed quod sola cantat inter matres, & sola cantat inter Virgines. Cantat enim inter matres Canticum virginitatis: & inter Virgines Canticum foecunditatis.* Addiderim & inter cunctos homines (vno Filio eius excepto) Canticum immaculatae conceptionis. Vnde Rupertus ait totam Canticorum materiam Deiparae soli inter puras creaturas accommodari posse. Quod *Maria tota sit cantabilis* sine *vae* peccati, dum reliqui omnes *vae, vae, vae* replicato lamentabiles obiiciuntur.

Sola Maria potest Canticum Canticorũ modulari.



CAPVT PRIMVM.

Petit Ecclesia sponsa Christi Domini omnia salutis ac perfectionis suae primordia, media, ac summa assequi. Votis respondet sponsus eam instruens, quâ viâ perfectionem valeat obtinere: varijs similitudinibus praecipuarum virtutum studia commendans. Mutuò insuper sese ad ardentiorem excitant dilectionem.

1. OSCVLETVR me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino, 2. fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulae dilexerunt te. 3. Trahe me: post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus & laetabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te. 4. Nigra sum, sed formosa, filiae Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. 5. Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol: filij matris meae pugnauerunt contra me, posuerunt me custo-

dem in vineis : vineam meam non custodiui. 6. Indica mihi, quem diligit anima
mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie,ne vagari incipiam post greges sodalium tuo-
rum. 7. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia
gregum , & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. 8. Equitatui meo in
curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. 9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut tur-
turis : collum tuum sicut monilia. 10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermicu-
latas argento. 11. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.
12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,inter vbera mea commorabitur. 13. Bo-
trus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. 14. Ecce tu pulchra es amica
mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. 15. Ecce tu pulcher es dilecte
mi, & decorus. Lectulus noster floribus : 16. tigna domorum nostrorum cedri-
na : laquearia nostra cypressina.

COMMENTARII.

1. *Sponsa verba perfectionu cumulum assequi cupientu.*



ERS. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Vtinam Magister & sponsus dignetur me erudire verbis oris sui, non alieni. Vtinam ex ore eius ad me prodeat Sapientia illa, quæ de se dixit : *Ego ex ore Altissimi prodiui.* Sapientia id est, sapida scientia, seu affectiua. Dei cognitio, quâ non solùm eruditur intellectus, sed & voluntas inflammatur. * Scientia quidem quæ solummodò docet, nec ad afficiendam voluntatem dirigitur, prorsùs est insipida, nec ex Dei ore procedit.] *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Quæ oscula vocarat, iam vbera, quæ symbola sunt amoris, appellat. Ab osculis autem sponsa deflectit ad vbera, vt innuat, amorem sui Dilecti non solùm esse paternum, virilem : sed & maternum & quasi fœmineum, id est, dulcem, indulgentem. * Si times faciem Christi Domini patris mire, quia paternus amor seuerum quid prætendit, scitò eius maternam peccatori reuertenti esse dilectionem. Amor Iesu dulcia vbera gestat.] Semper vbera hæc *fragrantia* sunt *vnguentis optimis* optimarum virtutum, & perfectionum tùm diuinæ essentiæ, tum humanæ naturæ, quæ in singulis donis eius relucent.

Scientia quæ non dirigitur ad inflammandam voluntatem, insipida est, & ex Dei ore nuo procedit.

Amor Christi virilis, fortis, seu seuerus non est; matern⁹ est, vbera gestat.

Vers. 2. Oleum effusum nomen tuum, seu tumetipse, assolet enim Scriptura *nomen* pro re nominata frequenter vsurpare. Tu mi dilecte non solùm es fragranti vnguento delinitus, sed es ipsum vnguentum, ipsamet fragrantia, sicut es ipsamet Sapientia & bonitas. * Si autem velis IESV nomini verba accommodare, vnguentum est salutiferum hominum spiritualibus vulneribus præparatum, quo à Samaritano cœlesti vulneratus ille recepit sanitatem.] * Alij vertunt, *Oleum exinanitum.* Quid mirum si tot vulneribus exhibes medicinam, vt si immensus non esses, iam penè vas olei vacuum appareret. Damianus refert id ad Deiparam tam munificam, tam prodigam (sic fari liceat,) nominis Iesu, eiúsque diuitiarum collatricem ad nostrorum vulnerum sanitatem , vt quodammodò id exinanierit. Sed olei immensitas non stabit, si vacua vasa non defecerint.] *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Hæc tua blanda oscula , tam fragrantia vbera, & oleum tam liberaliter effusum : tua, inquam, tam excellentia beneficia rapiunt in mutuum tui amorem quasuis animas fideles, & addictas tibi etsi teneras adhuc & infirmas. * Ingratissimus est, qui ex tot beneficiis passim à Deo acceptis diuini amoris documentis ad amorem reciprocum non excitatur.]

Nomen Iesv peccatoris vulneribus vnguentum præparatum. Mariæ liberalitas nominis Iesv diuitias quodammodò imminuit.

Ingratissimus est, qui ex tot beneficiis à Deo acceptis, ad eius dilectionem non excitatur.

Vers. 3. Trahe me, vt aliquando promisisti, *In funiculis Adam, in vinculis charitatis.* Quod si hæc non sint satis, adde flagella, & compelle sequi. * Labores enim diuino beneficio obueniunt , cum nos trahant ad Christum.] *Post te curremus.* Duc me tandem aliquando sponsam in domum tuam : lubens enim cum meo virginum comitatu te sequar, *in odorem vnguentorum tuorum*, vnguentis tuis illecta. Non dixit, *curram*, sed *curremus*. Columba enim Iesu odore perfusa, curat alias ad eum adducere sponsas: quemadmodum columba cicuris, quæ alas habet vnguento odorifero perfusas, eius fragrantia alias agrestes columbas ad columbarium pertrahit. * Verè amans Iesum, satagit alios ad eius allicere dilectionem.] *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Simul ac votum expresseram meum, voti compotem me fecit dilectus: neque contentus me osculis excepisse, suoque diuino oppressisse pectori me insuper adduxit in interiora, & abdita, nec cuiuis patentia penetralia, in quibus vel annona recondi, vel thesauri assoleut asseruati. Hac metaphora adumbrat, gratiam & donum supernaturalis contemplationis rerum cœlestium, mysteriorum fidei, & aliorum Dei arcanorum sibi fuisse concessum. *Exultabimus, & lætabimur*, non iam in terrenis sordibus, in deliciis creatis; sed in te solo ac summo bono, *memores vberum tuorum*, seu amorum & blanditiarum, quas ex tuo diuino pectore hausimus *super vinum*, id est, super omnes alias delicias (quæ in vino signantur in Scriptura) dulciores, & gratiores. Quamuis conuiuium, quo Deus animam recreat, perpetuum non sit, sed *rara hora, mora breuis* : ad memoriam haustarum inde voluptatum decet esse perpetuam. * Hoc enim summe debitum quo animus disponitur ad aliud vberiùs recipiendum.] *Recti diligunt te.* Hebr. *Rectitudines.* Quicumque ita sunt rectitudo esse videantur, & omnes rectitudinis gradus sunt assecuti : ex toto corde te diligunt non solo habitu charitatis continuo, sed & actu sæpissimè renouato. * Quantò te plus videris in Dei amorem affectum, tantò plus rectitudinis, & sanctitatis te habere non dubites.]

Labores Dei beneficio obueniunt, dum nos trahant ad Christum.

Verè amans Iesum, satagit alios ad eius allicere dilectionem.

Gratum esse perpetuò ob vnum beneficium à Deo acceptum, ad aliud vberios recipiendum est dispositio.

Quantò plus te Deum amare videris, tantò plus sanctitatis te habere non dubites.

Vers. 4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Fateor ô sociæ meæ, propriam nigredinem, ac fœditatem, quam ex corrupta natura, vel ex

malitia

malitia seu hominum, seu dæmonum contraxi. Sed formositatem ac pulchritudinem spiritualem ex diuina gratia ac fauore obtinui. Vndè imitor tabernacula Cedar, id est, posterorum Cedar filij Ismaëlis, puta Nomadum in Arabia, & pelles Salmonis campestria eius tentoria operientes: quæ foris nigra erant, solis ardore exosta, puluere, ac sordibus obsita: sed intus elegantissima auro & margaritis miro artificio ornata. * Ne proximum ob leues imperfectiones, quas ostendit externè despicias, fortasse interitus ob virtutum exercitamenta prædiuitem.] Ergo.

Nemo ob imperfectiones leues, quas externùs ostēdit, iudicandus fortè interiùs prædiues virtutibus esse.

Vers. 5. Nolite me considerare, quod fusca sim, aut deformis de foris, sed quod formosa ab intus. Quin & fuscedo ista non est mihi naturalis, & perpetua: sed temporanea & ab accidente, nempe ab æstu & ardore solis, *quia decolorauit me Sol.* Aquila, *Quia me sol combussit.* Solis nomine vel diuina prouidentia potest intelligi, vel quæuis causa extrinseca inferens nocumentum Sed quid opus erat, te Solis iniuriis exponi? *Filij* (inquit) *matris mea pugnauerunt contra me.* Vellem, nollem, prodeundum mihi fuit, in apertum Solem, in arenam aduersus fratres meos eiusdem stirpis & familiæ, hostes scilicet tam externos, quam internos v.gr. sensus, ac apetitus sensitiuos. Et quænam, precor, causa huius ciuilis, ac domestici belli? *Posuerunt me custodem in vineis.* Non permiserunt me quietam contemplationi vacare intra sponsi mei cellaria, sed iusserunt, vt in villis, & vineis curam haberem necessariæ disciplinæ. Dum autem vineæ commissæ mihi curam gererem, sodales subitò hostes calumniis, contumeliis omnia miscentes, me stupidam, me stultam, me omnibus infensam iactitantes. * Et quis in Prçsulem aliorum assumitur, qui iniuriis huiusmodi non afficiatur?] *Vineam meam non custodiui.* Pertæsa tantarum molestiarum, tædio victa tam grauis, tam ingrati muneris, deserui, fateor, stationem meam deserui, & vineæ mihi commissæ curam renunciaui. * Haud imperfectum in obedientia duxerim eum, qui ob nimium laborem viribus imparem Prælaturam dimiserit.]

Præsulatus agnatus est calumniis.

Licitum est aliquandò Prælaturæ laborem dimittere.

Vers. 6. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Ad te vincè à me dilectum pro solatio, pro consilio anhela recurro. Non solo verbo, sed quasi digito demonstra, vbi pascas tuos, & vbi cubes simul fruens peramœna quiete, qualis in meridie captari solet, id est, in pleno lumine & æstu tum amoris interni, tùm persecutionis, ac tribulationis externæ postulo, à contemplatione minimè abstractam, labori pascendi gregis commisso mihi tuo exemplo incumbere Profectò Christi Domini imitatorum quies solùm est, vbi tribulatio reperitur.] *Ne* rursus magno meo dolore & damno consilij, & solatij requirendi causa *vagari incipiam post greges sodalium tuorum,* nullo meo, vel exiguo fructu, dum illi vel ignari, vel aliis distenti non possint, vel inuidi negligant me iuuare. Sodales hi sunt creaturæ omnes, quatũ ope instruimur, & iuuamur.* At creaturæ parcè & auarè admodùm animæ solatium impendunt.] Tu verò ô mi dilecte sine vllo tuo dispendio, & cum summo commodo meo potes mihi, & gregibus meis de optimo pastu prospicere, & simul me in cubiculo tuo perpetua contemplationis requie beare. Hactenùs sponsa: quid ad hæc sponsus?

Quies solùm est Christi imitatori, vbi tribulatio reperitur.

Creaturæ parcè & auarè animæ solatium impendunt.

Vers. 7. Si ignoras te, verba sunt admirantis, 2.
si ignoras te valde miror. *O pulcherrima inter mulieres.* An ignoras, te, licet ex te possis nihil per me tamen & mecum omnia posse? An ignoras te non tibi vni, sed & mihi, sed & Reipublicæ natam? *Abi ergo post vestigia gregum, &* Rege illos, *quod infirmum, consolida: quod ægrotum sana: quod confractum, alliga: quod abiectum, reduc: quod periit, quære.* Ezec. 34. Neque agnos modò, vel oues solas, sed *& pasce hædos tuos.* fœtentes, dyscolos, & molestos: quia *tuos,* quia meos; & amore mei. * Magna sedulitate debent curare Præsules de subditis peccatoribus, quia sui, quia Dei sunt, & ob eius amorem eorum curam exerunt.] Quod si adhuc vel de loco pascuorum, vel de modo pascendi dubites, gregem ducere cura *iuxta tabernacula pastorum.* Ecclesiæ meæ iam pridem doctrina, ac virtute perillustrium. Habes exempla Apostolorum, & Præsulum, qui gregem meum felicissimè gubernarunt. * Docentur noui Præsules antiquorum recta sequi vestigia circà felicem gregis directionem.]

Vnde respondet sponsus sponsam instruens, quâ viâ valeat perfectionem obtinere.

Præsules de peccatoribus subditis sedulò curent, quia sui, quia Dei sunt.

Præsules noui antiquorum recta vestigia sectentur.

Vers. 8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea. Quid ô dilecta, animo cadis? Ego te ad incommoda sustinenda adeò roboraui, vt similis sis equitatoi meo, sed cœlesti exercitui omnes Pharaonis currus in mari rubro debellanti, ac destruenti.

Vers. 9. Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis. 3.
Ad has sponsi partim increpationes, partim profusas laudes sponsa erubuit, sicque venustior longe apparuit. Vnde sponsus de nouo laudat eam, tum ob modestiam in silendo, tum ob animi demissionem in despiciendo se, tum ob promptitudinem in parendo. Genarum, inquit, tuarum pulchritudo, dum rubent verecundia, turturem imitantur auem pudicam, solitariam, & mortuo compare perpetuò castam, pro cantu gemitum edentem. *Collum* tuum pulchrum est, *sicut monilia.* seu natiuo colore tam speciosum, vt nullis externis ornamentis egeat, sed nobilissima monilia vincat. Hoc illi sponsus defer encomium ob promptam & humilem illius obedientiam in acceptando iugo sibi imposito. * Non cadat sine pondere, collum sponsæ monilibus colli ornamentis comparari, vt innuatur, natiuam pulchritudinem fucis non indigere: Fœditatis enim præbet indicium fœmina quæ fucato nitore faciem inungit.]

Mutuis sese sponsus, & sponsa ad ardentiorem excitant dilectionem.

Fœditatis præbet indicium fœmina, quæ fuco faciem illinit.

Vers. 10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Ornamentum ex auro faciam tibi ad similitudinem murenæ piscis, opere vermiculato confectum, lineis argenti tesellato artificio gemmis & auro intersectis, & varias figuras vermium, vel auium repræsentantibus, vt è collo puellari pendeat ad pectus. Ita collum semper summissum obedientiæ gestabis ex vermiculato opere te vermem esse attendens. * Profectò vermium recordatio, meditatio finis efficit hominem facilè præceptorum iugo submitti.]

Memoria mortis facit hominem facilè legis iugo submitti.

Vers. 11. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Hisce laudibus exstimulata sponsa, quo gratam se exhibeat, curat, vt omnia à Deo accepta dona in nobilissimos actus ad eius gloriam deducantur. Dum dile-

ctus(ait)adesset in suo, seu mensali, seu nuptiali thalamo, nardus virtutum, ac donorum omnium, quæ ab eo acceperam, redolere cœpit instar suauissimi thymiamatis delati ex ara cordis mei per continua virtutum exercitamenta. * Beneficia enim accepta à Deo nos debent ad feruentiores virtutum actus excitare.

Beneficia à Deo accepta nos ad feruentiores virtutũ actus debent excitare.

Vers. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Sponsus meus, qui sibi fuit perpetuus fascis dolorum & laborum myrrhæ amatissimæ quidem, sed suauissimè olentis, hanc mihi gratiam præstat, vt mihi saltem sit fasciculus mirrhæ per similium laborum, seu ab ipso immissorum, seu vltro à me susceptorum mortificationis studio. *Inter vbera mea commorabitur,* vt in intimo cordis mei penetrali æternùm asseruetur, à corruptione scilicet hac mirtha præseruandi. * Et quidem passionis Dominicæ meditatio hominem à vitiorum corruptione præseruat.] * Quæ christus Dominus passus fuit tormenta fascis ineffabilis fuit magnitudinis, ac ponderis humeris illius, qui exultauit vt gigas ad currendam viam solummodò apportandus. Quæcunque verò homines patiuntur, fasciculus leuis est, si ob eius amorem sustineantur.]

Passionis Christi meditatio à vitiorum nos corruptione præseruat.

Leuissima sunt quæ patimur, si cum Christi laboribus componantur.

Vers. 13. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi* Botrus es mihi ô dilecte, vitis, non quiuis, sed excellentissimus, quales sunt botri Insulæ Cypri, quorum similitudinem & suauitatem vineta Engaddi referunt. Hac metaphora significat sponsa, tenerum sponsi sui erga se amorem, & affectum non solùm paternum, sed & maternum: quo excitata iam curat esse illi non solùm fasciculus myrrhæ per amaros vitæ actiuæ actus: sed etiam vinum nobilissimum ex suauissimis vitæ contemplatiuæ botris. * Perfectioni enim studens, quotidiè ad celsiora virtutis exercitia nititur.] Vites Cypriæ Insulæ ad terram Engaddi translatæ augustiores fructus enituntur. * Profectò nonnulli Diui ex profana Cypri Insula veneri cultui dicata, seu ex exitiali libidinum consuetudine ad virtutem translati, augustiores diuini amoris fructus protulerunt. Testor Magdalenam, & Ægyptiacam illam Mariam Veneris cultrices, quæ ad vineam Domini Sabaoth translatæ ardentissimi amoris diuini liquorem cœlesti sponso propinarunt.]

Perfectioni.

Allegoricè Magdalena ex Cypria Insula dicata Veneri ad vineam Dei translata ardentissimi amoris vinum sponso propinauit.

Vers. 14. *Ecce tu pulchra es, amica mea,* (respondet sponsus) *ecce tu pulchra es.* Gemina pulchritudo tua tanta est, vt me, vehementer alliciat, & omnes alios in stuporem rapiat. Et verò rata est, valdeque mirabilis vtriusque pulchritudinis vnio, quæ sublimem contemplationem, cum strenua actione coniungit. Hinc effero D. Ignatij Patris mei perfectionem dum totum sese contemplationi addicit, & totum sese proximorum saluti procurandæ consecrat.] *Oculi tui* bini sunt sicut oculi *columbarum*, non elati, non duplices, sicut oculi vulpis, quæ in vnum latus videtur aspicere, & in aliud oppositum dirigit aciem: sed casti, sed humiles, sed sinceri. Significant sponsæ intellectum cœlesti lumine fidei, ac Sapientiæ perfusum.

Gemina pulchritudo D. Ignatij propriæ perfectioni, & proximorum saluti addicti.

Vers. 15. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Morem ei gerit sponsa bis eum pulchrum dum appellat. Ego, ait, ex me nigra sum, pulchra dono tuo: & quantacunque per te pulchritudine splendeam, tui comparatione nihil appareo, guttula hæc ex tuæ pulchritudinis oceano, radium ex fulgentissimo sole accepi. Tu solus verè pulcher, qui secundùm diuinitatem gloriæ es Patris splendor, æternæ lucis candor. Secundùm humanitatem, licet non videretur tibi esse *species, neque decor*: semper tamen ob vnionem ad verbum, & visionem beatificam *speciosus forma es præ filijs hominum.* *Lectulus noster floridus*, mens nostra, in qua tanquam in gratissimo thalamo mecum vna requiescis, pulcherrimis actionum & desideriorum flosculis ornata redolet. Sed vnde hæc mihi, nisi ex myrrhæ fasciculo, & ex botro Cypri tui odoratissimo.

Vers. 16. Imò à te solo est, quod. *Tigna domorum cedrina* sint, id est, virtutes fidei, spei & charitatis, & aliæ ad salutem necessariæ quibus tanquam trabibus, & tignis domus nostræ, nempe intellectus, memoria, voluntas fulciuntur, instar cedrinarum arborum, solidæ, firmæ, vermium, ac corruptionis nesciæ existant. *Et laquearia nostra,* seu virtutes supererogationis, vt sunt consilia Euangelica, salubria perfectionis monita quæ ad ornatum animæ seruiunt, *Cypressina* sint, non aspera, non hiulca, non cariosa, non fœtida, sed fragrantia. * Ad perfectionem spiritualis ædificij proculdubio requiritur, vt virtutes, quæ sunt spiritualis domus armatura sint cedrinæ, & cypressinæ, id est, incorruptibiles, persistentes, immutabiles, ad quas vermes piaculorum ingressum non obtineant.]

Perseuerantia maximè necessaria est ad perfectionem spiritualis vitæ.

CAPVT

CAPVT II.

Exponit Salomon singularem sponsæ super reliquos homines præcellentiam: supremum contemplationis gradum: multiplicem Dei aduentum, & præsentiam apud homines: Dei vocationem ad diuersos gradus, & status: sponsæ Ecclesiæ persecutiones, & felicem eius vsque ad sæculi finem progressum.

1. EGo flos campi,& lilium conuallium. 2. Sicut lilium inter
spinas,sic amica mea inter filias. 3. Sicut malus inter ligna
siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius,
quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi
meo. 4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in
me charitatem. 5. Fulcite me floribus,stipate me malis:quia
amore langueo. 6. Læua eius sub capite meo, & dextera
illius amplexabitur me. 7. Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas, ceruósque
camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.
8. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles:
9. similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum, en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.
10. En dilectus
meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea,
& veni. 11. Iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit. 12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra
nostra: 13. ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum.
Surge, amica mea, speciosa mea, & veni: 14. columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus
meis: vox enim tua dulcis,& facies tua decora. 15. Capite nobis vulpes paruulas,
quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. 16 Dilectus meus mihi, &
ego illi, qui pascitur inter lilia, 17. donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere: similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum super montes
Bether.

COMMENTARII.

1. *Singularem sponsi, & sponsa præcellentiam Salomon exponit.*



VERS. 1. *Ego flos campi* (sponsus ait) cuius meminit Isaias *cap. 11. Egredietur virga de radice Iesse,& flos de radice eius ascendet.* Meritò mihi ascribis nitorem, ac suaueolentiam lectuli nostri floridi, quia flos ille ego sum, qui omnia florida facio, & odorata. Nec tamen volo solis lectuli contemplatorij (ad quem me inuitas angustiis, & domo deliciarum cedrina vel cypressina concludi:sed in patenti campo vitæ actiuæ totius mundi saluti me totum impendere, & exemplo ac verbo omnes instruere. Nosse vis, qualis flos sim? Sum *lilium conuallium* Regius quidem flos, omnium florum pulcherrimus, & odoratissimus, ab altissimo cœlorum throno in infimam mundi vallem delapsus, humana natura candidus, diuina aureus, prædicatione odoriferus, expansus charitate, humilitate recuruus. * Qui sese florem non hortus, sed campi se prædicat, suos Ministros edocet, non in cellæ hortulo commorari, sed ad proximorum salutem in publicum procedere,cum oportet, & diuinæ gloriæ interest.]

Non in cellæ hortulo maneas, sed ad aliorum salutem prodi, cũ oportet.

Vers. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Inter spinas inquam, seu adnascentes,seu adpositas lilium tutum ostentatur? Sic sponsa inter reliquas creaturas, quæ non nisi spinæ sunt, adulationibus, vituperiis, tentationibus, tribulationibus, quæ tum à carne, tum à diabolo suscitantur, pungere animam procurantes. Sed nihil tibi spinæ nocebunt, ô candens lilium, proderunt potius & pro vallo, seu septo tibi aderunt aduersus vanam gloriam, & alia subtiliora vitia, quæ tibi collocant insidias. * Labores enim septa sunt impenetrabilia, queis animus se à vitiis defendit.]

Labores septa sũt, queis anima protegitur à vitiis irruentibus.

Vers. 3. Sicut malus inter ligna siluarum. Sic dilectus meus inter filios. Quantum arbor florida, odorata,& fructifera lignis præstat siluestribus: tantùm præstat dilectus meus aliis omnibus hominibus. Camparat autem illum potius malo, quàm palmæ, cedro,cypresso, proceris arboribus, vt innuat eius in homines amorem: malus enim hieroglyphicum est amoris, Pierio teste l. 54. c. *de malo. Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi.* Experimento comperi qualis arbor

arbor sit dilectos meus. Secura enim & læta diu permansi sub vmbra fidei, & obscuræ contemplationis tum diuinitatis, tum carnis ipsius. *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Ex vmbra Christi fructum multiplicem collegi, ô quàm dulce! ablationem culpæ, gratiam sanctificantem cum omnibus Spiritus sancti donis, ius ad gloriam, gaudium in tribulationibus, cœlestem cum Angelis, & cum ipso Deo opt. max, conuersationem.

2. *Vers. 4. Introduxit me in cellam vinariam.*

Supremum contemplationis gradum declarat.

Haud contentus sponsus me tam gratis ac dulcibus pauisse fructibus addidit & potum, vinum scilicet deuotionis, & amoris non ex cratere, vel cum certa mensura, vt sit in mensa Sacramentorum, & ordinariæ orationis: sed ex ipsissimet dolis diuinitatis & humanitatis suæ, è quibus bibi non modò ad satietatem, sed & ad ebrietatem, ad exstasim, ad somnum, ad languorem vsque.. *Ordinauit in me charitatem*, velut acie militari instructa. Vnde in Hebr. *Vexillum eius super me charitas.* Vtriusque charitatis aciem in me ordinauit & suæ erga me, qua me sibi subiiceret: & meæ erga se, qua me meaque omnia in se raperet, ac transferret. * Vndè si te adhuc, tuáque possides, signum euidens est, tuum erga Deum frigescere amorem. Ardens enim amor fortissimus est hominem, & omnia sua ad dilecti transferre possessionem.]

Si te, ac tua adhuc possides, signum est verè Deũ non amare.

Vers. 5. Fulcite me floribus, stipate malis. LXX. *Fulcite me vnguentis* ex odoratis floribus & aromatibus confectis: *Pro stipate me malis*, alij legunt, *Consternite mihi thorum pomis. Quia amore langueo.* LXX. Quia *vulnerata ego sum amore.* Vulnerata sum sacri Amoris sagittis, de quibus Dauid Psal. 44. *Sagitta tua acuta.* Hæ sunt inspirationes vehementiores, subitæ illustrationes, aliaque incentiua, quæ feriunt, penetrant, & sauciant cor amantis.

Vers. 6. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Pro aliis remediis en sponsum ipsum ad sponsæ deliquium accurrentem, & pro thoro, floribus, ac pomis instructo vlnas sponsi apertas, ac sinum, quibus sponsam sauciam excipit, nouisque blanditiis delinit, ac recreat. * Vulneribus enim diuini amoris solus Deus ipse amatus poterit esse medicamen.] Per læuam Patres humanitatem Christi: & quæcumque pro nobis sua in carne egit, & passus est, quibus anima sustentatur, intelligunt: per dexteram autem eiusdem diuinitatem, & omnia, quæ ad eius gloriam, & maiestatem spectant, quibus suauissimè anima protegitur, & à se diuulsa tota in Deum abiit. Tunc somnus suboritur, quo anima haud prorsus sopitur, & otiatur, miras enim illustrationes, & affectiones à Deo recipit non suo studio: sed solius Dei potentia, anima vitaliter quidem, sed passiuè se habente, seu patiente diuina.

Vulnerum diuini amoris solus Deus amatus est medicamen.

Vers. 7. Adiuro vos filia Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam. Capræ ac cerui quia grati venatoribus, ac pastoribus prouerbia apud Iudæos vsurpantur pro omni re cuicumque gratissima designantur Prophetæ, Patriarchæ, Apostoli, animæ beatæ, Angeli. Moraliter virtutes, ac dona cœlestia. Per quæ quia gratissima filiis Ierusalem, seu ciuibus pacis adiurat eos, ne quietem sponsæ interrumpant, illius pacem seu internam, seu externam perturbando. *Quoad vsque ipsa velit*, vel vltrò expergefiat, nempe cum recta ratio, & charitas dictabit à somno, & tractatio ne cum Deo exsurgendum, ad opem proximo ferendam. * Opus non est amantem verè, ad opera charitatis excitare, ipse vltrò excutit contemplationis somnum.] * Testor meum Franciscum Xauier, qui somno dulcissimo soporatus, Deoque clamante Proximorum curæ, ne eum suscitetis paulum quiescere sinite: ipse sese excitans dulcis illius somni Deo custodi dicebat: *satis est Domine, satis est.* Somni contemplationis nuncium mitto dulcedini, vt proximorum incumbam ministerio.]

Verè amans vltrò dimittit contemplationis dulcedinem, vt pergat ad proximos.

D. Franciscus Xauier. Deum rogabat, vt se nõ detineret in contemplatione, sed permitteret ad proximos pergere.

Vers. 8. 9. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles similis est dilectus meus Capræ hinnuloque ceruorum. Abierat paulisper Dilectus, me reliquerat: sed mox celerrimè recurrens sonum reditus sui à longe me facit exaudire. Videndum se præbet, non tamen vt in se est, sed sub alienis figuris, & similitudinibus capræ, hinnuloque ceruorum, seu rerum pulcherrimarum, & gratissimarum: nec tamen constanter, & permanenter, sed per saltus, & interruptè. * Quibus omnibus designatur, quàm modica, quàm obscura, quàm instabilis sit in hac vita, nostra diuinæ maiestatis contemplatio.] Designantur diuersi saltus mystici, seu eximia opera quæ Christus Dominus in singulis suis aduentibus egit: quæ quia sublimia erant, ideo super montes, & colles peracta dicuntur. De cœlo salijt in Deiparæ vterum, de vtero in præsepe, de præsepi in Iordanem, de Iordane in crucem, de cruce in tumulum, de tumulo rediit in cœlum. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Verbum diuinum obscurè se manifestat per carnem assumptam, per SS. Eucharistiam, per cœlos, per alias creaturas. Vnde ab Isaia *Deus absconditus* vocitatur. *Cap. 45.* Non tamen ita absconditus, quin aduerti possit: nam prospicit per fenestras, & fenestratum cancellos. Hæ retiatæ fenestræ sunt creaturæ omnes, Scripturæ sacræ, per quas ipse se prospiciendum exhibet. * Et quidem creaturarum pulchritudo & proprietates, Sacrarum Litterarum dogmata Deum Auctorem esse manifestant.]

3. *Multiplicem Dei aduentũ, & præsentiam indicat.*

Modica, breuis, instabilis in hac vita, nostra diuinæ maiestatis contemplatio.

Creaturarum proprietates, sacræ Scripturæ dogmata Deum Auctorem esse manifestant.

Vers. 10. En dilectus meus loquitur mihi propiùs, & expressiùs, dormientē me excitans: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Veni ad me quocumque te ducam, seu ad summum perfectionis gradum. Surge ergo ab omni ad creaturas affectu. * Præparatio enim ad perfectionis iter est, perfecta affectus ad creaturas renunciatio.] Sed caue, ne moras nectas, omnis dilatio nocet. *Propera*, nec cesses, donec mihi prorsus similis, mecumque vnum prorsus efficiaris. * Longum perfectionis iter, opus est properare.] In Hebræo est, *Surge tibi, propera tibi, veni tibi*, id est, tuo maximo commodo, & bono. * Non Dei commodo, sed nostro studemus, cum viam perfectionis arduam quidem arripimus.] Veni igitur *amica mea* non dæmoni, non mundo, sed mihi adstricta, pretio mei sanguinis mihi comparata. *Columba mea* assimilata mihi innocentia vitæ, conuersatione mansueta, spirituali

4. *Dei vocatio ad diuersos gradus operis.*

Præparatio necessaria ad perfectionem est renunciatio affectus ad creaturas.

Longum perfectionis iter, opus est prosperare.

Non Dei cõmodo, sed nostro studemus cum viã perfectionis inimus.

ptole

prole fœcunda, sponso fida. *Formosa mea*, quia sanguine meo mundata, quia gratiæ meæ splendore, & virtutum omnium decore ornata iam es. Si amica mea, cur non lucri mei solicita? Si columba mea, cur non mihi fœcunda? Si mea formosa, cur foras non progrederis, vt videant cuncti opera tua bona, & glorificent Patrem tuum, qui in cœlis est? Profectò illi, quos Deus de inimicis amicos fecit, de serpentibus columbas, de fœdis ob crimina formosos per gratiam, strictiori iure tenentur, proximorum saluti toto animi conatu inuigilare.]

Strictiori iure tenentur proximorũ saluti incũbere illi, quos Deus de inimicis amicos fecit.

Vers. 11. *Iam enim hyems transiit, imber abijt, & recessit.* Ne dubites, ne tardes egredi, tempus est maximè opportunum: aura verna, tepida, serena: incommoda, quæ terrere possunt, iam sublata experieris. Nam hyems tentationum, ariditatum, & ærumnarum internarum huius vitæ transiit: imber persecutionum externarum abiit, & recessit. * Nam qui perfectionis studio incumbunt, tam nihil faciunt omnia tentationum obstacula Dei auxilio superanda: vt penitus ablata esse videantur.]

Et qui studio perfectionis incũbit, omnia obstacula sunt, quasi nulla essent.

Vers. 12. 13. *Flores apparuerunt in terra nostra.* Flos campi Christus, cum tot Sapientiæ, ac sanctitatis flosculis, quos eructauit. Flos Deipara, & tot alij Diui. Flores virtutum, quibus tàm multi suæ incumbunt saluti, & tuam opem implorant. *Tempus putationis aduenit*, quo palmites inutiles resecentur, purgentur fructiferi, vt fructum plùs afferant. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Aliud in cunctis veris indicium, nam turtur hirundinum more, *hieme calidiora petit loca, sub vernum teporem redit* Ier. 8. Meminit autem solius turturis, quia hyeroglyphicum est gemitus, solitudinis, pœnitentiæ, pudicitiæ, aliarumq; virtutum, quas hîc insinuat in agro Christi frequentari cœpisse. *Ficus protulit grossos suos*, seu primos fructus, qui simul cum filiis erumpunt, & citius ad maturitatem deueniunt, qui quidem magis expetuntur, & in deliciis habentur. Vndè Dominus, *Precoquas ficus desiderauit anima mea. Mich.* 7. * Nec dubium, quin virtus in pueritia, vel in adulescentia cœlesti Numini sit gratissima.] Designantur primitiui Ecclesiæ fructus, Apostoli, Martyres, Doctores, & Religionum Patriarchæ. * Non cadat sine pondere Hebræa lectio, quæ loco illius verbi; Tempus *putationis aduenit*, habet, *Tempus plorationis, tempus cantationis.* Plorationis quidem tempus est putationis tempus quia plorant vites ferro agricolæ vulneratæ: quonammodò verò simul adest cantationis tempus? Quia si vox turturis pœnitentiæ symbolum auditur, pœnitentiæ ploratos verè cantatio est & Deo & Angelis. Vndè Angeli exultant *Super peccatore pœnitentiam agente.*] *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Illæ vineæ, quibus tutandis custos es adhibita, de quibus penè desperabas, iàm florent, & primulos racemos cum floribus proferunt, qui fragrantiam tàm suauem spargunt, tàmque potentem, vt omne venenatum reptile cogatur loco cedere. Designantur tum particulares Ecclesiæ, & Conuentus, tum singulæ animæ. *Surge ergò amica mea, speciosa mea, & veni.*

Virtus in adolescentia Deo admodùm grata.

Ploratio pœnitentis dulcissima est modulatio.

Vers. 14. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Hebr. In illis foraminibus in illa cauerna. Nouis illecebris sponsam prouocat sponsus ad properandum, nempè amœnitate, & suauitate loci, ad quem euocatur, nempè ad foramina petræ, ad cauernam maceriæ. Ac si dicat: Habitabis in illis foraminibus, in illa cauerna, quam tu nosti, nempè in vulneribus manuum, pedum, & lateris adeóque totius mei corporis. LXX. *Veni in tegmine petræ.* Non euoco te, vt sub die verseris in agro, in vineis, in continuo labore, & æstu; etiam istic tibi de commoda quiete prospexi. * An commoda quies suffixi vulnera Saluatoris? Ita planè: nulla amanti animæ commodior, quietior est habitatio. Incommoda enim sponsus dira sustinuit, vt locum nobis quietis commodum præpararet.] * Nec enim audent tentationes ad vulnera Saluatoris accedere; Scit enim diabolus passionis Dominicæ meditationem murum esse animæ impenetrabile.] *Ostende mihi faciem tuam.* Cum ergo non in agrum modò, sed & in hæc mea foramina, & cauernas te inuito: hîc sublato omni velamine ignorantiæ, malitiæ, erubescentiæ, metus, intentionis sinistræ: faciem tuam mihi ostende, facie semper ad me conuersa: me tibi continuo præsentem, teque, ac tua complectentem intuearis. Verbo vno. *Ambula coram me, & esto*, seu eris *perfecta. Gen.* 17. * Præsentem enim Deum contemplari non excitat perfectionis viam sine cunctatione perficere.] *Sonet vox tua in auribus meis.* Vox confessionis miseriæ tuæ, & laudis Dei, vox orationis ad me, & prædicationis ad proximus. His vocibus oblector. Sed omnem vocem superat clamor ardentis affectus, & amoris erga me in meditatione, & contemplatione tua, cuius pro libito exercendi plena facultas tibi erit in foraminibus petræ, in vulneribus meis. * Nulla ad vocem orationis aptior potest esse materia, quàm passio Dominica, quâ ardentissimi in Christum affectus excitantur.] *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Vox orationis tuæ dulcis profectò mihi, instar hymni sonori: facies tua meo sanguine diluta meis oculis pulchra profertur. Quid mirum & vocem exaudite, & faciem adspicere postulem?

Vulnera Christi commodissimus nobis quietis est locus.

Passionis Dominicæ meditatio murus animæ impenetrabilis dæmoni.

Deum præsentem contemplati, nos facit perfectionis viam sine cunctatione perficere.

Aptissima ad vocem orationis materia Christi passio.

5. *Vers.* 15. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ* agnato studio *demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit*, & subibit destructionis periculum, si non capiantur. Vulpes sunt dæmones, mundani homines, & carnis concupiscentiæ. Has dum paruulæ sunt, & in nidulis commurantur, iubet sponsa capi. * Nam si dæmonum vis, si hominum mundanorum persuasio, si concupiscentia, dum parua, seu incipiens suggestio est, non comprimatur, persistentia in animo vires acquiret, queis omnes animi fructus deperdat.] Cura autem capiendi has vulpeculas cunctis fidelibus, quibus suæ cuique vineæ custodia cordi esse debet. Sed cur dicit *Capite*, non verò *Occidite*. Quia mauult Deus incentiua vitiorum in vsum virtutum commutari, quàm extingui, vel penitùs absumi. * Satiùs enim est, suggestiones ac tentationes persistere ad meritum, quàm omninò tentamina ablegari.]

Ecclesiæ innuit persecutiones.

Suggestiones diaboli, mundi, ac carnis comprimendę cũ paruæ sunt, siue cum incipiunt.

Vtiliùs est animæ ad meritum, tentationes persistere, quàm omninò ablegari.

Vers. 16. 17. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vnicus est mihi sponsus, & vnicè dilectus. * Suggestiones enim, & tentationes fortiter superare ad perfectum Dei amorem apprimè disponit.] *Qui pascitur inter lilia*, ac vero antes rosas instar apiculæ, dulcissimum indè mel

Valdè tentamina superare, ad perfectum Dei amorem disponit.

mihi colligens, quo me deindè pascat. Vndè LXX. *Qui pascit in lilijs.* Lilia hæc sunt Scripturæ sacræ, Sacramenta, virtutes, & diuina mysteria. Nam his omnibus & pascitur ipse, seu oblectatur, & nos pascit, nutrit, impinguat, delectat. *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbra.* LXX. *Amoueantur vmbra.* Dilectio hæc, & pastus continuò crescent incremento ab aurora ad plenam meridiem, quando vmbræ euanescunt, id est, ad summam vsque perfectionem. *Iustorum enim semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Prou. 4. Dies hîc feruor spiritus, vmbræ peccata, imperfectiones, quæ quò magis crescit ille feruor, eò magis decrescunt. * Vndè si videris in te crescere imperfectiones, certò comperies spiritus feruorem fuisse remissum.] *Reuertere: similis esto Dilecte mi. capra hinnuloque ceruorum super montes Bether*, seu *diuisionis*. id est, multis vallibus, *& concauitatibus* diuisos, vt LXX. vertunt. Petit itaquè sponsa, vt dilectus iis donis, quibus se cumulabat, etiam alios donet: & in sua ad Ecclesiam reuersione postquam ad cœlorum culmina ascendit, similem se præbeat capræ, ac hinnulo ceruorum, celerrimè currendo ac properando, speciosum, hilarem, delectabilem se exhibendo peccatoribus, abundanti in gratiæ, & donorum Spiritus sancti fideles oblectando suauissimo SS. Eucharistiæ in epulo.

Si imperfectiones crescunt, signum est, spiritus feruorem remitti.

CAPVT III.

Varios modos, quibus Deus in hac vita quæritur, & inuenitur: multiplicem profectum per opera vitæ contemplatiuæ, & actiuæ contemplationem mysteriorum Dei Salomon exponit.

1. IN lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. 2. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. 3. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? 4. Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum; nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. 5. Adiuro vos filiæ Ierusalem: per capreas ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. 6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël. 8. omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vnusquisque ensis super femur suum propter timores nocturnos. 9. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: 10. columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constrauit propter filias Ierusalem. 11. Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

COMMENTARII.

1. *Varios modos, quibus Deus in hac vita quæritur, & inuenitur, Salomon recensset.*

VERS. 1. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea,* vtpotè summum bonum, & vltimum finem, sed quæsiui per noctes non plenæ ignorantiæ, vel malitiæ, iam enim per fidem eram illuminata: sed afflictionis, desolationis, ariditatis, Deo lucem deuotionis, & contemplationis ad tempus subtrahente. Ergo quasi in tenebris palpans, *quæsiui illum*, primum *in lectulo* pigrè, & desidiosè, mihi indulgens, meæ vnius studens quieti etiam in oratione, ac virtutum exercitamentis: *quæsiui illum, & non inueni.* * Nec enim in oratione, meditatione, aut studio virtutum Deum inuenit, qui proprium commodum, amans sui, in virtute quærit.] Ergo frustrata spe mea, ad alterum extremum deflexi, dicens.

Deum in virtutum studio non inuenit, qui amãs sui propriũ cõmodum ex virtute quærit.

Vers. 2. *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Neglecto orandi studio, totam me negotiis externis immergam, honestis quidem, & in proximi mei vtilitatem. *Quæsiui* tamen *illum*, & *non inueni.* Nam externæ occupationes immoderatiùs, & plures, quàm par est, assumptæ animum Deo non sociant. Et quidem vel laudabile, valdéque gratum Deo proximorum ministerium, suum requirit moderamen. * Nec enim debet omninò à quiete orationis recedere, qui cupit Deum in proximorum ministerio inuenire.]

Non omninò deserat orationis quietem, qui vult Deũ in proximorũ ministerio inuenire.

Vers. 3. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Angeli tutelares, Apostoli, Prophetæ, Doctores, Prælati, consiliarij, & inclamaui: *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* Vigiles hi vel ex SS. Scripturis, vel ex diuina inspi

inspiratione, vel ex rectæ rationis dictamine, docuéte me viam, quâ possem dilectum reperire, & dona cœlestia ad tempus subtracta recuperare.

Vers. 4. Paululùm cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea. Vix monitis illorum acquieui, diuina sponsi vocatione me paulò altius attollens, inueni, quem diligebam, & in eo veram pacem, tranquillitatem solidam, plenum gaudium. Summissio namque illa, quâ ad Prælatum, vel ad confessarium accedis petiturus consilium, Deum allicit, vt tibi sese illico tibi manifestet.] *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Tenui quidem meditatione & continuo amore, vitæ similitudine, ac morum imitatione. Et firmiter animo statui, non dimittere illum donec introducã eum in internum naturæ meæ secretum, in centrum cordis mei, partem superiorem animæ, vbi resident virtutes Theologicæ Spiritus sancti dona, & reliquæ virtutes.

Humilis sũmissio, quâ consilium à Superiore petis, Deum ad te allicit.

Vers. 5. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum ne suscitetis, nec euigilare faciatis dilectam, *donec ipsa velit.* Et quidem obtinuit mox, quod optauit: vndè rapta in exstasim contemplationis & amoris suauissimo indulget somno: gaudente, probanteque sponso, & ipsam interpellari vetante. * Preme illud: *Donec introducam in domum matris meæ.* Cur non dixit. *In domum meam, in cubiculum meum?* Certè ob honestatem; modestiam enim virginalem decet, vt nullum verbum proferatur, quod possit delicias subolere solitarium in domo cum viro recessum. Hoc quidem ex cortice litteræ monet sponsa.

Nullum verbum virgo proferat, quo possit subolere solitariũ in domo cũ viro recessum.

2. *Vers. 6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Quæ tanta contentione sponsum quæsierat, & inuenerat, non debuit domi desidere, sponso foras properante: decuit simul in agrum & rus exire, & Dilectum ad greges abeuntem comitari. Eam autem egressam conspicatæ sodales, nouam mirantur eius formam, incessum gracilem, iucundum, modestum, vestimentorum fragrantiam: vndè præ admiratione rogitant. Quænam ista, quæ inter tot sordes mundi, tot spinas, tot vepres, nec vi, nec inertia detinetur, sed generosa desertione omnium terrenorum, diuini amoris igne sursum acta, velocissimo ad cœlum ascendit volatu, instar thymiamatis confecti ex aromatibus myrrhæ, mortificationis, ac molestiarum vitæ actiuæ: & thuris orationis, ac contemplationis, & vniuersi pulueris pigmentarij virtutum simul omnium? Similis verò *virgula fumi* volat vnicò purissimoque Deo placendi desiderio. En primos ex sponsi thalamò fructus vberiores attende.

Multiplicem animæ profectum describit.

Vers. 7.8. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël. Illa, quæ aliquando fuit cubile ferarum & fœdarum passionum, nunc est castissimus Salomonis lectus, in quo tanquam in loco sibi gratissimo cœlestis Salomon Princeps & auctor veræ pacis perpetuò conquiescit. Nec est quod sibi timeat à timoribus nocturnis, seu qui solent piis animabus inter tenebras huius sæculi timorem incutere: puta dæmones, mundus, caro. Nam quemadmodùm terreni Regis Salomonis custodiunt continuò sexaginta armati ex omnibus Tribubus quini fortissimi: *omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos:* ita cœlestis Salomonis lectulum tuentur Sexaginta, seu innumeri custodes partim externi, Angeli scilicet, Prophetæ, Apostoli, Pastores, Prælati: partim interni, seu virtutes, in suum singulæ contrarium vitium armatæ.

Vers. 9. Ferculum, seu lecticam gestatoriam *fecit sibi Rex Salomon*, opus Regiâ magnificentiâ & immensâ Sapientiâ suâ dignum. *De lignis Libani*, Cui construendo pretiosissima quæque adhibuit, ligna Libani, naturam generosam, animam bonam, ingenium nobile, eximia omnia talenta. Non solùm solius lectuli floridi & amœni laudem tribuunt sponsæ, sed & ferculi gestatorij cœlestis Salomonis, quo deferri vult in totius mundi notitiam, idque per illos in et, in quorum cordibus per charitatem & alia sua dona conquiescit. * Profectò ille, quem Deus vti lectulum eligit, & ornat virtutum apparatu, vt in contemplatione digna eius quiescentis sit habitatio: debet in ferculum conuerti, vt ipsius gloriam hominibus manifestet. *Lectulus* Dei accipis munera? illum gratus *ferculi* instar, ad proximos apporta, agnosce odum, adorandum, timendum, amandum.]

Ille, quem Deus suum efficit lectulum, debet ferculum fieri ad Deum proximis apportandum.

Vers. 10. Columnas eius fecit argenteas. Septem sunt Spiritus sancti dona, & virtutes Theologales, ac cardinales, quibus simul vnitis nihil fortius, nihil vtilius. *Reclinatorium aureum*, id est pars animæ superior meditatione rerum cœlestium tanquam auro instructa, quâ Deus in anima & anima in Deo requiescit. *Ascensum purpureum.* Gradus, per quos in lecticam ascenditur purpureis tapetibus instratos, nempe patienti carnis mortificatione, ac forti tribulationum tolerantia. *Media*, id est, partes inter medias, quę inter ascẽsum & reclinatorium, seu sedile sunt, item pauimentum lecticæ *Charitate constrauit*, re omnibus charissima, nempè gemmis, LXX. *Intimum eius constructum lapidibus pretiosis* Hebræum enim רצף *ratsuph* lapidem splendentem significat, vnde pro *carunculo*, & pro *charitate vsurpatur* Vndè aptissimè adiicitur *media* hæc strauisse charitate, *propter filias Ierusalem.* id est, vt hoc ferculo tanquàm diuini Salomonis ministro charitas in alias quoquè animas pacis amantes inuehatur vt illas similiter inflammet, ac virtutibus faciat splendescere. Sponsa ergo ex lectulo in ferculum conuersa apportandi Dominum ad proximos iam gerit officium, in publicoque proclamat.

Vers. 11. Egredimini è cubiculis, è vitiorũ antris exite, *& videte filiæ Sion* animæ cœlesti ciuitate inscriptæ, vale facite prauis operibus, aspicite *Regem Salomonem* cœlestem in Regio *diademate*, seu omnibus perfectionib⁹ suis tùm diuinis, tùm humanis, quas diuersis tẽporibus diuersas orbi manifestauit; nam *in capite eius diademata multa.* Apoc. 19. *Quo* vel quibus *coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* In die incarnationis coronauit illum virgo Mater, & cœlestis Pater humanitate sua cũ ineffabili Sapientiæ, ac gratiarum plenitudine. In die passionis mater Synagoga coronauit eũ spineâ coronâ cũ tot flagellis, vulneribus, & probris. * Incarnationem diem desponsationis vocitat, passionem diem lætitiæ cordis eius appellat. Pati enim pro hominibus, immensum gaudium tanto est amatori.]

Dies passionis est Christo Domino dies lætitiæ cordis eius.

CAPVT IV.

Singularis sponsæ pulchritudinis encomium Salomon attexit, quo illam sponsus ad sublimiora allicit, ad gloriosiorem coronam inuitat, maximè ad salutem proximorum curandam, ac labores pro Dei gloria perferendos.

1. QVAM pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui
columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli
tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Ga-
laad. 2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascende-
runt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est
inter eas. 3. Sicut vita coccinea, labia tua: & eloquium
tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abs-
que eo quod intrinsecus latet. 4. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est
cum propugnaculis: mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium. 5. Duo
vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, 6. donec aspi-
ret dies, & inclinentur vmbræ; vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.
7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. 8. Veni de Libano sponsa
mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Her-
mon; de cubilibus leonum, de montibus pardorum. 9. Vulnerasti cor meum so-
ror, mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine
colli tui. 10. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa: pulchriora
sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. 11. Fauus
distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum
sicut odor thuris. 12. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus,
fons signatus. 13. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomo-
rum fructibus. Cypri cum nardo, 14. nardus & crocus, fistula & cinnamo-
mum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguen-
tis. 15. Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu
de Libano. 16. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aro-
mata illius.

COMMENTARII.

1\. *Singularis sponsæ pulchritudinem Salomon describit.*

VERS. 1. *Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es!* Exhortatio illa sponsæ, quâ reliquas filias Sion in amorem sponsi allicere conabatur, ità placuit sponso, vt mox in has laudes erumperet: O quàm pulchra es, contemplatione, quàm actione pulchra! *Oculi tui columbarum* ob sinceritatem, & modestiam. *Absque eo, quod intrinsecus latet.* præter affluentiam cœlestium gratiarum, quas intus à me recipis ob nobilissimum affectum tuum, & effectum columbinum. * Certè ex eo quod latet intrinsecus in corde, affectu, oculorum modestia, vel in modestia promanat.] *Extra taciturnitatem tuam* LXX. transtulere, vel silentium, quo lingua retices, quod corde, desiderio, ac gemitu clamas. * Nec enim decet, perfectionis studiosos, facilè animi affectus, reuelationes, illustrationes aperire.] *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Cogitationes & affectiones, quæ ab animo procedunt multæ, variæ, pulchræ, fœcundæ: maxima cura à te ordinantur, ac diriguntur ad vnicum finem gloriæ Dei: sicut caprarum greges, quæ licet natura sua liberius cursitent, ac saltitent: tamen vigili pastoris cura coërcentur; idque in pascuis vberrimis & saluberrimis qualia sunt in altissimo Galaad monte, id est, *acerui testimonij*, scilicet in sacris Scripturis, in quibus omnia aceruantur testimonia de Deo, de Christo, de omnibus fidei mysteriis, circa quæ cogitationes & affectus Sanctorum debent continuo versari.

Ex modestia cordis oculorum modestia promanat.

Non decet perfectionis studiosos facilè animi illustrationes aperire.

Vers. 2. *Dentes tui*, ad mandendum instrumenta, & loquendum, nempe studium, meditatio, & oratio, sunt *sicut greges tonsarum*, & bene lotarum ouium candida, munda, nihil habentia fœditatis, instar earum scilicet, *quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus* fœcundæ, in intellectu veram cognitionem Dei diligendi, in voluntate ardentem amorem generantia.

Vers. 3. *Sicut vita coccinea labia tua*, ad osculandum,

eulandum, & loquendum inſtrumenta, ſeu interna cum Deo conuerſatio, & externa de Deo tractatio nihil liuidum, nihil turpe habent, ſed pulchra ſunt per omnia, & roſea, & corallina velut ex cocco igneſcente, ſicut vitta ſcilicet coccinea. Non dixit *ſicut vitta*, ſed *ſicut vitta*. Quia licet geminum labium ſit, ita eſt ſilentio mutum, vt labium vnicum eſſe videatur, quod nun poteſt ad loquendum aperiri. * Agnatum equidem ſpirituali viro ſilentium.] *Et eloquium tuum dulce* concinnum, gratum, ſpirans ſanguinem Chriſti, & diuinum amorem. * Si ſponſam ex ſilentio commendat, quomodo eius loquelam laudat? Quia laudabile ſilentium non debet eſſe mutum ſed abſtinens ab otioſis ſermonibus ea ſolùm ore proferre, quæ Deo grata, proximo vtilia eſſe videantur.] * Quàm aptè labia ſpiritualis viri vittæ comparantur, qui proximum curat ſuis verbis vtilibus alligare, ſi ſolutus moribus incedat, & vulnera, ſeu peccata eius operire, ne ab aliis videantur, ſicut Samaritanus ille cœleſtis, qui vulnera poſt medicamen adhibitum alligauit. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua.* LXX. *Sicut cortex*, id eſt, genæ tuæ partim candidæ, partim purpureo colore venuſtæ, granis mediis, & ſucco ſuauiſſimo plenæ, licet cortice externo auſtero & duro. Hæ ſunt pudica caſtitas, modeſta verecundia cortice duro, ſeu rigore mortificationis protecta. * Caſtitas enim mortificatione & pœnitentiæ aſperitate tuta conſeruatur.] *Abſque eo, quod intrinſecus latet.* Hebr. *Quod intra velum tuum*, quod omnia encomia, omnes laudes excedit. * Virtutes namque, quas iuſtus velamine abſtractionis ab hominum oculis abducit, gratiores Domino reſeruantur.]

Agnatum ſpirituali viro ſilentium.

Silentiũ laudabile ſpiritualis viri nõ debet eſſe mutum.

Spiritualis viri labia vitta ſint, quæ vulnera peccatorum curent operire, ne ab aliis videantur.

Caſtitas tuta conſeruatur pœnitentiæ aſperitate.

Virtutes, quas iuſtus ſtudet ab oculis hominum abducere, gratiores Deo apparent.

Verſ. 4. Sicut turris Dauid collum tuum. Collum, ſeu inſtrumentum ad iugum baiulandum, ſeu obedientia tua, eſt recta, procera, conſtans, rotunda, fortis & ſpoliis, & armis omnegenus inſtructa, eſt quidem ſicut turris Dauid, *quæ ædificata eſt* ab ipſo in monte Sion pro munimine vrbis, ad hoſtes depellendos *cum propugnaculis, mille* ideo *clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Mille arma propendebant è muro, quæ vel pro ſpoliis, & ornamenta erant, vel pro exercitu armando, cum neceſſitas ingrueret. Quæ quidem omnia Theodoret. & Bernard. obedientiæ accommodant. * Et quidem obedientia turris eſt fortiſſima, cunctis virtutibus ſtipata, aduerſus animæ teterrimos hoſtes.]

Obedientia turris fortiſſima à cunctis hoſtibus animum defendens.

Verſ. 5. Duo vbera tua. Symbola amorum ſunt venuſta, nitida, tumentia, ſucculenta, *ſicut duo hinnuli capreæ*, ſeu ſicut duo hœdiculi *gemelli, qui paſcuntur in liliis*, ſiue paſcuis amœnis, pinguibus, & odoriferis: qualia paſcua ferè ſunt in humidis vallibus, vbi lilia germinant. Nam in talibus paſcuis paſti hœdi aſſolent eſſe ſucculenti, pingues, nitidi, & gratiſſimi aſpectu. Duo ſponſæ vbera ſunt charitas Dei, & proximi, quæ paſtæ liliis candidiſſimis diuinorum myſteriorum maximæ ſacerrimæ Euchariſtiæ intumeſcunt, & increſcunt ad vicem reddendam tum Deo, tum proximo propter Deum. * Quomodo enim charitas in Deũ, ac proximum in illo non creſcet, qui lilio candidiſſimo Euchariſtiæ paſcitur, vbi Chriſti Domini immenſa charitas tam flagrans obiicitur?]

Euchariſtiæ frequẽtia auget in nobis erga Deum, & proximum charitatem.

Verſ. 6. Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Dilectio hæc, & paſtus creſcent in te ab aurora ad plenum meridiem, id eſt, ad ſummam vſque perfectionem. Ergo dilecta tot ornata virtutibus, ad altiora contende, me quidem tuo comi: :. *Vadam* enim *ad montem myrrhæ, & ad col. s thuris.* Montem myrrhæ ſeu mortificationis ego aſcendi, dum viuerem: collem thuris ſeu orationis tenui; meum hoc omne ſtudium fa r, velim ſit etiam tuum. Oratione enim, & mortificatione virtutes acquiſitæ conſeruantur, & creſcunt.] Priùs autem ſponſus vult ſponſam montem myrrhæ, quàm thuris verticem ſcandere. Quia mortificationis ſtudium eſt perfectæ orationis exercitamentis præmittendum.]

Oratione, & mortificatione virtutes conſeruãtur, & creſcunt. Studiũ mortificationis exercitio orationis eſt præmittendum.

Verſ. 7. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Non in iis ſolùm membris, quæ recenſui, tua fulgurat pulchritudo, ſed & in reliquis totius corporis, maximè cum mecum in montem myrrhæ aſcendis, vbi iugi mortificatione à te abigis, quidquid eſt fœdum, vnde nulla in te reſidet macula, ſed tota es pulchra corpore, & anima. Et augetur in te hæc pulchritudo in colle thuris, vbi per familiarem mecum conuerſationem acquiris quantumvis ornatus, & gratiæ. * Porrò mortificatio & oratio animum ad omnimodam adducunt puritatem.]

Mortificatio & oratio animum ad omnimodã puritatem adducunt.

Verſ. 8. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni. Citiſſimè veni de Libano propriæ voluntatis, & commoditatis priuatæ (ſic ex Hebræo) & aſcende mecum ad montem myr- 2.
rhæ, & ad verticem thuris, vt omnes in ſupremo gradu apprehendas virtutes, tam quæ ad tui perfectam abnegationem attinent, quàm quæ ad proximi inſtructionem ſpectant. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon: de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cingeris corona gratiarum in hac vita, in altera gloriæ: & triumphum ages de monte Amana, qui ambitionis ac ſuperbiæ typum gerit (idem enim eſt, ac *Celſitudo*) De monte Sanir, ſeu vanitate ſcientiæ (idem enim eſt ac Lucerna) De monte Hermon ſiue voluptatibus, (idem enim eſt ac *Deuouere*, mundani autem totos ſe deuouent voluptatibus.) Hos omnes montes, & eorum incolas pia prece tua, exemplo, & exhortatione mihi, & tibi ſubiicies, & de omnibus triumphum ac coronam referes. Nec de communi ſolùm plebe, aut de infirmis & imbecillibus, ſed & de leonibus & pardis id eſt, de fortiſſimis, & aſtutiſſimis, & ferociſſimis huius ſæculi. * At ſi moralem ſenſum rimeris, miraberis ſponſam adeo dilectam ter vocitari, *Veni, veni, veni.* Cur obſequentiſſima ad primam dilecti vocem non properauit? Certè quia vocabatur ad coronam, ad Regnum, Regiminis autem munus periculoſum, difficile, magnis eſt plenum incommodis, quæ prudens ſtudet præcauere.]

Sponſus dilectã ad ſublimiora allicit.

Regendi alios munus formidabile difficile à prudentibus aſſumendum.

Verſ. 9. Vulneraſti cor meum Soror mea ſponſa, 3.
vulneraſti cor meum LXX. *Abſtuliſti nobis cor.* * Certè (vt aiebat Plato,) *Amans animus mortuus eſt in proprio corpore, & viuus in alieno.* Annon eximia iuſti laus, poſſe Deum quodammodo dicere: In me quaſi mortuus, tuo in animo viuo, me totum ad te abſtuliſti.] Alij legunt, *Videre me feciſti.* Ac ſi diceret, Eximia pulchritudine tua, & prompta tua obedientia,

Dilecta perſequitur encomia.

Amãtis animus in proprio corpore mortuus, in amato viuit.

qua mihi ad noua certamina te aduocanti obsequeris, præbuisti mihi fiduciam, vt in te, & per te ardua quæque aggrediar. * Magna laus talem te præbere Deo, vt ardua quæque siue agenda, seu patienda tuto tibi committi possint. Obedienti promptè Deus fidens ardua quæque committit.] *Vulnerasti*, inquam, *cor meum in vno oculorum tuorum*. Per vnum non *vnicum*, sed *vnionem* intelligo. Quasi diceret. * Vulnerasti me in vnione & colligatione, quam io se habent oculi, oculus mysticus & moralis, oculus speculatiuus, & practicus: contemplatio & actio.] *Et in vno crine colli tui*, seu in vnione cogitationum omnium, & affectionum tuarum in illo vno ad quod omnia dirigis, scilicet in Deo. *In vno oculorum & in vno crine*. Aliis placet, hîc non *vnionem*. *Sed vnicum*, significari. * Quasi diceret, sufficit ocellus vnus, vt integrum cor meum rapiatur: ocellus inquam puræ intentionis, nam hæc propria est perfectissimo amori, qoi in solùm Deum collimat, & non in dona Dei, nisi vt in ipsum referantur.] * Cur verò dixit, *In vno crine colli*, & non capitis, si crines io capite suum habent natalitium? Profectò quia sponsa caput proprium non haber, vir enim caput coniugis est. Vndè debet marito quasi membrum suo capiti submitti, & obedire.] Quænam verò est causa, cur nouo, & adhuc non vsitato nomine dilectam suam Christus compellet, nempe *Sororem* suam? Innuit, eam non solùm secum eiusdem diuinæ naturæ per participationem consortem effectam, sed etiam vnà secum in iis, quæ cœlestis Patris sunt perpetuo deinceps quasi sororem cum fratre occupatum iri: nempe in paterna hæreditate augenda, ornanda, in communibus hostibus debellandis, in victoriis prosequendis. * Qui proximorum ministerio incumbit, se credat Christi in fratrem esse assumptum.]

Obedienti promptè Deus fidens ardua quæque committit.

Contemplatio actione coniuncta maximè Deo placet.

Verus amans solùm intendit in amatum, non in eius munera.

Vxor caput non habet, quia caput eius vir, cui velut membrum debet obedire.

Qui proximorum ministerio incumbit, credat se in Christi fratrem esse assumptum.

Vers. 10. *Quam pulchra sunt mamma tua soror mea sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Materna charitatis vbera, quæ proximis tuis exhibes, vt eos dulcissimo sermonis lacte nutrias, vti mihi super omnia gratissima, ita tibi maximè honorifica est: nec quidquam in te habes in quo mihi magis assimileris. Vnde & iisdem verbis, quibus tu mea nuper vbera extollebas, extollo ego iam tua. Ea charitas vinum, seu omnia grata & iucunda superat: & vngoenta virtutum tuarum charitatis indiuiduæ comites, vincunt omnia odoratissima thymiamata.

Vers. 11. *Fauus distillans labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua.* Græcè, *Fauum distillant labia tua*. Oratio tua melliflua est, & verba dulcissima: nec tamen minus vtilia, quàm dulcia. Neque enim solùm melle, sed & lacte diffluunt: melle deseruis gustui, lacte nutritioni. Sunt verò sub lingua tua quasi in fida cella promptuaria, in qua perpetuo maximam illius liquoris copiam asseruas, & inde quando & quantum opus est, & in proximi commodum depromis.

Vers. 12. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Paradisus es spiritualis, aquis tuis & fructibus Deum, & homines oblectans. Sed quid iuuaret his abundasse, si furibus aut belluis ad hortum, ad fontem pateret accessus. Hos vt arceas prudentissimè conclusum tenes hortum firma in Deum fiducia & altissimæ humilitate. Fontem quoque obsignatum seruas sigillis prudentiæ, & timoris Domini. * Quantumuis equidem egregia virtus sine custodia facile petit.]

Quantumuis egregia virtus sine custodia depetit.

Vers. 13. 14. *Emissiones tua paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus* Propagines, & fructus huius paradisi, amœnissimum hortum malorum punicorum, seu fructus charitatis constituunt, qoi quidem aliis arboribus mysticis stipantur. *Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani: myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis. Nardus*, quæ hic bis repetitur sit spes in Deo, ac diffidentia de seipso. *Crocus* fides. *Fistula* calamus odoratus ac suauis, prudentia. *Cinnamomum*, calidæ & fortis naturæ, iustitia. *Myrrha & aloe*, quæ morbos curant, & à corruptione vindicant, fortitudo, & temperantia. *Vniuersa ligna Libani* reliquæ omnes virtotes. *Omnia prima* seu pretiosissima *vnguenta*, virtutum effectus, qui semper præfatatum virtutum actibus cuniunguntur. Vidisti, quinam sis, paradisus: iam quinam sis fons, attende.

Vers. 15. *Fons hortorum: puteus aquarum viuentium.* Pluribus hortis rigandis es sufficiens, quia aquas emittis non mortuas, non corruptas, non infectas: Sed viuentes, sed limpidas, sed perpetuò ebullientes, ac salientes in vitam æternam: aquas cœlestis Sapientiæ, ac diuinæ gratiæ. * Christus autem Dominus qui sponsam sororem ad vtilitatem proximorum secum adduxerat, innuit qualis Minister Euangelicus sit futurus: instar putei plenus ipse, fontis instar aquas doctrinæ profundat: prius proprio studens profectui, saluti proximorum studium impendat: sit prius sibi puteus, mox autem proximis fons viuus existat.] Hæ verò aquæ sunt, *Quæ fluunt impetu de Libano*, summo impetu, maxima copia de altissimo monte Libani, qui dicitur *candidatio*, effluunt. Nam tantò sublimius aqua viua exsilit in altum, quantò sublimior est locus siue sinus vnde descendit. * E sublimi sanctitatis Euangelici Ministri candore sublimior fit & vtilior proximis prædicatio, celeriorique impetu defertur.]

Minister Euangelij sit prius sibi puteus, quam proximis fons existat.

Quantò Minister Euangelicus est sanctus, tantò est eius sublimior ac celerior prædicatio.

Vers. 16. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Exsurge tribulatio, tentatio, desolatio interna, externa persecutio, sed adsis vnà cum Austro seu Spiritu sancto, & illius aspiratione per omnigena dona. His duobus ventris simul hortum perflantibus vberrimè virtutum aromata profluent. * Tribulatio enim pro Domino patienter tolerata mirum in modum facit virtutes increscere. Vndè ipsa fidelis anima cupiens in perfectione proficere. Aquilonem tribulationis euocat, labores inuitat.]

Tribulationum flatu Aquilonari, virtutum aromata profluunt.

CAPVT

CAPVT V.

Narrat Salomon Sponsi in suum hortum aduentum, dulce conuiuium: pulsantis adianuam dilectæ affectum: varios casus, ac fortunas, in quærendo Sponso dilectæ obuenerant.

1. VENIAT dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. 3. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? 4. Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. 5. Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. 6. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt locutus est: quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi. 7. Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. 8. Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo. 9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? 10. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. 11. Caput eius aurum optimum: comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. 12. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. 13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. 14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus saphiris: 15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri. 16. Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem. 17. Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò decliuauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

COMMENTARII.

1. *Sponsi ad suum hortum aduentus, dulce conuiuium.*

VERS. 1. *Veniat Dilectus meus in hortum suum.* Flante Aquilone & aspirante Austro fluxere aromata in horto meo clauso quidem omnibus, tibi vni sponso dilecto meo patato. Veni ergò, ad degustandos horti tui fructus. Vix vocatus extemplò venit. *Veni in hortum meum soror mea sponsa.* * En vim orationis. Veni ait deprecans illa: Veni, mox inquit sponsus, quasi vox hæc sit illius vocis *echo*, seu reciproca primæ vocis imago.] *Messui myrrham meam*, tribulationis & afflictionis non solum fasciculum decerpo, vt tu aliquando colligebas, sed falce adhibita demeto quantum possum. * Primum fructum seu Deo gratissimum in animæ horto innuit esse patientiam in laboribus tolerandis. Myrrham ergo messui *cum aromatibus meis.* Prius collegi tuam mortificationem, mox reliquarum virtutum aromata carpsi. * Vix enim sapiunt cœlesti palato virtutum fructus nisi pro condimento adsit bona copia myrrhæ non cuiuscumque, sed Christi, id est pro dilectione Christi susceptæ.] *Comedi fauum cum melle meo.* En mirabilem statim metamorphosim, myrrha amarissima fit fauus dulcissimus, & vinum suauissimum: ideo adiicit, *Bibi vinum meum cum lacte meo.* * Dum germinat & excrescit tribulatio, myrrha est: sed falce diuini amoris fit fauus LXX. *panis*, seu cibus palato animæ gratissimus: nec iam amplius sua amaritudine torquet, sed instar mellis, vini & lactis mirificè recreat.] *Comedite amici, &c.* Edite ex fauo & melle, seria scilicet meditatione mysteriorum fidei, ac virtutum exercitamentis, maximè erga proximum. Vinum exhaurite cum lacte per quietam contemplationem & ardentem amorem.

Iusto vocante Deum in oratione, Deus illicò venit, quasi aduentus eius sit echo orationis.

Gratissima Deo patientia animæ tolerantia.

Vix diuino palato sapiunt virtutes si cum mortificationis myrrha non condiantur.

Tribulatio Dei amore suscepta non torquet, sed recreat animum.

Etsi

Etsi mihi vultis haberi charissimi, etiam amoribus inebriamini, id est toti adimplemini, vt nihil in vobis viuat, ac vigeat, quam Dei amor: nihil operemini, nihil loquamini, nihil optetis, quàm quod idem amor præscribit.

Christi pulsantis ad ianuam sponsæ affectus, huiusque ingratitudo.

2. *Vers. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sponsa hoc melle ac lacte refecta, hoc ebria vino, mox in somnum, & altissimam incidit in quietem. Totam me, ait, quietæ contemplationi commisi. Non tamen tota dormio, pars enim animæ superior perpetuò vigilat, cœlestium rerum meditationi vacans: ita quiesco, vt tamen audiam. *Vox dilecti mei pulsantis.* Fugiente somno reddita sibi sponsa, quo suauiori colloquio pascat sodales, quæ inuitatæ à sponso partim iam mensæ assidebant, partim distentæ aliis curis, accedere negligebant, vt has alliciat, illas reficiat: narrat hic publicè alium olim somnum suum, & præcedentis vitæ negligentiam, simúlque sponsi perpetuam vigilantiam. Cum ergò (inquit) in peccatorum & ignauiæ somno iacerem, ecce in mediis ignorantiæ & errorum meorum tenebris vox dilecti mei ostium meum pulsantis, & acriter carpentis. Quæ toties aperuisti ostium cordis tui diabolo, mundo, carni hostibus tuis, *Aperi mihi* Creatori, Redemptori, ac protectori tuo. Aperi mihi facta iampridem per baptismum *Soror mea*, per charitatem *Amica mea*; per Spiritus sancti infusionem *Columba mea*; per emendationem ab omni peccato *Immaculata mea.* Quæ dona licet iam per noua scelera perdideris, adsum tamen paratus cuncta tibi reddere; etiam cum fœnore, si modo per pœnitentiam mihi aditum ad cor tuum concedere volueris.* Magni ponderis est ad reductionem peccatoris, mente voluere pristinum gratiæ statum, vt ex infelicitate præsenti, ad felicitatem illam ineundam promptior exsurgat.] Quod si dona mea non tanti facis, nec bono tuo consulere curas: at saltem compatere mihi fratri, amico, Domino sponso tuo; quia ex diuturna præ foribus tuis mora. *Caput meum plenum est rore, &c.* Christi caput reuera grauatum fuit frigido rore & guttis omnium scelerum nostrorum, ærumnarum, blasphemiarum, tormentorum, quæ nostri causa innocentissimus Agnus sustinuit. *Verè languores nostros ipse tulit, &c.* Isa. 53. Profectò Dominicæ passionis memoria tonitruum est peccatorem lethargo immersum suscitans.]

Ad pœnitentiam maximè confert felicitatis deperditæ recordatio.

Passionis Dominicæ memoria peccatorem suscitat à lethargo.

Vers. 3. Expoliaui me (respondet illa) *tunica mea*, Dei filiorum indumento, gratiæ vestitu, bonorum operum ornatu: Quomodò induar illa? Molestum nimis esset, iterum me illa induere voluptatibus ac deliciis mundi indormio, quomodò illas excutiam? *Laui pedes meos*, vt assolent voluptuosi, *quomodò* rursus *inquinabo illos?* Assueui iam rebus delicatis, ac suauibus, nolo sordidis & austeris pœnitentiæ operibus me iterum dare. * O intolerabilem peccatoris pigritiam! Ne tantillas deserat voluptates, ne tantillas subeat nouæ vitæ molestias, mauult sponsum suum foribus exclusum detinere, quàm reducto leui digiti motu pessulo ianuam illi reserare, à quo omnis vita, salusque dependet.]

Ne peccator tantillas subeat pœnitentiæ molestias, intolerabiles subis æternas.

Vers. 4. Dilectus meus misit manum suam per foramen. Audi immensam Dei benignitatem. Cum posset iure tam ingratam animam æternùm deserere, maluit adhuc alia via pigram excitare. Per rimam ostij manum immisit, tribulationibus, morbis, aliisque ærumnis per sensus immissis, me concutere cœpit. Sic Iob. 1. *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem.* * Nec dubium, magno Dei beneficio, peccatorem tribulationibus agitari, quæ quidem funes sunt ad eum fugientem reducendum.] *Et venter meus intremuit ad tactum eius.* Vexatio dedit intellectum, nam ad tactum laborum ego tota *turbata* sum (sic LXX.) timore ærumnarum, quæ finem non habebunt, denique *calefacta* sum (sic Theodotion) amore Dei, & zelo vindictæ contra propria scelera, &

Magno Dei beneficio peccator tribulationibus agitatur.

Vers. 5. Surrexi, vt aperirem dilecto meo, seu vt vocanti obedirem. Interim ex attactu sponsi, *Manus meæ stillauerunt myrrham* illam, qua me recens perfuderat, cum mitteret manum suam per foramen, nempe cruciabar doloribus, opprimebar ærumnis: neque cruciabar solùm in corde, seu in interioribus animi: sed in exterioribus. *Et digiti mei pleni sunt myrrha probatissima*, id est, amatissima, & maximè efficaci. * Vt manus dexteritate exerantur ad pœnitentiæ opera, probatissimum medicamen est eas laborum, ac dolorum myrrha illiniri.]

Vt manus ad opera pœnitentiæ exerantur, probatissimum medicamen est eas laborum mirrha illiniri.

Vers. 6. Pessulum ostij mei aperui Dilecto meo. Alacris ergo, ac festina è lecto surrexi, ad ostium accurri, fores reserauì: sed en nouam mihi myrrham, nouā calamitatem. *At ille declinauerat, atque transierat.* Odio non personæ, sed ignauiæ meæ lucem illam spiritualem qua iam cœperat me colllustrare, rursus mihi subtraxit, desolatam me reliquit. Anima mea liquefacta est, vt locutus est. Hoc recessu & fuga, quæ vim habuit altissimæ vocis arguentis, & increpantis tarditatem meam, mœrore, dolore, stupore extra me facta, & quasi deliquium passa sum. Nec tamen dolor diffidentiam mouit, addidit potius stimulum: vnde foras prorumpens, *Quæsiui* quaquauersum, *& non inueni illum:* precibus, votis, operibus piis *vocaui, & non respondit mihi.* * Voluit vtique nos docere, diu in quærendo, & vocando, perseuerandum esse ei, qui Deum, dum quæreret, & vocaret, nimis inurbanè fecit eum expectare.]

Peccator, qui Deum vocantē se diu expectare fecit, instet precibus, vt eum fugientem ad se reducat.

Vers. 7. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, Angeli scilicet custodes, Doctores Ecclesiæ, Prælati mei. Hi moti eodem zelo, quo sponsus meus, *Percusserunt me, & vulnerauerunt me*, variis afflictionibus me pro suo officio exercentes. *Tulerunt pallium meum*, peplum scilicet, seu muliebre tegmen, id est prætextus omnes sinistros in quærendo meo sponso, vt nudo affectu amoris eum quærerem, imperfectionis abiectis obstaculis. * Nudus debes viam perfectionis inire, quidquid enim è terra non reiicis, cursus retardat expeditionem. Vnde Elias ad cœlum properans, ad cumulumve perfectionis auolans pallium dimisit, nudus ascendit.] Vnde si zelo succensi me percussére, piè admodum *tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.*

Nudus debes viā perfectionis inire: cursui obstat, quidquid terrenū gestas.

Vers. 8. Adiuro vos, filiæ Ierusalem, &c. Non suffecit amanti Doctorum instructio, sed interpellat quoque quos nouit sanctos tum in cœlo, tum in terris, vt pro se apud sponsum intercedant, exponentes ei ardentissimum suum desiderium optatis amplexibus eius potiendi, quos

vltro

Pœnitens debet, vt Deũ emolliat, ad Diuinrum intercessionem accurrere.

vltro paulo ante obtulerat. * Maximè refert pœnitentibus, vt Deum iratum emolliant, ad Diuinrum intercessionem accurrere.]

Vers. 9. Qualis est Dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum, &c. Hebr. *Qualis est Dilectus tuus præ dilectis aliis.* Quid (inquiunt Sancti quos adiurat sponsa) in tuo Dilecto tam eximium est præ omnibus aliis dilectis, quod te tam perditè in eius amorem abripiat? Porrò animæ iusti de præcellentiis sponsi tam solicitè bis continuo quærunt, vt seipsas oblectent ex auditione eius encomij, & in eiusdem amorem vehementius inflammentur. * Iucundissima est cuiuo iustis de Dei laudibus sermocinatio] Queis respondet.

Iucundus est iustis de Dei laudibus sermonem texere.

3. *Vers.* 10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Secundùm diuinam naturam suam candor est lucis æternæ, & splendor gloriæ Patris, simul rubens amore, dum diuinum vnà cum Patre spirat amorem Spiritum sanctum, secundùm humanam verò naturam candidus sua innocentia est, rubicundus sanguine tum proprio corporis sui, tum alieno nostrorum peccatorum, & sanguinea victoria ex subacto dæmone, carne, mundo, peccato gloriosissimè parta. *Electus ex millibus* LXX. *Ex decem millibus.* In hoc candore, ac rubore suo omnibus seu Angelis, seu hominibus præcellit. Et hæc de colore. Si verò de statura eius requiratis, supereminet omnibus creaturis, & quidem cum admirabili partium omnium proportione, ac pulchritudine. Nam vt à summo vertice ordiar.

Describit sponsa Dilecti pulchritudinem.

Vers. 11. *Caput eius* secundùm diuinam naturam Deus est: secundùm humanam mens Christi, seu pars animæ superior, in qua est Dei imago, Vtrumque in Christo caput *Aurum est optimum.* quia super omnia nobilissimum, pretiosissimum, ac sublimissimum, quo nihil augustius potest excogitari. *Comæ eius* capitis siue vt Deus est, siue vt homo, id est attributa ac perfectionis ipsius, mirabiles eius cogitationes, iudicia, & consilia, imò beneficia, & opera, quæ ad nos diriuantur, sunt *sicut elatæ*, seu eleuationes, ac teneriores ramusculi in vertice *palmarum, nigra quasi coruus*, nempe quasi inuolucra quibus palmæ fructus continentur, priusquam maturescant, quæ & *spathæ* vocitantur, & nigro sunt colore, numero quasi infinitæ; sed versus truncum, & ad inferiora dependentes. Omnes enim Christi perfectiones vt innumeræ, ita & altissimæ sunt, & eminentissimæ; sed omnes ab vno trunco & radice Deitatis exortæ deorsum ad creaturas propendent, vt iis se communicent. Et sicut elatæ palmarum de omnibus hostibus partæ victoriæ Symbolum. *Nigra*, inquam, *quasi coruus.* Nigri capilli apud Iudæos commendabantur in viris vt animi masculi, & florentis ætatis indices. Præter elegantiam autem nigredo hæc designat etiam rigorem ac seueritatem, qua Christus in ingratos vti cogitur. * Iis enim, qui capillos Christi guttis noctis seu passione rigentes contempsere, nigredo hæc stricti iudicij horrorem indicit.]

Christi passio ingratis iudicij indicit horrorem.

Vers. 17. *Oculi eius* diulni, Sapientia scilicet, & prouidentia: humani seu scientia superexcellens, ac prudentia, sunt *sicut columbæ*; quia pulchri, candidi, deargentati, puri, simplices, casti, sed fœcundi, sine felle amaritudinis, sine dolo, sicut columbæ, inquam, *super riuulos aquarum.* Nam Christus fons ille est aquarum viuentium, de cuius plenitudine omnes accipimus. *Quæ lacte sunt lotæ, &c.* Ita pingues, mundæ, candidæ, ac si in plenissimo lactis riuulo lotæ, seu maceratæ essent. Quibus sponsi dulcedo oculorum, candor, & pingues fructus annotantur.

Vers. 13. *Genæ illius diuinæ*, seu perfectiones essentiales; & humanæ, scilicet compositio virtutum in interiori, & exteriori homine, sunt *sicut areola aromatum consita à pigmentariis.* id est, pubescunt prima lanugine, & fragrant suauissimo odore, quasi floribus aromaticis pulchro ordine manu periti artificis per areolas dispositis, vti in hortis fit magnatum. *Labia eius* eloquium, doctrina, halitus & oscula eius sunt candida, venusta, fragrantiã sicut *lilia stillantia myrrham primam*, qua nihil fragrantius, & vtilius. * Nihil enim vtilius peccatoribus, & iustis quàm ea Christi Domini doctrina, quæ ad pœnitentiæ & mortificationis (myrrhæ quidem amaræ sed vtilis) effectum dirigitur.] Hic Christi, hic Ioannis Baptistæ; & omnium concionatorum, qui vtiliter prædicant, continuus sermo.]

Vtilissimus hominibus sermo, qui ad pœnitentiæ, & mortificationis effectum dirigitur.

Vers. 14. *Manus illius*, diuinæ sunt vis effectrix & conseruatrix omnium creaturarum: humanæ studium virtutum, & potentia miraculorum ob ineffabilem operandi facultatem, sunt verò *Tornatiles* actiuè. Quia sine vllo impedimento, nulla mora, vnico verbo quæcumque vult, facit in cœlo, & in terra: sunt autem manus istæ ita tornatiles, quia *Aureæ*, seu diuinæ, vel diuino-humanæ, siue theandricæ *& plenæ hyacinthis*, cœlici coloris lapidibus pretiosis tanquam vnguibus, & gemmis distinctæ. Est hyacinthus misericordiæ symbolum, quia teste meo Alcazar ex D. Isidoro nebuloso cœlo turbatur eius color, quasi mœrente cœlo mœreat. Sereno autem cœlo rutilat, & hilarescit. Quod proprium est misericordiæ. Neque minus in nos pauperes prætensæ sunt misericordes Christi manus, quàm ad cœlestia sublatæ, in Dei gloriam omnia patrantes, ad cœlum omnes rapientes. * Ex eo autem, quod *tornatiles* sunt, faciles scilicet ad omnia pauperibus hominibus tribuenda: & *plenæ* simul hyacinthis prædicantur: nos allicit Dominus ad misericordiæ virtutem. Quidquid enim pauperibus damus, mirum in mudum retinemus. Manus videntur euacuari, sed semper plenæ eleemosynæ vsura exponuntur.] *Venter eius eburneus*, ex solido eboré est elephantis robustissimi, *distinctus Sapphiris.* Hieron. *Venter eius tabula eburnea super lapidem Sapphirum*, fundata, id est, super personam Filij Dei, qui verus est Sapphirus sereni cœli colorem per omnia referens, aureis punctis eullucens, symbolum Imperij, vt Alcazar probat. Ergo Sapphiro diuinæ personæ innixa tabella vel pyxis eburnea humanitatis Christi *distincta* & ipsa seu intertexta suis Sapphiris thesauros omnes cœlestes in nos transfundit.

Manus facienta eleemosynã semper plenæ diuitiis aspiciuntur.

Vers. 15. *Crura illius* ad ambulandum, & currendum instrumenta, sicut *Columnæ marmoreæ*: candidæ, solidæ, fortes, pingues. Designant verò omnia itinera, & gressus, seu actiones Christi, *Quæ fundata sunt super bases.* non luteos (sicut Nabuchodonosoris statua) sed *Aureos*, id est, pulchros, pretiosos, fortes simul, ac facilè mobiles

biles: sicut aurum aliis metallis fortius, nobilius, pretiosius simul & doctilius est etiam laminis tenuissimis. Per has aureas basses geminam charitatem Dei & proximi: vel misericordiam & iustitiam, super quibus omnes Christi actiones fundantur, intelligo. * Si delinquens Christum à te separari coëgisti, eum pœnitens aduoca, citò reuertetur: pedes enim eius ænei non sunt, aut ferrei, sed aurei ductilis equidem metalli, eos ad te facillimè diriges.]

Christi facilitas in reuertendo ad peccatorem, si eum pœnitens aduocet.

Species eius vt Libani, id est, habitus & forma totius corporis compositio omnium membrorum, motuum, morum, operum, virtutum, similis est virenti, florido, excelso, amœno monti *Libano*, innumeris arboribus fructiferis, herbis aromaticis, floribus pulcherrimis conuestito. Et quia inter omnes Libani arbores celsitudine, fragrantia, & incorruptione cedri præeminent, dicitur *Electus vt cedri*. Imo *cedri* (teste Isaïa cap. 35.) *non fuerunt altiores in paradiso Dei*, Angelis enim quoque longissime supereminet.

Vers. 16. *Guttur illius suauissimum* in loquendo, in canendo, in clamando, in halitu, seu attrahendo, seu emittendo: etiam cum myrrham exhalat, & acriter reprehendit, semper redolet suauitatem, & spirat dulcedinem. * Non enim vocis Concionatoris suauitas, ac dulcedo dicendi deperditur cum acriter peccata carpit; quia reprehensio apposita materiæ semper retinet docti sermonis suauitatem.] *Et totus desiderabilis*. LXX. *Totus desiderium*. Quia siue consideretur vt Deus, siue vt homo, totus summè desiderabilis, amabilis, delectabilis est. Concludit sponsa omnem suam orationem hisce verbis: *Talis est dilectus meus*, qualem vobis hactenus à capite vsque ad pedes descripsi. Et ne miremini, me in laudibus eius adeo luxuriari, ac tantopere desudare in eo quærendo, *Ipse est amicus meus*, ipsum toto corde amo: *& ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem*, Ipse vicissim me ex animo diligit. Nihil nos sic debet non modo allicere, sed & cogere ad Christi elogia prædicanda quàm illius erga nos charitatis, & amoris immensitas eius in beneficiis assiduis manifestè flagrans.]

Concionator, cum vitia reprehendit, non ideò perdit sermonis suauitatem.

Nos cogit ad Christum laudibus efferendum illius erga nos amoris immensitas.

Vers. 17. *Quò abiit* (sodales aiunt) Dilectus *tuus, ô pulcherrima mulierum, quo declinauit*, quò putas abiisse, aut declinasse Dilectum? *Et quæremus eum tecum*. Profusis laudibus sponsi, quas filiæ Ierusalem ex sponsæ ore hauserant, iam totæ flagrabant desiderio eodem sponso potiundi, vnde modum, viam, & media ex eà requirunt, quo eis possit inueniri. * Fidelis enim vnius feruens exemplum alios pertrahit ad virtutis eiusdem imitationem.]

Vnius fidelis exemplū alios ad eius imitationem adducit.

CAPVT VI.

Locus, quo quærendus, & inueniendus est Sponsus, indicatur: noua Sponsæ encomia partim à Sponso, partim à sodalibus Sponsæ edita, referuntur: prælium Sponsæ cum hostibus domesticis, & externis, ac præclarus de vtrisque triumphus decantatur.

1. 
ILECTVS meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. 2. Ego dilecto
meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 3. Pul-
chra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem: terribilis
vt castrorum acies ordinata. 4. Auerte oculos tuos à me,
quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum,
quæ apparuerunt de Galaad. 5. Dentes tui sicut grex
ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in
eis. 6. Sicut cor tex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. 7. Sexa-
ginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est nume-
rus. 8. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici
suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt; reginæ & concubinæ,
& laudauerunt eam. 9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens,
pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? 10. Des-
cendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si flo-
ruisset vinea, & germinassent mala punica. 11. Nesciui: anima mea conturbauit
me propter quadrigas Aminadab. 12. Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere,
vt intueamur te.

COMMENTARII.

Locus, vbi sponsus inueniendus est, indicatur.

1. ERS. 1. *Dilectus meus descendit &c.* Iam quæstioni filiarum Ierusalem respondet sponsa profata: Non procul abiit sed in vicinia descendit, oempe in suum hortum, quo solet se recipere. Hortus hic est Ecclesia Catholica, in qua sola Christus Dominus reperitur. In qua sola sunt *areola aromatum*, LXX. *Phiala aromatum*, vera scilicet, Sacramenta. *Vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Hi horti minores sunt singulares animæ iustæ floribus desideriorum pietatis, operum egregiorum refertissimæ quibus fructibus Christus pascitur, & pulchriores quosque ac nobiliores florum instar, sibi decerpit. * Si sciebat sponsa Dilectum suum ad hortum descendisse, cur illum per plateas vagans, quæritat, & non illicò ad hortum, vbi eum inuenire posset, accurrit? Certè quia qui à Deo semel & iterum vocatus, mox non respondet, vti sponsæ dormienti, sponso polsante, acciderat, ad eum assolet statum deuenire, vt quærens, & sciens, vbi inuentura sit eum, minimè inueniat: quia permittitur in supplicium moræ ficto affectu requirere. Sic Iudas postquam Dominum tradiderat pœnitentia ductus, *retulit triginta argenteos*, nec tamen à Domino recipitur, Dominum non inuenit. Quare? Profectò quia quandò eum in mensa, & in horto affectuosè Christus excitare curauit à somno, illicò non respondit.]

Sæpè qui vocatus à Domino ad pœnitentiam illicò non respondet, cum posteà sibi videtur pœnitere, haud verè pœnitens, non admittitur.

Vers. 2. *Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi.* Post tot anfractus, reperto quem quæsieram, iam præsens & in oculis, & in vlnis me totam ei trado, sicut vicissim se totum tradit mihi. * Profanus amaos sæpè amat, & oon amatur: qui autem Deum diligit, nuoquam non ab illo diligitur.] Hîc portum, hîc quietem, hîc omne bonum inueni. Vt autem sponsus ostendat, quàm ex corde illam diligat, palam dilectam miris laudibus incipit efferre.

Qui Deum amat, vicissim ab eo procul dubio diligitur.

2. *Vers.* 3 *Pulchra es, amica mea*, & gratiosa in sponsi tui oculis: *suauis, & decora*, seu & in oculis omnium hominum venusta.* Magnum elogium est, sic viuere iustum, vt non solùm Deo placeat, sed & hominibus gratus obiiciatur.] *Sicut Ierusalem*, seo *Visio pacis Vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersa terra.* Thren. 2. De qua Isaias *cap.* 54. ait ex ore Domini, *Fundabo te in Sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua.* Neque pulchra solum es coram Deo, & extremè decora coram hominibus; sed insuper aduersus tuos & meos hostes *Terribilis*, ac fortis es *vt castrorum acies ordinata.* Hebr. *Vexillata*, seu vexillis ab hostibus prælio acqoisitis præfulgida. Quot peruolant vexilla, tot victoriæ tuæ celebrantur.

Noua sponsa elogia.

Deo & hominibus iustum placere magnæ virtutis est indicium.

Vers. 4 5. 6. *Auerte oculos tuos à me, &c.* Quâ hyperbole designat incomprehensibilem sponsæ pulchritudinem. * Simul tamen insinuat cautè ac circumspectè semper vtendum contemplationis dono, ne diuturniore mora proximo desis, vel inaniter efferatis, vel obsequare curiositati, vel valitudinem lædas. His enim ni prospicias, Deum à te auolare facies, cui eiusmodi indiscretio, vel incuria valde displicet. * Omnia tempus habent. Abstrahere te à ministerio tibi à Prælatis iniuncto, vt orationi exercitio diutiùs studeas, Deo equidem displicet, quem à te auolasse non dubites: vndè nihil ab eo absenti poteris consequi cum importunè iam deprecaris.] *Capilli tui sicut grex caprarum, &c.* In laudem capillorum, dentium, ac genarum Dilectæ excutit sponsus eisdem verbis, queis suprà *cap.* 4. *vers.* 2. & 3. eadem illa membra laudibus extulerat. * Commendabilis admodum in virtute perseuerantia est, semper agendi rationem ooo immutari nisi in meliùs: actusque semper in conspectu Domini esse laudabiles.]

Non semper vtendum contemplationis dono, ne proximus deficiat.

Qui, vt orationi studeat, ministerium à Præsule sibi iniunctum deserit, in vacuum orat, Deo iá auolante.

Perseuerantia in virtute in nullo deficiens, admodum Deo laudabilis.

Vers. 7. Sexaginta sunt Reginæ in familia Salomonis, seu vxores primariæ oon solius thori, sed & regiminis domus & bonorum mariti participes. *Et octoginta concubina* secundariæ scilicet vxores solius thori consortes. *Et adolescentularum*, quæ vel domi inseruiunt, vel gynæceum, è quo Reginæ, vel concubinæ desumantur, constituunt, *non est numerus.* In Christi familia, seu Ecclesia *adolescentula* sunt, qui renati per baptismum, vel pœnitentiam, Deo seruire incipiunt: quales plurimi reperiuntur. *Concubina* qui constanter virtutum studio insistunt; & hi pauciores quidem. *Regina*, qui perfectionem charitatis iam sunt adepti: hi verò paucissimi sunt, si cum reliquis componantur. Sed inter perfectos sunt aliqui singularissima charitate fulgentes, quos Christus extremè charos habet, & de quorum singulis hîc dicit.

Vers. 8. *Vna est columba mea, perfecta mea*, vnicè mihi dilecta. *Vna est matris sua, electa genitrici sua.* Ac si diceret, Ita eam diligo, sicut vnica filia est valde chara matri suæ: vel ex multis filiabus electa à genitrice & dilecta ac si nullam aliam haberet Nam & ipsa sic mihi soli studet placere, ac si mecum solo ipsa sola esset in rerum oatura. * Sic Deo vnus egregius iustus placet, vt videatur eo solo in rerum natura esse contentus.] *Viderunt eam filia*, seu adolescentulæ tam ornatam, tam charam sponso, & reliquis ab ipsa prælatam. *Et beatissimam prædicauerunt*, Et ex animo illi congratulantes *Regina, & concubina*, egregiis prolatis elogiis, *laudauerunt eam* * In aula enim cœlestis Regis oullus inuidiæ liuor ardet: omnes ex sociorum profectu delectantur.] Ideò adolescentulæ, concubinæ, ac Reginæ vno ore proclamant:

Sic Deo vnus egregius iustus placet, vt videatur eo solo in rerũ natura esse contentus.

In aula cœlestis Regis nullos inuidiæ liuor ardet.

Vers. 9. *Qua est ista, qua progreditur*, continuis & ingentibus passibus in omni virtute tum se, tum alios sibi commissos promouens. *Quasi aurora consurgens*, post altæ noctis tenebras peccatoribus spondens lucem, & solem? *Pulchra* est *vt Luna* plena, & toto orbe suo lucida, supra omnes stellas corusca. Ex perfectis *Electa vt Sol* lumine suo stellas omoes obscurans, totum mundum illuminans, & calore exempli sui omnia inferiora fouens, viuificans, fœcundans, & inflammans. Et quod omoia excedit, hostibus tum suis, tum gregis sui *Terribilis vt castrorum acies*, hostibus se fortiter obiiciens, eorum infringens insidias, vires, & arma conterens, ipsa perpetuò inuicta, imò imperterrita. Hinc semper *ordinata*, & optime composita. Hæc illæ. Sponsa verò ab amplexibus Dilecti nonnihil auulsa, horto suo co-

3.) lendo intenta conſpicitur. Nec enim ſemper epularum, ſemper deliciarum eſt tempus.

Prælium. & victoria ſponſa recenſetur.

Verſ. 10. *Deſcendi* (ait) *in hortum nucum, &c.* Vos ô ſodales, me aſpectaſtis in colle thuris & in ſponſi amplexibus, & ſuper ſidera laudibus extuliſtis: ego verò quantum animi demiſſione ad ouiculas meas curandas me totam abieci. * Deſcendi è colle contemplationis in actionis ortum. Orationis enim & contemplationis exercitium nos ad proximorum ſalutem procurandam emittit: imò veluti itinere proclini ad eam accurrimus. Ideò ait. *Deſcendi.*] Deſcendi quidem è fragranti orationis ac meditationis thure, in duras nuces quæ in extremo horti poſitæ ventorum, tempeſtatumque impetus primæ excipiunt, iniuriiſque plus quàm reliquæ arbores ſunt expoſitæ. Hæ ſunt peccatores, & mundani ſæcularia tractantes, quorum ſaluti cœperam ſtudere. Deſcendi in eundem hortum vt poma inſpicerem. Seu recens conuerſos, neque adhuc de prauorum habituum conuallibus eductos. Et recognoſcerem, num vinea mihi credita animarum in virtute proficeret: & an virtutum omnium congeries & copia inſtar mali punici granis rubentibus perpulchri, gemminaſſet.

Orationis exercitium nos ad proximorum ſalutem procurandam emittit.

Verſ. 11. *Neſciui.* Heu inſcia me, omnia deorſum verſa reperi, vitiis triumphum agentibus, & aduerſus ſponſum meum aciem inſtruentibus. *Anima mea conturbauit me.* Turbata ſum in dolore præſentium malorum, tum fortè futurorum, tum zelo, & anxietate, & cura rurſus omnia inſtaurandi. Præ omnibus verò anxia fui. *Propter quadrigas. Aminadab* (Appon & alij *Populi mei ſpontanei.*) id eſt, propter illos, qui ſponte ſua & vltro in hæc ruunt certamina, nulla per me data cauſa. * Vndè & periculoſius bellum, vtpote ab hoſtibus domeſticis: & pacis inſtauratio difficilior: cùm non ſit in manu Præſulis cauſam mali, quam nullam dedit, tollere; vel iniuriam, quam nulli intulit compenſare.] * Horribile bellum, cum Prælatus à domeſticis, à ſubditis ſine cauſa impugnatur.] Ipſi cœco odiu pleni, quadrigas ſuas iunctas hoſtium infernalium quadrigis vno impetu in Dilectum agitabant. Quid illa? Memor ſe turris inſtar eſſe Dauidicæ, ex qua mille pendent clypei, vſque eo pugnam accendit, ac prorogauit, vt hoſtes infernales victi in fugam agerentur, domeſtici verò, ſeu peccatores pudore ſubacti pœnitentes inſaniæ ſuæ, rurſus ſe ſponſo meo ſeruos ſubderent: omnibus vna voce acclamantes mihi.

Periculoſius & diuturnius bellum domeſticum.

Horribilis ſubditi contra Prælatum impugnatio.

Verſ. 12. *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Sulamitis idem eſt, ac *pacifica*, Sunamitis *Deſpecta.* Reuertere ad tua non iam amplius Sunamitis, ſiue deſpecta, (vt alij legerunt) vel *captiua* (vt alij.) Sed *ſulamitis*, ſiue pacifica. Et quia quaterni ſumus ordines, qui à te deflexinus: (ſuprà *verſ.* 10.) quaterna quoque geminatione vocis *Reuertere*, te rurſus ad tua, ad tuos iam reuocamus. Et ne quis iterum ſimilis in nos motus exſurgat, mane, quæſumus, aſſiduè nobiſcum, *Vt intueamur te*, perpetuò, tuique ſi non ſemper amore, certè metu, ac terrore in officio contineamur. * Et quidem præſentia Præſulis ſubditos continet, qui eius receſſu vel abſentia aliquandò ad illicita proferuntur.]

Abſentia Præſulis noxia ſubditis.

CAPVT VII.

Salomon noua ſponſæ à rebus bello præclarè geſtis, à fæcunditate prolis, à ſtudio educandi ac perficiendi ſpirituales filios, attexit elogia. Modum iuuandi incipientes, proficientes, & perfectos enunciat. Epulum à ſponſa ſuo Dilecto apparatum enarrat.

1\. QVID videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum? Quàm
pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis! Iun-
cturæ femorum tuorum, ſicut monilia quæ fabricata ſunt
manu artificis. 2. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nun-
quam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici,
vallatus liliis. 3. Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli
capreæ. 4. Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui
ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſi-
cut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. 5. Caput tuum vt Carmelus:
& comæ capitis tui, ſicut purpura regis vincta canalibus. 6. Quàm pulchra es, &
quàm decora chariſſima, in deliciis! 7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera
tua botris. 8. Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt
vbera tua ſicut botri vineæ: odor oris tui ſicut malorum. 9. Guttur tuum ſicut
vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius
ad ruminandum. 10. Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. 11. Veni dilecte
mi,

mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. 12. Manè ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea. 13. Mandragoræ dederunt odorem. In portis noſtris omnia poma: noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.

COMMENTARII.

Noua ſponſæ elogia à rebus bello geſtis, à prolis fœcunditate, &c. Salomon attexit.



1. ERS. 1: *Quid videbis in Sulamite niſi choros caſtrorum?* E bello redeuntem ſponſam ſuiſque voluit elogiis exornare. Quid, inquit, in illa pulchrius, quid glorioſius, quid viſu dignius quod ipſa ſit fortiſſima, inſtar caſtrorum, & ſimul grata omnibus, ſicut optimè compoſiti muſicorum chori. Horribilis hoſtibus, fidelibus deſiderabilis. * Profectò dum anima benè compoſita obiicitur, virtutum concordia inſtar muſici chori, dæmoni, mundo, carni terribilis hoſtibus inuincibilis oſtentatur.] *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis ô filia Principis* Regis Regum, & Domini dominantium! Pedes egregiis ſandaliis calceati tui ſunt affectus ſolidis ac pretioſis virtutibus ornati, & ſic ad opera ſua, & ad Deum progredientes. *Iunctura fœmorum tuorum, ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis*, excellentis. Id eſt, lumbos habes nòn imbecilles, non diſtortos, ſed fortes, & aptiſſimè diſpoſitos ad generandum perpetuò nouum ſpiritualem fœtum.

Inuincibilis obiicitur hoſtibus anima, in qua virtutum concordia reſidet.

Verſ. 2. *Vmbilicus tuus*, ſeu pars illa, quæ fœtum conceptum in vtero materno continet, ac fouet, & in anima deſignat curam & ſolertiam inſtruendi, formandique recens conuerſos ad fidem, ac pietatem, eſt *Crater*, qui cibo, & potui recipiendo, aliiſque præbendo ſeruit: non rudis, ſordidus & impolitus, ac conſequenter ingratus; ſed *Fornatilis*, ſeu torno affabrè elaboratus, rotundus, concauus, ac purus torno mortificationis, ac prudentiæ reſectis omnibus ſuperfluis. Nec vacuus quidem, vel inanis crater, ſed ſemper plenus, & *Nunquam indigens poculis*, ſeu repotabili. LXX. *Non deficiens mixto*, id eſt, nunquam carens vino probè diluto, & ad potandum aptato. Nam hoc mixto, his ſpiritualibus poculis deliciarum allicit, fouet, recreat ſponſa tenellos animos filiorum. Quin & ne cibus quoque deſit, *Venter tuus ſicut aceruus tritici*, omne genus cibi ſpiritualis adminiſtrans, quo tenellæ adhuc plantulæ nutriri, roborari, ac creſcere poſſint. Et *vallatus* eſt hic venter non ſpinis, ſed odoriferis *liliis*, caſtitatis, temperantiæ, reliquarumque virtutum, quæ cibum hunc ſpiritualem, vtpotè delicatiſſima condimenta, ſapidiorem, & gratiorem reddunt.

Verſ. 3. *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Prouectis autem iam in virtute exhibes bina vbera tua ſolidioris charitatis Dei, & proximi monitis, vt lacte referta. De quibus *cap.4.verſ.5.*

Verſ.4. Collum tuum ſicut turris eburnea. Hunc paulo prouectioribus exhibes, docens eos fortem, & diuitem obedientiam. De qua cap.4. verſ.4. *Oculi tui ſicut piſcina in Heſebon* (Vrbe Galaad trans Iordanem in Tribu Ruben) hæque *porta* (*Bath-rabbim*) id eſt, *Filia multitudinis*, ſeu vrbis quæ populoſa erat. Quarum piſcinarum aquæ vt amplæ, & copioſæ, ita in extima ſuperficie ſerenæ, ac pellucidæ quaſi chriſtallina ſpecula repræſentabant formam vultus & næuos intuentium, vel tranſeuntium, ſimulque ſeruiebant ad potum, ad lotionem, ad irrigationem agrorum. Quæ omnia tu dilecta mea tuis oculis nitidiſſimis, ac perſpicaciſſimis, id eſt, prudentia, ac prouidentia tua tuis clientibus præſtas. Nullos pateris ipſos latere næuos, potas omnes aqua viua, ſpirituali irrigas vnda, ſubinde etiam compaſſionis lacrymis, quibus in eis lacrymas compunctionis & amoris prouocas. *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Denique inuigilat clientum tuorum quieti, & commodo naſus ſublongus, rectus, & acuto præditus olfactu, id eſt ſagacitas, & ſolertia in detegendis, ac præcauendis hoſtium inſidiis: ſicut Iudæis erat illa ſpectabilis turris in altiſſimo monte Libano erecta verſus Damaſcum Regiam Syriorum Vrbem. In qua turri aderant Iudæorum perpetui ſpeculatores, qui ſi quid nouarum rerum à Syris Iudæorum hoſtibus tentaretur, illico Iudæis renunciabant, vti ab eis obuiarentur.

Verſ. 5. *Caput tuum vt Carmelus.* Mens & pars animæ ſuperior eſt idea, & ſpeculum omnis perfectionis vti mons Carmelus prope Tyrum in Tribu Iſſachar amœnus, excelſus, & vinearum, ac fructuum omnegenus fetaciſſimus, Eliæ & Eliſæi habitatione, delapſu ignis de cœlo, & tot miraculorum patratione celeberrimus. *Carmelus* idem eſt, ac *Agnus circumciſus.* Mens tua eſt inſtar Agni mundiſſimi ab omni re fœda, noxia, inutili vndique circumciſi. Idem item eſt, ac *ſcientia circumciſionis.* Mens tua callet ſcientia circumcidendi etiam clientes ſuos ab omni vanitate, inordinatione, ſuperfluitate, & multiplicitate non neceſſaria. * Et quidem hæc ſcientia circumcidendi alios reſidet in agno ſeu Magiſtro aut Præſule circumciſo. Debet enim prius in ſe ſuperflua reſecare, quàm ſubditorum circumciſioni ſtudere.] *Coma capitis tui ſicut purpura Regis*, tinctæ, ſcilicet flauæ, ac rubicundæ charitatis purpura Regia, cogitationes enim, & affectus cordis tui Regia charitate nitent, eximia, heroica, & omnium maximè ſplendidiſſima, qualis eſt in Rege Regum Chriſto Domino purpura quidem Regia non qualiſcumque, nec trita, nec veteri, ſed *Vincta canalibus*, id eſt, recenter tincta, qualis eſt, quæ adhuc in canalibus tinctorum funiculis adſtricta cernitur. * Charitas perfectorum ſemper debet eſſe indeficiens, noua, ad egregia erga proximorum ſalutem quotidie opera præſtanda.] *Canales* ſunt Patribus arcana Dei conſilia, perfectiones diuinæ, Scripturæ ſacræ. Quia perfectorum eſt ex hiſce canalibus cogitationes ſuas, & appetitus deriuare. * Certè ſi Scripturæ Euangeliorum canales ſint, per quæ ad te Regius Chriſti Domini ſanguis deriuetur tam ineffabili charitate profuſus, tua in Deum, & in proximum charitas mirum in modum exardeſcet.]

Prælatus in ſe prius circumcidat quæ in ſubdito curat circumcidere.

Charitas perfectorum ſemper eſt noua, & vigens ad noua opera præſtanda.

Si ſis memor ſanguinis Ieſu pro te effuſi, tua in Deum, & in proximos charitas exardeſcet.

Verſ.6. Quàm pulchra es, & quàm decora, chariſſima in delicijs, ſeu quibus tu frueris, nempe interno gaudio, exultatione, iubilo, ac torrente voluptatis ex tua, ac dilecti tui ſuper excellenti pulchritudine: ſeu quibus nos omnes exhilaras ob eximiam pulchritudinem, ac ſuauitatem tuam. Vtraque enim delitias curare debet, quantum in ſe eſt, qui perfectioni ſtudet. Quidam volunt, ſermonem hîc eſſe etiam de deliciis externis, & recreationibus corporalibus, ſed honeſtis, quibus etiam perfecti viri indigent, ne ſpiritus perpetua animi contentione obruatur, vel ne proximo deſint, aut minus commodè adſint. * Modeſta corporis relaxatio licita eſt perfectis, imò ſæpe neceſſaria.] * Profectò magnæ virtutis indicium erit, ſi etiam in externis hiſce animi relaxationibus perpetuam modeſtiam, grauitatem, veræque deuotionis ſpecimen præ te feras. Ipſa enim tunc corporis relaxatio ſpiritus eſt profectò.]

Modeſta corporis relaxatiò perfectos decet

In modeſta corporis relaxatione viri perfecti ſpiritu proficiunt.

Verſ.7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ. Ex omnium virtutum (quæ recenſui,) harmonia conſurgens in altum aſſimilaris palmæ proceritate & celſitudine, qua reliquas arbores ſuperat: rectitudine: robore, fortitudine, ac inuicta conſtantia aduerſus tempeſtates, nec vllis ponderibus ſuccumbere ſolita: iugi viriditate: aſperitate & quaſi ariditate corticis, & nudo trunco aculeato, in inferiori parte, in ſuperiori autem eximia ramorum latiſſimè expanſorum pulchritudine: pari craſſitie trunci ad cacumen vſque aſſurgente: forma foliorum, quæ ſunt inſtar gladij: vbertate, dulcedine, ac præſtantia fructuum. *Vbera* autem *tua*, è quibus tanquam perpetuis fontibus paſtum ſodalibus tuis promis, aſſimilata ſunt *botru* dactilorum, qui à vertice palmæ dependent. Vel etiam botris vuarum vitis, quæ ad radices palmæ plantata ramis eiuſdem quaſi fulcris innititur, & ſuſtentatur. * Solent enim perfecti non propriæ tantum animæ, ſed & proximorum ſuorum, quos inſtituunt, vt onere ac cura grauari, ſic & fructibus exornari.] En ergò vobis (inquit ſponſus) plenæ perfectionis ſymbolum in palma, in ſponſa exemplum. Nec ſurdis dixit. Nam vna mox adoleſcentularum (in vna plures aliæ comprehenduntur) perfectionis auida tam nobilis tam laudati fructus. Ambio, inquit, & ego tam excellens bonum.

Prælatus ſub ditorum grauatur onere. ſed ſimul eius fructibus exornatur.

Verſ.8. Dixi, firmiter apud me decreui. Quid? *Aſcendam in palmam iſtam*, dabo me diſciplinæ tam nobilis Magiſtræ, inſtructioni eius ſtudebo. *Et apprehendam fructus eius*. LXX. *Tenebo cacumina eius*: fructus enim palmæ ſunt in vertice. Scio enim ex relatione ſponſi cœleſtis iam dicta, quod *Vbera tua*, & liquores, aliique fructus inde promanantes *erunt* mihi dulcia, ac ſalubria *ſicut botri* tum dactylorum, tum vuarum pleni ſucco nutriente, exhilarante, & inebriante. *Et odor oris tui erit ſicut malorum*. Id eſt, obſeruatio & imitatio monitorum tuorum, exemplorum, & operum quæ ex ore cordis, ſeu ex charitate & zelo tuo exhalas, & eructas, erit mihi admodum ſuauis, fragrans, ac ſalubris: id eſt, mirificè oblectabit, reficiet, roborabit, ſicut aſſolet facere odor malorum medicorum * Ex plenitudine deuotionis, charitatis, feruoris interni, dulciſſima ac ſaluberrima ore vir perfectus exhalat.]

Ex plenitudine deuotionis interna vir perfectus vuliore profert.

Verſ. 9. Guttur tuum ſicut vinum optimum, ſimul ac in verticem palmæ conſcendi & doctrinam tuam cœpi deguſtare, magno meo ſolatio ac bono ſenſi guttur tuum, ſeu monita ex tuo gutture procedentia eſſe inſtar vini optimi, non corrupti, non acidi, non lymphati, non turbidi, ſed maximè ſplendidi ac puri, & colore, odore, ſapore præſtantiſſimi. Quid ad has ſuas laudes ſponſa? Tale vinum, inquit, decet, & *dignum* eſt *Dilecto meo ad potandum*, neque conuenit, vt vilius aliquid admoueatur delicatis *labijs*, *ac dentibus illius ad ruminandum*, ſorbillandum, vel deguſtandum. Palatum ſponſi mei delicatiſſimum eſt, non probat, neque admittit niſi optima quæque, & præſtantiſſima. * Quidnam autem eſt vinum *ruminare?* Aſſolent qui vinum hauriunt, eius particulam dentibus lingua, ac labiis verſare, vt compertiant, an vinum aliquo defectu laboret. Oportet nos Domino merum defœcatum exhibere, ne ruminans, corruptos, vel acidos eſſe comperiat, & ex ore profundat.] Et ideo ſolicita ſum ſemper, vt.

Te Deo vinum omnino purū exhibe. ne ruminans, & te acidū eſſe comperiens ex ore proiiciat.

Verſ.10. Ego Dilecto meo, ſolummodo placere ſtudeam, cuius tam benigna eſt, tamque profuſa erga me charitas, vt *& ad me* continua ſit *conuerſio eius*, ſeu ſe totum conuertat ad vicem mihi rependendam, & me vino ſuo optimo potandam, ac nobiliſſimis donis ſuis exhilarandam. Diſcipularum profectus adeò recreatat ſponſam vt diutius differendum non putaret quominus ſponſum ſuum ad ſeſe vna ſecum in illis oblectandum, euocaret. Ait itaque.

2\.

Verſ. 11. 12. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, ſeu animæ meæ propriæ, ſeu aliarum mihi creditarum: nihil iam hoſtile, turbatum nihil. Itaque ſecuri *commoremur in villis iſtis*, & & noualibus, in lætis paſcuis. Peracta iam byeme frigida vitiorum, abacta triſti ignorantiæ nocte, *Mane ſurgamus ad vineas* ſuccreſcentium virtutum; *videamus, ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt*, ſeu ſi racemuli florentes obiiciuntur futuræ abundantiæ præcones. Reperies quidem votis tuis feciſſe ſatis. Videamus, *ſi floruerunt mala punica*, an ex floribus perpulchris colligatur, illos, qui virtutum congerie ſtudent, ad perfectionem eſſe promouendos. *Ibi dabo tibi vbera mea*, meos amores oſtentabo. Nam in his hortis, in his agris, in his vineis, vt mihi tu nuper opiparum conuiuium inſtituiſti, (*cap.5.verſ.1.*) ſic ego tibi pro meo modulo nunc paraui. Pro myrrha, lacte, & vino, quæ tanta tunc copia appoſuiſti, ego vbera perfectæ charitatis paternæ ac maternæ dabo & tibi, & omnibus paruulis tuis.

Modum inuandi incipientes, proficientes, & perfectos enunciat.

Verſ.13. Mandragoræ dederunt odorem ſuum. Pro aromatibus mandragoras apponam heroicarum virtutum fragrantes medicas, ſoporiferas, amoris ac fœcunditatis conciliatrices. Iam enim dedere odorem ſuum, id eſt, maximè fragrant, & virtutem ſuam exerunt dum matureſcunt. *In portis noſtris omnia poma, noua & vetera, Dilecte mi, ſeruaui tibi*. Pro fauo & melle apponam fructus omne genus, ſeu opera virtutum externa. Nam in portis noſtris ſunt omnia; id eſt, ex occultis adytis cordis educta ſunt in publicum per ſenſus, aliaſque externas potentias, Denique omnia, quæ ſeu in meo, ſeu in meorum hortis, vineis, & agris ſuccreuerunt ab initio anni vſque ad finem, vni & ſoli tibi Dilecte

mi,

ini, integra, & intacta seruaui, & nunc tibi, cunctisque tuis lubens appono. En conuiuium animæ Deo appositum gratitudinis affectu memoris quidem epuli, quod ei Deus munificentissimus instituerat. * Edocemur, cum aliquod à Deo beneficium accipimus, studere, vt aliud ipsi obsequium si non æquale, quod non possumus, saltem ex affectu simile præparemus.]

Cum à Deo aliquod beneficium accepis, stude ei aliud simile obsequiū præparare.

CAPVT VIII.

Exprimit Salomon ardens sponsæ desiderium continua Dilecti præsentia potiendi: epulum, quo illa excepit Sponsum, ac somnum inde consecutum: leges perfectæ dilectionis: solicitudinem sponsæ circa animas suæ curæ commissas, eiusdemque extrema vota.

1 QVis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ,
vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despi-
ciat? 2. Apprehendam te, & ducam in domum matris
meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, &
mustum malorum granatorum meorum. 3. Læua eius
sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 4. Ad-
iuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare fa-
ciatis dilectam, donec ipsa velit. 5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deli-
ciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitaui te: ibi corru-
pta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. 6. Pone me vt signaculum super
brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lam-
pades eius, lampades ignis atque flammarum. 7. Aquæ multæ non potuerunt ex-
tinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substan-
tiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. 8. Soror nostra parua,
& vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?
9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, com-
pingamus illud tabulis cedrinis. 10. Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex
quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. 11. Vinea fuit pacifico in ea,
quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argen-
teos. 12. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custo-
diunt fructus eius. 13. Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire
vocem tuam. 14. Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnulóque ceruorum su-
per montes aromatum.

COMMENTARII.

1. *Desiderium sponsæ continua sponsi præsentia potiendi.*

VERS. 1. *Quis mihi.* Sic amor sponsæ increuerat vltima cum sponso confabulatione, & epulo agresti, vt quasi mādragoræ philtro extra se rapta, optet continuum sponsi consortium, etiam in publico. Quis (igitur exclamat) mihi *det*, vt non amplius per vices solùm & interualla, nunc in cella vinaria, nunc in secreto thalami, nunc in angulis horti, vel agri iungaris mihi: vt more amicorum se mutuo reuisentium mihi hactenus iunctus, fuisti: sed continuo & sine interruptione mihi adsis, & indiuulsus adhæreas: vnde vti *fratrem meum sugentem vbera matris meæ inueniam te foris.* Id est, quis mihi hoc beneficium præstet, vt mihi hæreas more fratris germani, & adhuc paruuli, qui sugit vbera eiusdem matris meæ. Vt perpetuò, & vbiquè *inueniam te* etiam *foris*, in omnium conspectu in medio curarum & occupationum strepitu, & continuò *deosculer te*, & blandiar tibi sine rubore, vt licitum est sorori ludibundæ fraterculum suum dissuauiari. *Et iam nemo amplius me despiciat.* Despiciunt enim ac vilipendunt me meritò quidem Angeli & Sancti in cœlo, etiam iusti in hoc mundo, quod non plenè ac continuò te fruar vnico bono. * Vilem enim homuncionem stultissimum plane & à cunctis, contemnendum se obiicit qui ob falsas, breues, noxias mundi captandas voluptates, à Deo summo bono spiritualibus deliciis mundis, vtilibus, æternis affluente recedit.]

Despectu omnium dignus, qui breues & noxias voluptates æternas & salutares posthabet.

Vers. 2. *Apprehendam te*, arctissimo tum intellectus, tum voluntatis complexu stringam, te mihi vinculis Adami, funibus amorum alligabo: 2.

Epulum, quo sponsa excipit Dilectum.

gabo: *Et ducam in domum matris meæ*, in domum meam in fundum animæ meæ. *Ibi me docebis* puram, & primam veritatem, non in prouerbiis sed palam, docebis me, nosse me, & nosse te: Et ego vicissim *dabo tibi poculum ex vino condito*, potum suauissimum ex omnium virtutum commixtione conflatum, amoris ambrosiam ex heroicis exercitiis expressam: *Et mustum malorum granatorum meorum*, recentem, ac primum succum omnium tum internarum tum externarum virium, operum, votorum meorum. Hic enim succus maximè placet sponso cœlesti, sicut solet æstuanti stomacho succus ex malo granatis expressus, gratus accidere.

Vers. 3. *Læua eius sub capite meo*, &c. Vix id optaram, cum ipse in collum inuolans meum, mihique blandiens, & applaudens vsque eò deliciis compleuit, & nouis gaudiis inebriauit, vt in iucundissimum somnum inducta sim, in summa Dilecti mei altissima pace & tranquillitate plenissima conquiescens, clamaui.

Vers. 4. *Adiuro vos filiæ Ierusalem*, &c. Illa mea somni tranquillitas, illud gaudium summa sponsi accidit approbatione, & plausu, vnde domesticis vetuit, ne quo forsan strepitu inquietaretur, vel excitaretur. E somno surrexi, me solicitudine ouium commissarum, seu vineæ excitatæ. Aspexêre sodales, & insolita mea gaudia stupentes & vix me iam agnoscentes præ rei nouitate, exclamant.

Vers. 5. *Quæ est ista*, quæ tam miro splendore, non iam nigra, non nigra, sed super niuem dealbata, *ascendit de deserto*, mundi huius, & sterili natura humana, sursum ad cœlestia ad æternì Patris sinum celerrimè, iucundissimè, *deliciys affluens* in vtroque homine, *innixa super Dilectum suum*, qui ex plenis vlnis diuinitatis, & humanitatis suæ quasi vehiculo illam euehit, sustat, & attollit in altum? Vt autem his laudibus sponsa non attolleretur vanitatis in auram, & humilitatem altius inculcaret. Audiui, ait, Dilecta, quantas de te laudes sodales deprædicent. Et verò maior adhuc es omni humana laude. Memor autem sis, te cuncta hæc non à te, sed à mea gratia recepisse. Ex te enim nihil habes præter miseriam, malitiam, sordes. Vt verò id tibi altius infigatur, tepete frequenter memoria, quod *sub arbore malo suscitaui te*, &c. Te sub arbore illa paradisi vidi peccato originali corruisse, vbi corruit etiam mater tua, quæ te proxime lactauit, & vbi peccato actuali corruerat genitrix tua remota, quæ te in parentibus tuis produxit. Cui quidem serpentis corruptioni etiam nunc iaceres obnoxia, nisi ego meo sanguine, meo ac aliam arborem seu ad crucem ascensu te piissimus

Ne extollaris laudibus, memoriæ retine agnatā miseriam ex peccatis.

suscitassem. * Monemur, operæ pretium esse, ne extollamur, cum proprias laudes exaudimus, ad memoriam afferre agnatam miseriam ex peccato illo originis, & peccata actu alia, quis aliquando fuerimus infecti.]

3.

Perfectæ charitatis leges.

Vers. 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum*, &c. Instar signaculi, seu sigilli, vel alterius signi memoratiui in perpetuam mei memoriam gesta continuo mei imaginem cælatam in bullis ad pectus, & in armillis ad brachia appensis. Fac scilicet, omnia cogitata tua, omnes amotes, ac desideria tua, omnia dicta, facta sic me vnum referant, ac si imago mei vel sigillum meum me ad viuum referens singulis esset expressum. * Hinc gestatio imaginis Christi Domini, Deiparæ, & Sāctorum commendatur. Referunt enim ad memoriam eos, quos adumbrant sancque pectori, ac operibus protecto.]

Gestatio imaginū valde nobis vtilis.

Quia fortis est vt mors, &c. Scio me dura, & difficilia poscere, sed amanti nihil durum, nihil difficile. Fortis quidem mors, Resistitur ignibus, vndis, ferro, Regibus, potestatibus. Venit vna mors, quis ei resistet? Nihil est illa fortius.

Viribus mortis chāritas comparatur.

* Propterea viribus eius charitas comparatur, quia ipsa occidit quod fuimus, vt simus, quod non eramus. Aufert nobis omnem vitam vitiosam, tollit peccata, mortificat peccatorum radices, etiam licita, si maioris boni sint impedimenta rescindit.] Ergò nec tibi, dilecta mea, durum erit, tibi deinceps sic mori, quæ tui iam iuris esse desiisti, & mihi vni cui te totam in omnibus mancipasti, viuere, mihi vni te assimilare, & perfectè conformare. Quia si perfecta dilectio sic suadet, sic iubet, sic viget: idem viget etiam *æmulatio*, quæ vel est vehemens amor, aut vehementis amoris actus, vel affectus, qui zelus dicitur, & est ingens tristitia seu dolor de damno vel iniuria rei amatæ illata, cum impetu & studio illum vlciscendi, aut depellendi. Et est *dura* tum in sustinendo, tum in oppugnando, tum in detinendo, *sicut infernus*, qui tenacissimè retinet, quod semel recepit, & durissimè torquet animas, nec est vlla vis creata, quæ possit illas ex faucibus eius eripere, simili tenacitate charitas perfecta, seu æmulatio, Deum quem semel apprehendit, fortissimè retinet, & aduersus carnem, mundum, dæmonem, ne Deum mente expellant, durissima est, & implacabilis hostis castigans, persequens, conterens omnes, nec est vis vlla creata, quæ possit inuitam tanto spoliare thesauro, *Lampades*, seu faces *eius* nempè charitatis *Lampades* seu faces *ignis, atque flammarum*. Hebr. *Flamma Dei*, id est, maximè, ac vehementissimè vrentes, calefacientes, lucentes: & tantæ energiæ, vt non modo flammas concupiscentiæ, & odij, vel amoris mundani superent, sed & incendia inferni, & iræ Dei vincant, & restinguant.

Vers. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Tentationes persecutiones quantumuis multiplicatæ, nec integra omnium simul adnersitatum flumina perfectam dilectionem extinguere, vel flammam eius, anima nolente poterunt imminuere. *Nunquam* enim *charitas excidit*, 1. Cor. 13. Talem, tam fortem, tam constantem, ô dilecta, decet tuam esse erga me charitatem, vt nullis seu dolotibus, seu tormentis, seu terroribus, seu minis frangatur, aut extinguatur. *Si dederit homo omnem substantiam Domus suæ pro dilectione* seu acquirenda, seu conseruanda, seu recuperanda, *quasi nihil despiciet eam*, omnem substantiam. Nam *melior est* hic thesaurus *cunctis pretiosissimis*, *& omne desiderabile ei non potest comparari*. Prou. 8. * Non ergo quis putet, se magnum quid perdidisse, cum omnem substantiam domus suæ pro charitate, seu gratia tuenda seu perdiderit, seu proiecerit: quasi nihil enim proiecit, vel amisit.] Nam sola charitas thesaurus noster est, hæc sola nos ditabit, immensum ditabit, ditabit æternùm. Enimverò quia maior, & periculosior

Nihil perdit vel proiicit, qui pro gratia conseruāda ōnia terrena bona perdit, sola enim Dei gratia immensus thesaurus.

sioτ est pars imperfectorum, & incipientium seruire Deo, de his ante omnia satagens, profatur.

Vers. 8. *Soror nostra* (hoc suaui nomine designans talium iuniorum congeriem, *parua est, ac* debilis, & tenella: & vbera duplicis charitatis nondum *habet:* & si habet demissa, nondum habet intumescentia, & Sapientiæ lacte turgida, vt vel seipsam, vel spirituales filios valeat instruere. Nondum sat instructa est, indiget peritiore Magistro, *Quid* ergò *faciemus sorori nostræ* (non est cum aliis consultatio, sed obsecratio tacita, & precatio, vt quid faciendum sit inspiret.) *in die, qua alloquenda est*, seu quando de nuptiis est interpellenda? Interpellabit quidem Dominus ipse illam suo tempore interius illuminando, & monendo, vt reiectis aliis procis, ei vni se totam deuoueat. Interpellabunt illam etiam mundus, caro, & dæmon, & singuli ad nuptias secum contrahendas misellam solicitabunt. Consilio igitur & directione tua ô Domine eget.

Vers. 9. *Si murus est*, si virili, & constanti est animo, ita vt spem faciat, quod pro muro, & mœnibus seruire, & incursus inimicorum tum à se, tum ab aliis valeat propulsare: *ædificemus super eum* murum *propugnacula argentea*, Alij, *Palatium argenteum*. Id est, instructum suis propugnaculis, quæ & munitioni ei sint, & ornamento. Facilè enim mihi est præstare in vita actiua, & in contemplatiua virtutes necessarias, ad hostes propulsandos, ac debellandos, Quod si nondum est murus, & in fragili sexu spes nulla sit tantæ firmitatis, ac roboris: Si solum *ostium est* multis peruium, omnibus apertum, vix vnius Domus suæ valens custodiam sustinere: *Compingamus illud*, & claudamus diuini timoris & prudentiæ *tabulis cedrinis*, non minus fortibus, quàm elegantibus. Sic fugiendi, errandi, labendi occasiones remouebimus. Tota Rectoris solicitudo sit omnia occludere ostia, quâ possit ad subditos errandi occasio aditum inuenire.]

Rector subditos coηet ab errandi occasionibus abstrahere.

Vers. 10. *Ego murus*, Audiit sponsa perfecta, & mox comprobat exemplo suo consilium sponsi circa imperfectorum gubernationem. Nam fui aliquando, & sum etiam nunc *ego murus* in fragili sexu, forti tamen, & virili animo: & ecce quàm nobilia, quàm sublimia in me nunc propugnacula. En *vbera mea* tenella ac mollia, iam *sicut turris* Dauid *ædificata cum propugnaculis* teste sponso meo. Hoc quidem robore me ipse donauit, *Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, siue ex quo me assumpsit in sponsam suam, vt à *pacifico* Salomone Sulamitis *pacifica* & dicar, & sim: cum quo illius eximio fauore cætera quoque bona mihi obuenerunt.

3. *Vers.* 11. 12. *Vinea fuit pacifico in ea, qua habet populos*, (seu in *Baal-hamon*, quod significat *Dominum populorum*, seu eum qui habet sub se populos) Est vero nomen loci, seu vineti non procul Ierosolyma, qui aliàs Engaddi dicebatur, vinearum quidem & balsami fertilitate celeberrimus. Erat itaque Salomoni vinea, quam *tradidit* certis colonis colendam & *custodiendam*: mihi verò tanquam præfectæ inter alias plures vineas hanc tradidit singulari cura gubernandam. Hæc magna est, & fertilis, nobilissimique vini ferax, nam *vir*, seu vinitor, qui illam conduxit, *affert* quotannis *pro fructu eius*, quem inde colligit, *mille argenteos siclos*, seu plurimum pretium: *Vinea mea coram me est*, non contemnam, non deseram, vt nuper illa altera *cap.* 1. *vers.* 5. Sed semper erit *in conspectu meo* (sic LXX.) habebo semper illam in oculis, vt curem, quàm diligentissimè excoli vineam, quæ tanti est valoris. Nam *Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.* Id est, tui pacifici, seu tibi pacifico Salomoni mille quotannis siclos reddit argenteos, & vltra hos pendis alios ducentos his, qui vineam custodiunt. Vinea hæc sunt animæ, seu subditi Pastoribus, seu Præsulibus commissæ. Si bene colatur, pendit fructum non modo decuplum, qui magnus est: vel centuplum qui maximus: sed millesimum, qui omnem æstimationem superat. (Velim addit sponsa) mi Dilecte, scias, me lucri causa nihil hîc agere decreuisse, tui solius amore agam quidquid agam. Mille argentei sicli, quos conductor vineæ quotannis pendit, id est, primarius, ac principalis prouentus ad vltimum vsque quadrantem *tui*, ô pacifice sint, ad tui vnius gloriam & laudem: reliqui ducenti, secundarius & accessorius prouentus dentur iis, qui in colenda, custodiendaque vinea me adiuuerunt, nullius commodo, nullius laudi, nullius gloriæ quidquam decerptum volo. Mihi nullam deposco aliam mercedem præter te vnum, & quod tibi seruiam, tibi gratificer, tibi fructificem. * Non possum hîc societatis Iesv alumnus me continere, quin D. Ignatij P. mei mirabilem illam abstractionem à lucro ex ministeriis proximorum extollam. Imperat enim nos gratis exhibere aliis, quod à Deo nos gratis accepimus.] Profectò sponsus hoc tam nobili sponsæ studio vni sibi laborandi, & placendi admodum recreatus, respondet.

D. Ignatius Societatis Iesv Fundator gratis offert proximis spiritualia ministeria.

Vers. 13. *Quæ* iam tota *habitas in hortis* spiritualibus, & illis excolendis continuò desudas, perge strenuè, promoue alacriter, *amici* tui omnes & cœlestes & terrestres vna mecum perpetuo *auscultant*, numquid ex te noui, inhiant profectui, ac promotioni tuæ, applaudunt victoriis. Igitur his auscultantibus, his applaudentibus, *fac me* iterum & sæpius *audire* eandem *vocem tuam*, quam mox audiui, vocem purissimæ intentionis, amoris constantissimi. Obedit mox sponsa, & quam potuit gratissimam, dulcissimamque vocem petenti sponso reddit.

Vers. 14. *Fuge dilecte mi*, non me deserendo (qui mea via es, & vita) sed dona tua extraordinaria mihi subtrahendo, & ad alios deferendo me digniores. *Assimilare capreæ, &c.* vt scilicet, alij, quorum montana est virtus si cum mea exigua comparetur, quorum sanctitatis fragrantia & amœnitas celsiorem, & iucundiorem tibi præparant habitaculum, in te vnico bono suo conquiescant. De quorum felicitate vehementer exulto. Fuge Dilecte mi tam sordidam, tam indignam creaturam, recede à me, quia tantos fauores nec promereor, nec capio. Huc refero vocem illam sponsæ Dei charissimæ mei D. Francisci Xauerij tot onerati cœlestibus fauoribus,

4.
Extrema sponsa vota.

Franciscus Xauer. non poterat tot fauorum cœlestium pondus sustinere.

bus, & delicijs, & inclamitantis *satis est, Domine, satis est.* Nec enim possunt tot tantáque superna gaudia sustinere.]

Hæc pro modulo de dramate Salomonis excogitare licuit. Non me latet, Doctores plures cuncta hæc de Salomonis amoribus cum Pharaonis filia exposuisse. At vt Christi & Ecclesiæ spiritualibus nuptiis accommodarem primario quidem sensu fauent mihi cuncti fere antiqui Patres, Ambrosius, Augustinus, Origenes Psellus, Theodoretus & alij. Ex modernis verò sequutus sum P. Menochium, Gordonum, Tyrinum, & venerabilem Magistrum meum P. Ludouicum de la Puente, cuius eximia sanctitati totus applaudet Orbis Christicola.



LIBER



LIBER QVARTVS COMMENTARII LITERALES, ET MORALES. *AD SAPIENTIAM.*

PROLVSIO.

Omnimodam Dominæ meæ (cuius ope Libri Sapientiæ expositionem aggredior) puritatem *primo* in *capite* inuenio, *Sapientia non intrat in animam maleuolam, ne habitat in corpore subdito peccatis.* Quæ verba Richardus Laurentinus sic Deiparæ accommodat *lib. 2. de Laud. Virg. Credamus, quòd immaculata, sine peccato vitam duxit in mundo, præseruata à Sapientia Dei, quæ non intrat in animam maleuolam, & in corpore subdito vitijs.* Ipsam enim velut pupillam oculi semper ab omni nociuo Deus Trinitas conseruauit. Semper quidem, seu à primo Conceptionis instanti, vsque ad vltimum vitæ. *Immaculata* enim suo fuit in origine, & sine peccato actuali vitam in mundo duxit. *Vnde* (addit ille) Deus Trinitas *dicit de ea, Nocte & die seruo eam: indignatio non est mihi*, Isai. 27. Noctem explico conceptionis instans, quo homines progignuntur in tenebris. *Diem* verò reliquum vitæ cursum. Et quidem Deo fuisset *indignatio*, si Mariam, vel vnico instanti permisisset inimicam eius, & Diaboli amicam extitisse.

Deipara sine originali labe concepta prædicatur.



CAPVT PRIMVM.

Reges omnes, ac Magistratus ad ediscendam Sapientiam ex legis obseruatione Sapiens inuitat. Nihil enim Deus magis abominatur, quàm cor simulatum, os mendax, & obmurmurans: & opera iniqua, quibus homines mortem sibi accersiere.

1. DILIGITE iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: 2. quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. 3. peruersæ enim cogitationes separant à Deo: probata autem virtus corripit insipientes. 4. quoniam in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. 5. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. 6. Benignus

nignus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor. 7. Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. 8. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium. 9. In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. 10. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur. 11. Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam. 12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. 14. Creauit enim, vt essent omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra. 15. Iustitia enim perpetua est, & immortalis. 16. Impij autem manibus & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam amicam, defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

COMMENTARII.

1.
Reges, & Magistratus ad edifcendam Sapientiam inuitat iustitia obseruatione.



ERS. 1. 2. 3. 4. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Iudices terræ, populorum Rectores feruenti amore iustitiam amplectimini. *Sentite de Domino in bonitate.* Hebraismus est pro Bene sentire de Deo, eiusque iustitia, misericordia, cæterisque diuinis perfectionibus. Ne insaniatis cum Atheis, cum Epicureis non deliretis, quorum alteri Deum negant, alteri res humanas cum negligere somniant. * Monitum Iudicibus opportunum; nam qui iniustè iudicant, qui pauperem immeritum damnant, vt faueant diuiti, male de Deo sentiunt, cum non memoria teneant ab eo se esse iudicandos, Atheorum sunt, & Epicureorum sectatores.] *Et in simplicitate cordis quærite illum*, siue corde Sincero studete illius beneplacito adhærere. *Quoniam inuenitur ab ys*, qui non tentant illum, seu qui diffidentes de eius potentia, ac bonitate, petunt earum declarationem, & ostensionem. *Apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Peruersæ enim cogitationes discursus (sic Græcè) tortuosi, perplexi, obliquè, versuti circa ea, quæ ad Dei potentiam, vel bonitatem spectant, *separant* homines à Deo. *Probata autem virtus corripit insipientes.* Potentia Dei multis experimentis comprobata, ostendit esse insipientes eos, qui de illa male sentiunt. Pro *corripit*, est in Græco *redarguit, conuincit.* *Quoniam in maleuolam animam* (seu *artificiosam*, Græcè) machinantem callidè malum, *non introibit Sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis*, id est, in homine peccatis obnoxio, seu debitore propter peccata. Appositè dixit, *subdito peccatis.* Nam peccatum crudelis dominus misero imperat peccatori, cumq; loco mancipij habet.] In Græco est, *Nec habitabit in homine debitore propter peccata.* Ille dicitur debitor, qui ære est obstrictus alieno. Dicitur autem pro peccato debitor, qui malo peccandi habitu contracto, à praua consuetudine vt debitor ad multa quæ maximo sunt incommodo trahitur. * Peccator enim omnium calamitatum, ac ærumnarum, quæ ei possunt euenire, debitor est. Vnde eius ingens miseria innuitur. Quid enim miserius, quàm debere?]

Iudices iniusti malè de Deo sentiunt Atheorum, & Epicureorū imitatores.

Peccator crudelis domini, id est, peccati mancipium.

Omnium ærumnarum quæ ei possunt euenire, peccator est debitor.

Verf. 5. *Spiritus enim sanctus disciplinæ*, seu spiritus Dei tradens, instar Magistri, disciplinam, seu Sapientiæ instructionem, *effugiet fictum.* Græcè, *Id, quod fictum est*, seu simulatum, & dolosum in homine. Quasi diceret: Qui ad gymnasium Sapientiæ accedit, non simplici, ac vero, sed ficto animo, tentandi potius, quàm discendi, vel proficiendi gratia, à Magistro Spiritu sancto non instruetur. * In sacra scientia non proficiet, qui ad gymnasia aut ad volumina catholica sincero animo non accedit.] *Et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*, seu à cogitationibus prudentia destitutis, quales sunt prauæ, & dolosæ. *Et corripietur a superueniente iniquitate.* Spiritus sanctus confutabitur, refelletur, indignè tractabitur, ac proinde fugabitur ab illa dolosa fictionis iniquitate in animam hominis superuenienre. Loquitur more humano, sicut & Paulus Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum.*

2.
Vberrimus sermo contra detractores attexitur.

In sacra scientia non proficiet, qui ad gymnasia, aut libros sincero animo non accedit.

Verf. 6. *Benignus est enim spiritus Sapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis suis.* Quia benignus est spiritus, ideo non sinet, maledicos, & detractores impunitos esse à pœna, quam labiis suis peccando, meritus est. Benignitas enim Dei non fert eos, qui aliis maledicunt, ac detrahunt. * Tam inuisa Deo detractionis culpa, vt qui infinitè est benignus & misericors erga peccatores, quodammodo ad huius criminis veniam non flectatur.] *Quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus* qui falli nequit, cum nihil illum lateat, & abscondita quæque videat. *Et linguæ eius auditor*, seu sermonis. Homines audiunt sermonem murmuratoris, sed non callent, quonam procedat ex affectu. Deus autem & audit verba, & videt cordis intentionem, an ex leuitate loquatur, an ex deprauata animi voluntate. * Vnde homo ex verbis, quæ audit specie prauis, haud potest certò loquentis animum iudicare.]

Tam graue est detractionis crimen, vt ipsa Dei benignitas ad eius veniam quodammodò non flectatur.

Homo ex verbis, quæ audit, non potest certò loquentis animum indicare.

Verf. 7. *Quoniam spiritus Domini repleuit* orbem

orbem terrarum, Spiritus ſanctus, qui per ſuam eſſentiam, præſentiam & potentiam diuinam ambit, & conſeruat omnes creaturas, *ſcientiam habet vocis*, Cuiuſcumque vocis murmurantis etſi tenuiſſimæ notitiam habet, quia etiam illa intra ambitum & complexum Spiritus ſancti continetur. * Innuitur, Deum ſemper immenſum, & vbique nunquam non commorantem, ſpecialiter aſſiſtere in loco, vbi proximo quis detrahit, vt ſpeciali vindictæ det operam.]

Specialiter Deus aſſiſtit, vbi quis detrahit proximo, vt eum ſpeciali afficiat ſupplicio.

Verſ. 8. *Propter hoc qui loquitur iniqua, &c.* Græcè, Vindicta redarguens, & impunitum peccatum non permittens. Itaque *Iudicium* hic eſt caſus nominatiui, & *corripiens* illius eſt epithetum.

Verſ. 9. *In cogitationibus enim impij interrogatio erit.* Cogitationes ipſæ impij (quantumuis verba, vocabuntur ad examen. Græcè, erit, aut fiet *inquiſitio* cogitationum: *ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet*, id eſt, verba murmurantis, aut detrahentis audiet, *ad correptionem iniquitatum illius*, ſeu vt illius iniquitates corripiantur. * Si vnum eſt detractionis crimen, cur non dixit. *Ad correptionem iniquitatis illius*, ſed *ad correptionem iniquitatum*? Certè quia murmurationis, vel detractionis crimen plerumque alia crimina comitantur, periuria, mendacia &c.]

Detractionis crimen alia frequenter crimina comitantur.

Verſ. 10. *Quoniam auris zeli audit omnia*, ſeu auris zelantis iuſtitiam: *& tumultus murmurationum non abſcondetur*. Græcè, *ſonus* ſibilus, murmur detractionis. Aptiſſimè detractio vocitatur *Tumultus*. Quantumuis enim voce ſubmiſſa proferatur, & vix ſibilus tenuis elicitur, quaſi tumultuantium vociferatio prodit in publicum, & ad notitiam illius, de quo fit, peruenit]

Quantumuis ſit ſecreta. & fiat demiſſa voce, detractio, inſtar tumultus, ab eo, de quo fit, auditur.

Verſ. 11. *Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt*, imo, quæ nimium eſt noxia. Eſt mioſis, minus enim dicitur, quàm ſignificatur. *Et à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit*, non euadet diuinam vltionem licet in abſcondito fiat, & ad aures illius, de quo agitur, non perueniat. *Os autem, quod mentitur, occidit animam*, per peccatum mortale. * Quare os murmurantis, vel detrahentis mendax vocitatur? Quia plerumque detractores circa proximi famam mentiuntur grauia ei crimina falſo adſcribentes. Vnde *detractor & mendax*, idem protſus aſſolet eſſe.]

Plerumque detractores circa proximi famam mentiuntur. Vnde *detractor & mendax* idem ſolet eſſe.

Verſ. 12. *Nolite celare mortem in errore vitæ veſtræ.* Nolite affectare cupidè vobis mortem per errorem huiuſmodi, id eſt, ſic mentiri, vel aliquid agere iniurium Deo vel proximo veſtro quia ſic accerſitis vobis mortem peccando in Deum, illumque ad punitionem prouocando. *Neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum*, ſeu in laboribus veſtris. Merces, quam laborando murmurator, omniſque peccator acquirit, perditio æterna eſt. Quam miſerum propter infernum laborare!]

Merces laboris peccati eſt æterna perditio.

Verſ. 13.14.15. *Quoniam Deus mortem non* 3.
fecit, intendit enim vitam omnium perpetuam & felicem: nec niſi coactus peccatis hominum, permiſit, mortem in mundum irruere. Vnde *nec lætatur in perditione in perditione viuorum. Creauit enim, vt eſſent omnia*, non vt interirent, ſed vt eſſent, & in ſuo eſſe conſtanter permanerent. *Et ſanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Græce, *Salutares*, ſeu ſalubres fecit *generationes*, id eſt, primordia mundi, ſeu res genitas, vel natas in mundo. Quaſi diceret: Res omnes vt primò natæ ſunt, vel productæ in mundo, ſalutiferæ, & ſalubres fuére, tales enim Deus crauit. *Et non eſt illis medicamentum exterminy*, Græcè, *venenum perditionis*. Nam in ſtatu innocentiæ homini venenata gramina, aut animalia non nocuiſſent. Mors ergo, & quidquid eſt mortiferum in actu ſecundo ſolius hominis vitio, fuit in orbem inuectum. *Nec inferorum Regnum in terra.* Græcè, *Nec Orci regia* fuit *ſuper terram*. Deus cauſa non fuit, quod infernus, ſeu dæmones haberent tam amplam poteſtatem in terra: ſed id fecit hominum peccatum, qui ſuis ſceleribus eos ex Orco, propria illorum arce ad ſe euocarunt. Nam ex quo Adam præuaricatus eſt, Orci incolæ ſuam regiam in terra ſtatuerunt, & homines ſuæ ſubiecere poteſtati, à qua aliquin erant immunes. *Iuſtitia enim perpetua eſt, & immortalis.* Id eſt, ſi homo iuſtitiam originalem conſeruaſſet, immortalis fuiſſet.

Mortem ob peccata hominum in mundum inuexiſſe Sapiens oſtendit.

Verſ. 16. *Impij autem manibus, & verbis accerſierunt illam*, id eſt, mortem omni conatu ad ſe homines allicere geſtiere. *Et exiſtimantes illam amicam*, de qua nihil incommodi timere potuiſſent, *defluxerunt*. Græcè, *contabuerunt*, mortem quæſiere, eamque miſeri inuenerunt. Et ſponſiones fecerunt ad illam, Græcè, *pactum*, fœdus cum illa conſtituerunt. *Quoniam digni ſunt morte, qui ſunt ex parte illius*, id eſt; digni ſunt eſſe partis illius, digni ſunt morte. * Dixit Iſaias *cap.* 28. *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Quàm dignus morte, & damnatione æterna dignus eſt, qui delinquens cum morte, & cum inferno tyranno paciſcitur!]

Dignus morte, & damnatione, qui cum morte, cum inferno delinquens paciſcitur.

CAPVT II.

Excludit Sapiens à sua disciplina eos, qui opinantur omnia cum morte finiri, vnde soli indulgent voluptati, non cogitantes, Deum homines ad vitam immortalem condidisse.



DIXERVNT enim cogitantes apud se non rectè: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: 2. quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris: & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum: 3. qua extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est: à radiis solis, & à calore illius aggrauata: 4. & nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. 5. Vmbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo reuertitur. 6. Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. 7. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. 8. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. 9. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. 10. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis. 11. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ: quod enim infirmum est, inutile inuenitur. 12. Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. 13. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. 14. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. 15. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. 16. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis, & præfert nouissima Iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. 17. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius. 18. Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. 19. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. 20. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. 21. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum. 22. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. 23. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. 24. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum: 25. imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

COMMENTARII.

1. *Excludit Sapiens à sua disciplina eos, qui opinantur, omnia cũ morte finiri.*



VERS. 1.2.3.4.5. *Dixerunt enim* impij malè de animæ immortalitate sentientes, *apud se non rectè. Exiguum, & cum tadio est tempus vitæ nostræ*, breue & molestum vide spatium: breue quidem, ad viuendum, instans: sæculum longa admodum ad ærumnas sustinendas. *Et non est refrigerium in fine hominis.* Græcè *ἴασις*, seu *curatio, medela.* Nullum medicamentum inuenitur, quo mors imminens auerti possis. Vulgare vndè carmen:

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

Et non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis. Vt significet eorum errorem, qui animam mortalem esse putant. Sapiens indicat, vndenam ille error ortum habuerit, nempe, quia nullum cognouerunt, qui post mortem ad terram redierit fidelis suæ immortalitis testis. *Quia ex nihilo nati sumus*, vltrò *temere* (ex Græco) *fortuito* casu, sine Dei prouidentia: *& post hoc erimus tanquam non fuerimus. quoniam fumus flatus est in naribus nostris.* Fumus est, aut fumo similis

respira

respiratio nostra quæ simul fit, & simul deficit. Quasi dicat, vt flatus è naribus exit, & vanescit in auras: sic anima, cum corpus desierit, in nihilum soluitur. *Et sermo scintilla, ad commouendum cor nostrum.* Et est vita nostra *sermo*, seu res (sumitur enim sermo pro re in sacris) quædam scintillæ similis ad corpus animandum, & motum vitalem ei tribuendum. *Qua scintilla extincta, cinis erit corpus nostrum, &c.* Cum scilicet, tote facta nubes vi caloris, sicque à circumstante frigore magis penetrata clarescit, reditque in suam aqueam naturam, & decidit. *Et nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus*, seu longitudo temporis nominis nostri obliuionem inducet, *& nemo memoriam habebit operum nostrorum, &c.* Tempus vitæ nostræ transit velut vmbra, quæ nullum sui vestigium post se relinquit. Neque finis noster retrograditur, sed fixus manet, & immutabilis, *Quoniam consignata est, & nemo reuertitur.* Græcè, Finis noster est quasi impresso sigillo *consignatus*, seu reuersio est consignata quasi sigillo, vnde reuertendi nulli locus datur. Quænam igitur huiusce erroris conclusio, vel consequentia stulti antecedentis?

2. *Vers.6. Venite ergò, & fruamur bonis, quæ sunt.* Præsentibus, & existentibus bonis fruamur, diuitiis, deliciis, voluptatibus. *Et vtamur creatura*, seu rebus creatis, *tanquam in iuuentute celeriter.* more iuuenum, vel dum iuuenta potimur, *studiosè* quidem, *alacriter*, vt est in Græco loco particulæ *Celeriter.* * Si animus immortalis non esset, haud erat stulta hæc consequentia. Atqui illo errore non obcæcamur, sed credimus animam esse immortalem, eique præparatam esse æternam felicitatem, vel interminabile supplicium, debemus sic concludere: Ergò delicias, voluptates fugiamus, & rectis incumbamus operibus.] * Profectò cum video tot peccatis homines irretitos, & tam cæco impetu ad voluptates properare, timeo, ne de animæ immortalitate male sentiant: siquidem sunt prauæ illius doctrinæ sectatores.] Preme particulam, *Celeriter.* Vita enim tam breuis est, vt vel ad delinquendum, vel ad bene operandum necessarium sit quàm celeriter se gerere. Huiusmodi igitur celeritatem ad peccandum stultis relinque, de immortalitate animæ praué opinantes: & qui scis, immortalem esse animum, festinanter ad iustitiam sectandam accurre.]

Horum impiorum conclusio est, se voluptatibus tradere.

Qui scimus animam immortalē esse, cōcludimus, debere recta sectari opera.

Qui cæco impetu quærit voluptates, dat indicium, se de animi immortalitate malè sentire.

Vita tam breuis est, vt necessarium sit celeriter opera iustitiæ præstare.

Vers. 7. 8. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, perfundamus nos odoratis vnguentis, largiter pretiosum vinum hauriamus: *Et non prætereat nos flos temporis.* Græcè *Flos aeris*, tempus scilicet, serenum, quale est vernum floribus stipatum. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non perransiat luxuria nostra.* Nullum pratum expers sit *petulantia, & insolentia* nostræ, sic enim ex Græco. Et quidem in iuuenibus luxuria insolens solet esse: nullam videt fœminam, quam non cupiat habere, insolenter ad omnes inhiat deturpandas.]

Insoleas iuuenum luxuria.

3. *Vers.9. Nemo nostrum exors sit luxuria nostra, &c.* Quia tantum voluptatis habebimus, quantum in hac vita captare nouerimus: nulla enim post mortem voluptas superest.

Horum luxuria contra iustum crudelis insurgit.

Vers. 10. Opprimamus pauperem iustum, &c. Contra pauperes, contra viduas, contra senes, quibus naturali iure compassio, miseratio, reuerentia debetur pugnaces insurgamus. * Si totus impiorum horumce affectus ad luxuriem inhiat, quare crudelitatis propositum exerunt? Certè quia nunquam non vitium luxuriæ cum crudelitatis crimine colligatur.]

Vitium luxuriei admodum crudele.

Vers. 11. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ. Pro iusto ducamus, quidquid agere possumus. *Quod enim infirmum est, inutile inuenitur.* Qui pauperes sunt, aut alioquin viribus, ac potentia destituti, sibi, & aliis inutiles existunt.* O tempora, quando inutiles Reipublicæ iudicantur, qui ciuibus multiplicato exactionum arbitrio exitiali quidem non nocent.]

Inutiles Reipublicæ iudicatur, qui multiplicato exactionis arbitrio, ciuibus non nocet.

Vers. 12. Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis. Græcè, *Insidiemur iusto*, quia incommodus nobis est. Sic Græcè. Quia *intractabilis*, seu quia adduci non potest, vt ad ea, quæ volumus patrare, condescendat, & conniueat. * Magna iusti laus est, impiis esse intractabilem, ne prauo eorum consortio alliciatur, vt iustitiam deserat.] *Et contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ*, celebrat, diuulgat, quæ nos contra legem delinquimus. * An verbis eam agit diuulgationem? Minimè: nec enim deceret iustum vel impiorum peccata euulgare, eosque diffamare. Sed quidem eos vitæ infamat exemplo. Vita enim vnius pura omnium peccatorum taxat impuritatem.]

Magna iusti laus, impiis esse intractabiles.

Iusti immaculata vita arguit impiorum iniquitatem.

Vers. 13. Promittit, se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat, Iactat, se veram Dei, diuinarumque rerum habere cognitionem, & se (per gratiam) filium Dei esse affirmat, nos autem hostes, & aduersarios Dei. Hæc, & sequentia non à solis Iudæis in solum Christum, vt aliqui putarunt, sed à quibusuis impiis in quosuis iustos promiscuè iactantur.

Vers. 14. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, seu in redargutionem. Redarguit, & traducit nos, cogitationes, & consilia nostra cognoscit, doctrinam, ac mores nostros damnat.

Vers. 15. Grauis est nobis etiam ad videndum. Nec conspectum quidem illius ferre possumus sine molestia. *Quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius*, id est, multo aliæ sunt. Hispanè, *Son muy differentes* Possunt enim iusti, qui vias rectas virtutis terunt, quæ Dei viæ sunt, dictitare: *sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris*, Isa. 55.

Vers. 16. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, seu tanquam res falsa, adulterina, fucata. Græcè *Res, cui scoria admixta*, quale numisma subæratum, & adulterinum. *Et abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis; & præfert nouissima iustorum*, id est, beata esse extrema iustorum affirmat. *Et gloriatur Patrem se habere Deum.* Quid autem habet iustus, de quo iustiùs possit gloriari?

Vers. 17. 18. Videamus ergò, si sermones eius veri sint, si scilicet sit Dei filius, *& tentemus, quæ ventura sint illi*, videamus, quo tandem res eius euadant, *& sciemus, quæ erunt nouissima illius* Hispanè exponam. *Veremos, enque viene a parar su jactancia: sum Dei filius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus*

contra

contrariorum pater Deus. *Suscipiet* inquam eum, seu ei succurret. In Scriptura verbum *Suscipio*, idem est, ac *Protego*, *Defendo*. * Stulta excogitatio. Assolet enim Deus plerumque permittere vt sui filij ab impiis crucientur, ærumnis & incommodis afficiantur, vt Filio vnigenito assimilentur.]

Deus permittit suos filios ærumnis agitari, vt Christo assimilentur.

Vers.19. Contumelia, & tormento interrogemus eum, exploremus, probemus, *vt sciamus reuerentiam eius*. Græcè, mansuetudinem, æquitatem, tranquillitatem, quia etiam læsus, de vindicta non agit. * Profectò nihil efficacius ad dignoscendum, an quis sit Dei filius, seu sanctus existat, quàm iniuria si affectus sit vindictæ non det operam.] *Et probemus potentiam illius*. An possit lacessitus, & iniuriis affectus eas patienter tolerare? * Hominis virtus potentissima est, patientia in iniuria.]

Si quis affectus iniuria vindictæ nō studet, se Dei filium esse firmat.

Virtus potentissima est patientia in iniuriis.

Vers.20. Morte turpissima condemnemus eum, seu infami mortis genere. *Erit enim ei respectus ex sermonibus illius*: Græcè *Erit visitatio eius*. Id est, prout prædixit, visitabitur, respicietur, & iuuabitur à Deo. Ironia est, quo eodem Iudæi Christo Domino insultarunt, *Math.27*.

Vers.21. Hæc cogitauerunt, & errauerunt impij illi: *excæcauit enim illos malitia eorum*. * Peccata enim cum tenebræ sint, corda impiorum semper excæcant.]

Peccatum cæcitas mētis.


Vers.22. Et nescierunt Sacramenta Dei, mysteria scilicet, seu arcana iudicia. *Neque mercedem sperauerunt iustitiæ*, qui animæ immortalitatem abnegabant, *Nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum*, seu animas iustas præmio esse donandas.

Vers.23. Quoniam Deus creauit hominem, &c. Deus creauit hominem *in incorruptione*) sic Græcè) seu vt esset incorruptilis, & immortalis.

Vers.24.25. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Quia Diabolus hominis felicitati inuidens. Eum induxit ad peccandum, ex peccato autem secuta mors est. *Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius* Ex Græco *Mortem experiuntur*. quam diabolus inuexit, hi, qui sunt partis illius, nempe diaboli, seu qui illius tentationibus acquiescunt, & illum ducem sequuntur. Contrarium iustis accidit, de quibus *cap. sequentis* initio dicitur. *Iustorum animæ, &c.*

CAPVT III.

Sapiens explicat iustorum felicitatem, in quos frustra insanit impiorum sæuitia: & temporariam, ac æternam impiorum infelicitatem. Celebrat castitatem, luxuriem improperat.



1. IVSTORVM autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget
illos tormentum mortis. 2. Visi sunt oculis insipientium
mori: & æstimata est afflictio exitus illorum; 3. & quod à
nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. 4. Et si
coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immor-
talitate plena est. 5. In paucis vexari, in multis benè dis-
ponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos
se. 6. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam ac-
cepit illos, & in tempore erit respectus illorum. 7. Fulgebunt iusti, & tanquam
scintillæ in arundineto discurrent. 8. Iudicabunt nationes, & dominabuntur
populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. 9. Qui confidunt in illo, in-
telligent veritatem & fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum & pax
est electis eius. 10. Impij autem secundùm quæ cogitauerunt, correptionem habe-
bunt: qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt, 11. Sapientiam enim, &
disciplinam qui abiicit, infelix est: & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, &
inutilia opera eorum. 12. Mulieres eorum insensatæ sunt, & nequissimi filij eorum.
13. Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis: & incoinquinata, quæ ne-
sciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: 14. &
spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus
Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei ac-
ceptissima, 15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non con-
cidat radix sapientiæ. 16. Filij autem adulterorum in inconsummatione erunt, &
ab iniquo thoro semen exterminabitur. 17. Et si quidam longæ vitæ erunt, in
nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. 18. Et si
celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.
19. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

COMMEN

COMMENTARII.

1.

Iustorum felicitatem Sapiens expendit.

VERS. 1. *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt*, vt eos à truculenta impiorum (de quibus *cap.* superiori) sæuitia protegat. *Et non tanget illos tormentum mortis*, seu *cruciatus* (Græcè) qui iustos ad mentem impiorum interimat scilicet, non corpore solo, sed & anima, vti vulgò illi iactitabant. Mortem corporis sæpe inferunt iustis, animæ mortem non possunt sine iustorum voluntate inferre.

Mors animæ & nomine & re mors est horribilis.

* Porrò mors corporis hic, nec nomen quodammodo mortis habet, si cum animæ morte & re & nomine comparetur.

Vers. 2. 3. Visi sunt oculis insipientium mori, & existimata est afflictio exitus illorum ex hac vita; id est, impij putarunt obitum iustorum verè mortem esse ærumnosam, & miseram: *Et quod à nobis est iter, exterminium.* Putarunt, iter, seu abitum illorum à nobis esse exterminium, seu exitium, credentes, illos penitus interire: *Illi autem sunt in pace:* stulta illorum cogitatio, cum reuera mors iustis non sit nisi exitus à vita ærumnis plena & mortali ad vitam immortalem & felicem.

Vers. 4. 5. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt. Licet fuére tormentis exitialibus excruciati, id quod inter cruciatus sperabant pleuè & in perpetuum possidebant. Vel spe immortalitatis felicissimæ roborabantur, vt patienter tormenta sibi iucunda sustinerent.

Præmij futuri spes dulces reddit præsentes ærumnas.

* Nam spes præmij futuri dulces reddit huius mortalitatis ærumnas.] In paucis vexari, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.

Quidquid hîc patimur, parū aut nihil est præmij comparatione.

* Quidquid enim hîc patimur, parum profectò, aut nihil est, si cum cœlesti gloria componatur.] *In multis* enim *benè disponentur*, multis bonis cumulabuntur paucarum ærumnarū in præmium. *Quoniam Deus tentauit eos, probauit, & inuenit eos dignos se.* In tribulationum, & tormentorum igne expertus est eos aurum pretiosissimum esse Regia cœlest dignum.

Vers. 6. Tanquam aurum in fornace probauit illos. Gratum enim fuit Deo tormentorum sacrificium, quod Martyres, & iusti ab impiis vexati, ei obtulére, quasi esset gratissimi odoris holocaustum. *Et in tempore erit respectus illorum*, id est, suo tempore ratio illorum habebitur. Nam.

Vers. 7. 8. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Græcè *in stipula*, quæ scilicet velocissimè igne flagrat. *Iudicabunt nationes.* Math. 19. Sedebunt *iudicantes, duodecim Tribus Israel. Et dominabuntur populis*, eos scilicet iudicando. *Et regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Vnde ipsi Domino conregnabunt.

Iusti ita cum Deo identificantur, vt Deo regnante simul & ipsi regnent.

* Si de præmio iustorum agitur, videbatur aptius dicendum: *Et regnabunt in perpetuum*, & non, *Et regnabit Dominus illorum.* Certè iusti omnes ita cum Deo in superis identificantur, vt Domino regnante, simul & ipsi regnent.]

Vers. 9. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem. Qui Deo subnixi suas in eum spes collocant, veritatem ab eo edocentur: *Et fideles in dilectione, acquiescent illi.* Et qui eum fideliter amant, illi firmiter adhærescent. *Quoniam donum, & pax est electis eius.* Græcè, *Pax & misericordia:*

Pace homines frui magnū Dei donum est, & egregiū misericordiæ documentum.

* Aptè ait *Donum & pax, misericordia & pax.* Donum enim ac misericordia Dei per antonomasiam profectò est pace potiri spirituali iustos. Imo & pace temporali homines frui donum egregium est, & magnæ misericordiæ documentum.]

2.

Impiorum infelicitatē depingit.

Vers. 10. Impij autem secundùm quæ cogitauerunt, seu vt merentur eorum cogitata, *correptionem habebunt*, punientur. *Qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt*, negligentes sectari iustitiam, quæ ad Deum ducit, contrariam terentes viam recesserunt ab eo.

Vers. 11. Sapientiam enim & disciplinam qui abiicit, infelix est, &c. Qui Dei legem contemnit, instar infelicis, nihil vtiliter operatur.

Plus in hac vita patiuntur impij quā iusti.

* Preme illud: *Et labores sine fructu.* Quorsnam impij voluptatibus addicti, agitantur laboribus, si nullum pratum est quo luxuria eorum non pertranseat? Certè dum vitiis student, grauioribus, ac iusti, incommodis afficiuntur; quia vitiorum iter pungentibus semper spinis abundat.] Nonnullas eorum ærumnas exponam.

Vers. 12. 13. 14. 15. Mulieres eorum insensatæ sunt. Eorum mulieres erunt insipientes, fatuæ, adulteræ.

Grauissimum mariti flagellum, vxorē fatuam sustinere.

Certè vxorem fatuam sustinere, grauissimum marito flagellum est.] *Et nequissimi filij eorum.* Quantumuis parens impius sit, de filij dolet impietate.

Filius quasi hæreditario iure parentis impietatem sectatur.

* Profectò in supplicium accidit parenti impio, eius filium veluti hæreditario iure iniustitiam & iniquitatem sectari.] *Maledicta creatura eorum*, generatio, progenies, & quidquid ex creatis possident: *Quoniam felix est sterilis, &c.* Præstat esse sterilem, labe tamen peccati non coinquinatam, quàm filios ex adulterio habere. Vndè feliciter agit sterilis, qui fidem marito datam non fefellit nec thorum eius violauit. *Habebit fructum in respectione animarum sanctarum*, Græcè, *In visitatione animarum*, cum scilicet singulorum merita visitabuntur.

Se vxor sanctam ostendit, dum videt maritum luxuriari, & tamen casta est.

* *Animarum*, inquam, *sanctarum.* Fœmina enim impio viro nupta, quæ fidem ei seruat, se sanctam omninò profitetur. Nam videre vxorem, suum maritum alienas sectari voluptates, assolet eam ad vindictam, illicitos amores admittendo, vel etiam procurando.] *Et spado, qui non operatus per manus suas iniquitatem &c.* Eunuchus, qui nec opere, nec cogitatu vel desiderio sese huiusmodi sordibus inquinauit, maximè si sese spontè castrarit propter Regnum cœlorum voto, vel firmo perpetuæ continentiæ proposito: magnum præmium accipiet. *Dabitur enim illi fidei donum electum, &c.* Recipiet insigne fidei præmium. Sed quodnam hoc erit? Munus & portio inter sacros Ministros optima, iucundissima, ipsisque admodum grata. Alludit ad *Deut.* 23. vbi spadones ab Ecclesia Dei arcentur. Quasi diceret, Etsi naturales, seu corporales spadones ab Ecclesia excludantur: tamen spirituales illi vel metaphorici spadones ab ea non excludentur, quin potius primum in ea, ac præcipuum locum tenebunt, ad nobilissima illius munia adhibebuntur, & fructibus eius optimis perfruentur. * *Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix Sapientiæ.* Fructibus inquam gloriosissimis potientur, nempe radice Sapientiæ, id est, Sapientia cœlesti firmiter in eis radicata, & infixa. Quæ

non concidat, nec vnquam depereat, aut emarcescat. * Castis enim liberalissimè communicantur orationis, ac meditationis gratia, & reliqua Sapientiæ cœlestis fercula, quibus longè suauius delicientur, quàm coniugati omnibus coniugij sui bonis.]

Castis liberalissimè gratia orationis, ac contemplationis communicatur.

Vers. 16. *Filij autem adulterorum in consummatione erunt*, seu erunt imperfecti, & immaturi, quia ante tempus & antequam frustum vllum edant, peribunt. *Et ab iniquo thoro semen exterminabitur*, id est, filij ab iniquo thoro profecti, & geniti exterminabuntur. * Vel aptius fortassè, coniugi adultero legitima proles denegabitur. Cum ergo conquereris, quod diuitiis legitimum hæredem non habeas, qui alienis voluptatibus captandis studes?]

3. *Illegitimi filij ærumnas astant.*

Adultero coniugi legitima proles allolet a Deo denegari.

Vers. 17. *Etsi quidem longæ vitæ erunt*, &c. Quod si contingat aliquando è viuis adulterij filios non exterminari, sed longam vitam ducere, nihili ab omnibus fient, & vel in senecta, quam omnes assolent venerari, ab omnibus despicientur. * Certè in supplicium filiis adulterinis longa vita datur. Satius enim est mori, quàm vitam infamem cunctis odiosam ducere. Huiusmodi autem supplicio non filio, sed parenti adultero præparatur.]

Filiis spuriis diu viuentibus, diuturna vita supplicium est parenti adultero.

Vers. 18. 19. *Etsi celerius defuncti fuerint, non habebunt spem*, scilicet apud Deum, cum sint scelesti. * Vndenam colligit Sapiens scelestos eos fore, si scelus filij non est, à patre vel matre adultera prodire? Certè quia plerumque eiusmodi filij scelesto parenti solet assimilari.] *Nec in die agnitionis allocutionem.* Græcè, *Nec in die discretionis vel iudicij* habebit *consolationem*, sciens enim, se ex illegitimo thoro esse natum, maxima, si verè ad discretionis & iudicij, seu prudentiæ diem peruenit, tristitia afficietur. * Stultus enim erit filius illegitimus, si de huiusmodi non doleat ærumna.] *Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.* Græcè, *generationis*. Id est, Iniquæ huiusmodi generationes habent exitus infelices.

Filius ex adultero solet parenti scelesto assimilari.

Stultus est filius illegitimus, qui de huiusmodi ærumna non doleat.

CAPVT IV.

Confert Sapiens iustos cælibes cum adultera prole. Illos prosperè semper agere, hos infeliciter: tandem illos præmio potiri, hos supplicio æterno affici concludit.

1. QVAM pulchra est casta generatio cum charitate: immortalis
est enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, &
apud homines. 2. Cùm præsens est, imitantur illam: & desi-
derant eam cùm se eduxerit, & in perpetuum coronata trium-
phat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. 3.
Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, &
spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile
firmamentum collocabunt 4. Et si in ramis in tempore germinauerint, infir-
miter posita, à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabun-
tur. 5. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, &
acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. 6. Ex iniquis enim somnis filij qui
nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua. 7. Iu-
stus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 8. Senectus enim
venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani au-
tem sunt sensus hominis. 9. & ætas senectutis vita immaculata. 10. Placens
Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. 11. raptus est
ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.
12. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ
transuertit sensum sine malitia. 13. Consummatus in breui expleuit tempora
multa: 14. placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere
illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, & non intelligentes,
nec ponentes in præcordiis talia: 15. quoniam gratia Dei, & misericordia
est in sanctos eius, & respectus in electos illius. 16. Condemnat autem iustus
mortuus viuos impios, & iuuentus celeriùs consummata, longam vitam in-
iusti. 17. Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de
illo Deus, & quare muniuerit illum Dominus. 18. Videbunt & contemnent
eum: illos autem Dominus irridebit. 19. & erunt post hæc decidentes sine ho-
nore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos
inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supre-
mum desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit. 20. Venient
in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates
ipsorum.

COMMEN

COMMENTARII.

1. VERS. 1. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate.* Præclarius est ad elegantiam decoris, & firmius ad nominis immortalitatem à filiorum procreatione, licita licet, abstinere ob virtutis studium, quàm illos suscipere. Fit comparatio cum præcedentibus, vbi de filiis adulterorum sermo præcessit. Græcè, *Melior est carentia filiorum cum virtute.* * Vndè coniuges, qui virtuti student, colligent, se minimè sterilitate laborare, qui quotidie virtutis immortales fœtus enituntur.] *Immortalis enim est memoria illius, &c.* Nam si coniuges filios habere expetunt, suam vt memoriam æternam faciant qui virtutis actus egregios proferunt, apud Deum, in quem non cadit obliuio immortalem, & apud homines diuturnam admodum nanciscuntur. * Testor eos, qui aliquod pium opus, v. gr. Xenedochium, Monasterium, &c. suis opibus excitant, quorum memoria quotidie reflorescit, dum mundi proceres opibus & filiis redundantes immatura obruit obliuio.]

Cælibes iusti à Sapiente laudantur.

Steriles ne dixeris eos, qui virtuti student.

Æterna est memoria eorum qui Xenedochium suis opibus ædificant.

Vers. 2. Cum præsens est, imitantur illam. Sic apud homines nota est casta generatio, vt præsentem mirentur, & aliqui conentur imitari. *Et desiderant eam, cum se eduxerit,* seu cum absens sit, sui relinquit desiderium. *Et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Id est, æternum triumphat, percipiens de incontaminato certamine præmium vincens, seu victor.

2. *Vers. 3. Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis.* Multitudo filiorum, quos impij suscipiunt, inutilis prorsus Reipublicæ erit. *Et spuria vitulamina non dabunt radices altas.* Græcè, Adulterinæ *plantationes* firmas non habent radices. Hispanè dixerim, *Hijos spurios se logran poco. Nec stabile firmamentum collocabunt.* * Vndè sine radicis vi marcescunt, dum viuunt: & sine fundamine corruit illicò ædificatio.]

Impiorum de fœtibus vituperium.

Filij spurij breuis sæpè vitæ.

Vers. 4. Etsi in ramis in tempore germinauerint, &c. Hi filij ad tempus, breue quidem, videntur germina proferre, sed tamen cum radix infirmiter posita, seu collocata est, ventorum agnatæ infelicitatis vi illicò corruunt. * Agnata enim est filiis ex peccato genitis infelicitas.]

Filiis ex peccato genitis agnata est infelicitas.

Vers. 5. Confringentur enim rami inconsummati, seu rami huiusce non radicatæ arboris facile confringentur, quia perfectionem & robur non habent. *Et fructus illorum,* si fortè aliqualem emittunt, *inutiles* planè, *& acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* * Si aliquando vidisti aliquem ex huiusmodi filiis publico muneri addictum, ô quàm acerbos fructus esse fueris expertus! Attamen virtutis exercitamentum omissa non semel naturæ acerbis dulcorauit.]

Viri spurij acerbitas in gubernatione, aut regimine.

Vers. 6. Ex iniquis enim somnis filij qui nascuntur, &c. Filij, qui ex iniquo concubitu, somno simili procedunt, testificantur parentum adulterium, si quis inquirat, vnde sint orti.

3. *Vers. 7. 8. 9. Iustus autem si morte præoccupatus fuerit in refrigerio, siue in requie erit. Senectus*

enim venerabilis est non diuturna, nec annorum numero computata. * Non enim senes venerabiles exponuntur ob annorum multiplicitatem, sed virtutum ornamenta.] *Cani autem sunt sensus hominis.* Qui Sapiens est & virtute fulgens satis senex, ac canus est. *Et ætas senectutis vita immaculata,* licet in adolescente, vel puerulo existat.

Immatura iustorum mors commendatur.

Senex non sunt venerabiles propter canos, sed ob virtutes.

Vers. 10. 11. Placens Deo factus est dilectus. Placens (ex Græco) factus Deo, dilectus est: *& viuens inter peccatores, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Is, qui Deo placebat, dilectus est, & hoc beneficio ideo affectus, quod cum inter peccatores viueret, raptus, seu translatus ab hoc sæculo fuit; ne ex prauorum societate infectus, malitia eius mutaret intelligentiam, vel sensum vel dolus cum ad voluptates mundi distraheret. * Mors equidem immatura sæpe diuinæ dilectionis est documentum sic. *Enoch olim placuit Deo, & translatus est in paradisum.* Gen. 5.

Diuinæ dilectionis documentũ sæpè est immatura mors.

Vers. 11. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona. Malitia & iniustitia specie honesti obiecta oculos mentis sæpe perstringit, vt quæ verè bona sunt, non videant: & è contra bona putent, quæ verè sunt mala. Græcè. *Fascinum leue, vile, nullius pretij.* * Et quidem diuitiæ, voluptates, honores, & quæque mundi bona fascinũ leue sunt, ideò bona nihili æstimanda.] *Et inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.* Impetus concupiscentiæ, quo agimur, & rotamur, eruit, effodit, immutat, & euertit animum malitiæ expertem. Cum autem concupiscentiæ fræna laxantur, omnis innocentia corrumpitur colluuie vitiorum. * Preme verbum *Transuertit,* cuius loco est in Græco *Euertit sensum,* Alij addunt, *vt solent metalla cum effodiuntur.* Qui argenti viui venas effodiunt, vi metalli penetrantis illius & sensu & viribus conturbati recedunt. Vulgariter expendam, *Saltea azogados depies à caueza.* Haud aliter qui voluptatibus (magno quidem labore) captandis incumbunt, mentis laborant conturbatione.]

Diuitiæ voluptates, & mundi alia quæque sunt fascinum leue, & nullius pretij bona.

Voluptates mentem conturbant.

Vers. 13. 14. 15. Consummatus in breui expleuit tempora multa. Non diu in hac vita commoratus, perfectionem virtutis adeptus est, illudque confecit spatium, quod alij longo tempore decurrunt. *Placita enim erat Deo anima illius, &c.* * Mirabile enim est, iustum diu inter peccatores degentem sine malitia conseruari. Ideò miramur tanta Iobum puritate nituisse, quam tot sociorum Husitarum impietas non peruerterit.] *Populi autem videntes, & non intelligentes, &c.* Vulgus verò, & impij aspiciunt celerem talium è vita eductionem, & non intelligunt, nec mente callent, talia ex speciali Dei misericordia iustis euenire. *Quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos eius.* Hoc est quod vulgus non percipit, nec Dei specialem esse iustorum, seu prædestinatorum prouidentiam attendunt.

Mirabile est, quandiu iustũ inter prauos degentem, iustitiã conseruare.

Vers. 16. Condemnat autem iustus mortuus viuos impios. Quia iusti nomen & gloria, & diuersitas morum, & studiorum fert quodammodo contra ipsos sententiam. * Et videntur definite, viuentes impios longam vitam in scelerum recepisse supplicium. Quia multiplicatis longa vita sceleribus pœna multiplicabitur.]

Impius aliquando in supplicium longam vitam ducit.

bitur.] *Et iuuentus celerius consummata longam vitam iniusti.* Et iustus breuem vitam ducens condemnat longam vitam iniqui. Quia breui tempore multum in virtute profecit, impius verò diuturno nihil.

Vers. 17. *Videbunt enim finem Sapientis,* aspicient stulti viri iusti immaturam mortem. *Et non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus,* seu quonam consilio, quanam prouidentia Deus id gesserit, ignorabunt, *& quare muniuerit illum Deus,* seu securum illum fecerit, in locum tutum ducendo, non callebunt.

Vers. 18. 19. *Videbunt, & contemnent eum,* non intelligentes diuinæ prouidentiæ consilium, putabunt, infelicem eum fuisse, qui tam cito fuit extinctus. *Illos autem Dominus irridebit, &c.* Post diuturnam in deliciis absumptam vitam despecti ab omnibus corpore & animo morientur socij eorum, qui æterno supplicio torquebuntur. * Hæc plerumque hic impiorum pœna, vt morte infami decedant è viuis.] *Quoniam disrumpet illos inflatos, sine voce.* Deus conteret impios superbos, non habentes quid dicant, vel conquerantur. *Et commouebit illos à fundamentis, &c.* vsque ad extremum excidet ædificium. Vulgari idiomate exponam. *No queda del impio piedra sobre piedra. Et erunt gementes,* serò quidem, *& memoria illorum peribit.*

Plerumque impius infami morte decedit.

Vers. 20. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi.* Cogitabunt, & quasi computabunt sibi timentes grandem summam iniquitatum. *Et traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.* Græcè, & conuincent, coarguent, palam declarabunt, & ante omnium oculos proponent suas iniquitates. *Ex aduerso* quidem. Non enim erit tunc opus aliena vel accusatione, vel testimonio, vt impij conuincantur. Conscientia erit pro mille testibus, & ipsa scelera quasi ex aduerso stantia illos redarguent. * Preme illud. *Venient in cogitatione peccatorum suorum.* In tartaro enim crudelissima tortura erit amara admodum peccatorum recordatio.]

Crudelissima damnatis erit tortura peccatorum æterna recordatio.

CAPVT V.

Fletum impiorum inutilem Sapiens exprimit, & horribile eorum supplicium manifestat.

1. TVNC stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se
angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. 2. Vi-
dentes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subi-
tatione insperatæ salutis, 3. dicentes intra se, pœnitentiam
agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos ha-
buimus aliquando in derisum, & in similitudinem imprope-
rij. 4. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam,
& finem illorum sine honore: 5. ecce quomodo computati sunt inter filios Dei,
& inter sanctos sors illorum est. 6. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lu-
men non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. 7. Lassati sumus in
via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini
ignorauimus. 8. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid con-
tulit nobis? 9. Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius per-
currens, 10. & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius, cùm
præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus:
11. aut tanquam auis, quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum
itineris, sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventũ, & scindens per vim itine-
ris aërem: commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenietur itineris
illius: 12. aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò
in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius: 13. sic & nos nati continuò desi-
uimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate
autem nostra consumpti sumus. 14. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaue-
runt: 15. quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tan-
quam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus, qui à vento
diffusus est: & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis. 16. Iusti au-
tem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio il-
lorum apud Altissimum. 17. Ideò accipient regnum decoris, & diadema speciei
de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet
illos. 18. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem ini-
micorum. 19. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium cer-
tum. 20. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem: 21. acuet autem duram

iram

iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. 22. Ibunt
directè emissiones fulgurum, & tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. 23. Et à petrosa ira plenæ mittentur gran-
dines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. 24. Contra
illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos: & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet sedes potentium.

COMMENTARII.

1\. *Memorat Sapiens inutilem impiorum fletum.*



ERS. 1. *Tunc*, seu in morte *stabunt iusti in magna constantia* consistent coram diuino tribunali constantes, confidentes, intrepidi, *aduersus eos impios, qui se angustiauerunt*, qui eos affecerunt angustia: *Et qui abstulerunt labores eorum*, seu fructus laborum, res scilicet, & bona, quæ sibi suo labore pepererant. * Agit hîc maximè de Iudicibus iniquis pauperum expilatoribus, & de iis, qui seruientes, seu laborantes sua mercede defraudant. Quibus strictum iudicium.

Iudici pauperis expilatori, & mercenarium sua mercede fraudanti iudiciũ strictum præparatur.

Vers. 2. 3. Videntes turbabuntur, &c. Græcè, stupebunt, & in extasim rapientur propter inopinatam & inexpectatam Salutem ac felicitatem, quæ subitò iustis obuenit. *Dicentes* scilicet, *intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*, non seriam pœnitentiam, quæ sit actus virtutis, sed fictam, & seram quam desperatio & tormenta exprimunt: *Hi sunt, quos habuimus aliquandò in derisum, & in similitudinem improperij* Græcè, *In parabolam*, in prouerbium. Nam cum vellemus aliquem ludibrio habere, vel probris ac contumeliis configere, dicebamus: Fias sicut ille sordidus. * Ne pauperem afflictum ac nudum spernas fortasse ex iustitia plus Deo gratum quàm sæculi Principes.]

Ne pauperem spernas afflictũ, fortasse ex iustitia magis Deo gratum, quàm Reges.

Vers. 4. 5. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem eorum, seu obitum *sine honore*, siue honore indignum. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, &c.** Vt ediscas, ex specie externa animi merita, vel demerita non rimari: Dei enim sunt occulta iudicia & sub sordido cortice succus solet suauissimus latitare.]

Ex externa specie animi merita non computanda.

Vers. 6. Ergo errauimus à via veritatis, &c. Licet enim radij cœlestis solis, seu gratiæ diuinæ omnibus sufficienter præstetur: tamen impiis, excæcatis & obstinatis non lucent de facto, seu efficaciter, cum illos corde suo excludant, aditum denegant, præpediantque, nè efficaciter penetrent.

Vers. 7. Lassati sumus in via iniquitatis, &c. * Quid mirum, tanta impij lassitudine fuisse affectos si viam virtutis floridam deserentes, viam iniquitatis inierunt desertam à Deo, ab Angelis, ab omni bono, virtutibus vacuam, & inaccessam, à dæmonibus infessam, tenebrosam, inuolutam mille molestiis, mille periculis refertam, à salute remotissimam, ad æternam desolationem ac perditionem deducentem.] * Verè insensatus, qui tam immenso labore damnationem acquirit, qui facilius admodum, imò gratis poterat æternam felicitatem comparare.] *Viam autem Domini ignorauimus* esse placidam, facilem, directam, floridam, planam Deo, & Angelis peruiam.

Quàm difficilis, & aspera perditionis via.

Verè insensatus, qui immenso labore damnationem acquirit.

Vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Quid nobis profuit superbia, aut fastus sæculi? Aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis ad statum æternum? Diuitiæ etenim periere nobis æternùm miseris. *Transierunt omnia illa tanquam vmbra. Et tanquam nuncius percurrens.* Græcè, *Tanquam nuncium, vel fama prætercurrens.* * Diuitiæ fallaces aptè quidem prætercurrenti nuncio comparantur, quod velociter auolat, & plerumque si faustum sit mendax deprehenditur.] *Et tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam; cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire, nec semitam carinæ illius in fluctibus. Aut tanquam auis, quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum*, seu iudicium, signum *itineris; sed tantum sonitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aerem, &c. Per vim* inquam *itineris*, seu violento impetu ac motu, quo stridor excitatur. *Aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum*, seu in scopum, *diuisus aer continuo in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius.* Sagittæ. *Sic & nos nati continuo desiuimus esse*, breuissimum namque est huius vitæ tempus: *Et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere*, quia noluimus. * Dicunt impij. Non possumus piè viuere. Deprauata voluntas sic tenaciter vitia amplectitur, vt videatur sibi impossibile esse rectitudinem inchoare.] *In malignitate autem nostra consumpti sumus*, siue in peccatis nostris. * Peccata enim non solùm animam perdunt; sed & corporis valetudinem corrumpunt.]

Nuncium faustum plerumque mendax.

Deprauatæ volũtati virtus impossibilis videtur.

Peccata corporis corrũpunt valetudinem.

Vers. 14. 15. Talia dixerant in inferno hi, qui peccauerunt. Heu miseri, qui si eadem semel dicerent, dum superstites erant, Domino, seu confessario, non æternum sine fructu replicarent.] *Quoniam spes impij tanquam lanugo est quæ à vento tollitur, &c.* * Pro verbo illo. *Quoniam spes impij*, posuéte. *Quoniam felicitas impij.* Quid cum spe felicitati, si felicitas possidetur, spes verò ad futura respicit? Certè possessio felicitatis impiorum, non est possessio; sed spes, nunquam etenim extat; seu tam breuis est, vt prorsus non esse videatur. Vndè hisce rebus velociter prætereuntibus appositè comparatur.]

2\. *Horribile impiorum supplicium describit.*

Felicitas impij semper est spes, quia extare non videtur, etiam cum acquiritur.

Vers. 16. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces, seu præmium eorum. *Et cogitatio illorum apud Altissimum.* Deo adest cura, solicitudo, seu cogitatio prouidendi iustis, eosque tuendi. * Nam dum iustus attentè cogitat, quonammodo Deo impensius seruiat: videtur Deus attentè secum excogitare, quonammodò eorum incolumitati, & vtilitati, & præmio dabit operam.]

Dum iustus cogitat, quomodo Deo impẽsius seruiet, Deus quasi cogitat quomodo impensius eum tuetabitur, & præmio donabit.

Vers. 17. Ideò accipient Regnum decoris, seu Regnum ornatissimum, pulcherrimum, maximéque decorum: *& diadema speciei* seu coro-

nam speciosissimam *de manu Domini.* Diadema, vitta, vel fascia erat, qua capitis tempora circuminligabantur, insigne Regni seu victoriæ. * Iusti autem & victores & Reges erunt gloriosissimi.] *Quoniam dextera sua reges eos, & brachio sancto suo defendet illos*, ne ab hostibus inuisibilibus superentur, sed triumphum agant, & diadema stipentur.

Iusti victores erunt, & Reges, queis diadema præparatur.

Vers. 18. 19. Accipiet armaturam zelus eius. Græcè, *zelum* Id est, armabit se zelo suo. *Et armabit creaturam ad vltionem inimicorum*, creaturarum exercitum in aciem educet, vt inimicos vlciscatur. *Induet pro thorace iustitiam*, Deo enim loco armorum virtutes suæ sunt: *Et accipiet pro galea iudicium certum*, Græcè, *sincerum*, non fictum, sed plenum æquitatis. Non erit hypocrita, aut ficta persona, nec dissimulabit, aut sibi imponi patietur, sed verè ac seuerè iudicabit. * Cum igitur Dominus intendit impios, terrore afficeret se totum armatum ostētat: arma autem sunt *Iustitia & Iudicium:* Vt innuatur quam horribile sit iudicium, quod loco galeæ fortissimæ Deus capiti pugnaturus accommodat.

Iudicij dies horribilis ad modum peccatori.

Vers. 20. 21. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem, &c. Hic erit Dei exercitus, & copiæ militares, nempè creaturæ omnes quæ tum in impios exsurgent vltaræ suas & Domini sui iniurias. Siquidem peccatores creaturis abutuntur ad voluptates suas contra Domini voluntatem. Vndè ignominia affectæ in peccatores crudeliores exsurgent. * Dei munere homines creaturas acceperunt, & iudicij instantia horribiliores hominis ingrati hostes adeunt beneficia, quibus illi fuerint abusi.] Nam tunc.

Dei beneficia horribiliores homini ingrato hostes iudicij die.

Vers. 22. Ibunt directè emissiones fulgurum, seu fulgura directe emissa, & contorta, quæ nusquam aberrent: *Et tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, &c.* Hæc fulgura è nubibus emittentur velut ab arcu vehementer inflexo, quo possit maiore vi ferire & ad propositum à Deo scopum attingent. Sic videmus fulgure absumi ensem intacta vagina: liquefieri æs intacta crumena: ossa comminui carne illæsa: ouum absumi & vinum exhauriri, integro putamine ac dolio Sic in Ægypto plagæ feriebant Ægyptios Israelitis illæsis. Quis non timebit Dei irati sagittam in impium intortam, nunquam ab scopo aberrantem?]

Timeat peccator Dei irati sagittam nunquam ab scopo aberrantem.

Vers. 23. Et à petrosa ira plena mittentur grandines. Græcè, *ab ira* petras iaciente vibrabuntur grandines solidæ magnæ. Alludit ad catapultas, seu tormenta bellica, Et *excandescet in illos aqua maris*, Græcè, *exardescet, efferuescet*, vt fit in æstu illius extraordinario. *Et flumina concurrent duriter.* Græcè, *Inundabunt præcipitanter*, quasi quoddam diluuium, disruptis violentè aggeribus, superfundentur agris.

Vers. 24. Contra illos stabit Spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos, &c. Ex Græco, Ventus vehemens ad solitudinem & desolationem omnem regionem rediget. Origo autem omnium malorum est iniquitas & malignitas impiorum. * Cum videris Regna iacere, & Vrbes in deserta conuerti, pro certo habe, ciuium peccata, tantæ desolationis esse originem.] Agitur hic de pœnis, quibus impij inuoluentur tùm ante, tùm post iudicium vniuersale; id est tùm Antichristi tempore, tùm tempore conflagrationis, & euersionis mundi, terra sub impiorum pedibus dehiscente, & mari ex suis alueis vndique vt terram obruat, & inuoluat erumpente.

Desolationis Regni origo sunt ciuium peccata.

CAPVT VI.

Sapiens hortatur Principes ac Magistratus, vt Sapientiam amplectantur, quâ rectè suo munere fungi, & Regnum suum stabilire valeant: alioqui Deum seuerum vindicem experturos: Demùm promittit, se viam ostensurum, qua Sapientiam assequantur.



1. MELIOR est Sapientia quàm vires: & vir prudens quàm
fortis. 2. Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices
finium terræ. 3. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: 4. quoniam
data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo,
qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur:
5. quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. 6. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his,
qui præsunt, fiet. 7. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. 8. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec
verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, &
æqualiter cura est illi de omnibus. 9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.
10. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis Sapientiam, & non excidatis. 11. Qui enim custodierint iusta iustè, iustificabuntur: & qui didicerint ista,
inuenient

inuenient quid respondeat. 12. Concupiscite ergo sermones meos; diligite illos,
& habebitis disciplinam. 13. Clara est, & quæ nunquam marcescit Sapientia, &
facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam.
14. Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. 15. Qui de luce
vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet.
16. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus: & qui vigilauerit propter illam,
citò securus erit. 17. Quoniam dignos seipsa circuit quærens, & in viis ostendit se
illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis. 18. Initium enim illius verissima
est disciplinæ concupiscentia. 19. Cura ergo disciplinæ, dilectio est: & dilectio,
custodia legum illius est: custoditio autem legum, consummatio incorruptionis
est: 20. Incorruptio autem facit esse proximum Deo. 21. Concupiscentia itaque Sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. 22. Si ergo delectamini sedibus &
sceptris, ô reges populi, diligite Sapientiam, vt in perpetuum regnetis. 23. diligite lumen Sapientiæ, omnes qui præestis populis. 24. Quid est autem Sapientia,
& quemadmodum facta sit referam: & non abscondam à vobis sacramenta Dei, sed
ab initio natiuitatis inuestigabo, & ponam in lucem scientiam illius, & non præteribo veritatem: 25. neque cum inuidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps Sapientiæ. 26. Multitudo autem Sapientium sanitas est orbis terrarum: & rex Sapiens stabilimentum populi est. 27. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.

COMMENTARII.

I. *Hortatur Principes vt Sapientiam amplectantur.*



VERS. 1. *Melior est Sapientia, quam vires,* siue naturales, siue militares. * Vnde Reges attendant, feliciores effectus Imperio obuenire ex Sapientum Ministrorum gubernatione, quàm ex bellico plurium copiarum apparatu.] *Et vir prudens quam fortis.* Prudentis enim Consiliarij monitum ità assolet Regum differentias componere, vt necesse non sit belli violentiam appellare.

Feliciores Imperio obueniunt effectus ex Ministroru Sapiẽtia, quam ex copiarum apparatu.

Vers. 2. Audite ergò Reges, & intelligite: discite Iudices finium terræ. Iudices monet vt discant Sapientiam necessariam quidem ad munus suum rectè obeundum. Reges vero vt audiant, & intelligant: audiant scilicet prudentum monita circa Regni statum, & intelligant, vndè querelæ subditorum procedant. * Huiusce auditionis & intelligentiæ defectus in Regibus Regni parit exitium.]

Rex non audiens, & non intelligens Regni statum ei parat exitium.

Vers. 3.4.5. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, seu qui multitudini dominamini, *& placetis vobis in turbis nationum,* & placet vobis, vel gaudetis, quod multas nationes subiectas habeatis. Loquitur non omnibus Regibus, sed quibus id placet. Multi enim Reges prudentissimi malunt hæreditariis terminis contineri, quàm eorum productioni incumbere. * Vt enim alienum quocumque iure acquirant, propria bellis ac exactionibus imminuunt.] *Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit,* seu examini stricto addicet, *opera vestra, & cogitationes scrutabitur, &c.* * Attendant Reges Deum dominum esse Regni; eos autem Regni non dominos, sed Ministros. Regni Domino de eius administratione rationem reddituros.]

Satius Regibus hæreditarias nationes defendere, quàm alienas procurare.

Reges non sunt Regni Domini, sed Ministri vero Regi reddituri de Ministerio rationem.

Vers. 6.7. Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt fiet. Breui superueniet vobis iudicium seuerum, exactum & à Iudice inexorabili. Præsulibus enim horribile iudicium præparatur. Quod cum alios iudicant, deberent præ oculis habere. Rectitudine namque sui iudicij Dei iudicij auferet horrorem.] *Exiguo enim conceditur misericordia* pauperi, vulgari plebeio, qui non præest aliis, mitiorem se Iudex cœlestis exhibebit: *Potentes autem potenter tormenta patientur.*

Iudex cum alios iudicat, horribile iudicium sibi imminens præ oculis habeat.

Vers. 8.9. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, non accipiet personam, quia Rex, quia Pontifex summus: *nec verebitur magnitudinem cuiusquam, &c.* Princeps & plebeius æqualiter Dei sunt creaturæ: *& æqualiter cura est illi de omnibus*: omnes Dei prouidentia fouet. Non negatur hìc quod Deus magis amet, & curet iustos, quàm impios, vt somniarunt Pelagiani; vel quod pro variis hominum conditionibus & finibus varia naturalia, vel supernaturalia designet auxilia, vt Cassianus, Faustus, & alij Semipelagiani volebant. Solum asserit Sapiens, nullum omninò hominem subtrahi à prouidentia, & cura diuina, debitaque retributione seu præmiorum, seu pœnarum. *Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Græcè, *scrutatio,* inquisitio, & secundùm meritum ac mensuram repertorum criminum seuerior sequitur sententia, & amplior cruciatio. * Certè Proceribus dirior plerumque imminet pœna, quia ex potentia, ex diuitiarum adminiculo solent vberiori iniquitati operam exhibere.] * Preme particulam. *Fortior instat cruciatio,* Græcè *scrutatio.* Cur scrutatio, seu examen illud cruciatio appellatur, quæ solet examen & sententiam consequi, non præcedere? Plane quia scrutatio illa & examinatio tam horribilis est vt cruciatio gehennæ aptè valeat appellari.]

Potentes in sæculo solẽt plerumque magis delinquere, quàm pauperes.

Procerum examen à Iudice cœlesti tam horribile est, vt possit gehennæ cruciatio appellari.

Vers. 10. 11. 12. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones, vt discatis Sapientiam, & non excedatis. Regno, vel statu vestro, vel iustitia. *Qui enim custodierint iustè, iustificabuntur: & qui didicerint ista,* & probe calluerint nempe iustitiam, & sanctitatem: *inuenient quid respondeant.* Græcè.

Habe

Habebunt apologiam, seu defensionem, qua tum in rebus aduersis, tū in iudicio diuino se tueantur, vbi impij prorsus ob mutescent. Expende illud: *Et qui didicerint ista inuenient quid respondeant.* * Videtur addendum. *Et fecerint*, quæ didicerint. Non enim sufficit discere, si quod discitur, executioni non traditur. Profectò Sapiens appositè solummodo dixit, *Et qui didicerint ista.* Qui enim vere ac plene discit virtutis monita, quomodo potest eam non sectari, si eo ipso quod ab eis recedat, sese penitus insipientem, & stultum ostentat.] *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.* Græce, *erudiemini.*

Qui verè discit virtutis dogmata quomodo potest ea non sectari.

Vers. 13. 14. 15 16. Clara est, & quæ nunquam marcescit, Sapientia, non perit vnquam, non interit, non concorrumpitur. *Et facile videtur ab his, qui diligunt eam.* * Videtur quidem facile, & cuilibet aspicienti eius pulchritudo delectat: sed non facile acquiritur, sed post studij impigram solicitudinem] Vndè addit, *Et inuenitur ab his, qui quærunt illam* studij labore. *Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit*, illam requirens: *assidentem enim illam foribus suis inueniet*, ad illius studium inuitans. *Cogitare ergo de illa: sensus est consummatus.* Cogitare de illa adipiscenda, & solicitè id curare *Sapientiæ* (Græcè) *perfectio* est. *Et qui vigilauerit propter illam, citò securus erit.* Græcè, *sine cura.* * Nam Sapientia demit solicitudines, & inanes curas expellit.]

Facilè videtur Sapientiæ decor, sed nō facilè acquiritur.

Sapientia expellit sæculares solicitudines.

Vers. 17. 18. Quoniam dignos, seu ingenio præditos, *seipsa circuit quærens: & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.* Passim, & quocumque homines diuerterint, se ingerit consiliis eorum, & ad quoduis negotium seu disponendum, seu suscipiendum menti eorum præsto adest. *Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.* Initium verissimum Sapientiæ est eam enixè concupiscere, aut expetere. * Et quidem omnium negotiorum felix euentus ex affectu & concupiscentia, aut desiderio consequendi, quo quis operatur maximè pendet.]

Cuiuslibet euentus felicitas maximè pēdet ex affectu, quo procuratur.

Vers. 19. Cura ergo disciplinæ dilectio est. Ex concupiscentia disciplinæ oritur cura, vel diligentia eam adipiscendi: *Et dilectio custodia legum illius est.* Ex dilectione verò Sapientiæ sequitur Dei dilectio. Nam qui sciendo vt oportet, proficit, in Dei amore crescit: amor autem huiusmodi diuinæ legis allicit ad custodiam. * Nec dubium, quin Sapientia maximè prosit ad virtutem.] *Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est.* Legum custodia causat incorruptionem integritatis tùm animæ, tum corporis. Vel (vt aliqui legunt) *corroborationem immortalitatis*, quæ est incorruptio æterna, & perfecta, cuius illa altera semen quidem est. * Mihi credite litterarum studium maximè ad salutem animi conferre: otij enim omnium vitiorumq; originis insidiæ præcauentur.]

Sapientia maximè ad virtutē prodest.

Studium litterarū ad salutem animi maximè cōfert.

Vers. 20. Incorruptio autem, vitæ, quæ Sapientiâ acquiritur, *facit* hominem *esse proximum Deo*, seu proximè ad Deum accedere, illique esse simillimum tum in animo per sanctitatem, tùm in corpore per continentiam, & integritatem. * Sapiens & sanctus Princeps (de hoc hìc sermo procedit) Deo est simillimus. Vnde & Gentilis id profitetur Plinius paneg. Traia. *Nihil præstabilius, nihil pulchrius, nihil dijs similius quam castus & sanctus Princeps*, qui quidem consequenter Sapiens erit; veræ enim Sapientiæ sanctitas est effectus.]

Princeps Sapiens & sanctus Deo simillimus est.

Vers. 21. 22. 23. Concupiscentia itaque Sapientiæ deducit ad Regnum perpetuum, hoc est, Regnum stabile, incorruptibile, inamissibile, quo quis Sapientia & sanctitate iunctus Deo perpetuo imperat tùm in hac vita, tùm in futura. *Si ergo delectamini sedibus & sceptris ô Reges populi diligite Sapientiam, &c.*

Vers. 24. 25. Quid est autem Sapientia, & 2.
quonammodò facta sit, referam, eius ortum
indicabo: *& non abscondam à vobis sacramenta*
Dei, seu arcana mysteria. *Sed ab initio natiuitatis inuestigabo, & ponam in lucem scientiam illius & non præteribo veritatem. Ab initio*, inquam, *natiuitatis*, id est, primam originem illius aperiam. *Neque cum inuidia tabescente iter habebo*, seu non inuidebo auditoribus meis Sapientiam meam. *Capite* sequenti repetit. *Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico*, vers. 13. Quoniam talis homo, id est, qui huiusmodi inuidia tabescit, *non erit particeps Sapientiæ.* Nam vt signum scientis est posse docere: ita signum Sapientis vera & diuina Sapientia, est etiam velle docere. * Qui enim aliis scientia non prodest, quasi particeps Sapientiæ non est, sed prorsus insipiens reputatur. Vera enim Sapientia charitati adhæret; qui verò est præditus charitate aliis etiam, prodesse studet.]

Promisit, se viam ostensurum, ad Sapientiam inueniendam.

Se insipientem ostentat Sapiens, qui scientia aliis prodesse non studet.

Vers. 26. 27. Multitudo autem Sapientum sanitas est orbis terrarum. Iustitia enim, monitis, exemplo vitæ populos in virtute continet. *Et ideò Rex Sapiens stabilimentum populi est. Ergo accipite disciplinam*, doctrinam, eruditionem *per sermones meos, & proderit vobis.*

CAPVT

CAPVT VII.

Exponit Sapiens, quis sit ortus Sapientiæ, & qua ratione valeat reperiri se in exemplum apponit: qui quæsiuit Sapientiam, & inuenit quem omnes sequuti, procul dubio eam adipiscentur.

1. VM quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, 2. decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conueniente. 3. Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. 4. In inuolumentis nutritus sum, & curis magnis. 5. Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. 6. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. 7. Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus Sapientiæ: 8. & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. 9. nec comparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. 10. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. 11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, 12. & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista Sapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater est. 13. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo. 14. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. 15. Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum quæ mihi dantur: quoniam ipse Sapientiæ dux est, & Sapientium emendator: 16. in manu enim illius, & nos, & sermones nostri, & omnis Sapientia, & operum scientia & disciplina. 17. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum: 18. initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, 19. anni cursus, & stellarum dispositiones, 20. naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum; 21. & quæcumque sunt absconsa & improuisa, didici: omnium enim artifex docuit me Sapientia. 22. Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum: acutus, quem nihil vetat, benefaciens, 23. humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis. 24. Omnibus enim mobilibus mobilior est Sapientia: attingit autem vbique propter suam munditiam. 25. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit. 26. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. 27. Et cùm sit vna, omnia potest: & in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit. 28. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum Sapientia inhabitat. 29. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur prior. 30. Illi enim succedit nox, Sapientiam autem non vincit malitia.

COMMENTARII.

I.

Ortum Sapientia exponit Sapiens, & quâ ratio ne valeat reperiri.

VERS. 1. 2. 3. *Sum quidem, & ego mortalis homo, similis omnibus.* Conciliata Cap. superiori attentione, aggreditur sub sua, vel Salomonis persona, vim, ac proprietates Sapientiæ celebrare. Mortalis sum reliquis similis hominibus, *ex genere* quidem *terreni*, seu de terra formati illius parentis omnium Adami, *qui prior factus est: & in ventre matris figuratus sum caro.* * Ne superbiant Principes ex eadem vulgarium massa procreati.] *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine*, decem scilicet mensium lunarium inchoatorum, qui nouem solares constituunt, qui terminus est maximè naturalis & communis. *Ex semine hominis, & delectamento somni conueniente*, seu ex actu delectabili concubitus, qui solet concurrere cum nocte, & somni tempore. Somni nomine concubitus significatur. Sic frequenter in Scriptura *dormire cum aliqua* est cum illa concumbere. * Vt innuatur, dormire quidem, & à ratione alienum esse, qui carnis voluptatibus illicitis studet. Nam si in licitis voluptas illa somno comparatur, quid in illicitis.]

Ne superbiat Reges ex eadem vulgarium massa formati.

Dormit à ratione abstractus, qui carnis voluptatibus studet.

Vers. 3 4. 5. Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, Græcè, *similiter affectam*, naturam terream scilicet, & fragilem, seu in vitam iisdem passionibus, incommodis, miseriis obnoxiam quæ in terra transigitur. * Vt Principes recordentur humanos esse, & humanis acti ærumnis edisçant afflictis misereri.] *Et primam vocem similem omnibus emisi plorans. In inuolumentis*, seu fasciis *nutritus sum, & curis magnis.* Pulchrè quidem *Curis magnis.* * Vt indicet, quàm molesta sit filij Regum nutritio: aduocantur plures nutrices, periculum fit de lacte, de valetudine, electæ cibus & potus Medicorum arbitrio assignatur &c. Demúmque assolet infantulus nimium delicatus euadere, qui si agricolæ cuiusdam vxori traderetur, eum sine apparatu salutari lacte domi propriæ nutriret & robustum Regibus restitueret infantulum.] *Nemo enim è Regibus habuit aliud natiuitatis initium.*

Principes humanis miseriis obnoxij, discant afflictis misereri.

Nimia cura impenditur in infantulorum Regis nutritione exitialiter aliquando.

Vers. 6. 7. 8. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam & similis exitus. Quid ergo ex huiusmodi similitudine communi omnibus nascendi, & obeundi? *Propter hoc optaui, &c.* Quia commune est omnibus natiuitatis initium, & vitæ exitus, & quia vidi me in ignorantia natum sicut reliquos homines, & vitam, in quam ingressus eram rectè, & dissimilem aliis plurimis traducerem: optaui sensu, seu intellectu mihi dato sicuti omnibus benè vti, & post orationem profusam, à Domino impetraui, vt me Sapientiæ donaret spiritu. Porrò quæ hoc capite & sequentibus de Sapientia dicuntur, explicanda sunt de Sapientia, vt abstrahit à creata, & increata: quædam enim increatæ conueniunt, quædam verò creatæ. * Expende illud: *Inuocaui, & venit in me spiritus Sapientiæ.* Ad Sapientiam enim vtilem assequendam plus proficit orationi incumbere, quàm volumina terere.] *Et praposui illam Regnis, &c.* * Nam si Reges Sapientia, vel prudentia ornati non sint, etsi affluant diuitiis, haud poterunt stabile possidere Imperium, aut subditos in pace conseruare.]

Ad scientiam vtilem assequendā plus prodest oratio, quàm librorum lectio.

Regis insipientis haud stabile Imperium.

Vers. 9. 10. Nec comparaui illi lapidem pretiosum. Nec reputaui gemmas dignas esse, vt possent cum Sapientiæ fulgore comparari. *Quoniam omne aurum*, quod ex terræ visceribus hominum extraxit auaritia, *in comparatione illius arena est exigua, &c.* Annon bona corporis valetudo, & pulchritudo assolet à cordatis opibus præferri? Quis dubitet? Ego autem super salutem, & speciem dilexi illam. Annon lux oculorum, seu videre pluris habetur quàm superbæ opes? Ego *propósui pro luce habere illam, &c.*

Vers. 11. 12. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Græcè, *Innumerabiles diuitiæ in manibus eius*, id est, in potestate illius, vel pendentes ab illa, & ex ea sequentes. Aliquoties hoc libro *honestas* ponitur pro *diuitiis*, & *honestare* pro *diuitem facere.* Vulgi ne opinioni se Sapiens accommodat, qui nihil honestum esse putat, à quo diuitiarum vis abest.] *Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista Sapientia.* Græcè, Quoniam Sapientia *hæc præit*, horum, ceu Dux, fons, & caput est, quæ me ad acquisitionem omnis generis bonorum deducit. *Et ignorabam, quoniam horum omnium mater est*, significat, sibi præter opinionem diuitias obuenisse. Nam studio Sapientiæ intentus, de illis acquirendis non erat sollicitus. * Dum quis spiritualibus incumbit de temporalibus non curans, temporalia simul bona accrescunt, iuxta Domini promissum. *Quærite primum Regnum Dei, &c.*]

Vulgus nihil putat esse, honestum ex quo diuitiæ absunt.

Dum terrena bona negligis, vt virtuti studeas, bona ea tibi simul sine cura adiicientur.

Vers. 13. 14. Quam sine fictione didici, sine dolo, sincerè, non frustra, sed in eum finem, quem Sapientia ipsa requirit: *Et sine inuidia* liberaliter & effusè aliis *communico, & honestatem illius*, seu diuitias *non* auarè *abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus Sapientibus.* * Vnde quantumcumque se Magister prodigum ostendat ad aliorum eruditionem, thesaurus Sapientiæ non imminuitur. Cur ergo te in instruendis proximis inscius præstas auarum?] Maximè quidem cum ad salutem animæ scientia sit necessaria. Nam *Quo* thesauro *qui vsi sunt*, vt oportet, *participes facti sunt amicitiæ Dei*, Græcè, *Cum Deo strinxerunt amicitiam. Propter disciplinæ dona commendati*, seu Sapientia, & disciplina amicitiam Dei conciliante. * Sapientis doctrina ad conciliandam auditorum cum Deo amicitiam dirigitur: vnde Sapiens Concionator non est, sed comœdus, qui à trinm plausum expedit in dicendo, & ad amicitiam cum Deo auditorum conciliandam doctrinam non dirigit.]

Si thesaurus Sapientiæ nō minuitur dū aliis communicatur, iniustè Sapiens non docens alios, se auarum præstat.

Comœdus, & non Sapiens est Concionator, qui ad amicitiam auditorum cum Deo conciliandā sermonem non dirigit.

Vers. 15. 16. Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, id est, vt sentio, vel sicut cogitaram, & animo destinaueram, sine vmbris, sine fictione, sine ambagibus, planè: *& præsumere* seu præmeditari *digna horum, quæ mihi dantur.* Dantur enim mihi, vt aliis prosint, eos persuadendo, qui quidem est eloquentiæ finis. *Quoniam ipse Deus Sapientiæ Dux est, & Sapientium emendator.* Deus enim dirigit, & corrigit Sapientes cum errant, vel ne errent. *In manu enim illius & nos, & sermones nostri, & omnis Sapientia, & operum scientia, & disciplina.* Græcè, *opificiorum ratio.*

ratio. Omnes (quasi diceret) scientiæ practicæ & speculatiuæ nobis de manu Dei obueniunt.

Vers. 17.18.19.20.21. *Ipse enim dedit mihi horum,quæ sunt,scientiam veram*, omnium scilicet, quæ in mundo existunt. *Vt sciam dispositionem orbis terrarum*, seu constitutionem ex omnibus suis partibus, ordinem, ac collocationem inter se. *Et virtutes elementorum*, vim scilicet operatricem. *Initium, & consummationem, & medietatem temporum*, seu annorum, mensium, variarúmque anni tempestatum, veris, æstatis &c. quorum initium,medium, finem se nouisse Sapiens affirmat. *Vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum*,cum scilicet,anni partes æstuosæ vertuntur in tempestatas, & deindè in algentes. *Anni cursus*, Græcè, *circulos*) *stellarum dispositiones,naturas animalium, & iras bestiarum*, seu belluarum furores, & ferociam, *vim ventorum, & cogitationes hominum*, non singulas singulorum, quæ naturaliter, nec ab Angelis cognoscuntur; sed vniuersim, & in genere cogitationes (Græcè *Dialogismos*) seu ratiocinationes,& discursus hominum. Id aptiùs intelligo de particularibus cogitationibus,& propensionibus, quatenus coniecturali notitia per signa vel effecta sua possunt à Medicis & Physiognomicis dignosci. *Differentias virgultorum, & virtutes radicum, &c.* Puto virtutes occultas metallorum,lapidum,cæterorumque fossilium, v.gr. quæ de magnete,succinis, remora ac similibus tradi assolent. Per *improuisa* verò intelligo,quæ subito incidunt,& ex improuiso oculis occurrunt,quorum tamen obscuræ,& ignotæ sunt causæ,v.gr. ventorum.

2. *Vers.* 22.23. *Est enim in illa*,Sapientia scilicet, *Spiritus intelligentiæ sanctus*, (vt est in Græco) *Spiritus sagax*, seu spiritus Dei intelligere faciens eos,quos speciali hoc Sapientiæ munere donat. *Vnicus,multiplex*, qui cum vnicus sit, multiplex tamen est propter perfectiones varias,quas continet, & propter varietatem donorum, quæ nobis largitur, *Subtilis*, quia ad medullas vsque pertingit, & omnia penetrat, & scrutatur. *Disertus*, quia quos replet, efficit eloquentes,*Nobilis*. *Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia*,aiebat Ambr. *Incoinquinatus*. Nam sicut lumen sordes non contrahit, ita nec Spiritus sanctus sordium est capax. *Certus*, seu clarus in iis,quæ proponit, ita vt non dissimulet,nec decipiat. *Suauis*. Græcè, *innocuus*, seu qui nemini nocet. *Amans bonum. Acutus* (*velox* ait Græcus) *quem nihil vetat*, quo minus vbique adsit. *Benefaciens*, propensus ad misericordiam. *Humanus, benignus, stabilis*, facit enim Spiritus sanctus, vt non solùm in proposito firmi simus, sed etiam vt illud promoueamus. *Certus, securus.* Græcè *sine solicitudine*. Quos enim possidet Spiritus sanctus diuinæ voluntati acquiescunt, nec sunt anxiè soliciti etiam in aduersis. *Omnem habens virtutem*, omnipotens enim est. *Omnia prospiciens*, omnia videns, & considerans. *Et qui capiat omnes spiritus*, Græcè, *Per omnes penetrans spiritus intelligibiles. Mundus*, idem est quod *incoinquinatus*. de quo vers. superiori. *Subtilis*,qui etiam profunda Dei scrutatur.

Spiritus sancti elogia Sapiens induxit.

Quàm munificus hominibus Spiritus sanctus ostenditur.

Vers. 24.25.26. *Omnibus enim mobilibus mobilior est Sapientia*, non loci mutatione, sed actiuitate,efficacitate, & celeritate, tùm in rerum nouarum productione, tùm in conseruatione omnium. *Attingit autem vbique propter suam munditiam*. Permeat, penetrat per omnia propter abstractionem ab omni feculentia materiæ,& omnis impotentiæ, seu defectus impermixtionem; est enim actus purus & inde fit, vt vbique sit, & omnia penetret. *Vapor est enim virtutis Dei*, seu eius potentiæ genetatiuæ, & *emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera*, ducta metaphora à flumine, quod manet à fonte. *Et ideò nihil inquinatum incurrit. Candor est enim lucis æternæ*, claritas, splendor, fulgor, idque in quo Paterna gloria resplendet. *Et speculum sine macula Dei maiestatis*. In Filio enim quasi in speculo limpidissimo Patris gloria ac maiestas relucet. *Et imago bonitatis illius*. Et filius imago Patris perfecta repræsentans omnia etiam essentialia prædicata illius. At potissimùm bonitatis mentio fieri videtur; quia loquitur Auctor de Sapientia sibi liberaliter communicata: * Est enim proprium bonitatis se communicare.) Fuit autem etiam bonitatis infinitæ communicare seipsam substantialiter vt scilicet Pater generet Filium, Pater verò ac Filius Spiritum sanctum producant.

3. Ad Sapientiæ laudes reddit.

Proprium est bonitatis, se communicare.

Vers. 27. *Et cum sit vna, omnia potest*. Vna in eadem essentia Patris: vna persona Filij simplex ac indiuisa in sua essentia & persona, nec vnquam in plura distracta; licet faciat, ac tegat plura, & infinitorum vim, ac perfectionem in se contineat. *Et in se permanens* immota, & immobilis, *omnia innouat*, siue res producat siue conseruet, eas innouat. *Et per nationes in animas sanctas se transfert*, vt eas sanctificet amplius, quas prima gratia donauerat. *Amicos Dei,& Prophetas constituit*. Prophetas,inquam,prædicendi dono præditos qui cœlestis Sapientiæ lumine illustrati futura prædicunt.

Vers. 28.29.30. *Neminem enim diligit Deus nisi eum, qui cum Sapientia inhabitat*, seu qui iustus est. *Est enim hæc speciosior Sole*. Iusta causa,cur Deus diligat inhabitantem cum Sapientia, & quare quis debeat contubernium cum Sapientia expetere. *Et super omnem dispositionem stellarum*, positionem scilicet,situm,collocationem,ordinem, quæ ad pulchritudinem faciunt. *Luci comparata inuenitur prior*, id est, potior. Pulchritudo enim & splendor Sapientiæ vincit lucem illam primi diei,è cuius fulgore omnia cœlestia si dera fuere succensa. *Illi enim succedit nox, Sapientiam autem non vincit malitia.* Nox lucem fugat, ac vincit: & iniquitates tenebræ; contra Sapientiæ lucem præualere non possunt. * Aptè iniquitas vel malitia nocti comparatur; mentis enim suffundit lumina & Ægyptiacas cordi tenebras inducit.]

Peccatum nox.

CAPVT VIII.

Pergit Sapiens commendare Sapientiam, in qua omnia bona, quæ assolent expeti ab hominibus, continentur.

1. ATTINGIT ergo à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit
omnia ſuauiter. 2. Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute
mea,& quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere,& amator factus
ſum formæ illius. 3. Generoſitatem illius glorificat, con-
tubernium habens Dei: ſed & omnium Dominus dilexit il-
lam. 4. doctrix enim eſt diſciplinæ Dei,& electrix operum
illius. 5. Et ſi diuitiæ appetuntur in vita, quid Sapientia
locupletius, quæ operatur omnia? 6. Si autem ſenſus operatur: quis horum,quæ
ſunt, magis quàm illa eſt artifex? 7. Et ſi iuſtitiam quis diligit: labores huius ma-
gnas habent virtutes: ſobrietatem enim, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & vir-
tutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. 7. Et ſi multitudinem ſcientiæ
deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat: ſcit verſutias ſermonum, & diſ-
ſolutiones argumentorum: ſigna & monſtra ſcit antequam fiant, & euentus tem-
porum & ſæculorum. 9. Propoſui ergo adducere mihi ad conuiuendum: ſciens
quoniam mecum communicabit de bonis,& erit allocutio cogitationis & tædij mei.
10. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuuenis:
11. & acutus inueniar in iudicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero, &
facies principum mirabuntur me: 12. tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem
me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent. 13. Præterea
habebo per hanc, immortalitatem: & memoriam æternam his, qui poſt me futuri
ſunt, relinquam. 14. Diſponam populos: & nationes mihi erunt ſubditæ. 15. Ti-
mebunt me audientes reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello
fortis. 16. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa: non enim habet
amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gau-
dium. 17. Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo: quoniam im-
mortalitas eſt in cognatione Sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in
operibus manuum illius honeſtas ſine defectione, & in certamine loquelæ illius Sa-
pientia, & præclaritas in communicatione ſermonum ipſius: circuibam quærens,vt
mihi illam aſſumerem. 19. Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam
bonam. 20. Et cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. 21. Et
vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat
Sapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum: adij Dominum, & deprecatus ſum illum,&
dixi ex totis præcordiis meis.

COMMENTARII.



I. *Pergit Salomon Sapientiam laudare.* ERS 1. *Attingit ergo* (Græcè, *autem*) *à fine vſque ad finem fortiter.* Sapientiam non vincet malitia, nam potentia immenſa ſua vniuerſæ naturæ principium, ac finem complectitur: nec aptius quidliber in quouis genere melius, firmius conſtitui poteſt, quàm quomodo Sapientia illud conſtituit. *Et* quauis eius potentia fortiſſima ſit, *diſponit omnia ſuauiter* commodè, benignè. * Vt doceat Præſides, tunc fortius ſubditos adduci ad opera iniuncta gerenda, cum ipſi ſuauius ac benignius exercent imperium.]

Benignitas in Præſule fortis eſt ad ſubditos adducendos.

Verſ 2. Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea,&c. Adeò Sapientiam adoleſcens amaui, vt eius pulchritudine affectus, eam mihi aptari in ſponſam procurarim. Sponſa dicitur Sapientia, ob ſingularem amorem, quo diligitur: ob delectationem,quæ ex illa capitur. * Si vis in Sapientia magnos progreſſus facere, eam non quaſi vxorem multi temporis remiſſo amore dilige, ſed quaſi nouam ſponſam ſemper nouo affectu proſequere.]

Vt in Sapientia proficias, eam tanquã ſpõſam ſemper nouo dilige affectu.

Verſ. 3. Generoſitatem illius glorificat, &c. Inde quidem apparet Sapientiæ nobilitas quanta ſit, quod cum Deo ſemper tanquam cum ſponſo commoratur, & quod Deus illam vt ſponſam chariſſimam amauit. Vnde digniſſima oſtenditur, quæ ab hominibus quæratur, & ametur.

Verſ. 4. Doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, Græcè

Græcè *μυςὶς mystis*, initiatrix, Sacerdos arcanorum, & scientiæ Dei conscia, & eorum apud homines interpres. Et electrix *operum illius.* Non enim docet solùm quid sentiendum, sed etiam in bonis operibus, quæ ad Deum referuntur, quid eligere debeas, & quibus aptis mediis vti. * Non dubium, quin Sapientia ad virtutem perfectius sectandam maximè conferat.]

Scientia maximè cōfert ad virtutem sectandam.

Vers. 5. 6. 7. 8. Etsi diuitiæ appetuntur in vita, quid Sapientia locupletius, quæ operatur omnia? An pecuniæ omnia obediunt? Ita plane, quia qui pecuniis abundat, nihil intendit, quod non assequatur. * Locupletissima igitur est Sapientia, qua omnia, quæ quis potest appetere, comparantur.] *Si autem sensus operatur, quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex?* Si artificum intelligentia ac peritia pulchra opera fabrilia excitat, cunctos Sapientia vincit artifices, siquidem creata omnia ipsa excitauit. *Etsi iustitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes, &c.* Si quis sanctitatem consequi desiderat, labores, quos Sapientia suscipit eximias virtutes pariunt: edocet enim temperantiam, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, quibus nihil vtilius in hac vita homines possunt excogitare. * Certè Sapientiæ studium homines ad omnium virtutum exercitamenta adducit.] *Etsi multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat,* seu coniecturam facit. *Scit versutias sermonum,* siue fraudulenta ac fallacia verba, vel Sophismata: *& solutionem argumentorum.* (Græcè, *ænigmatum.*) *Signa & monstra scit, antequam fiant,* cometas scilicet, eclipses, & alia, quæ in rebus naturalibus monstrosa esse videntur. *Et euentus temporum,* seu consequentis ætatis annorum euentus explorat ex Planetarum aspectibus, *& sæculorum* præuenit mutationes.

Ditissima est Sapientia, qua omnia comparantur.

Studium Sapientiæ ad omnium virtutum exercitamenta adducit.

Vers. 9. Proposui ergo, hanc adducere mihi ad conuiuendum, seu vt esset mihi Sapientia perpetua vitæ socia. Tandiu enim quis verè viuit, quandiu Sapientia actiones moderatur.] *Sciens, quoniam mecum communicabit de bonis,* ex beneficio societatis. * Mores enim frequenter edis cimus eorum, quibuscum commoramur.] *Et erit allocutio cogitationis, & tædij mei,* id est me dulciter alloquetur, instar eius, qui inuisit ægrorum, eritque curarum mearum lenimentum, seu moderatio. * Studium equidem litterarum (expertus loquor) tristitiæ esse assolet alleuiatio.]

Tandiu quis verè viuit, quandiù Sapientia regit actiones.

Mores edis cimus eorū, quibuscum commoramur.

Studium litterarum solet esse alleuiatio tristitiæ.

Vers. 10. 11. 12. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, seu apud populum illustris apparebo. *Et honorem apud seniores iuuenis,* licet sim iuuenis, me senes ob Sapientiam reuerentur. * Sapientia enim & prudentia in iuuenta maioris apud cordatos æstimationis est.] *Et acutus inueniar in iudicio,* seu cum tribunali iudicaturus assideam, vt patet in sententia celebri illa, qua mulierculatum pro filio superstite contendentium litem dissoluit. *Et in conspectu potentium* ob iudicij acumen *admirabilis ero, & facies Principum, mirabuntur me. Tacentem me sustinebunt* expectabunt, donec os soluam, & promam, quæ sentio. *Et loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent,* vt mihi loquenti silentium exhibeant, nec audeant quidquam ad quæ definierim, obiicere.

Sapientia in iuuene maioris apud cordatos æstimationis est.

Vers. 13. 14. 15. Præterea habebo per hanc immortalitatem nominis, & famæ, *& memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam,* meis, scilicet Voluminibus. * Sapientis enim scriptoris nomen nunquam obruit obliuio.] *Disponam populos,* rectè gubernando; *& nationes mihi erunt subditæ.* * Et quidem motuum, ac inquietudinum Regnorum, aut Prouinciarum, quæ collum è iugo excutiunt, causa assolet esse imprudens gubernatio.] *Timebunt me audientes Reges horrendi,* seu Reges illi, quorum potentia terrori est. *In multitudine* videbor bonus, seu idoneus rebus in pace administrandi: *& in bello fortis* apparebo. Expendo particulam *In multitudine,* pro qua alij vertunt, *In pace.* Quid autem cum pace multitudini, vt hoc vocabulo *Multitudine pax* significetur? Certè quia pacis tempore Vrbes ciuibus abundant; tempore autem belli Vrbes ciuibus vacuæ solitudines imitantur tot copiis hostium gladio, & verius fame pereuntibus.]

Sapientis scriptoris nomen nunquā obruit obliuio.

Imprudens gubernatio causa solet esse inquietudinis rebelli. Prouinciarum.

Bellum est multitudinis Vrbium desolatio.

Vers. 16. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, respitans scilicet à publicis negotiis, & domestico otio fruens. * Ipsa enim Sapientia dictat, quandò incumbendum sit labori, & quandò labor ad relaxationem animi intermittendus. Vndè docti, qui sine huiusmodi intermissione se studio tradunt, valetudini admodum noxio, Sapientiæ præscripta transgrediuntur.] Postquam autem quis externorum negotiorum ex munere se fatigatum senserit, animi relaxationem esse dignoscit ad Sapientiam amicam accurrere alloquendam: *Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, &c.*

Sapientum est studij labores intermittere, ad animi relaxationem, & corporis sanitatem.

Vers. 17. 18. Hæc cogitans apud me, scilicet 2.
quæ sequuntur, *& commemorans in corde meo,* nempè *quoniam immortalitas est in cognitione Sapientiæ,* seu immortalitatem prouenire iis, qui Sapientiam colunt. *Et in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas* (Græcè *Diuitiæ*) sine *defectione,* seu opes indefectibiles: *& in certamine loquela illius Sapientia,* siue quod in collocutione, & coexercitatione cum illa, prudentia ediscitur. *Et præclaritas in communicatione sermonum ipsius,* siue quod famæ claritatem comparat, qui cum illa commoratur: *Circuibam quærens* anxiè *vt mihi illam assumerem* in sponsam, intimam contubernalem.

Omnia bona in Sapientia contineri, docet.

Vers. 19. Puer autem eram ingeniosus, quare studij laborem docilitas ingenij iuuabat. *Et sortitus sum animam bonam,* non solùm ingenij acumine, sed & aliis dotibus præclaris prædiram. * Sine acumine enim ingenij labor in litterarum acquisitione inutilis redditur. Vulgariter expendam, *Es macear en yerro frio.*

Sine acumine ingenij in acquisitione scientiarum sine fructu laboras.

Vers. 20. Et cum essem magis bonus, seu cum magis magisque per litterarum, & virtutum, consequentium ad Sapientiam, exercitium crescerem in bonitate, *veni ad corpus incoinquinatum,* id est, eò deueni, vt etiam corpus mihi esset bene temperatum, mundum, & castum, & cum anima mirificè congruens. * Litterarum enim exercitamentum ab otio vitiorum origine abstrahens animum corporis tuetur castitatem.]

Litterarum exercitium corporis castitatem tuetur.

Vers. 21. Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens à Venere, ira, vino, reliquisque vitiis, *nisi Deus det,* id est sine Dei gratia (imo *& hoc ipsum erat Sapientiæ, scire* scilicet, *cuius esset hoc donum,* Dei inquam esse) *adij Dominum, &*

deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis: Castitatis enim donum à Deo petendum, & continuis profusis precibus impertandum. * Sine assidua oratione difficillimè iuuenis, vti erat tunc Salòmon) castitatis puritatem à tot carnis & ætatis insidiis tutari poterit.] Græcè loco illius particulæ *Continens*, est *compos*. Ac si diceret, Non possum compos fieri Sapientiæ, vel Sapientiam assequi, sine speciali Dei auxilio, precibus continuis assequendo. Sic *Eccli.* 6:28. *Inuestiga illam*, Sapientiam *& continens*, seu compos *factus, ne derelinquas eam.* Sic igitur oraui.

Sine assidua oratione difficilis erit iuueni castitatem tutari.

CAPVT IX.

Pro Sapientia à Deo obtinenda Oratio Salomonis, quæ ad finem vsque Libri protenditur. Hoc capite suam imbecillitatem profitetur, nec se posse absque illa muniis sibi à Deo impositis aptè fungi.

1\. DEVS patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti
omnia verbo tuo, 2. & Sapientia tua constituisti hominem,
vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est, 3. vt disponat
orbem terrarum in æquitate & iustitia, in directione cordis
iudicium indicet: 4. da mihi sedium tuarum assistricem
Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: 5. quoniam
seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, &
exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum. 6. Nam & si quis erit
consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit Sapientia tua, in nihilum
computabitur. 7. Tu elegisti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum,
& filiarum: 8. & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate
habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab
initio: 9. & tamen Sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cùm
orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum
in præceptis tuis. 10. Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ,
vt mecum sit & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te: 11. scit
enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me
in sua potentia. 12. Et erunt accepta opera mea, disponam populum tuum iustè,
& ero dignus sedium patris mei. 13. Quis enim hominum poterit scire consilium
Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? 14. Cogitationes enim mortalium
timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. 15. Corpus enim, quod corrumpitur,
aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. 16. Et
difficilè æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore.
Quæ autem in cælis sunt quis inuestigabit? 17. Sensum autem tuum quis
sciet, nisi tu dederis Sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis:
18. & sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint
homines? 19. Nam per Sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi
Domine à principio.

COMMENTARII.

1\. Suam Salomon imbecillitatem profitetur.


ERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Deus patrum meorum*, quem patres mei coluere, *& Domine misericordia*, seu Deus misericors. * Cur non dixit Domine misericordiæ & iustitiæ, siquidem æqualiter est iustus ac misericors? Certè quia sic erga peccatores se misericordem præstat, vt abstractum omnino esse à dominatione iustitiæ videatur.) Vnde canit Ecclesia, Deus cui proprium est misereri semper, & parcere: quasi etiam eius proprium non sit iustitiam exercere.] *Qui fecisti omnia verbo tuo.* seu iusso. *Nam dixit Deus & facta sunt*, *& Sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creatura, quæ à te facta est. Vt disponat.* seu disponeret vel gubernaret *orbem terrarum in æquitate, & iustitia, & in directione cordis*, Græcè, *in rectitudine animi*, seu recto animo & mente iudiciū *iudicet*, seu ius diceret: *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam.* Præsta quæso, vt ego iuuenis Regno administrando parum idoneus sim particeps Sapientiæ, quæ supremæ tuæ sedi assidet: *& noli me reprobare à pueris tuis*, seu excludere à seruorum tuorum numero. *Quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ.* Significat, se filium eorum esse, qui Deum coluerunt, & nominatim matris suæ religiosæ fœminæ, vel fortassis totius Synagogæ: *Homo infirmus, & exigui temporis*, cuius vita breuis est,

Sic Deus misericordiam exercet, vt quodammodo videatur, attributum iustitiæ vindicatiuæ ad eum nō pertinere.

aut

aut iunior ætas. *Et minor ad intellectum iudicij, & legum. Minor intelligentis*, id est, imbecillior, quàm vt iudicia, & leges omnes possim intelligere, quibus Regem instructum esse oportet.

Oportet. Reges legum notitia esse instructos.

* Etsi enim Reges Ministris idoneis vtantur, oporteret tamen ipsos legum notitia esse instructos, vt eis constaret, an sententiæ Iudicum iuxta legis præscripta ferantur.]

Vers. 6. Nam & si quis erit consummatus inter filios hominum, tametsi quis inter homines sit omni scientia instructus, *Si ab illo abfuerit Sapientia tua*, seu directio ad applicationem eorum, quæ nouit, *in nihilum computabitur.*

Sapientissimus Iudex errabit in iudicio sine speciali Dei assistentia.

* Sapientissimi quique haud aptè iudicabunt sine Dei speciali auxilio, ad applicanda prudenter præcepta, quæ ex lege didicit.]

Vers. 7. 8. 9. Tu elegisti me Regem populo tuo, &c. Non me ad Regnum ego ingessi, à te electus throno assideo. Ergo debes me ad regimen tui populi dirigere.

Cum Deus te ad regimē eligit, nec tu te illi ingeris, dat simul, vt aptè te in munere geras.

* Profectò cum quis electus gubernationi præficitur, nec ipse eligi procurauit, iustè à Deo petit, vt præstet auxilium hisce verbis: Tu me elegisti, ostende precor, tuam fuisse electionem dans vt meum impleam ministerium.] *Et dixisti, me ædificare Templum in monte sancto tuo* Moria, *& in ciuitate habitationis tuæ*, in Ierusalem, quam tibi elegisti, vt in ea habitares & haberes Templum, & altare, *similitudinem Tabernaculi sancti tui*, quod Templum factum est ad similitudinem Tabernaculi, quod per Moysen fieri iussisti, *quod* quidem Templum iam *præparasti ab initio* in typo Tabernaculi. *Et tecum Sapientia tua, quæ nouit opera tua, &c.* Et tecum præparauit Sapientia tua illa, qua totum orbem extruxisti, quæ iam inde ab æterno nouit, qua ratione præcepta tua possint, & debeant, rectè executioni mandari, & cum fructu compleri.

2. Sapientiæ necessitatem exponit.

Vers. 10. 11. 12. Mitte ergo *illam* Sapientiam *de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ*, à throno gloriæ: *vt mecum sit, & mecum laboret*, mihi adsit, & me adiuuet. *Vt sciam, quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit: deducet me in operibus meis sobriè*, Græcè, *iuxta præscriptum rectæ rationis*, moderatè, discretè, ne modus, aut mensura excedatur, *& custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea* & tibi, & subditis, *& disponam populum tuum* seu gubernabo, *regam iustè, & ero dignus sedium patris mei*, seu Regium thronum à patre meo Dauide acceptum occupare.

Indignè thronum occupat, qui nō iustè gubernat.

* Qui non iustè gubernat, indignè Regium thronum occupat.] Et indignus est hereditaria sede, qui patris virtutem non imitatur.]

Vers. 13. 14. 15. 16. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? A necessitate Sapientiæ iam ducit argumentum. Quis poterit Dei voluntatem apertè dignoscere? *Aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Quis poterit non solùm apertè dignoscere, sed vel cogitatione discurrere, quid eius conforme sit placito? *Cogitationes enim mortalium timidæ*, quia cogitatæ res non succedunt, vt illi cogitabant: vnde hoc experti segnius & timidius deliberant: *& incerta prouidentia nostra.* Græcè, *fallaces opiniones*, & consilia nostra. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, &c.* Id est, corruptibilis corporis nexus cum animo incorruptibili affert magnum ad intelligentiam impedimentum: & terrea hæc corporis (sic Græcè) habitatio opprimit mentem, intellectum plenum curarum, quæ animum distrahunt à fixa, & constanti meditatione: ita vt se sæpius cogatur ad inferiora, & viliora obiecta demittere.

Qui contemplationis ad exercitiū ascendit, terrenis omnino se moueatur à curis.

* Vndè præcipua viri spiritualis cura debet esse, cum ad meditationis exercitium ascendit, externis curis omnino remittere nuncium.] *Et difficilè æstimamus, quæ in terra sunt, &c.* Si difficilè cognoscimus hæc obuia, ac vicina, quantò difficilius illa remota omninò à sensibus dignoscemus? Vndè *quæ in cœlis sunt, quis inuestigabit?*

Vers. 17. 18. 19. Sensum autem tuum quis *sciet, nisi tu dederis Sapientiam?* Quis poterit sine Sapientia à te accepta, tuum consilium agnoscere, tuam rimari voluntatem? *Et* ad hoc in nobis præstandum, *miseris* Spiritum sanctum tuum de altissimis? *Et sic correctæ sint semitæ eorum quæ sunt in terris: & quæ tibi placent, didicerint homines.* Spiritûs tui aduentu corrigentur, seu dirigentur discursus hominum deuiantes, & tuæ voluntatis præscripta callebunt.

Qui Sapientiæ præscripta vult vtiliter edoceri, priùs curet prauos mores corrigere.

* Effectus quidem Sapientiæ est corrigi mores primum. *Et sic correctæ sint semitæ eorum*: postmodum autem Dei callere voluntatem circa opera gerenda, *Et quæ tibi placent, didicerint homines.* Nisi enim morum correctionem præmittas, haud poteris præscripta Sapientiæ vtiliter edocere.] *Nam per Sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi Domine, à principio.* Salute non solùm corporali, sed & spirituali donati à te sunt per Sapientiam. Christus enim æterna Patris Sapientia Agnus est occisus ab origine mundi tollens omnia omnium hominum peccata: nec quisquam nisi per fidem in Christum vnquam saluari potuit. Et Salomon plurimis mox exemplis initio sequentis *cap.* id demonstrat. Paulusque *Hebr.* 11. de fide, quæ pars est Sapientiæ, idem asseruit.

CAPVT

CAPVT X.

Illustribus Patriarcharum exemplis Salomon demonstrat, omnes per Sapientiam salutem fuisse consequutos.

1. HÆc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, 2. & eduxit il-
lum à delicto suo: & dedit illi virtutem continendi omnia.
3. Ab hac vt recessit iniustus in ira sua, per iram homicidij
fraterni deperiit. 4. Propter quem, cùm aqua deleret ter-
ram, sanauit iterum Sapientia, per contemptibile lignum iu-
stum gubernans. 5. Hæc & in consensu nequitiæ cùm se
nationes contulissent, sciuit iustum, & conseruauit sine querela Deo, & in filij mi-
sericordia fortem custodiuit. 6. Hæc iustum à pereuntibus impiis liberauit fu-
gientem, descendente igne in pentapolim: 7. quibus in testimonium nequitiæ
fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, &
incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. 8. Sapientiam enim prætereun-
tes, non tantùm in hoc lapsi sunt vt ignorarent bona, sed insipientiæ suæ reliquerunt
hominibus memoriam, vt in his, quæ peccauerunt, nec latere potuissent. 9. Sa-
pientia autem hos, qui se obseruant, à doloribus liberauit. 10. Hæc profugum iræ
fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi
scientiam sanctorum: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.
11. In fraude circumuenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum. 12. Cu-
stodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit
illi vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est Sapientia. 13. Hæc ven-
ditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum
illo in foueam; 14. & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum
regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui
maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam. 15. Hæc populum iustum,
& semen sine querela, liberauit à nationibus, quæ illum deprimebant. 16. intrauit
in animam serui Dei, & stetit contra reges horrendos in portentis & signis. 17. Et
reddidit iustis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit
illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem: 18. transtulit illos per
Mare rubrum, & transuexit illos per aquam nimiam. 19. Inimicos autem illorum
demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideò iusti tulerunt spolia
impiorum, 20. & decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem
manum tuam laudauerunt pariter: 21. quoniam Sapientia aperuit os mutorum,
& linguas infantium fecit desertas.

COMMENTARII.

1. *Consecuti per Sapientiam salutem fuere antiqui patres. Adam*



ERS. 1. 2. *Hæc* Sapientia *illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum*. Adamum scilicet, *cum solus esset creatus, custodiuit.* Quandiu scilicet solus fuit sine Eua custoditus, fuit in innocentia per Sapientiam & gratiam. * *Cum solus esset*, ait pulchrè, vt innuat, abstractionem à noxia societate virtutis esse adminiculum.] *Et deduxit illum à delicto suo*, seu post peccatum beneficio Sapientiæ, ab eo fuit per pœnitentiam liberatus. Insipiens deliquit, Sapiens se ad meliorem frugem recepit. * Confert quippe Sapientia; vt peccator criminis vilitatem agnoscat, & dolore de præ-lapso concepto, præcaueat in futurum.] *Et dedit illi virtutem continendi omnia*, seu vim, & facultatem dominandi omnibus, & gubernandi vniuersum genus humanum. * Princeps insipiens ineptus prorsus est ad gubernationem, imo ad dominationem. Stulto enim Principi non solum subditi non obediunt, verum & vix illum suum Dominum esse profitentur.]

Abstractio à praua societate, virtutis est adminiculum.

Sapientia cōfert admodū ad pœnitentiam gerendam.

Princeps insipiens ferè non est subditorum Dominus.

2. *Cain perijt insipiens.*

Vers. 3. Ab hac Sapientia *vt recessit iniustus.* Cain *in ira sua* (iratus est enim aduersus Abel vehementer, & concidit vultus eius, cum Deus ad ipsum & ad munera eius non respexit) *per iram homicidij fraterni deperiit.* Græcè, *fratricidialibus deperiit furoribus.* Periit scilicet animo furore illo contra Abelem concepto, & executione mandato. Vel *perijt simul*. (vt alij exponunt) non eodem tempore, sed simili genere mortis, violento quidem. Nam *Gen.* 4. 23. indicatur

dicatur Caimum à Lamecho occisum fuisse. * Docuit enim Dominum homicidij fraterni, inuentor,cum homicidio à propinquo,inflicto, punire.] * Græcam illam lectionem expende: *Fratricidialibus furoribus.* Concepta in extraneos iracundia, *ira* aptè vocatur : at quæ inter fratres iracundia ascenditur, *furor* merito debet appellari. Nec enim quis ab hoste tanta incommoda tolerat, quanta à fratre, à propinquo male in ipsum affecto.]

Inuentor criminis alicuius Deũ docet quonammodo eum debeat punire.

Horribilior est homini fratris irati, quàm hostis impugnatio.

*Vers.*4. *Propter quem* Cainum, cuius scelera filij de more imitabantur, *Cum aqua deleret terram*, diluuij tempore, *sanauit iterum Sapientia*, restituit mundo infecto sanitatem, *per contemptibile lignum iustum gubernans.* Per arcam scilicet Noe & filios eius regimine nauali dirigens, & defendens ab exitio communi. Vocat autem arcam illam *contemptibile lignum,* quia ad tantam sustinendam,& arcendam aquarum eluuionem,nullatenus sufficere videretur. * Vt appareat Dei Sapientiam contemptibilis Ministri labore sæpè illustres effectus excitare.]

3.
Sapiens Noe liberatur.

Dei Sapientia illustres educit effectus, Ministro contemptibili.

*Vers.*5. *Hæc & in consensu nequitia, cum se natione contulissent, sciuit iustum, & conseruauit sine querela Deo.* Cum filij Adami, è quibus dispersis processere nationes orbis terrarum, se consentientes in superbo illa ausu contulissent in vnum locum ad turrim Babel ædificandam: Sapientia diuina iustum Abraham *sciuit*, seu paterna fuit cura prosecutus, & curauit postmodum educere è medio nationis Chaldææ: & eductum,atque ab errore patrio Heber (si quo forsan infectus aliquando fuit) abductum, perpetuo deinceps sine querela conseruauit. *Et in filij misericordia fortem custodiuit.* Id est, cum ei Dominus imperauit,vt filium Isaacum ei offerret,Sapientiæ ope fortis perstitit,ne viscera eius ità filij amore tangerentur,vt ei parceret, & ab imperato sacrificio abstineret.

4.
Et Abrahamus.

*Vers.*6.7. *Hæc iustum* Loth. *à pereuntibus* Sodomitis *impiis liberauit fugientem,descendente igne in Pentapolim,* cladem Vrbis. Pentapolis quinque continebat Vrbes Sodomam,Gomorrham, Adamam, Seboin, & Segor. *Quibus in testimonium nequitia fumigabunda constat deserta terra.* Vbi hæ miseræ ciuitates olim aderant, visitur vsque ad hanc diem fumigans, & deserta terra, quæ igne de cœlo misso conflagrauit. *Et in certo tempore fructus habentes arbores*, & plantæ fructus intempestiuos & inutiles offerunt. *Et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis,* id est incredulæ animæ, vxoris Loth conspicitur salis statua æternum in obedientiæ monumentum.

5.
Et Lothum.

*Vers.*8. *Sapientiam enim prætereuntes, &c.* Qui Sapientiam contempsére, hanc pœnam sustinent, quod eius dignitatem non perceperunt, & vt amentiæ suæ infamem, & indelebilem memoriam relinquant. Peccatum enim eorum latere non potuit. * Agnatum namque peccato est, quantumuis tibi videatur occultè esse patratum,in publicum prodire.]

Agnatum est peccato manifestari.

Vers. 9.10.11.12. *Sapientia autem hos, qui se obseruant*, qui ipsam colunt, admirantur, (Græcè) venerantur, *à doloribus*, seu laboribus, *liberauit. Hæc profugum*, Iacob iram fratris Esau fugientem *deduxit per vias rectas*, *& ostendit illi Regnum Dei*, per directum iter, quod ad Mesopotamiam ducit (nec enim more fugientis, viarum incognitarum ambages arripuit)eum fecit incedere, eique cœli culmina visione scalæ ad cœlum pertingentis obiecit. *Et dedit illi scientiam sanctorum*, seu sanctarum rerum, quæ spectant ad Ecclesiam tùm militantem,tùm triumphantem. *Honestauit illum in laboribus*, seu *locupletauit* (Græcè) *in ærumnis*, vel per labores, qui *Gen.*29. narrantur. * Labores enim,queis iusti premuntur,animi sunt diuitiæ. Vnde eos Sapientes non solum venientes sustinentes, sed absentes requirunt,vt thesaurus increscat.] *Et compleuit labores illius.* Sapientia Iacobum fecit laboribus in pascendis Soceri gregibus locupletari fœtu multiplici ex virgarum astu. *In fraude circumuenientium illum, adfuit illi.* Cum per *auaritiam* (Græcè sic) Laban eum opprimeret, illi Dominus liberator adfuit. *Custodiuit illum ab inimicis,& à seductoribus tutauit illum.* Inimicos, & seductores intelligo Labanum, & cognatos eius,qui recedentem persequuti fuére: vel etiam Esau, qui redeunti insidias præparabat Vel Chananæos & Pherezæos, quos Iacob post Sichimitarum cladem valde timebat *Gen.* 30. sed eos Dei terror inuasit,& ausi non fuére recedentes persequi. *Gen.* 35. *Et certamen forte dedit illi.* vt vinceret,seu fecit cum Angelo luctam inire *Gen.* 32. in qua Iacob præualuit. *Et sciret, quoniam omnium potentior est Sapientia.*

6.
Et Iacobum.

Laboribus ditamur animos. Ideò Sapientes eos nõ solùm sustinent, sed requirunt.

*Vers.*13.14. *Hæc venditum iustum* Ioseph Iacobi filium à fratribus pretio mercatoribus traditum per inuidiam, *non dereliquit, sed a peccatoribus liberauit eum*, id est à peccatrice Putipharis vxore, ab inuidis fratribus eum occidere molientibus. *Descenditque cum illo in foueam* cisternam veterem, vel carcerem in Ægypto. * Descendit ne Deus cum Iosepho in foueam, vt cum eo vinculis alligaretur, an vt sua eum præsentia solatium afferret? Profectò Deus ità erga iustos actos laboribus afficitur, vt non solum eis laborantibus assideat, sed cum eis pati etiam videatur.] *Et in vinculis non dereliquit illum,donec afferret illi sceptrum Regni.* Quoniam toti Ægypto præfuit dignitate & potestate primus à Rege. * Aliqui sunt in orbe Principes nomine tenus; non enim ipsi regnant, nec præsunt,sed ille,qui in summam Regis familiaritatem venit, *Et potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant*, seu depresserant,fratres, Putipharem,& vxorem eius,eosque qui in carcere vinxierunt. *Et mendaces ostendit*, qui maculauerunt illum afficientes adulterij infamia. *Et dedit illi claritatem æternam*, gloriam, splendorem Ægyptiacæ præfecturæ,cuius memoria ob triticum asseruatum infamis futuræ subsidium, erit æterna. * Profectò qui expetit suam memoriam æternare & in hoc sæculo horreum pauperibus opibus suis constituat.] Vnde videris pia opera ad eleemosynam testamento relicta, non obstantibus temporis iniuriis, sine imminutione plerumque asseruari.]

7.
Et Iosephum.

Deus non solùm adest iusto laboranti, sed cum eo laboribus agi videtur.

Multi Reges sunt nomine solùm Reges.

Qui cupit suam memoriam æternare & in hoc sæculo, horreum suis opibus ad alendos pauperes constituat.

Vers. 15.16.17.18. *Hæc populum iustum* Israëliticum scilicet, quem ex Ægypti seruitute liberauit, *& semen sine querela* irreprehensibile, inculpatum, quod nulla superstitione maculatum fuerat in Ægypto, liberauit à nationibus Ægyptiis, *quæ illum deprimebant.* Ad cuius expeditionem, *intrauit* Sapientia *in animam serui Dei* Mosis: *& stetit* intrepidus *contra Reges horrendus* terribiles, (sic Græcè) potentes, sæuos.

8.
Et Hebræos.

Rex vnus fuit Pharao, contrà quem Moses stetit. Sed etiam Regum nomine intelligo Principes Pharaonis, coram quibus plagæ sunt editæ. *Et reddidit iustis mercedem laborum suorum*, seu compensandis copiosam mercedis pro laboribus præteritis, quæ facta est, cum vasa, & supellectilem pretiosam Ægyptiorum Hebræi abstulerunt. * Mercedis, quam à famulis, vel operariis tuis aufers, si non restituis, dabit Deus compensationem te diuitiis spoliando.] *Et deduxit illos in via mirabili* per mare Rubrum, per desertum passim mira excitando. *Et fuit illis in velamento diei* nubis columna eos à solis æstu protegens: *& in luce stellarum per noctem* Intelligo illam columnæ ignis sidera imitantis splendorem. *Transtulit illos per mare Rubrum, & transuexit illos per aquam nimiam* seu multam siccis pedibus ad vlteriorem ripam transmeantes. * Ne excidat è memoria particula, *Populum iustum, semen sine querela.* Vndenam Hebræi tam egregio nomine digni à Salomone iudicantur? Certè quia inter Ægyptios impios degentes

Si operario, vel famulo aufers mercedem, dabit Deus compensationem te diuitiis spoliando.

Magnæ sanctitudinis documentū est, ab assiduis improbis sociis non infici.

eorum impietatem non didicere Magnum enim est sanctitatis documentum ab assiduis improbis sociis non maculari.]

Vers. 19.20.21. *Inimicos autem illorum demersit in mare, &c.* Id expóno de Hebræis liberatis è profundo alueo maris, & ad littus adductis sine immersione quidem. * Vt commendem Deiparentis Dominæ meæ ab originalis culpæ pelago liberationem per Christi Redemptoris auxilium. Liberauit enim Matrem à profundo pelagi, dum eam fecit siccis pedibus ad littus properare, dum reliqui homines miserè submerguntur.] *Ideò iusti.* Hebræi *tulerunt spolia impiorum* Ægyptiorum in naufragio relicta, *& decantauerunt Domine, nomen sanctum tuum*, canticum Mosis, de quo *Exo.* 15. ore protulerunt: *& victricem manum tuam laudauerunt pariter* vno animo vno ore. *Quoniam Sapientia aperuit os mutorum*, qui prius præ timore loqui non audebant, *Et linguas infantium fecit disertas*, id est, imperitorum, vel puerorum, qui & ipsi cum reliquis canebant.

Deipara à profundo pelago peccati originalis liberatur, dum siccis pedibus ad littus à Domino adducitur.

CAPVT XI.

Beneficium, quo diuina Sapientia Hebræos affecit, Salomon amplificat, expendens ex Ægypto exitum, iter prodigiis exundans. Interim supplicia, quibus Ægyptij fuere percussi, profert.

1. DIREXIT opera eorum in manibus prophetæ sancti. Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: & in locis desertis fixerunt casas. 3. Steterunt contra hostes, & de inimicis se vindicauerunt. 4. Sitierunt, & inuocauerunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro. 5. Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum à defectione potus sui, & in eis, cùm abundarent filij Israël, lætati sunt; 6. per hæc, cum illis actum est. 7. Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti iniustis. 8. Qui cùm minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperatè, 9. ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & aduersarios illorum necares. 10. Cùm enim tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur. 11. Hos quidem tanquam pater monens probasti: illos autem tanquam durus rex interrogans condemnasti. 12. Absentes enim & præsentes similiter torquebantur. 13. Duplex enim illos acceperat tædium, & gemitus cum memoria præteritorum. 14. Cùm enim audirent per sua tormenta benè secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus. 15. Quem enim in expositione praua proiectum deriserunt, in finem euentus mirati sunt, non similiter iustis sitientes. 16. Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quòd quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam: 17. vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur: 18. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, 19. aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: 20. quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. 21. Sed & sine his vno spiritu poterant occidi persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. 22. Multum enim valere, tibi soli supererat sem-

pet: & virtuti brachij tui quis resistet? 23. Quoniam tanquam momentum staterræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. 24. Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. 25. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. 26. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur? 27. Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.

COMMENTARII.

1\.

Sitim Hebræorum, & eius satietatem, sitim Ægyptiorũ exitialem Salomon describit.



ERS. 1.2.3. *Direxit opera eorum,* ad exitum ex Ægypto pertinentia Sapientia diuina *in manibus Prophetæ sancti* eos prosperè ducens, faciensque vt felicibus effectibus potirentur, Mosis ministerio. *Iter fecerunt per deserta,* quæ non habitabantur: *& in hisce locis desertis fixerunt casas,* seu tabernacula, vel tentoria, *steterunt contra hostes,* pugnam ineuntes contra Amalech in Raphidim. (*Exod.* 17.) *& de inimicis se vindicauerunt.*

Vers. 4. *Sitierunt* Hebræi (*Exod.* 17. *Numer.* 20.) *&* sitis molestia pressi, *inuocauerunt te,* precibus profusis, *& data est illis aqua de petra altissima,* ex summa rupe: *& requies* seu remedium, refrigerium sitis *de lapide duro.* * Iusti enim cum patiuntur, ex ipso lapideo labore Deus eis educit refrigerium.]

Cum iusti patiuntur ex ipsis laboribus Deus eis educit refrigerium.

Vers. 5.6.7. *Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, &c.* In eo in quo puniti fuere Ægyptij, in eodem cum Hebræis bene actum est: Ægyptij siti diuexati sunt, cum aquæ eorum in sanguinem fuerunt conuersæ: (*Exo.* 7.) contrà Hebræis largè à Domino in deserto fuére suppeditatæ. Imò non solum in deserto, petra percussa, sed & in Ægypto, nam aquas puras Hebræi lætantes bibebant, dum Ægyptij mœstitudine affecti siti premerentur. *Per hæc cum illis deessent* scilicet in deserto, *benè cum illis actum est,* diuino munere aquis suppeditatis. *Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis,* seu pro fonte illo perenni, quo Hebræi fuére recreati, *humanum sanguinem dedisti iniustis.* Huius plagæ descriptio extat *Exo.* 7.

Vers. 8.9.10.11. *Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum,* Cum Ægyptij imminuerentur, multis siti pereuntibus ob traductionem seu immersionem infantium: *Dedisti illis,* id est, Hebræis, *abundantem aquam insperatè,* seu pene desperantibus, in deserto ex petra Horeb. * Meritò sanguineis aquis puniebantur Ægyptij, qui aquas Nili sanguine, seu morte infantium rubricarant.] *Ostendens per sitim,* quæ tunc fuit, per sitim scilicet Hebræorum, & Ægyptiorum, *quemadmodum tuos exaltares, & aduersarios illorum necares,* seu quàm tè longè alio modo habeas ergà hostes, quàm erga amicos: hos exaltas, illos deiicis. * Quidnam boni peccator à Deo inimico sperare potest?] *Cum enim tentati sunt, &c.* Cum Hebræi per sitim in deserto probati essent, quæ quidem probatio fuit ex Dei misericordia profecta. (*Labores enim iustis immittit, vt eorum merita augeat.]) castigationem patienter tolerantes: *scie-*

Meritò Ægyptij sanguineis aquis puniebantur qui infantiũ sanguine aquas rubricarant.

Quid peccator boni à Deo inimico poterit sperare.

Dei ex misericordia labores iusto obueniunt.

runt, seu experimento didicerunt, *quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur,* seu quonam modo diriora passi fuerint impij sua ex siti tormenta. * Sancti *cum misericordia* probati laboribus & ærumnis sunt; impij cum *ira* flagellati.] *Hos quidem* seu Hebræos *tanquam pater monens probasti: illos autem,* seu Ægyptios *tanquam durus Rex interrogans condemnasti.* Græcè, in quæstionem vocans, examinans nempe cruciatu sitis & aliarum plagarum.

Iusti cum misericordia probati laboribus sunt, impij cũ ira flagellati.

Vers. 12. *Absentes enim & præsentes similiter torquebantur.* Ægyptij namque absentes iam ab Hebræis Ægypto egressis, & in deserto aquam de petra bibentibus latéque aliis beneficiis diuinis fruentibus haud aliter, quàm cum præsentes essent illis torquebantur. Nam sicut præsentibus illis cruciabantur siti ob aquas omnes in sanguinem versas, & reliquis plagis: ita absentibus Hebræis ex illorum prosperitate rumpebantur inuidia. * Et quidem inuidiæ tortura grauissimam quamque æquat calamitatem.]

Inuidiæ tortura grauissimam quamque æquat calamitatem.

Vers. 13. *Duplex enim illos,* Ægyptios scilicet *acceperat tædium & gemitus cum memoria præteritorum* excitatus. Primus erat ex propriis malis, quæ ipsi occasione Hebræorum passi fuerant. Secundus ex alieno bono, quo iuratos suos hostes iam frui sentiebant. * Pro malis propriis gemere, agnatum est dolori: pro bonis autem alienis dolere ex inuidia dæmoniacum vitium est.]

Dolere de alieno bono ob inuidiam Dæmoniacũ vitium est.

Vers. 14. *Cum enim audirent* Ægyptij *bene secum* Græcè, *cum ipsis* Hebræis agi, & quidem *per sua tormenta,* id est, per easdem res, per quas ipsi torti fuerant, puta per sitim, & restinctionem sitis sibi negatam esse, Hebræis autem benignè concessam: (idem sit de aliis plagis iudicium) *commemorati sunt Dominum admirantes in finem exitus,* seu euentus rei obstupuerunt eo felicitatis Hebræos rebelles sibi deuenisse; & commemorati sunt Dominum, Græcè, *senserunt,* manifestè deprehenderunt ex memoria planè præteritorum cum præsenti collatorum, diuinam esse manum, & vindictam, quæ se affligeret. * Hinc deteriores ac rebelliores esse plures Christicolas, quàm Ægyptios idololatras arguo, siquidem tot afflicti suppliciis, tot acti calamitatibus, nondum animaduertunt, eas è peccatis ducere ortum.]

Durior est Ægyptiis, siquidem illi cognouerunt ob peccata puniri: tu autem id non animaduertis.

Vers. 15. *Quem enim* Mosem *in expositione praua,* seu impia ac crudeli proiectione in Nilum *proiectum deriserunt,* arbitrati hac via prorsus extinctum iri: *in finem euentus mirati sunt.* in fine euentus (sic Græcè) affecti sunt admiratione cum viderent longè aliter Hebræis successisse, adeoque & Moysi eorum Duci, quam ipsi Ægyptij existimassent. *Non similiter iustis sitientibus,* id est, experti Deum non eodem modo se gessisse in siti sua, quo se gerebat in

siti Hebræorum. Nam Hebræis prospiciebat de aquis suauissimis, at Ægyptiis non nisi sanguineas subministrabat, his durum sese hostem exhibens, illis pium patrem.

2. *Vers.* 16. 17. *Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum*, id est, ad punienda cogitata & opera iniqua Ægyptiorum: *quod quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias supervacuas*, id est, *viliores* (vt Græcè est) puta ranas, sciniphes, muscas & locustas: *immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam*, ranas videlicet, sciniphes, & omne genus muscarum. *Exo.* 8. *Vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* * Modus enim cœlestis supplicij plerumque delinquendi modo respondet.] * Expende illud: *Colebant mutos serpentes*, siue nescientes loqui. Aliqui intelligunt de Æsculapio sub serpentis specie coli solito Ægyptiorum planè intolerabili stultitia. Quid enim ex Deo muto illi spetare possent, siquidem qui mutus est, caret etiam auditu? Inepta quidem deitas quæ non audit preces orantis, nec optatis respondet. Vndè Dauid deos Gentilium horum irridebat. *Aures habent, & non audient, os habent, & non loquentur.* Psal. 113. Verus Deus & audit preces, & respondet optatis.]

Supplicium Ægyptijs inflictũ ob idololatriam memorat.

Modus cœlestis supplicij plerumque modo delinquendi assolet respõdere.

Inepta ad Deitatem simulacra quæ surda sunt & muta. Deus verus & audit, & loquitur.

Vers. 18. 19. 20. *Non enim impossibilis*, seu impotẽs *erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa*, id est, informi constantem, quæ materia, quia die prima creati mundi, qua nulla dum lux erat creata, aspici non poterat, ac debito ornatu carebat, meritò hic & inuisa & informis vocitatur: immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes. Græcè *ignivomum efflantes halitum*, quod dici solet de leonibus, draconibus, ac similibus calidioribus bestiis: *aut fumi odorem proferentes*, Græcè, *ventilantes fontem fumi*, id est, furentes, ac frementes cum anhela exalatione, quæ fumum exhibet, quod Scriptura balenæ attribuit Iob. 41. *Et horrendas ab oculis scintillas emittentes.* Græcè *fulgurantes*, vt solent balenæ, basilisci, lupi, Delrio teste lib. 5. disq. Magic. cap. 3. q. 4. *Quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, &c.* quarum, scilicet, non solùm venenatus morsus, imò & solus aspectus exitialis existeret ob conceptum horrorem.

Vers. 21. 22. *Sed & sine his vno spiritu*, seu flatu tuo *poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis*, id est, sola conscientia factorum pessimorum ipsos premente, viscera corrodente. * Malæ enim conscientiæ morsus obdurato peccatori quolibet mortifero veneno exitiali existit.] *Et dispersi per spiritum virtutis tuæ. Sed omnia in mensura, & numero, & pondere constituisti.* Id est, summa æquitate, ac ratione omnia ordinasti, quod Sapientiæ munus est Metaphora sumpta ab humanis negotiationibus, in quibus iustitia dati & accepti seruatur, mensurando, numerando, ac ponderando. Hanc, inquit, iustitiam, quam in omni re perpetuo seruas, etiam in pœnis Ægypto infligendis asseruasti. v. gr. *numerum*, decem plagas infligendo, *mensuram* culpis proportione sua pœnas commeosurando: *pondus*, destinando pœnas ad finem à Deo præscriptum: vt diuina potentia, iustitia, ac maiestas passim innotesceret. *Multum enim valere tibi soli supererat semper*, nam multum posse, imò omnia posse penes te est semper: & ex eo, quod dirlota non infers supplicia cum possis iustè, tuam ineffabilem misericordiam ostendis. * Deus sine mensura iustis præmia largitur, peccatoribus in numero, in pondere, in mensura supplicia infert.] *Et virtuti brachij tui quis resistet?*

Malæ conscientiæ morsus quolibet veneno est exitialior.

Sine mensura Deus præmia largitur, in mensura infert supplicia.

Vers. 23. *Quoniam tanquam momentum stateræ.* Græcè, *deuergentia*, inclinatio, nutus vnius ex lancibus, alij lingula stateræ, cuius rectitudine æqualitas ponderum indicatur: *sic est ante te orbis terrarum: & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Comparatione tui cuncta creata ac possibilia minus sunt quàm minimus scrupulus aut granum, quod in alteram lancem mitti solet, cum artificis statera aliquid examinatur: aut quam imperceptibilis roris matutini guttula.

Vers. 24. *Sed misereris omnium quia omnia potes.* Quasi peccata omnium sic Deum ad vindictam solicitent, vt egeat quodammodo sua omnipotentia ad iustam conceptam iram frænandam, & continendam. Vndè omnipotentia, quæ horribilis peccatori obiici poterat propter facilem ei supplicij inflictionem: amabilis admodum apparet, siquidem Deum continet, ne inferat supplicium æternum, sed omnium misereatur.] *Et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*: non statim punis, sed expectas, vt peccatores pœnitudine affecti ad frugem se meliorem recipiant.

Deus omnium miseretur, quia eius omnipotentia eum continet quodammodo, vt supplicium non inferat.

Vers. 25. 26. 27. *Diligis enim omnia, quæ sunt à te creata: & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Si enim odisses, minimè fecisses ea. *Quomodò autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Aut quod à te vocatum non esset, conseruari?* Seu quod à te non esset creatum, & conseruatum, quod scilicet à te non iuberetur permanere, & durare, *Parcis autem omnibus, &c.* Deus parcit hominibus, quia amator est animarum, quæ ipsius sunt, vt reliqua omnia: nec decet patremfamilias res pretiosiores prodigere. *Quod à te*, inquit, *vocatum non esset*, seu factum, creatum. * Dicere enim Dei, facere est.

Dicere Dei facere est.

CAPVT

CAPVT XII.

Amplificat Salomon beneficium à Deo Hebræis collatum in sanctæ Terræ introitu, expulsis ex ea impijs Chananæis, Hebræisque eorum loco substitutis.

1. QVAM bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus. 2. Ideóque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris: vt relicta malitia, credant in te Domine. 3. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, 4. quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia iniusta, 5. & filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis à medio sacramento tuo, 6. & auctores parentes animarum inauxiliatarum, perdere voluisti per manus parentum nostrorum, 7. vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra. 8. Sed & his tanquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. 9. Non quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestiis sæuis, aut verbo duro simul exterminare: 10. sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. 11. Semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum. 12. Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? 13. Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium. 14. Neque rex neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti. 15. Cùm ergo sis iustus, iustè omnia disponis, ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute. 16. Virtus enim tua iustitiæ initium est: & ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. 17. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum, qui te nesciunt, audaciam traducis. 18. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis: subest enim tibi, cùm volueris, posse. 19. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iustum esse, & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ. 20. Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia. 21. cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, quorum parentibus iuramenta & conuentiones dedisti bonarum promissionum? 22. Cùm ergo das nobis, disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cùm de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam. 23. Vnde & illis, qui in vita sua insensatè & iniustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta. 24. Etenim in erroris via diutiùs errauerunt, deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt superuacua, infantium insensatorum more viuentes. 25. Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. 26. Qui autem ludibriis & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei iudicium experti sunt. 27. In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant deos, in ipsis cùm exterminarentur videntes, illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnouerunt: propter quod & finis condemnationis eorum venit super illos.

COMMENTARII.

1. *Expulsionem Chananæorũ à terra sancta describit.*

ERS. 1. 2. *Quàm bonus, & suauis est Domine, spiritus tuus in omnibus rebus,* maximè in hominibus, tam in pœnis infligendis, quàm in præmiis aptandis. Ly, Bonus idem est, ac *iustus, rectus*, quod dicebat Dauid, *Dulcis & rectus*, (seu *bonus & suauis.*) *Dominus, propter hoc legem dabit*, Psal. 24. * Oportet Principem, Iudicem, Præsulem rectum esse ad peccarores puniendos, suauem ad præmia elargiendum existere : imò simul rectum & suauem in ipsa delictorum punitione.] *Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis*, id est, per partes, non totam simul iram profundendo, sed *sensim & paulatim*. Græcus sic. Prudens Præsul iram conceptam aduersus subditos errantes contineat, paulatim effundat, acri enim admodum correptione vulnera exasperantur, quæ infusione vini & olei accipit sanitatem.] *Et de quibus peccant admones, & alloqueris*, tum ab intus per pias inspirationes, tum foris per correptiones & plagas. * Admonet enim Deus, cum ægritudines aut ærumnas infligit, vt à vitiis recedamus.

Oportet, Principem, Iudicẽ Præsulem rectũ esse, ac suauem.

Præsul in subditos errantes non simul totam iram profũdat, sed paulatim.

Labores, quibus premimur sunt Dei admonitiones.

Vers. 3. 4. 5. 6. 7. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ. Chananæos, aliosque populos, qui ante Hebræorum aduentum Terram sanctam incoluere: *quos exhorruisti*, seu odio habuisti, *quoniam odibilia*, seu odio digna, *opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia iniusta.* Græcè, *per veneficia, & sacrificia non sancta*, Intelligo maleficia diabolica & magica, sortilegia, & incantationes, quibus Chananæi erant addicti Et putatur Cham pater Chanam à gigantibus ante diluuium magicas artes hausisse, & tradidisse posteris. * A quonam enim nisi à despectore & irrisore parentis. Noë poterat diabolica ars hominibus disseminari ?] Sacrificia autem iniusta Chananæi falsis diis litabant, cum deberent iustitiæ, pietatis, seu religionis obligatione vni soli vero Numini offerri. *Et filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum & deuoratores sanguinis à medio sacramento tuo*, id est, mediante, & interposito iuramento. Quasi diceret : Dum fœderibus aliisque contractibus sanciendis interponendum esset iuramentum, illud impij Chananæi (quorum vitia recenset) sanciebant haustu sanguinis non brutorum animantium, sed hominum, & quidem propriorum filiorum, quos dæmoniis immolabant. Quo quid immanius ? *Et auctores parentes animarum, inauxiliatarum*, Græcè *Auctores cædis animarum auxilio destitutarum*, id est, & parentes illos crudelissimos, qui auctores erant cædis filiorum omni destitutorum auxilio; siquidem à propriis parentibus, à quibus protegendi fuerant, occidebantur ; *perdere* meritò *voluisti per manus parentum nostrorum ; vt dignam perciperent peregrinationem, &c.* Est enallage numeri, *perciperent* pro *perciperet terra*, hoc quidem sensu, Vt terra hæc peregrinos, seu peregrè aduentantes Israëlitas incolas digniores reciperet : ostendens hoc ipso, terram istam tibi esse charissimam, cum illi tam solicitè prospiceres de colonis se, & te dignis, nempè *pueris*, id est seruis tuis, seu veri Numinis cultoribus. * Cum videris Regnum, aut Prouinciam aliquam colonos fouere Catholicos, existima illam Deo esse charissimam.]

Irrisor parentis fuit diabolicæ artis magicæ inter homines auctor.

Regnũ quod Catholicos habet colonos, Deo se charum esse ostendit.

Vers. 8. Sed & his tanquam hominibus fragilitate humana pressis, qui se poterant reducere ad pœnitentiam *pepercisti*, non eos omninò illicò perimendo : *& misisti antecessores exercitus tui* milites, nempè *vespas, vt illos paulatim exterminarent.* De propriè dictis vespis, & crabronibus, aliisque similibus animalculis alatis, & spiculo armatis locum expono. Id enim supplicium præmissurum se promiserat Deus *Exo* 23. 28. * Vt peccarores ediscant, cum huiusmodi defatigantur plagis, v. gr. locustarum, vermium, grandinis, siccitatis &c. milites esse diuini exercitus præmissos, vt his leuiter vulnerati se ad meliorem frugem recipiant, & exitiale instans vulnus valeant euitare.]

2. *Dei pietatem in puniendis Chananæis ponderat.*

Plagæ, quibus affligimur, sũt præcursores exitij æterni, si eis afflicti non corrigimur.

Vers. 9. 10. Non quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestiis sæuis, aut verbo duro, id est peste exitiali, aut spectro horrifico, aut (aptius) quauis iussione, seu re duriore, ac asperiore. * Quæ quidem aptè *verbi duri* vocabulo significatur ; quia verbum durum amarum, maximè ex contemptu prolatum cordatos homines plusquam gladius exit aliter vulnerat: vndè hoc vocabulo dira quæque appositè significantur.] *Sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ*, puniens per partes, & paulatim, ad pœnitudinem eos alliciebas, inducias impendendo. *Non* scilicet *ignorans, quoniam nequam est natio eorum*, & naturalis malitia ipsorum. Græcè *ingenita, innata*. erat illorum malitia, non vitio animæ vel naturæ, vt somniarunt Manichæi, sed propter crasim, seu temperamentum corporis : ad quod non parum confert parentum intemperantia, & improba educatio. *Et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum*, seu praua machinatio, nempe supposito, quod prauam naturam, seu naturalem indolem, ac consuetudinem (quæ est altera natura) compescere nollent. Vnde Græcè est, *Quoniam non mutaretur.* Ergò non significatur hîc impossibilitas absoluta (vt fingunt hæretici) cur enim alioqui daret illis Deus *locum pœnitentiæ ?* sed solum ex hypothesi, seu conditione ipsis libera, sed neglecta. * Hinc prauæ consuetudinis vim edisce, quæ sic homines arripit vt sibi videantur, se minimè posse continere, & quodammodo (peccatoris malitia) impossibilem reddat reductionem. Impossibilis quidem non est, sed difficilis admodùm.]

Verbum durum ex contemptu prolatum dirius quam gladius vulnerat.

Tanta est vis prauæ cõsuetudinis, vt quodammodò impossibilitatem reductionis constituat.

Vers. 11. Semen enim erat maledictum ab initio, (imprecante Noë, *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit.* Gen. 6) *Nec timens aliquem veniam dabas peccatis illorum*, seu non ob metum potentiæ cuiuspiam maioris compulsus fuisti, vt impiis illis ad tempus seu parceres, seu mitius affligeres, ac tandem non integrè deleres. Hoc enim imbecillium est tyrannorum, v. gr. Pharaonis, Athaliæ, Herodis, qui sæuiebant in alios non ob aliud, quàm quod sibi ab iis metuerent. * Deus verò nullius metu percelli, aut compelli potest agnata misericordia parcit, vel expectat.]

Deus non ex timore, sed ex misericordia peccatoribus parcit.

Vers. 12. Quis enim dicet tibi, &c. Nullus profectò vitio dabit tibi quodcumque feceris, de creaturis enim tuis quidquid placuerit tibi disponere potes.

Vers.

Verſ. 13. 14. 15. 16. Non enim eſt alius Deus, quàm tu, &c. Hoc agis vt oſtendas, te iuſtè omnia diſponere. *Neque Rex, neque tyrannus in conſpectu tuo inquirent de iis, quas perdidiſti. Cum ergò ſis iuſtus iuſtè omnia diſponis: ipſum quoque, qui non debet puniri*, ob tua occolta iudicia inſtanter, *condemnare non expectatum, exterum*, ſeu alienum *æſtimas a tua virtute*, ſiue à tua potentia, quæ tunc exeritur, cum oportet. *Virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt*: ſeu tunc ſe exerit potentia tua, cum exigit iuſtitia. * Potentia enim vim ſuam debet iuſtitia moderari, vt nihil plus agat, quàm ipſa iuſtitia præſcribat: vnde bella iniuſta excitare, tyrannis eſt, non fortitudo.] *Et ob hoc, quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.* * Rebus enim ſuis domini libenter parcunt.] Deus igitur, quia omnibus dominatur, cunctis cupit ignoſcere. * Diſcant hinc Reges ſubditos nimiis tributis non perimere, quia Rex Dominus illorum eſt, quos ſi exactione deleuerit, non habebit ſubditos, quorum Dominus valeat appellari: vnde cum pereuntibus, ſubditis dominium ſimul deperibit.]

Potentiam Regũ debet iuſtitia moderari.

Rebus ſuis Domini libentes parcunt.

Quia Rex Domin⁹ ſubditorum eſt, eos exactionibus premere non debet.

Verſ. 17. Virtutem enim oſtendis tu, &c. Potentiam oſtentas & exeris in eos, qui non credunt te vim, & robur habere perfectum, ſeu omnipotentem eſſe, & eos qui probè quidem norunt te eſſe omnipotentem, ſed improba audacia in ſuis ſceleribus perſiſtunt, traducis de culpis ad pœnas.

Verſ. 18. Tu autem Dominator virtutis, Græcè, *qui fortitudini dominaris,) cum tranquillitate iudicas*, non ſummo iure, ſed cum moderatione in ſuppliciis inferendis te geris: *& cum magna reuerentia diſponis nos*, ſeu cum moderatione, quaſi nos reuerearis, Græcè, *cum multa parcitate*, ſeu parcendi ſtudio, miſcendo indulgentiam, & veniam gubernas nos etiam, quantum ad pœnas: veritus, ne quaſſatum calamum confringas, aut araneæ diſſipes telas. * Vt edoceantur Præſules in ſupplicij inflictione maximo vſuros moderamine eſſe, ne omninò perdant ſubditum, quem emendare ſatagunt.] *Subeſt enim tibi, cum volueris, poſſe.* Non puni ſtatim peccata, quia ad tuæ omnipotentiæ oſtenſionem ſufficit tibi quando volueris poſſe punire. * Cum iniuria afficeris, potens vindictam aſſumere, non erit infirmitatis argumentum ab ea abſtinere: ſufficit enim tibi, potuiſſe, ſed nolle iniuriatorem exſurgere, vt plenam ſatisfactionem patientia tibi nanciſcaris.]

Præſules circa ſupplicia inferẽda maximo debent vsi moderamine.

Cum iniuria afficeris, ſufficit tibi ad ſatisfactionẽ potuiſſe vindictam ſumere, ſed noluiſſe.

Verſ. 19. Docuiſti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iuſtum eſſe, & humanum, ſeu iuſtitiam vel rigorem cum benignitate colligare, qualem tu te in Ægyptios, & Chananæos exhibuiſti, & quotidie in impios exhibes. * Vndè alibi monuit, *Noli eſſe iuſtus multum.* Summum enim ius ſumma iniuria vocitatur.] Vnde *& bonæ ſpei feciſti filios tuos* Iſraëlitas, ſeu bene ſperare docuiſti, quod & ipſis peccantibus locum pœnitendi præſtabis.

Ne ſis nimiũ iuſtus erga delinquẽtes.

Verſ. 20. 21. Si enim inimicos ſeruorum tuorum, & debitos morti, ſeu morte dignos *tanta cruciaſti attentione*, præmeditatione quaſi cauens, ne modum in pœnis excederes: *dans eis tempus, & locum, per quæ poſſent mutari à malitia: cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos, &c.* quam ſolicita exquiſita & accurata diligentia exiſtimandus es iudicaſſe filios tuos Iſraël, quorum maioribus, tanta tam ſanctè promiſiſti, pacta & conuenta iureiurando obfirmans. * Et quidem ipſa patrum ſanctitas locum promiſſionis diuinæ gerit ad filiorum incolumitatem.]

Sanctitas patrum eſt quaſi Dei promiſſio ad filiorum incolumitatem.

Verſ. 22. Cum ergo das nobis diſciplinam, &c. Cũ nos moderatis adeo afficis pœnis vt magis eruditio, quàm ſupplicium eſſe videantur: impios Hebræorum hoſtes acri verbere percutis. *Vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, &c.* Vt enim iudicamus alios, perpendamus clementiam tuam, ſimuſque in delinquentes moderati vindicatores: cum verò iudicandi fuerimus à te, vel ab aliis ſperemus idem nobiſcum actum iri. * Eadem enim menſura, qua circa proximum vſi fuerimus, & Deus & alij (eius diſpoſitione) nos metientur.]

Qua menſura proximũ metiris, à Deo, & à proximo iudicaberis.

Verſ. 23. Vndè & illos, qui in vita ſua inſenſatè & iniuſtè vixerunt, &c. Qui inſenſatè, Græcè *in ſtultitia vitæ* extitere, idololatriam aliaque crimina admittendo per ea ipſa quæ coluere idola, ſummis tormentis ſunt affecti. Colebant Chananæi Beelzebub, id eſt, *Deum muſcarum*, ideò muſcis, & crabronibus fuére vexati. * Profectò peccator aſſolet in iis quæ iniquè appetit inuenire ſupplicium, teſtor immundas voluptates, quæ infamiam, ægritudines, mortem ſuo reddunt auctori.]

Peccator in iis, quas iniquè gerit voluptates, aſſolet ſupplicium inuenire.


Verſ. 24. 25. Etenim in erroris via diutius errauerunt, Alij, *Longius aberrauerunt vijs erroris*, id eſt, longius quam ſe extenderent erroris viæ, vel quam videretur, hominem poſſe errare, (Hiperbolica locutio) *Deos æſtimantes hæc, quæ in animalibus ſunt ſuperuacua*, id eſt, viliora, & infamia animalia, v. gr. crocodilos, cynecephalos, feles, muſcas: *infantium inſenſatorum more viuentes. Propter hoc tanquam pueris inſenſatis iudicium in deriſum dediſti*, ſeu ſupplicium ridiculum. Puerili enim more inſanientes puniuiſti puerilibus, ac ridiculis pœnis, ac proinde magis infamibus, magis indecoris, magis pungentibus, ac torquentibus. In Græco pulchra eſt paronomaſia inter *παίγνιοις* & *ἐμπαιγμόν*. Ac ſi diceret, Ridiculos ridiculè irriſiſti, cum pueris pueriliter luſiſti, pueriliter eos caſtigando per veſpas, crabrones, muſcas, & ſimilia animalcula.

Verſ. 26. 27. Qui autem ludibriis eiuſmodi, *& increpationibus non ſunt correcti*, dignum Dei iudicium experti ſunt, non ridiculum vt prius, ex ridente Deo, ſed ex irato grauiſſimum. *In quibus enim patientes indignabantur, &c.* Iis ipſis rebus quas paſſi ſunt, indignabundi Chananæi, cum per ea, quæ vt Deos colebant, punirentur, tandem ſuo malo agnouerunt, verum Deum eſſe, quem ante abnegabant ſe noſſe. Sed iam agnito Deo noluerunt parere, & ſubiici. *Propter quod & finis condemnationis eorum*, ſeu extrema damnatio & excidium *venit ſuper illos.*

CAPVT

CAPVT XIII.

In primos idololatriæ auctores Salomon inuehitur, pessimè quidem de Sapientia meritos, quæ in sincero veri vnius Dei cultu consistit.



1. ANt autem sunt omnes homines, In quibus non subest scien-
tia Dei:& de his quæ videntur bona, non potuerunt intellige-
re eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis
esset artifex: 2. sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum
aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem &
lunam, rectores orbis terrarum deos putauerunt. 3. Quorum
si specie delectati, deos putauerunt: sciant quantò his domina-
tor eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit. 4. Aut si
virtutem & opera eorum mirati sunt. intelligant ab illis, quoniam qui hæc fe-
cit, fortior est illis: 5. à magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibili-
ter poterit creator horum videri. 6. sed tamen adhuc in his minor est querela.
Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes inuenire. 7. Etenim
cùm in operibus illius conuersentur, inquirunt: & persuasum habent quoniam
bona sunt quæ videntur. 8. Iterùm autem nec his debet ignosci. 9. Si enim tan-
tum potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum: quomodo huius Dominum non
faciliùs inuenerunt? 10. Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est,
qui appellauerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuen-
tionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.
11. Aut si qnis artifex faber de silua lignum rectum secuerit, & huius doctè
eradat omnem corticem, & arte sua vsus, diligenter fabricet vas vtile in conuer-
sationem vitæ, 12. reliquiis autem eius operis, ad præparationem escæ abu-
tatur: 13. & reliquum horum, quod ad nullos vsus facit, lignum curuum, & vor-
ticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam, & per scientiam suæ
artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis, 14. aut alicui ex ani-
malibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem
illius, & omnem maculam, quæ in illo est, perliniens: 15. & faciat ei dignam ha-
bitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, 16. ne fortè cadat,
prospiciens illi, sciens quoniam non potest adiuuare se: imago enim est, & opus est
illi adiutorium. 17. Et de substantia sua, & de filiis suis, & de nuptiis votum fa-
ciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est: 18. & pro sani-
tate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adiutorium
inutilem inuocat: 19. & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest, & de
acquirendo, & de operando, & de omnium rerum euentu petit ab eo, qui in omnibus
est inutilis.

COMMENTARII.

1. *Variam Gentilium confictæ deitatis adorationem recenset.*



ERS. 1. 2. *Vani autem sunt omnes homines*, seu *stulti*, (vt Græcus) *in quibus non subest scientia Dei*, seu qui verum Deum non agnoscunt: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, qui quidem de seipso dixerat. Exo. 3. *Ego sum*, qui sum. Vel, qui est earum creaturarum, quæ oculis aspicimus auctor. *Neque operibus attendentes, agnouerunt, quis esset Artifex.* * Intolerabilis planè stultitia, quam videntur æmulari, qui bonis tot fruentes rarò, vel nunquam mentem ad largitorem transferunt, quasi ex natura, & non ex naturæ Auctore bona illa recepissent.] *Sed aut ignem*, quem Vulcani nomine colebant: *aut spiritum*, seu ventum, quem pro Deo cultum Seneca *l. 4. natur quæst. c. 17.* testatur, *aut citatum aerem*, seu celerem, & mobilem, quem sub Iunonis nomine tanquam Numen adorabant: *aut gyrum stellarum*, seu orbem stellis insignem, vel stellatum cœlum: *aut nimiam aquam*, Græcè, *aquam violentam* maris tempestatibus violenter agitatam, quam Thethyos vel Neptuni nomine venerabantur: *aut solem, & lunam Rectores deos putauerunt.*

Multi bona creata accipiunt quasi ex natura, & non ex Auctore naturæ prouenianr.

Vers. 3. Quorum si specie delectati pulchritudinis,

dinis, *Deos putauerunt: Sciant, quantò his Dominator eorum speciosior est* & pulchrior; *Species*, seu pulchritudinis eorum *generator*, & auctor *hæc omnia constituit.* * Quiuis quamtumuis hebes discursu, concipit ex creaturarum mira pulchritudine, ineffabilem esse pulchritudinem Creatoris qui potuit tot Creaturis tot specierum varietatem distribuere.]

Ex mira creaturarum pulchritudine Dei auctoris ineffabilē pulchritudinem timamur.

Vers. 4.5.6.7. Aut si virtutem, & opera eorum, Græcè, *potentiam, &* potentiæ effectus, siue *efficientiam) mirati sunt: intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis*, potentior scilicet, & maiori agendi vi præditus. *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* A præstantia & excellentia pulchritudinis *& creatura* (est hendyadis pro *speciosa creatura*) id est, à pulchritudine creaturarum poterit Creator agnosci *cognoscibiliter*, Græcè, *analogicè* proportionaliter videri, seu agnosci comparando creaturam cum Creatore, & effectum cum sua causa. *Sed tamen adhuc in his minor est querela.* Græcè, *reprehensio*, quam in aliis, qui res longè viliores, puta serpentes, muscas, ac similia animalcula pro diis coluere. *Et hi enim fortassè errant Deum quærentes, & volentes inuenire.* Quasi dicat, Veniam aliquam merentur, quod Deum sibi proposuerint inquirendum, & in rerum peruestigatione defixi, rerúmque naturalium capti pulchritudine, ac vi, illis ipsi rebus diuinitatem tribuerint, quibus nihil melius, & vtilius intueri valebant. *Etenim cum in operibus illius conuersentur*, occupando se in cognitione, & vsu earum, *inquirunt*, An Deus ista? *Et persuasum habent*, seu sibi persuadent Deum esse, *quoniam bona sunt, quæ videntur*, bona inquam ex pulchritudine, & vtilitate, vt eis Deitas valeat attribui.

Vers. 8.9. Iterum autem nec his debet ignosci. Quamuis, quadam ex parte minus hi reprehensibiles videantur, rerum nobilium, ac vtilium cultores: adhuc tamèn graui culpa non vacant, nec veniam erroris merentur. *Si enim tantum potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum.* Si tantum valuerunt ingenio, vt obscuritate naturæ inuoluta perciperent, & cœlestium corporum motum ac proprietates rimarentur, & totius sæculi, seu mundi magnalia dignoscerent: *Quomodò huius Dominum non facilius inuenerunt?* Potuissent faciliori ac breuiori opera illorum Auctorem & gubernatorem intelligentia consequi, cum animaduerterent, nec existere temere, aut per se, nec posse conseruari absque principio, & primaria causa, sub cuius ditione, & arbitrio cuncta sint, & à qua omnia pendeant. * Pondera illud: *Quomodo Dominum non facilius inuenerunt?* Deus enim quærentibus non absconditur, rogatus non refugit, non detrectat vocatus aduenire: ex corde inuoca, & ales apparebit.]

Quàm facilè Deus à se quærentibus inueniatur.

2. *Vers. 10. Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est*, seu inter mortuos censendi, quorumque desperata sit salus, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum artis inuentionem seu idola aurea vel argentea artificis manu confecta, *& similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiqua.* Venerationem enim maiorem apud idololatras conciliabat operis antiquitas. *Lapidem* (ait) *inutilem*, non addidit, *& noxium* Si lapis quia vtilis non est, licet noxius non sit, indignus veneratione est, cur tu colis vt deos delicias, & pulchritudini tam inutili tam noxiæ & animo & corpori vanum præstas obsequium?]

Ridicula Gentilium idola memorat.

Quàm stultè præstas obsequium voluptatū idolis inutilibus & noxiis.

Vers. 11.12.13.14.15.16. Aut si quis faber de silua lignum rectum secuerit, & huius doctè eradat omnem corticem & arte sua vsus diligenter fabricet vas vtile in conuersationem vitæ siue in vsum; *reliquiis autem eius operis, ad præparationem escæ abutatur*, ad ignem scilicet excitandum, vt cibi coquantur: *& reliquum horum quod ad nullos vsus facit, lignum curuum, & verticibus plenum*, seu tortuosum, & nodis agnatis refertum, *sculpat diligenter per vacuitatem suam* (Græcè, *per otium suum*) *& per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis: aut alicui ex animalibus illud comparet*, seu simile faciat truncum illum, *perliniens rubrica* rubeum colorem inducens, & rubicundum faciens fuco (adulterino quidem colore) *colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo est, perliniens*, seu colore illo tegens, ne appareat: *& faciat ei dignam habitationem*, siue ædiculam ligneam in qua includatur: *& in pariete ponens illum, & confirmans ferro*, stabiliens clauis, & obfirmans, *ne fortè cadat prospiciens illi*, seu prouidens, *sciens, quod non possit adiuuare se; imago enim est, & opus est illi adiutorium*, si cadat, se erigere non valet, sed alieno indiget auxilio. En ridiculos stultorum gentilium Deos.

Vers. 17.18.19. Et de substantia sua, & de filijs suis, & de nuptijs votum faciens inquirit. Et tamen cum idoli vilem agnoscat originem ab eo, orans, inquirit, quid facto opus sit circa diuitias, rem familiarem, quæstuosam negotiationem, filios, vxorem ducendam, &c. Quid stultius potest excogitari? *Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est*, nec respondere potest, cum non valeat audire: *& pro sanitate quidem infirmum deprecatur, &c.* * Taxantur hinc stulti adoratores Ministrorum aulæ vel curiæ, qui quidem animæ cultorum sunt semper noxij, & vix vnquam corpori vtiles.

Stulti admodū sunt Ministrorū Curiæ, aut aulæ adoratores.

CAPVT XIV.

Inuectiuam Salomon in idola exemplo nauigantium prosequitur. Quâ occasione diuinam Sapientiam in inuentione, & gubernatione nauis commendat.

1. ITERVM alius nauigare cogitans, & per feros fluctus iter
facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum inuocat.
2. Illud enim cupiditas acquirendi excogitauit, & artifex
Sapientia fabricauit sua. 3. Tua autem, Pater, prouiden-
tia gubernat, quoniam dedisti & in mari viam, & inter flu-
ctus semitam firmissimam, 4. ostendens quoniam potens
es ex omnibus saluare, etiamsi sine arte aliquis adeat mare.
5. Sed vt non essent vacua Sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam & exiguo ligno
credunt homines animás suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt: 6. sed
& ab initio cùm perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens.
remisit sæculo semen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata. 7. Benedictum
est enim lignum, per quod fit iustitia. 8. Per manus autem quod fit idolum, male-
dictum est & ipsum, & qui fecit illud : quia ille quidem operatus est : illud autem
cùm esset fragile, Deus cognominatus est. 9. Similiter autem sunt Deo, impius
& impietas eius. 10. Etenim quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patie-
tur. 11. Propter hoc & in idolis nationum non erit respectus : quoniam creaturæ
Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipu-
lam pedibus insipientium. 12. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum:
& adinuentio illorum corruptio vitæ est. 13. neque enim erant ab initio, neque
erunt in perpetuum. 14. Superuacuitas enim hominum aduenit in orbem terra-
rum: & ideò breuis illorum finis est inuentus. 15. Acerbo enim luctu dolens pa-
ter, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fue-
rat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacri-
ficia. 16. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic
error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta,
17. Et hos quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quòd lon-
gè essent, è longinquo figura eorum allata; euidentem imaginem Regis, quem ho-
norare volebant, fecerunt: vt illum, qui aberat, tanquam præsentem colerent sua
sollicitudine. 18. Prouexit autem ad horum culturam, & hos qui ignorabant,
artificis eximia diligentia. 19. Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit: ela-
borauit arte sua, vt similitudinem in melius figuraret. 20. Multitudo autem ho-
minum adducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honora-
tus fuerat, nunc Deum æstimauerunt. 21. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio:
quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen
lapidibus & lignis imposuerunt. 22. Et non suffecerat errasse eos circa Dei scien-
tiam, sed & in magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem ap-
pellant. 23. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut
insaniæ plenas vigilias habentes, 24. neque vitam, neque nuptias mundas iam
custodiunt, sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat: 25. &
omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infideli-
tas, turbatio & periurium, tumultus bonorum. 26. Dei immemoratio, animarum
inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ &
impudicitiæ. 27. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & ini-
tium & finis. 28. Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut certè vaticinantur falsa, aut
viuunt iniustè, aut peierant citò. 29. Dum enim confidunt in idolis, quæ sine anima
sunt, malè iurantes noceri se non sperant. 30. Vtraque ergo illis euenient dignè,
quoniam malè senserunt de Deo, attendentes idolis, & iurauerunt iniustè, in dolo
contemnentes iustitiam. 31. Non enim iuratorum virtus, sed peccantium pœna
perambulat semper iniustorum præuaricationem.

COMMEN

COMMENTARII.

Diuina Sapientia in nauigij inuentione commendatur.

1. ERS. 1. *Iterùm alius nauigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens ligno portante se, fragilius lignum inuocat*, ex quo idolum sculptum. Græcè, *putridius lignum inclamat*. Vtrumque verum: nam idolum ex fragili & subindè putrido, plerumque ex obuio quouis, & teiectitio ligno pigmentis infecto confici solet. At in extruenda naui, magnus fit delectus lignorum, vt tempestatum iniuriis valeat resistere. *Iterum* igitur, siue *præterea*, aliam hominum dementiam attende.

Vers. 2. 3. 4. Illud enim, id est, nauigium *cupiditas acquirendi excogitauit*: & artifex Sapientia fabricata sua, seu artifex sua Sapientia illud fabricata est; non enim Sapiens est epitheton Sapientiæ. *Tua autem Pater, prouidentia gubernat*, & nauem & nauclerum. *Quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam.* Dirigis nauigium in vastissimo æquore per vias non vias, per tot diuerticula, Syrtes, & anfractus. *Ostendens, quoniam potens es ex omnibus saluare, &c.* Potens es tuos ex cunctis pelagi liberare periculis, non solùm nauim dirigens, & protegens: verùm etiam sine nauigio, cedentibus vndis, vt accidit populo tuo Israël, qui siccis pedibus mari Robro fugiente, ad vlteriorem ripam properauit.

Vers. 5. 6. 7. Sed vt non essent vacua Sapientia tua opera, siue vt otiosa non essent: *propter hoc etiam & exiguo ligno* naui scilicet, *credunt homines animas suas*, seipsos, ac vitam suam, *& transeuntes mare, per ratem liberati sunt.* Voluit Deus non solùm potentiam suam declarare liberando sine naui periculosum iter per mare conficientes. Sed Sapientiam etiam libuit ei manifestare, rationem docendo nauis conficiendæ, & regendæ, vt se homines, deposito metu pelago committerent. *Sed & ab initio*, seu Noë tempore, *cum perirent superbi gigantes* aquis diluuij, *spes orbis terrarum ad ratem confugiens*, ij qui superant, & per quos spes erat propagandi post diluuium genus humanum, ad arcam Noë confugerunt: *& remisit* felix Noëmi familia seu reliquit *sæculo semen natiuitatis*, seu prolem, ex qua alia proles susciperetur, & propagaretur rursum genus humanum. Quæ quidem arca *manu tua erat gubernata*, non enim velis, non remis, non alia humana agebatur industria. *Benedictum est enim lignum, per quod fit iustitia.* Arca suum cursum tenuit, nec periclitata est; quia Deus illi benedixit, quemadmodum aliis benedicet ratibus, quibus quis iustè vtitur, scilicet, ad finem aliquem honestum. * Cur existimas plurimas naues cursum inceptum non perfecisse, sed rabiei cessisse ventorum, & fluctuum? Certè quia iniustitia vigebat in nautis. Ob peccatum enim excitari procellas Ionas à pisce absortos oculatus testis extitit.]

Ob peccata nautarũ periclitatur nauigium, excitata procella.

2. *Vers. 8. Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum idolum manu factum, & qui fecit illud; quia ille quidem operatus est, &c.* Artifex scilicet est à Deo maledictus, qui fabricator est idolum: & ipsum idolum est maledictum, & execrabile, quia cum sit ex fragili materia, Deos tamen appellatur. * Hinc patet, cur nonnulli in Republica execrabiles ciuibus ostentantur, & maledictis afficiuntur: nempe quia cum heri visi fuerint exiguo natalitio orti pauperes, miseri, hodie diuitiarum industria acquisitarum manu ad id fastigium vanitatis sint euecti, vt ambiant ab omnibus adorari.]

Rursum in idololatriam inuehitur.

Execrabiles ostentantur ciuibus illi, qui misero natalitio orti, ob acquisitas arte opes volũt ab omnibus adorari.

Vers. 9. 10. Similiter, seu, æquè *autem odio sunt Deo impius & impietas eius*, idoli scilicet fabricator, & impietas quæ cernitur in superstitioso idoli opere. *Etenim quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patietur*, nempe idolum impia manu confectum (Græcè.) *punietur* eo modo, quo capax est lignea materia, absumetur igni: dæmon verò assistens ligno flammis infernalibus cum artifice idoli homine cruciabitur.

Vers. 11. Propter hoc & in idolis nationum non erit respectus. Græcè, *in simulacra etiam erit visitatio* diuina, quia exercebitur in illa iudicium & vindicta, deiectione, & destructione eorumdem; sic solent ipsa quoque instrumenta, quibus quis parricidium, vel aliud graue scelus patrauit, simul cum auctore sceleris alicubi ignominia aliqua publica, & quasi pœna affici, & iuxta fontem appendi, vel adsepeliri. *Quoniam creatura Dei cum sint* ligna illa, *in odium*, Græcè, in abominationem *facta*, siue conuersæ *sunt* ab impiis; *& in tentationem animabus hominum*, in scandalum, in offendiculum: *& in muscipulam pedibus insipientium.* Muscipulæ nomen aptè exprimit latentem in creaturis illicem delectationem. * Si igitur in lignum sic Dei ira inuehitur, quia instrumentum inculpatum quidem extitit culpæ: quàm horribilis pœna parabitur impudicæ fœminæ, quæ laqueos & tendiculas iniquè tendit incautis. Vt ad libidinem alliciat?]

Horribile iudicium & pœna imminet impudicæ fœminæ, quæ tendiculas apponit incautis, vt ad libidinem alliciat.

Vers. 12. 13. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum, id est, inuentio idololatriæ est initium fornicationis, est enim fornicatio, imò adulterium quoddam, quo Deus deseritur. * Quod si ad fornicationem, seu adulterium materiale locum accommodes, colliges, quàm abominabile sit fornicatio vel adulterium, quod ex matre idololatria habuit originem.] *Et adinuentio illorum, corruptio vita est.* Corruptio præcipuè significat ea vitia, quæ magis à natura abhorrent, eamque deterius peruertunt, & quodammodò corrumpunt. *Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum.* Non erat ab initio idololatriæ, nempe ante diluuium ob recentem adhuc creationis memoriam: nec permanebunt, nam idololatria aliquando exterminabitur. * Liceat Iesuitæ D. Francisci Xauier & aliorum innumerabilium societatis nostræ Euangelij præconum commendare labores, quibus magna ex parte idololatria Orientales, & Occidentales Indos magna Fidei gloria deseruit.]

Quàm abominabile luxuriei vitiũ, quod ex idololatria suam duxit originem.

Iesuitarum labore magna ex parte idololatria extincta est.

Vers. 14. Supernacuitas enim hominum aduenit in orbe terrarum. Hominum *vanitas* (sic Græcè) idololatriæ fuit inuentrix: *& ideo breuis illorum finis est inuentus*, seu inuenietur. Nam quia idololatria leuem causam habuit, hoc est vanam gloriam, ideò tam leui fixa fundamine

perpetuò durare non poteſt. Exiſtimo aptius, ſermonem eſſe de aliquibus peculiaribus idolis, & eorum cultu, qui iam dudum obſoleuit.

Domus, & alia quæ ob vanitatē eriguntur citò corruūt, cum auctorū memoria.

* Hinc ediſce, omnes ædificationes illas, quæ vanitatis affectu eriguntur, v. gr. palatia, ſepulchra, &c. citò corruere, memoriámque auctoris deperire, quia leui vanitatis fundamine nituntur.]

3. *Idolorum initium recenſet.*

Verſ. 15. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem.* En initium idolorum, ſeu imaginum, & ſtatuarum falſorum Deorum, nempe ex nimio affectu & dolore erga defunctos, qui apud varias gentes variis modis primum ſe prodidit. Apud Ægyptios Syrophanes filij demortui ſimulacrum erexit. Apud Chaldæos Thare pater Abrahæ filio ſuo Aran defuncto ſtatuam appoſuit, ideóque ab Abrahamo grauiſſimè reprehenſum fuiſſe Suidas ſcribit.

A nimio dolore in obitu filiorum idololatria imaginū habuit initium.

* Vt parentes edoceantur à nimio dolore in filiorum obitu abſtinere, à quo immoderato affectu idololatria creditur habuiſſe principium.] *Et illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos, ſeu ſubditos ſuos ſacra, & ſacrificia.* En vnam idololatriæ cauſam, alteram attexam:

Verſ. 16. 17. *Deinde interueniente tempore, & conualeſcente iniqua hac conſuetudine offerendi cultum idolis, &c. vt illum, qui aberat, tanquam præſentem colerent ſua ſolicitudine.* Græcè, *vt illum adularentur ſtudioſè.*

Adulatio vel inter Chriſticolas facit idola confingi.

* Deteſtabile prorſus adulationis vitium, quo vel inter Chriſticolas quotidie Regis, Principum, Miniſtrorum idola externa ſaltem ſpecie adorantur.]

Verſ. 18. 19. *Prouexit autem ad horum culturam, &c.* Incitauit imperitos ad idolorum culturam eximia artificum diligentia in idolis elaborandis. *Ille enim volens placere illi, qui ſe aſſumpſit*; ſeu qui eum conduxit ad opus illud faciendum: *elaborauit arte ſua, vt ſimilitudinem in melius figuraret*, ſeu quàm poſſet pulcherrimè & maximè ad viuum: imò ſæpius *in melius*, prætermiſſis defectibus, addita elegantia formæ.

Non credendum ſemper imagini, cuius adulator pictor ſolet mentiri pulchritudinem.

*Non ſemper alterius imagini, vel ſimulacro danda integra fides; adulatio enim plerumque ſolet locum obtinere.]

Verſ. 20. 21. *Multitudo autem hominum abducta*, attracta, illecta *per ſpeciem operis*, eum, *qui ante tempus*, vel paulo ante, *tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æſtimauerunt. Et hæc fuit vita humanæ deceptio: quoniam aut affectui aut Regibus deſeruientes homines, incommunicabile creaturis Dei nomen lapidibus & lignis*, quorum materia aut eius, cuius affectu afficiebantur, aut Regis, cui adolari volebant, imagines expreſſæ erant, *impoſuerunt.*

Verſ. 22. *Et non ſuffecerat, erraſſe eos circa Dei ſcientiam, &c.* Et quaſi non ſufficeret eos ſcientiam, ſeu notitiam veri Dei non habere Deitatis vnitatem abnegantes, ad eum ignorantiæ, ac tenebrarum peruenére cumulum, vt ſtatum adeò infelicem, bonum, tranquillum, ac pacatum exiſtiment, ſua mala non ſentientes.

Deplorandi peccatores, quę dominatè viuunt, nullo conſcientiæ ſtimulo punguntur.

* Hinc deplorandi peccatores, qui dum effrænatè viuunt, cuncta ſcelera perpetrantes, atheiſmi ferè cultores, nullo conſcientiæ ſtimulo compunguntur.]

Verſ. 23. 24. *Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes*, occulta, *clandeſtina* (Græcè ſic) in arcanis & ſecretis locis lucis, antris celebrata vt licentiùs vacent libidini; *aut inſania plenas vigilias habentes* (Græcè *aut inſanas ex aliis legibus, ſeu ritibus commeſſationes agitantes:*) *neque vitam, neque nuptias mundas iam cuſtodiunt.* Cum tamen (vti Paulus ait. *Hebr.* 13.) debeat eſſe connubium *honorabile in omnibus*, & thorus immaculatus. *Sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contriſtat.* Adulterans aut alium, ſeu maritum fœminæ, cum qua adulteratur per inuidiam, quam de illius aſſidua voluptatis poſſeſſione concipit, interimit, vt ſine obſtaculo valeat voluptate potiri: aut eundem contriſtat, ſi incidat in ſuſpicionem, quod eius vxor thalamum macularit.

Verſ. 25. 26. *Et hinc omnia commixta ſunt* ferè crimina, ſiue magna eſt criminum omnis generis colluuies. Ac primùm *ſanguis, homicidium.* Sanguis ex vulneribus inflictis ſine nece profunditur, homicidia patrantur. Et quando primus luxuriei effectus non fuit crudelitas, & immanitas?] *Furtum* deinde. Tanta enim eſt impudicæ mulieris auaritia, vt quandoque ad perpetranda furta, vt habeant, qui ei dedant, cogat amaſios.] *Et fictio.* * Fingit enim adulter ſe amicum mariti, vt facilius eius thorum inficiat: quid iniquius?] *Corruptio, & infidelitas:* turbatio, & periurium. *Tumultus honorum.* Græcè, *bonorum hominum vexatio*, & in bonos tumultus excitatus ex ſuſpicione, ſi ſciat maritus, ſi conſentiat vxoris nequitiæ? *Dei immemoratio*, ſeu obliuio, *animarum inquinatio*, ſeu gulæ indulgentia vitij quidem obſcœni: *natiuitatis immutatio*, ſcilicet per vitium contra naturam. Sic alij. Ego autem interpretor de prole, quæ ſupponi aſſolet, cum quis alienam aggrediens vxorem, prolem reddit incertam: *nuptiarum inconſtantia* cum ſcilicet ſine cauſa matrimonia dirimuntur: *inordinatio mœchiæ*, adulterij, *& impudicitia.*

Primus luxuriei effectus eſt crudelitas.

Auara mulier impudica ſæpè ad furta cogit amaſium.

Magna iniquitas te amicum gerere mariti, vt vxorem inficias.

Verſ. 27. *Infandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis.* id eſt, cauſa totalis. Nam vt Paulus docet *Rom.* 1. Idolorum cultores *tradidit Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua, &c.* Aliqua eorum iam vitia recenſet: 4.

Cuncta crimina ex idololatria orta eſſe oſtendit.

Verſ. 28. Aut enim *dum lætantur, inſaniunt.* id eſt, *effuſè* (ſic Græcè) & vltrà modum ſic lætantur, vt videantur inſaniæ vi moueri. *Aut certè vaticinantur falſa*, quaſi Numine correpti eſſent, pro diuinis aut prophetis ſe venditant: *Aut viuunt iniuſtè: aut peierant citò*, Deorum nomen temerè interponendo, & facilè concipiendo iuramenta.

Verſ. 29. *Dum enim confidunt in idolis*, ſeu idola colunt, *quæ ſine anima ſunt, malè iurantes*, ſiue falsò, *noceri ſe non ſperant*, nocumentum non timent, quia deorum ſuorum inanimatorum ira præcordia non habet, vnde ſuccenſa prodeat.

Verſ. 30. *Vtraque ergò illis euenient dignè, &c.* Impij duabus de cauſis pœnas dabunt, vero Deo illas exigente. Altera, quia illo neglecto coluerunt idola. Altera, quia iuriſiurandi religionem iniuſtè & fraudulenter violauerunt. Licet enim in idolis verum Numen non inſit, tamen dum per errorem eis diuinitatem attribuerint, ex conſcientia erronea rei periurij aderant.

Verſ. 31. *Non enim iuratorum virtus, ſed peccantium*

tantium pœna perambulat semper iniustorum prœuaricationem. Dabunt pœnas non idolis eas tepeteotibus, quæ nullam vim habent: Sed vltrix peccatorum iustitia prauè factorum pœnas ab iniustis semper expetit. Pro *peccantium pœna perambulat*, est in Græco, *Inuadit infesta.* * Ipsi delicto supplicium infestum est agnatum, quod quidem quasi *perambulat* circuens, quærens scilicet peccata; quæ puniat.]

Pœna perambulat quærens peccata, quæ puniat.

CAPVT XV.

Deo agit gratias Salomon, quod suo populo non contigerit fœdè labi, sicut Gentilibus idololatris: & in figulos, qui ex luto deos fingebant, inuehitur, sicut suprà inuectus fuerat in sculptores.

1. TV autem Deus noster, suauis & verus es, patiens, & in mise-
ricordia disponens omnia. 2. Etenim si peccauerimus, tui
sumus, scientes, magnitudinem tuam: & si non peccauerimus,
scimus quoniam apud te sumus computati. 3. Nosse
enim te, consummata iustitia est: & scire iustitiam, & virtu-
tem tuam, radix est immortalitatis. 4. Non enim in erro-
rem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec vm-
bra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, 5. cuius aspe-
ctus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.
6. Malorum amatores, digni sunt qui spem habeant in talibus, & qui faciunt il-
los, & qui diligunt, & qui colunt. 7. Sed & figulus mollem terram premens, la-
boriosè fingit ad vsus nostros vnumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ mun-
da sunt in vsum vasa, & similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasorum
quis sit vsus, iudex est figulus. 8. Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto,
ille qui paulò ante de terra factus fuerat, & post pusillum reducit se vnde acceptus
est, repetitur animæ debitum quam habebat. 9. Sed cura est illi, non quia labo-
raturus est, nec quoniam breuis illi vita est, sed concertatur aurificibus & argenta-
riis: sed & ærarios imitatur, & gloriam præfert, quoniam res superuacuas fingit.
10. Cinis est enim cor eius, & terra superuacua spes illius, & luto vilior vita eius:
11. quoniam ignorauit qui se finxit, & qui inspirauit illi animam quæ operatur, &
qui insufflauit ei spiritum vitalem. 12. Sed & æstimauerunt lusum esse vitam no-
stram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndecumque
etiam ex malo acquirere. 13. Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex
terræ materia fragilia vasa, & sculptilia fingit. 14. Omnes enim insipientes, & in-
felices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, & imperantes illi:
15. quoniam omnia idola nationum deos æstimauerunt, quibus neque oculorum
vsus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad au-
diendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed & pedes eorum pigri ad ambu-
landum. 16. homo enim fecit illos: & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos.
Nemo enim sibi similem homo poterit Deum fingere. 17. Cùm enim sit morta-
lis, mortuum finxit manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit, quia ipse
quidem vixit, cùm esset mortalis, illi autem nunquam. 18. Sed & animalia miser-
rima colunt: insensata enim comparata his, illis sunt deteriora. 19. Sed nec aspe-
ctu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Effugerunt autem Dei lau-
dem, & benedictionem eius.

COMMENTARII.

1. Salomon Deo agit gratias, quod Hebræos suos ab idololatriæ fœditate liberauit.

VERS. 1. *Tu autem Deus noster, suauis, & verus es*, benignus, beneficus, verus autem tùm in essentia, quæ non est ficta quemadmodum idolorum; tum in promissis, dictis, minis, quæ infallibilem sortiuntur effectum.

Vers. 2. Etenim si peccauerimus, tui sumus, siue sub tua potestate, *Scientes magnitudinem*, siue potentiam tuam, qua potes nos delinquentes punire, (cum idola id non possint) potes quoque si libuerit, pœnam nobis condonare. *Et si non peccauerimus, scimus, quoniam apud te sumus* computati. Græcè, *æstimati* & in pretio, tibi chari, curæ, & cordi. * Profectò scientia hæc debet nos à delinquendo reuocare; certum enim est, Deo charos non esse, si non peccauerimus:

Nos à peccando contineat, scire,

posse nos Deum punire illicò delinquētes, & ignosare, an velet tempus cōcedere ad pœnitentiam.

mus: si verò delioquamus, scimos, Deum iuste nos posse æternùm punire, & ignotamus, num pœnam sit nobis condonaturus, pœnitudini tempus impendens.]

Vers. 3. *Nosse enim te* vera ac sinceta fide *consummata iustitia est*, perfecta, & absoluta; nam fides docet, & subministtat omnia ad perfectam iustitiam, & æternam salutem necessatia. *Et scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis*, id est, principium; fide enim inchoatur vita æterna; est enim prima ad iustificationem dispositio. Sicut enim quidquid est in arbore pulchritudinis totum ex radice procedit: sic io anima quidquid est metiti ex fidei otitur fuodamento.

Vers. 4. 5. *Non enim in errorem induxit nos hominum mala artis exeogitatio*, id est, ars excogitattix, & effectrix idolorum, mala quidem, quia in malum idololatriæ inducit. *Nec vmbra pictura*, seo pictura vmbris & colotibus corpora exprimens, & idola ad humanam conformans ideam. *Labor sine fructu*, id est, qui labor prorsus est inutilis, omninò vanus, effigies sculpta *per varios colores*. Græcè, figura coloribus vatiis maculata. *Cuius aspectus insensato dat concupiscentiam*, stultum, imprudentem ad turpem excitat amorem. Alicubi enim reperti fuére, qui idolorum statua, obscœnè turpiterque adamauerint. * Hinc taxantur, qui veneris, cupidinis, aliorumve indecenter picta, vel sculpta exponunt simulachra, quorum aspectui si non adsit stultus, qui imaginem adamet, possunt adesse multi aliàs Sapientes, qui ex impudica forma aliquem minus castum admittant affectum.] *Et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.*

Picturæ vel statuæ nudæ indecenter, taxantur.

Vers. 6. *Malorum amatores*, seu idolorom, quæ quidem mala sunt, coltores, *digni sunt, qui spem habeant in talibus*. siue digni sunt hac pœna, vt suam in eis locent spem, inanem quidem, infructiferam, exirialem. *Et qui faciunt illos Deos, & qui diligunt, & qui colunt.* * Et quidem in omnibus, quæ iniustè diligis partem supplicij inuenies, cuncta enim humana inordinatè amata tibi de more aderunt inutilia, noxiaque existent.]

In his, quæ inordinatè diligis, supplicium inuenies.

2. *Vers.* 7. 8. *Sed & figulus mollem terram premens*, & subigeos, *laboriosè fingit ad vsus nostros vnumquodque vas; & de eodem luto fingit, quæ munda sunt in vsum vasa, & similiter, quæ ipsis sunt contraria*, in vituperium scilicet. *Horum autem vasorum quis sit vsus, iudex est figulus. Et cum labore vano*, seu *inutili de eodem luto ille* figulus, *qui paulò ante de terra factus fuerat*, seu de luto formatus, & post pusillom reducit se, Græcè, *abibit*, redibit *in terram, vnde acceptus, est*, id est, ex qua eius corpus fuerat efformatom: *repetitus animæ debitum, quam habebat*, seu repetente morte animam creditam: seu debitum moriendi, & à corpore demigrandi. Ridiculum prorsus & stultum, quod ille ipse, qui luteus est, luteum sibi fingat Deum nihilo se meliorem, seu nobiliorem quoad materiam.

Inuehitur in figulos, ex luto idola fingētes, & adorantes ea.

Vers. 9. *Sed cura est illi* figulo, *non quia laboratus, est*, seu seipsum labore vexaturus, confecturus, ægrotaturus, *nec quoniam breuis illi vita est: Sed concertatur aurificibus, & argentarys, &c.* Quasi diceret: Id solùm contendit, & curat, vt vel superare, vel saltem possit æquare in arte artifices argentarios, & ærarios, licet in materia superetur. Magis enim ostentari videtur ars in materia fragili. Vnde gloriam suam præfert, æstimat, reputat, *quoniam res supernacuas fingit*. Græcè, *imposturas*, res adulterinas, & falsatas: quæ licet vilissimæ sint, vtpotè luteæ, speciem tamen rerum nobilissimarum præ se fetant. Hac figlina arte confectas deorum effigies & miniatas tradit. Varro apud Plinium *l.* 35. *c.* 12. laudatissimas fuisse. Crediderim, ob pretij vilitatem magis fuisse venales. * Proh hominum stultitia Deum falsum siue demonem pretio acquirere satagunt, dum verum Deum gratis se offerentem despiciunt, & admittere dedignantur.]

Impij dæmonem pretio satagunt acquirere, dū Deum se gratis offerētem recipere dedignantur.

Vers. 10. 11. *Cinis est enim cor eius*, corde nihil cogitat, nihil sperat nisi lutum, & cinerem: *& terra supernacua*, id est, vilis & sordida *spes illius*. Græcè, *vacua præ terra*, seu ipsa terra abiectior: *& luto vilior vita eius*, quia luteo idolo se subiicit, vt seruum Domino, vt creaturam creatori. * Applico hæc mundanis hominibus, vilibus mammonæ, Sathanæ voluptatum mancipiis, qui quidem eis sine præmij spe seruiunt, imò cum supplicij certitudine miserè obsequuntur.] *Quoniam ignorauit, qui se finxit.* Deum ex lutea materia, *& qui inspirauit illi animam, quæ operatur*, qui insufflauit ei spiritum vitalem iuxta illud Geneseos, *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.*

Mundani diabolo sine spe mercedis, imò cū supplicij certitudine miserè obsequuntur.

Vers. 12. *Sed & æstimauerunt, lusum esse vitam nostram*, ignorantes, ob quem finem creati essent homines, & quibus studiis ac operibus deberent insistere; nec reputantes rem seriò agi, & actionum nostrarum à nobis rationem esse reddendam: *& conuersationem vitæ compositam ad lucrum*, seo vitam esse quasi nundinas ad lucrum materiale captandum comparatas. Profectò vel apud Christicolas multi ita sese dedunt lucris captandis vt videatur eorum vitam ad lucrum solummodò esse compositam.] *Et* ideò eis videtur oportere, *vndecunque etiam ex malo*, ex iniustitia *acquirere.*

Ita multi satagūt captare temporalia lucra, vt videantur ad id solummodò natos fuisse.

Vers. 13. *Hic etiam scit*, seo scire facilè potuisset, *se super omnes delinquere*, seo grauiter peccare, & minus excusabilem esse, *qui ex terra materia fragilia vasa, & sculptilia fingit*, cum facilè posset intelligere Deum illum non esse, quem ex luto sicut reliqua officinæ suæ vasa finxisset.

Vers. 14. 15. 16. *Omnes enim insipientes*, Græcè, *omnes autem*) *& infelices supra modum animæ superbi sunt inimici populi tui*, id est, stulti superbi præ omni anima, seu homine. Ac si diceret: Idololatræ quantumcomque superbi, & potentes, sunt tamen magis stulti & infelices, seu miseri, quàm qui naturæ sunt stulti defectu. Quod ipsum affirmo, inquit, maximè de idololatris Regibus inimicis populi tui, *& imperantis illi*, odio immani, & acerbissima tyrannide. Notat Ægyprios, & tot alios in Palæstina tyrannos Gentiles, qui populum Israëliticum crudelissimè sæpius oppressere; de quorum sordida, & stulta idololatria mox subiicit memoriam. *Quoniam omnia idola nationum deos æstimauerunt, &c. homo enim fecit illos* deos: *& qui spiritum mutuatus est*, humo, qui spiritum, & animam quasi mutuo habet, & in morte redditurus est, is finxit illos. *Nemo enim sibi similem*, id est, viuentem, *poterit Deum fingere.*

Vers.

Verſ. 17. ***Cum enim ſit mortalis, mortuum fingit.*** vitam ſcilicet, & ſenſum non habentem, ***manibus iniquis.*** ***Melior enim***, ſeu excellentior eſt ipſe ***his, quos colit***; quia ipſe ***quidem vixit***, cum ***eſſet mortalis***, cum eſſet homo, ***illi autem nunquam vixere.***

Verſ. 18.19. ***Sed & animalia miſerrima colunt.*** Græcè, ***odioſiſſima***, nempe crocodilos, ſerpentes, &c. ***inſenſata enim*** omnia, id eſt, ſenſu vel mente carentia, ***comparata his***, ſiue ſi compararentur iis animalibus, quæ Ægyptij colunt, ***illis ſunt deteriora*** inſenſatis. Cum enim reliqua vel neceſſaria, vel vtilia ſint homini, ſaltem benigna pictaque, & amica, & venuſta: hæc è contrario ſordida ſunt, & inimica, & noxia adeò, mirum eſt, induci homines poſſe, ad ea colenda. ***Sed neque ex aſpectu aliquis ex iis animalibus bona poteſt conſpicere***, id eſt, ad aſpectum fœda ſunt, horrida, ac ſordida, nihil enim boni, ſeu pulchritudinis in eis poteſt notari. ***Effugerunt autem Dei laudem, & benedictionem***, ſeu non ſunt adepta à Deo eam ſpeciem, pulchritudinem, reliquaſue qualitates, quas accepére, reliqua animalia, quæ ex benedictione Dei habent, quod commoda, & vtilia hominibus exiſtant, & quorum vſu Deus laudatur. Quantæ igitur dementiæ eſt, honores illis deferri diuinos. Non vero inepte dixerim alludi ad maledictionem, qua Deus in paradiſo ſerpentem affecit.

CAPVT XVI.

Docet Salomon Ægyptios ob idololatriam fuiſſe à Deo dirè flagellatos, Hebræos autem veri Numinis cultores mitiùs caſtigatos fuiſſe licet Deo obmurmuratores & rebelles, & correptione reſipiſcentes multis ornatos beneficiis. Ex quo diuinam Sapientiam effert in flagellatione impiorum, ac piorum conſeruatione.

1. PROPTER hæc, & per his ſimilia paſſi ſunt dignè tormenta,
& per multitudinem beſtiarum exterminati ſunt. 2. Pro
quibus tormentis benè diſpoſuiſti populum tuum, quibus
dediſti concupiſcentiam delectamenti ſui, nouum ſaporem,
eſcam parans eis ortygometram: 3. vt illi quidem concu-
piſcentes eſcam propter ea, quæ illis oſtenſa & miſſa ſunt,
etiam à neceſſaria concupiſcentia auerterentur. Hi autem in
breui inopes facti, nouam guſtauerunt eſcam. 4. Oportebat enim illis ſine excu-
ſatione quidem ſuperuenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantùm
oſtendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur. 5. Etenim cùm illis
ſuperuenit ſæua beſtiarum ira, morſibus peruerſorum colubrorum exterminaban-
tur. 6. Sed non in perpetuum ira tua permanſit: ſed ad correptionem in breui
turbati ſunt, ſignum habentes ſaluris ad commemorationem mandati legis tuæ.
7. Qui enim conuerſus eſt, non per hoc, quod videbat, ſanabatur, ſed per te om-
nium ſaluatorem: 8. in hoc autem oſtendiſti inimicis noſtris, quia tu es, qui libe-
ras ab omni malo. 9. Illos enim locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus, &
non eſt inuenta ſanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiuſmodi exterminari.
10. Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes: miſericordia
enim tua adueniens ſanabat illos. 11. In memoria enim ſermonum tuorum exa-
minabantur, & velociter ſaluabantur, ne in altam incidentes obliuionem, non poſ-
ſent tuo vti adiutorio. 12. Etenim neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed
tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia. 13. Tu es enim, Domine, qui vitæ &
mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas, mortis, & reducis: 14. homo au-
tem occidit quidem per malitiam, & cùm exierit ſpiritus, non reuertetur, nec re-
uocabit animam quæ recepta eſt. 15. Sed tuam manum effugere impoſſibile eſt.
16. Negantes enim te noſſe impij, per fortitudinem brachij tui flagellati ſunt: no-
uis aquis, & grandinibus, & pluuiis perſecutionem paſſi, & per ignem conſumpti.
17. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat:
vindex eſt enim orbis iuſtorum. 18. Quodam enim tempore, manſuerabatur
ignis ne comburerentur quæ ad impios miſſa erant animalia: ſed vt ipſi videntes
ſcirent, quoniam Dei iudicio patiuntur perſecutionem. 19. Et quondam tempore
in aqua ſupra virtutem ignis, exardeſcebat vndique, vt iniquæ terræ nationem ex-
terminaret. 20. Pro quibus angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum
panem

panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. 21. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur. 22. Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant: vt scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & pluuia coruscans. 23. Hic autem iterùm vt nutrirentur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est. 24. Creatura enim tibi Factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. 25. Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat, ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant: 26. vt scirent filij tui, quos dilexisti Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conseruat. 27 Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: 28. vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare. 29. Ingrati enim spes tanquam hibernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua superuacua.

COMMENTARII.

Edocet Salomon. Ægyptios durè ab Deo ob idololatriam flagellatos.

1\. ERS. 1. *Propter hæc, & per similia passi sunt tormenta, &c.* Redit Salomon ad id, quod *cap. 11.* probandum susceperat, *Per quæ quis peccat, per eadem punitur.* Amplificat autem Ægyptiorum pœnas ex antithesi cum pœnis leuioribus Israëlitarum, & beneficiis in resipiscentes collatis propter idololatriam (ait) & similia alia crimina, v.gr. quòd serpentibus, & aliis bestiis diuinitatem attribuebant, grauissimis fuerunt affecti plagis, & tandem miserè deperierunt.

Vers. 2. 3. Pro quibus tormentis, id est, quorum tormentorum loco, *bene disposuisti populum tuum* Israël, siue eum beneficiis cumulasti. *Quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui, nouum saporem, escam parans eis ortygometram.* Id est, Hebræis in deserto. Sin obmurmurantibus ob defectum carnium dedisti rem tanto concupitam affectu miri & noui delectamenti, neque antea degustati saporis, nempe *coturnicum matrem* (id *ortygometra* significat) seu ducem, & regem cum infinito quidem coturnicum exercito matrem subsequente. *Vt illi quidem concupiscentes escam* famelici, propter *ea* animalia, *quæ illis ostensa, & missa sunt,* nempe ranas, muscas, & similia, *etiam à necessaria concupiscentia,* seu ab esca concupita ad necessariam naturæ subleuationem *auerterentur* animalia enim illa cibos eorum contaminabant. *Hi autem* Hebræi scilicet, *in breui inopes* facti paulo ante deficientibus cibis, quos expectabant. *nouam gustauerunt escam,* id est, coturnices.

Vers. 4 Oportebat enim illis, sine excusatione quidem superuenire interitum tyrannidis Nec mirum Ægyptios interitu *sine excusatione*. Græcè, *ineuitabili* punitos fuisse, cum adeo tyranicè tractaruut Hebræos. *His autem tantum ostendere, quemadmodum inimici eorum exterminabantur.* Hebræis autem satis erat breuior fames & punitio, nempe quanta sufficeret, & murmuri eorum expiando, & ipsis experientia edocendis, quam graues essent, & intolerabiles diuturnæ illæ plagæ quibus Ægyptij afficiebantur, & sic beneficium erga se diuinum gratiore animo recognoscerent. * Et quidem cum peccator labore aut tribulatione affectus viderit alios peccatores ditius se flagellari, debet pro accepto huiusmodi beneficio se Deo gratum exhibere.]

Cum peccator videt alios peccatores diutioribus agi laboribus, existimet, id à Deo beneficium id accepisse & gratum se præbeat.

Vers. 5. 6. Etenim cum illis superuenit sæua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur. Cum Hebræi colubrorum plagam horribilem illam experti sunt, nonnulli eorum murmurantium occidebantur. *Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in breui turbati sunt, &c.* Ad breue tempus plaga est immissa vt corrigerentur, & ad memoriam reuocarent tuæ legis præscripta. Nam mox placatus erigi iussisti in altum serpentem æneum, in salutis Symbolum non modo corporalis, sed & spiritualis, à veneno peccati, quod serpens impresserat Euæ, Eua Adamo, Adamus nobis, vt ipsemet Christus explicat *Ioa.* 3. 14. Igitur serpens ille æneus non erat causa sanitatis, sed solùm sanitatis signum à Deo per Messiam concessæ. * Cum itaque tartareus serpens ignito voluptatum morsu te inficere tentat, ad Christum cruci suffixum conuerte oculos. Passionis enim Dominicæ recordatio luxuriei ignem illico extinguit.]

2\. *Mitius murmuratores Hebræi fuêre puniti.*

Passionis Christi meditatio luxuriei ignê extinguit.

Vers. 7. 8. Qui enim conuersus est, non per hoc, quod videbat, sed per te omnium saluatorem. Qui enim oculos ad serpentem æneum conuertebat, sanabatur ab exitiali morsu, non virtute materialis serpentis quem aspectabat, sed virtute saluatoris omnium (suffixum quidem) cuius typum ille gerebat. *In hoc autem ostendisti inimicis nostris, &c.*

Vers. 9. 10. Illos enim Ægyptios vtique locustarum & muscarum occiderunt morsus. & non est inuenta sanitas animæ illorum. Cùm Ægyptij morsibus animaleulorum ex multiplicatione vulneris exitialium cruciabantur, non prouidisti de salutari medicamine; *qui digni erant* ob opera iniquissima *ab huiusmodi* plagis *exterminari.* Filios *autem tuos* Israëlitas *nec draconum venenatorum vicerunt dentes*: quantumuis venenati fuêre morsus serpentum, Hebræis non potuerunt officere, *Misericordia enim tua adueniens illos sanabat*, crudelis morsus infatuando venena. * Preme illud: *Misericordia tua adueniens.* Tam ingens est diuinæ pietatis affectus in suos, vt non expectet se adiri, aut rogari, ipsa aduenit non vocata, & quasi rogat nos salutem accipere.]

Dei misericordia non vocata aduenit & quasi rogat nos salutem accipere.

Vers.

Vers. 11. *In memoria enim sermonum tuorum examinabantur*, id est, affligebantur plaga illa, vt diuinorum præceptorum tuorum recordarentur. * Etenim quotiens ærumnis peccator agitur, ideò quidem fit, vt ad implenda mandata Dei, quorum obseruantiam negligit, reuertatur.] *Et velociter sanabantur, &c.* Verùm sanitate illicò afficiebantur, vt intelligerent solùm immitti morsus illos serpentum in recordationem legis. Id autem Deus præstabat, ne penitus obliti redderent se auxilij tui specialis indignos. * Multiplicatio enim criminum reddit incapacem peccatorem, vt à Deo speciali Illo auxilio donetur, quoad frugem meliorem se recipiat, & solùm generale recipiat, quo etsi valeat conuerti, non tamen conuertendus est.]

Ærumnæ, quibus peccator affligitur, à Deo emittuntur, vt obseruantiæ legis recordetur.

Multiplicatio criminũ reddit peccatorem indignum, vt speciali Dei auxilio ad cõuersionẽ donetur.

Vers. 12. 13. *Etenim neque herba* salutaris, *neque malagma*, seu fomentum vina habens molliendi, & dolorem mitigandi, *sanauit eos. Sed tuus Domine, sermo*, (seu iussio) *qui sanat omnia. Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis*, qui scilicet & exitiali vulnere percutis, cui nex agnata, & ab imminenti periculo vulneratum deducis.

Vers. 14. 15. *Homo autem occidit quidem per malitiam, & cum exierit spiritus* è corpore, ope occidentis *non reuertetur* ad vitam, *nec reuocabit* ille *animam, quæ recepta est* in aliam vitam. *Sed tuam manum effugere, impossibile est*, siue occidere velis, siue liberare libeat, siue ad vitam hanc animum reuocare tibi placeat.

Vers. 16. *Negantes enim te nosse impij*, impij qui negant, te cognoscere, seu te Deum verùm esse non credunt, *per fortitudinem brachij tui flagellati sunt: nouis aquis, & grandinibus, & pluuijs persecutionem passi, & per ignem consumpti*, id est, nouis seu peregrinis pluuiis (rarò enim in Ægypto pluuiæ ac grandines decidebant) afflicti fuere, & igne absumpti, nam grando & ignis mixta contorquebantur.

Vers. 17. *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat* Mirum erat, videre aquam, cui cedit ignis, ignem illum instar olei fouere, & acuere. *Vindex est enim orbis iustorum.* Loquitur de mundo elementari, ignis enim & aqua, & omnia elementa quodammodò conspirabant ad vltionem de populi Dei inimicis assumendam.

Vers. 18. 19. *Quodam enim tempore mansuetabatur ignis*, seu mansuescebat eo tempore, quo Deo placuit, per ranas, bruchus, muscas Ægyptios punire: *ne comburerentur, quæ ad impios missa erant animalia*, ne eorum infestatio cessaret. *Sed vt ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique.* Tempore alio præter consuetum naturæ ordinem ignis in aqua veluti in oleo & pice exardescebat, nempè cum ignes grandini, & imbribus permisti deciderent.

3. *Vers.* 20. *Pro quibus*, seu quorum vice ac loco, nempe loco grandinis & pluuiæ igneæ in Ægypto, *Angelorum esca nutriuisti populum tuum*, seu *manna* ab Angelis efformato, & quidem vi naturali ex materia ad id disposita. *Et paratum* ab Angelis *panem de cælo præstitisti illis* (de cœlo, inquam, vel cæli, quia ex nubibus delapsum) *sine labore* præparandi, conditum enim iam cibum Deus illis præstabat. *Omne delectamentum in se habentem*, id est, maximè delectabile, vel omnium delicatorum ciborum referens saporem, *& omnis saporis suauitatem.*

Ponderat egregium immissionis mãna beneficium factum Hebræis.

Vers. 21. *Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Græcè pro *substantia* est, *subsistentia* tua, nempe ipsum manna, quod iussu Dei non fictè, non delusoriè, sed verè subsistebat à parte rei, nec fallebat comedentes: apertè indicabat Dei in Israelis filios benignitatem. * Porrò deliciæ à Deo ex hoc à mundialibus distinguuntur, quod hæ fictæ sunt, licet subsistere videantur: illæ autem verè subsistunt. Vnde ipsa *substentia* appositè vocitantur.] *Et deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Et desiderio comedentis morem gerens, in quem quisque saporem propendebat. *transtemperabatur* sic Græcè. Et quidem manente eadem substantia, varios sapores ad appetentium votum inducebat. Huiusque suauitatis participes erant omnes, siue iusti essent, siue peccatores. * Ex hoc autem capite typus hic Eucharistiæ celeberrimus non subsistit. Multiplicem enim illam omnium spiritualium saporum suauitatem soli iusti percipiunt.]

Deliciæ mũdi fictæ sunt minimè subsistentes, à Deo autem missæ deliciæ verè subsistunt.

Multiplicem spiritualium saporum suauitatem in manna Eucharisticoso li iusti percipiunt.

Vers. 22. *Nix autem & glacies sustinebant vim ignis*, qui niui, grandini, & pluuiæ intactis miraculosè miscebatur: *& non tabescebant*, non liquefiebant, non dissoluebantur. *Vt scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & pluuia coruscans*, Ægyptiorum fructus, nempe plantas, iumenta, homines ignis ille horribilis, ardens, & fulgurans in grandine & pluuia absumebat.

Vers. 23. 24. *Hic autem* ignis, iterum, seu *è contra* (vt habet Græcus) *vt nutrirentur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est*, manna scilicet non consumens, sed coquens. *Creatura enim tibi Factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos*, seu vt impios torqueat: *& lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* Ignis aduersus impios suam vim exerebat, vt autem iustis obsequeretur, suam remittebat efficaciam, eam solummodò adhibens, quæ ad coquendum celestem cibum necessaria erat.

Vers. 25. 26. *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat.* Ideò manna accommodans se gratiæ tuæ siue prouidentiæ benignæ, qua omnia nutris, & conseruas, & qua decreuisti specialiter filios tuos Israëlitas in deserto nutrire: varios sapores referebat, quasi in omnes dulces, ac suaues cibos transfiguratum, seu transmutatum, *ad voluntatem scilicet eorum, qui à te desiderabant* peculiarem aliquem saporem percipere. *Vt scirent filij tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderunt, conseruat.* Non fructus à terra nati sunt solùm hominum cibus, nam iussio & voluntas tua potest facillimè cœlesti cibo credentes in te reficere. Loco verbi illius. *Qui à te desiderabant* in Græco est, πρὸς τὴν τῶν δεομένων θέλησιν, quæ vertere possis, *iuxta indigentium*, vel, *iuxta orantium voluntatem*, nam δέεσθαι & *indigere* significat, & *orare*. * Pulchrè quidem indigentia & oratio in vnum recidunt, vt edoceamur, indigentiam nostram orationem connotare, & insonare medicinam ipsius indigentiæ.]

Indigentia ipsa nostra connotat orationem ipsius indigentiæ medicamen.

Verſ. 27. 28. Quod enim (pro *quod autem*) *ab igne non poterat exterminari*, ſeu diſſolui manna, *ſtatim ab exiguo radio ſolis calefactum tabeſcebat*, ſoluebatur; *vt notum omnibus eſſet quoniam oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam*, ſeu ad munus mannæ accipiendum, vel ad gratiarum actionem pro tam aſſiduo beneficio gerendam. Vnde adiicitur, *& ad ortum lucis te adorare.* * Vndè oratio matutina commendatur.] * Et dum liquefit manna, & inutile redditur, ſi ante ſolis exitum non colligitur, edoceamur ſacræ Communionis fructum euaneſcere ferè prorſus ei, qui communionis die non præmittit diligens orationis, vel meditationis exercitamentum.]

Oratio matutina commendatur. Communionis die oportet orationis exercitiū Euchariſtiæ receptioni præmittere.

Verſ. 29. Ingrati enim ſpes tanquam hibernalis glacies tabeſcet, &c. Gratiæ Deo agendæ ſunt pro beneficiis acceptis. Nam qui ſecus agit. ſibi fontem gratiarum præcludit, quas fruſtra ſe accepturum ſperat. Vndè eius ſpes, ſeu confidentia perit non aliter quàm glacies hyeme concreta, quæ vere liquefit, & ſoluitur, & tanquam aqua inutilis, quæ profunditur *. Si enim gratos pro vno beneficio accepto non oſtendimus indignos nos alterius recipiendi præſtamus.]

Si vno beneficio accepto ingratus extitis, indignū te alterius recipiendi oſtendis.

CAPVT XVII.

Ægyptios grauiſſimis plagis punitos ob tyrannidem in Hebræos, pergit Salomon inſectari. Deſcribit horribiles Ægypti tenebras quibus obruti erant Ægyptij dum Hebræi placida luce fruerentur.

1.  AGNA ſunt enim iudicia tua Domine, & inenarrabilia
verba tua: propter hoc indiſciplinatæ animæ errauerunt.
2. Dum enim perſuaſum habent iniqui poſſe dominari nationi ſanctæ: vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt. 3. Et dum putant ſe latere in obſcuris peccatis, tenebroſo obliuionis velamento diſperſi ſunt, pauentes, horrendè, & cùm admiratione nimia perturbati. 4. Neque enim quæ continebat illos ſpelunca, ſine timore cuſtodiebat: quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pauorem illis præſtabant. 5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſiderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. 6. Apparebat autem illis ſubitaneus ignis, timore plenus: & timore perculſi illius, quæ non videbatur, faciei, æſtimabant deteriora eſſe quæ videbantur: 7. & magicæ artis appoſiti erant deriſus, & Sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia. 8. Illi enim qui promittebant timores & perturbationes expellere ſe ab anima languente, hi cum deriſu pleni timore languebant. 9. Nam etſi nihil illos ex monſtris perturbabat: tranſitu animalium & ſerpentium ſibilatione commoti, tremebundi peribant: & aërem, quem nulla ratione quis effugere poſſet, negantes ſe videre. 10. Cùm ſit enim timida nequitia; dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia. 11. Nihil enim timor niſi proditio cogitationis auxiliorum. 12. Et dum ab intus minor eſt expectatio, maiorem computat inſcientiam eius cauſæ, de qua tormentum præſtat. 13. Illi autem qui impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altiſſimis inferis ſuperuenientem, eundem ſomnum dormientes, 14. aliquando monſtrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: ſubitaneus enim illis & inſperatus timor ſuperuenerat. 15. Deinde ſi quiſquam ex illis decidiſſet, cuſtodiebatur in carcere ſine ferro recluſus. 16. Si enim ruſticus quis erat, aut paſtor, aut agri laborum, operarius præoccupatus eſſet, ineffugibilem ſuſtinebat neceſſitatem. 17. Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Siue ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, 18. aut ſonus validus præcipitantium petrarum, aut ludentium animalium curſus inuiſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo; deficientes faciebant illos præ timore. 19. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. 20. Solis autem illis ſuperpoſita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erat. Ipſi ergo ſibi erant grauiores tenebris.

COMMEN

COMMENTARII.

Horribiles Ægyptiorum tenebras eleganter Salomon describit.

1. ERS. 1.5. *Magna sunt enim iudicia tua Domine & inenarribilia verba tua*, hoc est, res, quas Sapientissimo tuo consilio geris. *Dum enim persuasum habent*, seu sibi persuadent *iniqui Ægyptij posse dominari nationi sanctæ* Israëlitarũ: *vinculis tenebrarum, & longæ noc · · compeditis, inclusi sub tectis, fugitiui perpetua prouidentia* exules (Græcè) à prouidentia diuina, quę perpetuò homines per solem illuminat quasi capti omnino oculis, *iacuerunt*. Porrò vincula hæc & compedes densitatem tenebrarum Ægyptiarum indicant, quas palpabiles sacer textus *Exo. 10. 21.* appellat.

Vers. 3. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, in criminibus secretis, in tenebris commissis *tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt*, hoc est, separati ab inuicẽ spississimis tenebris, quibus quasi velamento operti, se mutuo obliti, de se actum arbitrati iacebant immoti sine cibo ac potu per triduum; siqoidem *nemo vidit fratrem suum, nemo se de loco mouit. Exo. 10.* * Preme illud *Putant se latere in obscuris peccatorum*, putabant eas tenebras peccata sua esse, nec enim iudicabant posse tam horribiles tenebras alia ex causa subsistere. Et quidem peccatum adeò est tenebrosum, vt tenebræ illæ materiales Solem vincerent claritate, si cum peccati tenebris componerentur. *Pauentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati.* Causam mox huiusmodi horribilis, & nimiæ admiratioois attexit.

Tenebræ Ægypti solẽ vincunt claritate si cum tenebris peccati componantur.

Vers. 4.5.6.7. Neque enim quæ continebat, eos spelunca, in qua latebant, seu ad quam confugerant, vt in remotiori domus loco securius latitarent, *sine timore custodiebat; quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes* laruæ, spectra *illis apparentes, pauorem illis præstabant.* Addit Græcos, *personæ tristibus mœsta vultibus*, horribilia phantasmata. *Et ignis quidem* (ex foco, ex lucernis) *nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpida flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus*, instar fulgurum inter densas nubes: *& timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur.* Spectra namque illa in tantis tenebris non plenè, non perfectè cernebantur, sed per intermicantes ignes sublucebant. Quo ipso spectrorum terror, vel maximè augetur, dum peiora metuuntur, quæ lateant, sed mox se proditura sint. *Et magicæ artis appositi erant derisus*, id est, illæ magorum illusiones, & præstigiæ, quibus illuserant Pharaoni, & reliqois Ægyptiis contra Moysen, & si iam quoque adessent, nihil tamen efficere, aut prodesse poterant. *Et Sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia*: id est, cum contumelia fuit correptio Sapientiæ gloriæ illorum, seu contumeliosè correpta, & redarguta fuit magica Sapientia, qua gloriabantur.

Vers. 8. Illi enim, qui promittebant timores, &c. Magi qui arte sua se ablaturos ab Ægyptiis languentibus, seu ægrotantibus (vt ait Græcus) horribilem illum timorem, *ridiculo timore* (Græcè) *laborabant*, seu ridiculos se exponebant Medici illi, qui seipsos curare non poterant. * Vnde arguuntur Concionatores aut Præsules, qui tenebris peccatorum offusi contendunt subditos, aut auditores ab eisdem tenebris eripere. Ridicula prorsus prædicatio vel correptio.]

Ridiculum se Concionator, vel Præsul præstat, qui tenebris peccati offusos contẽdit subditos, aut auditores ab eisdem liberare tenebris.

Vers. 9. Nam & si nihil illos ex monstris perturbabat, seu perturbare solebat, cum assueuissent magi monstris eiusmodi: tamen *transitu animalium, & serpentum sibilatione commoti tremebundi peribant*, id est, quandò in tenebris illis transire, & discurrere cœperũt nouæ hæ belluæ, & insueta animalia, ac serpentum sibili exauditi, tanto metu commoti, & exanimati sunt, vt *Et aerem, quem nulla ratione quis effugere posset negantes se videre*, id est, negarent se aspectum ipsum aëris vel ad breue tempus ferre posse, nimirùm aspicere nequiebant horrenda monstra, quæ per intermicantia fulgura se visenda offerebant.

Vers. 10. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Græcè, *proprio testimonio condemnata.* Testis enim nequitiæ est timor, Iudex conscientia. * Quamdiu enim manet nequitia, manet timor: & ita semper manet certum condemnationis testimonium & sententia; illud fert timor, vt testis: hanc conscientia vt Iudex. Quamuis enim videatur foris audacter praua agere impius, de iis tamen intus cogitur trepidare.] * Vndè vt nihil timidius, ita & nihil imbellius improbo, qui latebras quærit, odit lucem, timet deprehendi, puniri formidat. E contra *charitas foras mittit timorem. 1. Ioa. 4.* pietas alacris est, & fiducia, ac robore plena.] *Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia*, id est, anticipata opinione, vel præsagitione grauia & molesta suspicatur.

Quamdiu manet in impio peccatũ manet ad cõdemnationẽ timor vt testis, & conscientia vt Iudex.

Nihil timidius & imbellius impio.

Vers. 11. 12. Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum, seu non oritur aliunde timor, quam quod homo prodatur, seu deseratur ab auxiliis à cogitatione, seu ratione suggeri solitis. Vndè *Dum ab intus minor est expectatio* auxiliorum, *maiorem computat inscientiam eius causæ, de qua tormentum præstat* sui animus metu perturbatus. Reputat enim (& merito) grauius sibi malum imminere, quod adhuc ignorat, latente etiam nunc causa, ob quam, & per quam tormentum de nouo obueniet. Exemplum subiicit in Ægyptiis.

Vers. 13. 14. Illi autem qui impotentem verè noctem, &c. Ex Græco sic locum haud facilem expono. Ægyptij tempore illius noctis, cum tenebris torquebantur impotentis quidem, quia eos reddebat impotentes ad agendum: noctis inquam ab inferni profundissimis recessibus ascendentis (Alludit ad fabulam, quæ nox orci filia putabatur) *eundem somnum dormientes* siue omnes male & perturbato terroribus somno dormiebant: & dissoluebantur desertione virium animi ex desperatione euadendi. Vocantur itaque *dormientes*, quia licet vigilarent, erant tamen quasi dormientes vtpotè in tenebris ab omni operatione vacantes. * Qui enim non operatur quasi dormit: vnde peccatores ab omni virtutis opere vacantes, verè dormientes dixerim.] * Preme illa: *Impotentem verè noctem ab altissimis inferis superuenientem*, Græcè, *Ex impotentis inferni recessibus.* Cur infernus impotens dicitur? Quia nulla est ibi vtilis alicuius operis gerendi facultas. Quàm

Peccator nullum virtutis opus gerens verè dormit.

Impotens vocatur infernus, quia ibi nihil potest damnatus vtile facere.

miser ſtatus in quo æternùm patietur impius, & nihil vtile ad euadendum pœnas facere poterit!] * Ex infetis autem aptè dicuntur aſcendere tenebræ, quæ obcœcant peccatores. Quia ſcilicet obcœcatio mentis, qua peccatores ſuffunduntur quid eſt niſi quædam damnationis prælibatio?]

Obcœcatio mentis, qua peccator ſuffunditur, eſt damnationis quaſi prælibatio.

Verſ. 15. Deindè ſi quiſquam ex Ægyptiis *illis decidiſſet* timote conſternatus: *cuſtodiebatur in carcere ſine ferro recluſus*, id eſt, vel ſurgere non poterat, vel non audebat, ſed in eodem veſtigio quaſi in carcere concluſus hærebat.


Verſ. 16. 17. *Si enim ruſticus quis erat, aut paſtor, aut agrorum operarius, praoccupatus eſſet,* ſeu tenebris deprehenſus, & circumfuſus, *ineffugabilem* ſuſtinebat neceſſitatem ibi manendi, vbi enim timor & tenebræ præoccupauerant. *Vna enim catena tenebrarum*, omnes erant colligati. Vnde mœſtis ac trepidis nihil iucundum accidit: *ſiue* enim *ſpiritus* ſeu aura *ſibilans* volitaret: *aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis* erumperet: *aut vis aqua decurrentis nimium*, ſeu cum impetu non iniucundum auribus fragorem offerret: *aut ſonus validus pracipitatarum petrarum aut ludentium animalium curſus inuiſus*, id eſt, ipſis animalibus non viſis, ſolummodò ſtrepitus laſciuientium, & ſaltantium, *aut mugientium valida beſtiarum vox: aut reſonans de altiſſimis montibus Echo; deficientes faciebant illos pra timore.* Ac ſi diceret, quiſque ſonus vel iucundus ex ſe, vel iniucundus, æqualem Ægyptij tenebris illis, deficientibus excitabat horrorem.

Verſ. 19. 20. *Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, &c.* E contrà Iſraëlitæ claro colluſtrati lumine, quo omnis præter Ægyptum orbis fruebatur, nulla ex parte impeditum habebant curſum operum ſuorum, & liberum omnium membrorum vſum, *ſolis autem illis* Ægyptiis ſcilicet *ſuperpoſita erat grauis nox* Ægyptiis ſolùm miſeris torquendis illa obſcuriſſima volitabat nox tenebrarum, Deo vapores craſſos in aëre condenſante, ſimul & ſubtrahente concurſum ſuum oculis Ægyptiorum, non verò Hebræorum, aut aliorum mortalium oculis. Erat verò illa nox vmbra & *imago tenebrarum* mortis & tartari, *qua ſuperuentura illis erat. Ipſi ergo ſibi erant grauiores tenebris* illis externis & materialibus propter internas ſpirituales tenebras mentis, ignorantiam ſcilicet, ignauiam, timorem, & ſceleribus immerſam conſcientiam. * Ex his enim ſpiritualibus tenebris natæ ſunt illæ materiales, & infernales naſciturae.]

Horribiles peccatorum tenebræ.

CAPVT XVIII.

Pergit Salomon ſupplicia, quibus Ægyptij Sapientia diuina oſſores affecti & in Ægypto, & in mari Rubro fuerunt; beneficiáque Hebrais à Deo collata in deſerto recenſere.

1. ANCTIS autem tuis maxima erat lux, & horum quidem
vocem audiebant, ſed figuram non videbant. Et quia non &
ipſi eadem paſſi erant, magnificabant te: 2. & qui ante læſi
erant, quia non lædebantur, gratias agebant: & vt eſſet diffe-
rentia, donum petebant. 3. Propter quod ignis ardentem
columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & ſolem ſine læſura
boni hoſpitij præſtitiſti. 4. Digni quidem illi carere luce,
& pati carcerem tenebrarum, qui incluſos cuſtodiebant filios tuos, per quos inci-
piebat incorruptum legis lumen ſæculo dari. 5. Cùm cogitarent iuſtorum occi-
dere infantes: & vno expoſito filio, & liberato, in traductionem illorum, multi-
tudinem filiorum abſtuliſti, & pariter illos perdidiſti in aqua valida. 6. Illa enim
nox ante cognita eſt à patribus noſtris, vt verè ſcientes quibus iuramentis credide-
runt, animæquiores eſſent. 7. Suſcepta eſt autem à populo tuo ſanitas quidem
iuſtorum, iniuſtorum autem exterminatio. 8. Sicut enim læſiſti aduerſarios: ſic
& nos prouocans magnificaſti. 9. Abſconsè enim ſacrificabant iuſti pueri bono-
rum: & iuſtitiæ legem in concordia diſpoſuerunt: ſimiliter & bona & mala re-
cepturos iuſtos, patrum iam decantantes laudes. 10. Reſonabat autem inconue-
niens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus plorantorum infantium.
11. Simili autem pœna ſeruus cum Domino afflictus eſt, & popularis homo regi
ſimilia paſſus. 12. Similiter ergo omnes, vno nomine mortis mortuos habebant
innumerabiles. Nec enim ad ſepeliendum viui ſufficiebant: quoniam vno momen-
to, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata eſt. 13. De omnibus enim
non credentes propter veneficia, tunc verò primùm cum fuit exterminium primo-
genitorum, ſpoponderunt populum Dei eſſe. 14. Cùm enim quietum ſilentium

conti-

contineret omnia,& nox in suo cursu medium iter haberet, 15. omnipotens sermo
tuus de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram
prosiliuit, 16. gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans re-
pleuit omnia morte, & vsque ad cœlum attingebat stans in terra. 17. Tunc con-
tinuò visus somniorum malorum turbauerunt illos, & timores superuenerunt ins-
perati. 18. Et alius alibi proiectus semiuiuus, propter quam moriebatur, causam
demonstrabat mortis. 19. Visiones enim, quæ illos turbauerunt, hæc præmone-
bant, ne inscij, quare mala patiebantur, perirent, 20. Tetigit autem tunc & iu-
stos tentatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis, sed non diu per-
mansit ira tua. 21. Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, pro-
ferens seruitutis suæ scutum, orationem, & per incensum deprecationem, allegans,
restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.
22. Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo
illum, qui se vexabat, subiecit, iuramenta parentum, & testamentum comme-
morans, 23. Cùm enim iam aceruatim cecidissent super alterutrum mortui,
institit, & amputauit impetum, & diuisit illam quæ ad viuos ducebat
viam. 24. In veste enim ponderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum:
& parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, & magnificen-
tia tua in diademate capitis illius sculpta erat. 25. His autem cessit qui extermina-
bat,& hæc extimuit, erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

COMMENTARII.

1. *Adhuc de tenebris Ægyptiorum Salomon agit.*

VERS. 15. *Sanctis autem tuis*, dum Ægyptij tenebris obruebantur, *maxima erat lux, & horum quidem Ægyptiorum vocem* eiulatum, lamenta *audiebant* vicini Hebræi; *sed figuram non videbant* quod spissis tenebris inuoluerentur. *Et quia non & ipsi eadem passi erant, magnificabant te.* * Quoties aliquem videris dira pati, incolume te, debes Deum gratus magnificare, quia eadem ad quæ tua fragilitas est obnoxia, non es passus.] *Et qui ante læsi erant*, seu dira passi fuerant ab Ægyptiis, *quia non lædebantur* iam eisdem tenebris & plagis, quibus Ægyptij, *gratias* tibi *agebant: & vt esset differentia* inter se & illos, *donum petebant*, id est, eximiam istam gratiam à te postulabant. * Vt enim Dei beneficiis donemur, Deus ipse volt orationem præmitti.]

Cum videris aliũ pati laborem, aut ægritudinem, à qua liberatus, Deum gratus magnifica.

Vt Dei beneficio doneris oratio est præmittenda.

Vers.3. Propter quod, seu propter quam Hebræorum postulationem *ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignota via, &c.* Dedisti eis columnam eam ignis, quæ ipsis erat quasi Sol sine læsione fulgens caloris, ad iter demonstrandum, & bona hospicia, seu commodas in deserto indicando stationes. * Illam existima maximo Dei beneficio datam tibi esse lucem, quæ te ad bona dirigit hospitia, à noxiis delinquendi occasionibus abstrahens.]

Illa lux, quæ te ad bona hospitia ducit, occasiones delinquẽdi auferens, tibi data est Dei beneficio.

Vers.4. Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios suos, per quos (Hebræos) *incipiebat* (Græcè, *debebat*) *incorruptum legis lumen* (scilicet in monte Sinai *Exo.*20.) *sæculo*, seu orbi *dari.* Si autem velis nostram lectionem *Incipiebat* retinere, dic inchoationem actus pro ipso actu poni. *Incipiebat dari* pro *Iam dabatur.* Qui enim bene incipit Deo obediendo, non solum *dimidium facti*, (vt quidam cecinit) sed opus quodammodo perfectum habet.]

Qui bene cœpit habet quodammodò opus perfectum.

2. *Cladem Ægyptiorum in mari Rubro memorat, primogenitorum que cædem.*

Vers.5. Cum cogitarent Ægyptij *iustorum occidere infantes, & vno exposito filio.* Moyse, *& liberato in traductionem illorum.* Græcè, *in redargutionem* in correptionem, nam ex aquis nutu diuino eductus est Moyses ad Ægyptos posteà castigandos. Hac itaque Moysis traductione seu immissione in Nilum vnius, *multitudinem filiorum* à captiuitate *abstulisti & pariter illos perdidisti in aqua* maris Rubri *valida*, seu immensa. * Vt in aqua deperirent, qui in aqua infantem Mosem deperire curarunt: vt per quæ quis peccat per eadem periturum esse ostendatur.]

Per quæ quis peccat, per eadem afficitur supplicio.

Vers.6.7. Illa enim nox, qua Ægyptiorum primogenita occisa fuerunt, *ante cognita est*, seu fuit *à patribus nostris*, quia prædicta ab Angelo quatuordecim antè diebus *Exo.*12.2. Quod etiam Pharaoni diu antè prædici iussum *Exo.*4.22 *Vt verè scientes, quibus iuramentis crediderunt, animæquiores essent.* Vt tranquillo animo essent Hebræi ad credendum, quod omnia à Deo patribus olim promissa certo complenda esse suo singula tempore: siquidem iam indubitatè scirent experientia ipsa impleri iuramenta recentia seu promissionem de primogenitis Ægyptiorum vna nocte iugulandis. *Suscepta est autem* seu ergo *à populo tuo* cum gaudio *Sanitas quidem iustorum, iniustorum autem exterminatio.*

Vers. 8. Sicut enim læsisti aduersarios, sic & nos prouocans (Græcè *conuocans*) *magnificasti.* Conuocans vtique seu inuitans ad redamandum, ad gratias redhibendas. * Quodlibet enim beneficium à Deo acceptum est prouocatio, seu inuitatio, vt largitorem amemus, & gratiarum actionem referamus.]

Quodlibet à Deo acceptum beneficium, est prouocatio ad eum amandum, & gratias ei referendum.

Vers.9. Absconsè enim seu occultè *Sacrificabant* Paschalem Agnum *iusti*, Hebræi *pueri bonorum* filij scilicet bonorum parentum Patriarcharum: *& iustitiæ legem in concordia disposuerunt*, se vnanimiter statuerunt legem seruare, quam daturus illis erat Dominus. *Similiter & bona & mala recepturos iustos, patrum iam decantabant laudes* statuerunt similiter bona & mala subire eodem affectu ad prospera scilicet & aduersa parati decantando Deo laudes quas patres sancti eorum in prosperis & aduersis soliti erant Numini litare. * Preme illud *similiter*

Iustus paratus debet æquè esse ad accipienda bona, & ad mala toleranda.

& bona & mala recepturos iustos. Iustus enim sicut paratus est ad beneficia Dei recipienda, debet esse æquo animo paratus ad flagella, si quando libuerit cœlesti patri filium, quem amat, corripere, vel exercere.]

Vers. 10 11. *Resonabat autem, inconueniens,* Græcè, *confusa* non consona, inconcinna inimicorum Ægyptiorum *vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium,* seu planctus parentum in nece infantium, quos exterminator Angelus interemerat. *Simili autem pœna seruus cum domino afflictus est, &c.* Angelus enim omnes primogenitos, seu Regis, seu Principum, seu vulgarium essent æquo vulnere affecit. * Vt ediscant Principes, haud posse eos magnitudinem, potentiam, diuitias à Deo irato liberare.]

Reges ob potentiam nequeunt à Deo irato liberari.

Vers. 12. *Similiter ergò omnes vno nomine,* seu genere *mortis* primogenitum interfectorum, *mortuos habebant innumerabiles,* id est numero tam ingenti, vt vix possent annumerari. *Nec enim ad sepeliendum viui sufficiebant. Quoniam vno momento, quæ erat præclarior natio,* seu soboles primogeniti, *illorum exterminata est.* * Illum gladium peccator timeat, qui vno potest momento, inuisibiliter cunctos trucidare.]

Dei gladius timẽdus, qui vno momento potest omnes trucidare.

Vers. 13. *De omnibus enim non credentes propter veneficia.* Nihil crediderunt Ægyptij circa Dei vnicam potestatem, cum eos tot plagis percutiebat ranarum, grandinis, tenebrarum, &c. quia à veneficis & præstigiatoribus decipiebantur. *Tunc verò primùm,* seu cum primum *cum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt, populum Dei esse,* id est, *confessi sunt* (sic Græcè) Israëlitas esse Dei populum, cordi ac curæ Dei esse, Vndè & libere ex Ægypto exire, & quæcumque peterent, secum efferre permiserunt. * Si quando occiderit primogenitum à parente peccatore immaturè à Deo eripi, debent excogitare, supremam illam esse, vt conuertantur admonitionem potentissimam vel idololatris ad resipiscentiam.]

Cum parẽs peccator primogenito priuatur, sciat, supremam illã esse Dei admonitionem, vt conuertatur.

Vers. 14 15. 16. *Cum enim quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet,* id est, media nocte, *omnipotens sermo tuus,* seu iussio tua *de cœlo à Regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit.* * *In mediam exterminij,* inquit, *terram,* id est in terram impiam exterminio agnatam. Vnde Græcus pro *exterminij, perditam* posuit. Nam qui moribus est perditus in perditione ipsa, seu morum corruptela exterminium ipsum includit.] *Gladius acutus insimulatum* seu non simulatum, non fictum, sed efficax imperium tuum *portans; & stans, repleuit omnia morte, &c.* Poëtico propemodum schemate de Angelo percutiente loquitur tanquam de magno gigante, qui cum pedibus terræ insisteret, caput tamen inter nubes conderet.

Peccatum in corruptione, ipsa morum continet sui exterminium.

Vers. 17. 18. 19. *Tunc continuo visus somniorum malorum turbauerunt illos,* ante scilicet quam primogenita occiderentur, *& timores superuenerunt insperati,* inopinati, quorum nulla causa apparebat. *Et alius alibi proiectus semiuiuus propter quam moriebatur causam demonstrabat mortis.* Id est, vis inflicti ab Angelo mali non omnes videtur confecisse, fortasse vt occisorum dolor maior esset, & parentum etiam qui in filiorum nece torquebantur. Et strages illa morientium satis ostendebat, diuinam esse vltionem, & non ex causa naturali prouenire. Pondera particulam, *semiuiuus* aliquis primogenitus iacebat, vt scilicet parentes magis sauciaret cum aspicientibus animam agere. Magis enim torquet parentes videre morientem filium, quàm audire mortuum esse, aut mortuum aspicere. * Vt hinc Dominæ meæ Deiparentis dolorem contemplari liceat, quæ primogenitum Vnigenitum suum tam diris vulneribus spiritum halare.] *Visiones enim quæ illos turbauerunt, &c.* Visiones horribiles, quæ miseris Ægyptiis obiiciebantur in somnis erant eiusmodi, vt per eas, quænam esset tantæ cladis causa monstraretur. * Preme verbum *Perirent* primogenitine, an parentes? Existimo parẽtes. An periere cum filiis pereuntibus? Profectò parens qui videt filium dilectum mori, tanto dolore afficitur, vt quodammodo dici possit, eum periisse, seu de medio esse sublatum. * Vnde colligo Deiparæ martyrium videntis Filium dilectissimum morientem. Vidit mori Iesum? Mortua quidem est ex affectu, & effectu quidem moreretur, nisi Dei specialissimo foueretur auxilio.]

Ingens suprà modum dolor Deiparæ videntis Vnigenitum suũ animam efflare.

Martyrium Deiparæ videntis filium dilectissimũ morientem.

Vers. 20. *Tetigit autem tunc,* id est, post ex- 3.
tinctos Ægyptiorum primogenitos, imò cum iam Israëliti desertum essent ingressi, *tentatio mortis.* seu afflixit iustos Hebræos mortis *periclitatio* (vti Vatablus) *& commotio in eremo facta est multitudinis,* nempe dum vna cum Core, Datan, & Abiron aduersus Moysen & Aaron insurgerent. *Sed non diu permansit ira tua.*

De Core seditione differit, quando Aaron Deũ placauit iratum.

Vers. 21. *Properans enim homo sine querela,* id est, Aaron (iussu Mosis) qui quoad ambitionem Pontificiæ dignitatis, de qua seditiosi illi eum accusabant verè innocens erat: *deprecari pro populis* (Græcè, *propugnauit populum*) *proferens seruitutis suæ scutum,* Græcè, proprij ministerij arma *orationem.* * Sacerdotis arma ad hostes inuisibiles profligandos oratio quidem est.] *Et per incensum deprecationem allegans,* ferens, adducens; & mittens, restitit iræ, *& finem imposuit, necessitati,* Græcè, *calamitati,* quæ quia vitari non poterat, à populo, necessitas merito appellatur. *Ostendens* quidem *quoniam tuus est famulus,* electus ad sacrum ministerium, & tibi charus.

Arma Sacerdotum oratio.

Vers. 22. *Vicit autem turbas,* seu turbationem illam, aut plagam populum turbantem, *non in virtute corporis, nec armaturæ potentia: sed verbo* oratione, precatione, *illum qui se vexabat subiecit,* scilicet Angelum exterminatorem, vel ignem ab eo immissum: *iuramenta parentum, & testamentum commemorans,* videlicet promissiones olim patribus factas & iuramento confirmatas, quæ si Deus non parceret, videretur soluere, & irrita facere.

Vers. 23. *Cum enim iam acerbatim cecidissent super alterutrum mortui interstitit,* (Græcè stetit medius) inter occisos, & adhuc viuentes, & *amputauit impetum* vindictæ, seu iram præscidit: *& diuisit illam, quæ ad viuos ducebat viam,* id est, suo aduentu ac prece intercidit transitũm ignis ad reliquas adhuc superstites.

Vers. 24. *In veste enim ponderis, &c.* Significat

Aaro

Aaronem pontificio ſuo cultu indutum prodiiſſe, quem breuiter deſcribit. Erat hæc linea Pontificis tunica coloris hyacinthini, ſtrictis manicis ad talos vſque demiſſa. Sed ſub hac veſte per Synecdochen ſubintelliguntur reliquæ ſeptem veſtes pontificiæ, de quibus *Exo.* 28. 38. Quo ſenſu, & quo fine Salomon hîc dicit in ea veſte adumbratum fuiſſe totum terrarum orbem. Addit, *Et parentum magnalia*, ſeu parentibus exhibita beneficia. Græcè, *parentum gloriam*, ſiue glorioſa nomina, & inſignia duodecim Patriarcharum, quæ ſignis hieroglyphicis, Philone teſte, duodecim lapidibus pretioſis in Rationali Pontificis erant ſculpta. *Exo.* 28. Ideò dicit *& parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta. Et magnificentia tua*, ſeu magnitudo & maieſtas *in diademate capitis illius ſculpta erat*. Intelligo laminam auream, quæ diadema Pontificis capitis indumento erat aſſuta, in qua ſculptæ erant hæ voces: *Sanctitas Iehoua*. Vt igitur Salomon exprimeret, quonammodò Deus affectus, ſeu allectus fuiſſet ad iram cohibendam, dixit, *In veſte enim poderis, &c.* id eſt, Ideò repreſſit irati Numinis flagellum, quia ei obiecit pontificium ornatum, in quo ſanctiſſimi nomen *Iehoua*, ſeu Ieſu relucebat. * Nomen enim hoc potentiſſimmm eſt ad Dei iram confringendam.] Vnde adiicit.

Iesv nomen Dei iram cõprimit.

Verſ. 25. *His autem ceſſit qui exterminabat* Angelus: *& hæc extimuit; erat enim ſola tentatio iræ ſufficiens.* Græcè *experientia iræ.* Satis erat, Hebræos occiſione paucorum millium iam expertos eſſe Dei iram, vt corrigerentur, qui ſupererant. Poterant enim alieno malo ſapere, & ſociorum periculo cautiores reddi. * Cùm videris ſocium, amicum, vicinum, vel alium quemuis à Deo puniri, gladij hoſtilis vulnere, fulmine, repentina morte, &c. alieno malo ſapere debet, alioqui enim non erit ſufficiens illa iræ diuinæ tentatio, ſed ad te percutiendum fortè progredietur.]

Ex alieno malo, ſeu ſupplicio à Deo alijs inflicto, peccator debet ſapere.

CAPVT XIX.

In comparando Dei populo cum hoſtibus Sapientiæ Ægyptijs Salomon perſiſtit. Hos ait mari Rubro ſubmerſos, Hebræis carnibus concupitis recreatos: Ægyptios cæcitate percuſſos, Hebræos lumine, aliiſque beneficiis affectos. Demùm pro omnibus diuinæ Sapientiæ gratias exhibens, Librum concludit.

1. IMPIIS autem vſqoe in nouiſſimom ſine miſericordia ira ſu-
peruenit. Præſciebat enim & futura illorum: 2. quoniam
cùm permiſiſſent vt ſe educerēt, & cum magna ſollicitudino
præmiſiſſent illos, conſequebantur illos pœnitentia acti.
3. Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplo-
rantes ad monumenta mortuorum, aliam ſibi aſſumpſerunt
cogitationem inſcientiæ: & quos rogantes proiecerant, hos
tanquam fugitiuos perſequebantur: 4. ducebat enim illos ad hunc finem digna
neceſſitas: & horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, vt quæ de-
erant tormentis, repleret punitio: 5. & populus quidem tuus mirabiliter tranſiret,
illi autem nouam mortem inuenirent. 6. Omnis enim creatura ad ſuum genus
ab initio refigurabatur, deſeruiens tuis præceptis, vt pueri tui cuſtodirentur illæſi.
7. Nam nubes caſtra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ ante erat, terra arida
apparuit, & in mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profun-
do nimio: 8. per quem omnis natio tranſiuit, quæ regebatur tua manu, viden-
tes tua mirabilia & monſtra. 9. Tanquam enim equi depauerunt eſcam, & tan-
quam agni exultauerunt, magnificantes te Domine, qui liberaſti illos. 10. Me-
mores enim erant adhuc eorum quæ in Incolatu illorum facta fuerant, quemadmo-
dum pro natione animalium eduxit terra muſcas, & pro piſcibus eructauit fluuius
multitudinem ranarum. 11. Nouiſſimè autem viderunt nouam creaturam auium,
cùm adductl concupiſcentia, poſtulauerunt eſcas epulationis. 12. In allocutione
enim deſiderij aſcendit illis de mari ortygometra: & vexationes peccatoribus ſu-
peruenerunt, non ſine illis, quæ ante facta erant, argumentis per vim fulminum:
iuſtè enim patiebantur ſecundùm ſuas nequitias. 13. Etenim deteſtabiliorem in-
hoſpitalitatem inſtituerunt: alij quidem ignotos non recipiebant aduenas, alij au-
tem bonos hoſpites in ſeruitutem redigebant: 14. & non ſolùm hæc, ſed & alius
quidam reſpectus illorum erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos. 15. Qui
autem cum lætitia receperunt hos, qui eiſdem vſi erant iuſtitiis, ſæuiſſimis afflixe-

runt

runt dolotibus. 16. Percussi sunt autem cæcitate : sicut illi in fotibus iusti, cùm
subitaneis coopetti essent tenebtis, vnusquisque ttansitum ostij sui quærebat.
17. In se enim elementa dum conuettuntut, sicùt in organo qualitatis sonus im-
mutatut, & omnia suum sonum custodiunt : vnde æstimari ex ipso visu certò po-
test. 18. Agrestia enim in aquatica conuertebantur : & quæcumque etant natan-
tia, in tetram transibant. 19. Ignis in aqua valebat supta suam virtutem, & aqua
extinguentis naturæ obliuiscebatut. 20. Flammæ è contrario cortuptibilium ani-
malium non vexauerunt carnes coambulantium, nec dissoluebant illam, quæ
facilè dissoluebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti po-
pulum tuum Domine, & honorasti, & non despexisti, in omni tempore, & in omni
loco assistens eis.

COMMENTARII.

1. *De submersione Ægyptiorum agit.*



VERS. 1.2. *Impijs autem Ægyptiis vsque in nouissimum*, seu vsque in finem, vel vsque ad extremum *sine misericordia ira superuenit*, incubuit, *Præsciebat enim & futura illorum*, seu prænouerat, quo pacto permansuri essent in animi peruicacia, & impœnitentia.

Dei pietatis est, quos nouit impœnitentes persistituros, illicò de medio tollere, ne addant æternæ conflagrationi ligna.

* Est autem magna Dei pietas, quos nouit impœnitentes perstituros, addituros que criminibus crimina, è medio tollere, ne superstites ligna suæ æternæ conflagrationi adiiciant.] *Quoniam cum ipsi permisissent, vt se educerent*, Hebræi, seu vt ex Ægypto recederent, imò *& cum magna solicitudine præmisissent illos*, (vt secerunt namque eos, vt exirent Exo. 12. 31.) *consequebantur illos pœnitentia acti*. Posteacum illos facti pœnituisset, in seruitutem eos reuocare conabantur.

Recidiuum ad crimina, è quibus recesseras in visum valde Deo est.

* Inuisum admodum est Deo recidiuum ad crimina, à quibus iam recesseras.]

Vers. 3.4.5. Adhuc enim inter manus habentes luctum, seu cum luctus esset recens, *& deplorantes ad monumenta mortuorum* primogenitorum, *aliam sibi assumpserunt cogitationem insipientia*, seu imprudens consilium *& quos rogantes proiecerant*, seu festinatò compulerant ad exitum, *hos tanquam fugitiuos persequebantur*.

Qui memor mortis audet crimina perpetrare, se ostēdit damnationi proximum.

* Vnde se obstinatos omnino ostendebant in crimine. Nam qui inter manus habentes luctum ex obiectu mortis audent alia crimina perpetrare, deplorati penitus obiiciuntur æternæ obnoxij impœnitudini. Efficacissima enim ad fugienda crimina omnibus deberet esse mortis recordatio.] *Ducebat enim illos ad hunc finem*, seu Hebræorum exitum *digna necessitas* subeundæ pœnæ iuxta ineuitabile Dei decretum, peccatum inultum abire nolentis, seu supplicia quibus flagellabantur, digna quidem, vt nullum lapidem non mouerent, vt euitare possent.

Pœnitentia coacta non solet ex recto animo ortum habere.

* Pœnitentia ex necessitate (siue *Confession por fuerza*) non solet recto ex animo processum habere.] *Et horum, quæ acciderant commemorationem*, seu memoriam *amittentes, vt quæ deerant tormentis, repleret punitio*, id est, vt reliquas cruciatuū pœnas persoluerent, qui præteriti supplicij obliti, rursum Deum audebant prouocare.

Qui supplicio affectus pro criminibus, vlterius delinquit, se grauiori supplicio præbet obnoxium.

* Qui supplicij, quo iam pro criminibus fuit affectus obliuiscitur, vlteriùs delinquēs grauiori pœnæ, se præbet obnoxium.] *Et populus quidem tuus* intereà *mirabiliter transiret*, seu traiiceret mare Rubrum, incolumis, *Illi autem nouam mortem*: seu nouum mortis genus *inuenirent*, dum recurrentibus vndis, quæ cesserant Israëli, instar lapidum profunda æquoris tenuere.

Vers. 6. Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, &c. Vniuersa propemodum creatura in suo quæque genere, & natura permanens, ita in Hebræorum gratiam est transmutata diuinæ voluntati tuæ deseruiendo : vt rursus videri posset à Deo reformata, à quo in principio formata fuerat. Illud pondera : *Omnis creatura ad suum genus ab initio* acceptum *refigurabatur*, seu renouabatur, vt Dei præceptis deseruiret.

D. Ignatius indicit suis alumnis spiritus crebrā renouationē, vt impensius Dei præceptis, & consilijs obsequantur.

* Vt hinc spiritum D. Ignatij P. metieris, qui suis alumnis crebram spiritus renouationem indicit, tribus votis iterum ac iterum replicatis, vt refigurati, *ad suum genus ab initio*, siue ad primæuum feruorem impensius Dei præceptis ac consiliis obsequantur.]

2. *Liberationem Hebræorum attexit.*

Vers. 7.8. Nam nubes castra eorum (Hebræorum) *obumbrabat, & ex aqua, quæ antè erat* altissima, *terra arida apparuit* in imo maris sinu, per quod transibāt, se obtulit eis *via sine impedimento* plana, directa, *& campus germinans de profundo nimio*. Et quasi campus herbifer floribus ornatus, in illa maxima profunditate se illis obiiciebat. Græcè, *Ex tempestate* & fluctibus violentis. Quasi dicat. Fluctus & tempestas versa est illis in campum herbis, ac floribus amœnum.

Perfectionis iter cōmunis spinis aspectui, experimento floribus vernans apparet.

* Id accidit eis, qui difficilè perfectionis iter aggrediuntur. Horridum est aspectu spinis exundans, attamen experimento placidum spinis in iucundissima gramina versis.] *Per quem* campum *omnis* Israëlitarum *natio transiuit*, *quæ* quidem tegebatur tua manu, *videntes tua mirabilia, & monstra*, siue prodigia.

Vers. 9. Tanquam enim equi depauerunt escam, Græce, *pasti sunt*. Alij, inhieruni præ nimio pastu & gaudio : *& tanquam agni exultauerunt, &c.* Alludit Salomon ad campum germinantem, vt quemadmodum in eo equi, agni, & alia iumenta saliunt, & lasciuiunt herbam carpendo, & curiculam curando : sic mille lætitiis incesserint Hebræi, & præstantissimo gaudio tripudiarint choros agendo, arma, reliquaque Ægyptiorum spolia legendo, & opima præda sese ditando.

Simul debēt incedere beneficium acceptum, & gratiarum actio.

* Simul autem incedunt, & fruuntur bonis *magnificantes* Dominum. Vt edoceamur beneficium acceptum, & gratiarum actionem incedere simul debere.]

Vers. 10. Memores enim erant adhuc eorum quæ in incolatu illorum facta fuerant, in quo iuxta vaticinium *Gen. 15. 13.* peregrinati vsque ad

expletos

expletos 406. annos debuerant: *Quemadmodum* pro natione (Græcè *generatione* vel sobole terrestrium *animalium*, *&* hominibus vtilium *eduxit terra muscas* culices & sciniphes, quæ quia vilia & inutilia sunt, imò admodum noxia, & ex putri materia vltro procreantur, videntur nomine animalium indigna. * Homo inutilis imò noxius Reipublicæ *hominis* nomine est prorsus indignus.] *Et pro piscibus eructauit fluuius* Nilus *multitudinem ranarum.*

Homo inutilis, & noxius Reipublicæ hominis nomine est indignus.

3\. *Vers.* 11. 12. *Nouissimè autem viderunt nouam creaturam auium*, seu coturnicum nouum exercitum, quas nunquam in tanta aspexerant multitudine: *cum adducti concupiscentia* edendi carnes, *postulauerunt escas epulationis* Græcè *escas delicatas*. *In allocutione* enim desiderij, seu *ad consolationem* (Græcus ait) seu mitigationem, satisfactione desiderij illius, *ascendit illis de mari ortygometra*, siue inumerabilis coturnicũ multitudo. *Et vexationes peccatoribus superuenerunt*, Ægyptis, *&c.* Id est, præter illa diuinæ indignationis argumenta puta plagas prælapsas, antequam Hebræos insequerentur, superuenerunt eis in mari Rubro alia supplicia per fulmina à nubibus eiaculata. *Iustè enim patiebantur secundùm suam nequitiam.* Additis enim criminibus & supplicia adiiciuntur.

De miraculo coturnicum scribit.

4\. *Vers.* 13. *Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt.* Instituit Salomon comparationem inter Ægyptios ac Sodomitas in inhospitalitatis crimine. Igitur grauius Ægyptij contra hospitalitatem deliquere, quàm Sodomitæ. Nam alij quidem nempe Sodomitæ *non recipiebant aduenas*. Angelos, sed *ignotos* sibi nec de se, (quod scirent) bene meritos. *Alij* autem, nempe Ægyptij *bonos* sibi Græcè beneficos hospites Israëlitas *in* indignam *seruitutem* iniustissimè *redegerunt*. Multis enim modis Iosephus, fratres eius, & posteri eorum Israëlitæ Ægypto profuerant * Bonum pro bono accepto non retribuere pectoris est ingrati, malum verò pro accepto bono reddere, perditi omninò & damnandi æternùm animi est.]

Comparat Ægyptios cũ Sodomitis, cõcluditque circa hospitalitatem fuisse illos deteriores.

Malum pro bono reddere reprobationis signum.

Vers. 14. *Et non solùm hæc*, seu non solùm hoc inter Sodomitas & Ægyptios discrimen intercedit; *Sed & alius quidam respectus illorum erat*, sed aliud discrimen respectu ac consideratione dignum. *Quoniam inuiti recipiebant extraneos*, quasi hostes, Sodomitæ: ac proindè nihil mirum, si non fuissent in peregrina specie Angelos accedentes beneuoli. Qui autem (Ægyptij) cum lætitia receperunt hos (Hebræos) sub ingressum Iacobi eiusque familiæ in Ægyptum: & ipsi *eisdem vsi erant iustitiis*, id est legibus ciuilibus vtpote admissi, & tanquam ciues recepti in Rempublicam Ægyptiorum; postea tamen tanquam Reipublicæ hostes *sæuissimis eos afflixerunt doloribus* laterum, ab negatis palleis, exactione.

Vers. 16. *Percussi sunt autem cæcitate* Ægyptij triduo illo tenebrarum sicut illi (Sodomitæ) *in foribus iusti* Loth. Quasi diceret: Ob similem, imò grauiorem culpam iustè simili plexi sunt pœna: cum subitaneis cooperti essent tenebris, *vnusquisque transitum ostij sui quærebat*: seu vt vulgariter dixerim *Atienta paredes* domus ingressum perquirebant.

5\. *Vers.* 17. *In se enim elementa dum conuertuntur, &c.* Dei enim nutu & iussu sic interdum elementa conuerti assolent, (non natura, sed qualitate transmutatæ) ad omnes quos Deus vult vsus: sicut chordæ in organo seu instrumento musico, quæ omnes proprium suum sonum suo in genere retinent crassum crassæ, subtilem subtiles: tamen pro vario digitorum motu & chordarum pulsatione soni qualitas immutatur, & variatur concentus. *Vnde*, Græcè *quod æstimari certo potest*, & clarè cognosci *ex ipso visu factorum*, seu in intuitu, ipsaque experientia rerum, quæ in Ægypto sunt gesta.

Adhuc miracula à Deo exposita in fauorem Hebræorum adducit.

Vers. 18. *Agrestia enim*, id est, terrestria, seu quibus terra data est, ad inhabitandum, puta Hebræi, & Hebræorum iumenta & greges assueti perpetuò terris, iubente Deo, *in aquatica conuertebantur*, id est, in loca propria aquis transibant: *& quæcunque erant natantia*, Græcè *natalitia*, *in terram transibant*, nempe pisces, sed mortui in terram eiiciebantur cum aquæ conuersæ in sanguinem fuere.

Vers. 19. *Ignis in aqua valebat*, grandini admixtus ignis in aquisque, minime extinguebatur. Hoc quidem *supra suam virtutem*, nam aquâ naturaliter ignis extinguitur. Nam *& aqua extinguentis* ignem *natura obliuiscebatur.*

Vers. 20. *Flammæ è contrariò fulminum* Ægyptiis immissæ, *non vexauerunt*. Græcè, *non fecerunt marcescere*, vel contabescere carnes *corruptibilium* faciléque consumptibilium *animalium coambulantium*, Ægyptiis, puta, ranarum muscarum, sciniphum, locustarum; quas etiam in rogos congestas ab Ægyptiis, igne iam suæ naturæ oblito, combustas non fuisse reor, vti ex grauibus Doctoribus accepi. *Nec flammæ* eædem ignis *dissoluebant illam*, *quæ* sua natura *dissoluebatur facilè*, *sicut glacies*, *bonam escam*, Græcè, *Non liquefaciebat ignis liquefactibile genus ambrosianæ esca*, nempe manna, quod post exortum Solem liquescebat humi instar glaciei, vel grandinis: sed ante ortum solis collectum etiam ignibus resistebat, & in tortas & crustulas indurescebat. Gentiles *Ambrosiam* fingebant cibum esse deorum sicut *Nectar* potum. *In omnibus enim magnificasti populum tuum Domine, &c.* Et cuinam iusto inter aduersa ac prospera Dei specialissima prouidentia defuit?



LIBER QVINTVS. COMMENTARII LITERALES, ET Morales.

AD ECCLESIASTICVM.

PROLVSIO.

Gratiæ & misericordiæ Mariæ immensitas.

Totus Ecclesiastici Liber, qui Concionator dicitur, Deiparæ gloriam halat. Plura eius testimonia Patres afferunt in Mariæ commendationem. Ego autem primi Capitis initio illud annotaui. *Arenam maris, & aquæ, & guttas pluuiæ quis dinumeret.* Ad quæ Richardus Laurent. *lib. de laud. Virg.* ait; *Gratiæ, & misericordiæ Mariæ innumerabiles sunt*, instar stillarum pluuiæ. *Vnde* Eccli. 1. *Guttas pluuiæ quis dinumerare potest? Et hoc maximè ex quo Filius Dei, sicut pluuia in Vellus, descendit in eam*, quasi Deitas Filij immensa sese in immensam Mariæ aptarit in gratiam, & misericordiam. Porrò immensitas hæc gratiæ, & misericordiæ mare immensum constituunt, *cuius aquæ salsæ sunt, & potatæ magis sitim accendunt. Aquæ istæ gratiæ sunt, quas distribuit Maria, quæ gustatæ magis accendunt desiderium. Vnde ipsa dicit* Eccli. 24. *Qui bibunt me, adhuc sitient. Nec mirum, si sitim tanquam sal accendit, cum ipsa sit illud vas, de quo dixit Elisæus* 4. Reg. 2. *Affer te mihi vas nouum, & mittite in illud. Sal in nouo vase, Sapientia Dei in vtero virginali. Non ergò mirum, si quæ tale sal accepit, tota salsa est tanquam mare, & ideo semel experti eius dulcedinem, quantò amplius bibunt, tantò amplius concupiscunt.* Hactenus ille.

IESV SIRAHC AVCTORIS huius Libri, PROLOGVS.



VLTORVM nobis, & magnorum per legem, & Prophetas, aliósque, qui secuti sunt illos, Sapientia demonstrata est: in quibus oportet laudare Israël doctrinæ, & Sapientiæ causa; quia non solùm ipsos loquentes (Græcè *legentes,*) *necesse est esse peritos, sed etiam extraneos posse & dicentes & scribentes*, seu ad dicendum, & scribendum *doctissimos fieri. Auus meus Iesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis, & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis à parentibus nostris traditi sunt: voluit & ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam, & Sapientiam pertinent; vt desiderantes discere, & illorum periti facti, magisque attendant animo, & confirmentur ad legitimam vitam.* Clariùs ex Varablo, Vndè studiosi, & qui se his dedissent, multò maiorem ad legitimè viuendum profectum facerent. * Et quidem sacrorum, ac piorum lectio Voluminum admodùm ad morum compositionem referunt.) *Hortor itaque venire vos cum beneuolentia, & attentiori studio lectionem facere*, seu legere: *& veniam habere*, siue dare, *in illis, in quibus videmur sequentes imaginem Sapientiæ, deficere in verborum compositione.* Græca clarè, Ignoscite nobis sicubi videamur, dum in interpretatione elaborauimus, quarumdam dictionum vim non esse assecuti. *Nam deficiunt verba*, seu non (sic Græcè) idem valent, non eandem vim habent: verba inquam *Hebraïca, quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solùm hæc, sed & ipsa lex, & Prophetæ, cæteráque aliorum librorum, non paruam habent differentiam, quando inter se dicuntur in propria lingua*, Ac si dicat: Antographa Hebraïca multum differunt à Græcis & Latinis, in quæ conuertuntur. *Nam in octauo, & trigesimo anno* (Vel loquitur de anno ætatis suæ, vel de tempore currenre post scriptum hunc librum, vel à libertate Iudæis data per Ptolomeum Philadelphum.) *temporibus Ptolomei Euergetis* (quæ vox liberalem & beneficium significat.) *Regis, postquam perueni in Ægyptum, & cum multum temporis ibi fuissem, inueni libros* (Græcè exemplaria) *ibi relictos non paruæ, neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum, & necessarium putaui, & ipse aliquam addere diligentiam* (siue afferre, seu adhibere) *& laborem interpretandi librum istum* quem in Ægypto inueni: *& multa vigilia attuli doctrinam*, seu multam vigiliam, & studium adhibui *in spatio temporis*, quo in Ægypto commoratus fui: *ad illa, quæ ad finem ducunt, vt scilicet hæc præcepta, ac documenta ederem, librum istum dare, & illis, qui volunt animum intendere, & discere, quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundùm legem Domini proposuerint vitam agere.* Porrò Prologus hic est Iesv filij Sirach iunioris, nec sacræ Scripturæ auctoritarem habet iuxta aliquorum opinionem; cum aliis tamen verius affirmo auctoritatem habere.

Piorum librorum lectio maximè prodest ad morum correctionem.

CAPVT PRIMVM.

Deſcribit Auctor originem Sapientiæ, quæ eſt ipſe Deus, qui illam timentibus, ac diligentibus ipſam communicat imò timorem, & amorem Dei Sapientiam, omnémque virtutem in homine creare affirmat.

1. OMNES Sapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſem-
per, & eſt ante æuum. 2. Arenam maris, & pluuiæ guttas,
& dies ſæculi quis dinumerauit? Altitudinem cœli, & lati-
tudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?
3. Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigauit?
4. Prior omnium creata eſt Sapientia, & intellectus pru-
dentiæ ab æuo. 5. Fons Sapientiæ verbum Dei in excelſis,
& ingreſſus illius mandata æterna. 6. Radix Sapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias
illius quis agnouit? 7. Diſciplina Sapientiæ cui reuelata eſt, & manifeſtata? &
multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit? 8. Vnus eſt altiſſimus Creator
omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum illius, &
dominans Deus. 9. Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumerauit,
& menſus eſt. 10. Et effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem car-
nem ſecundùm datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe. 11. Timor Do-
mini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. 12. Timor Domini de-
lectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. 13. Timenti
Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. 14. Di-
lectio Dei honorabilis Sapientia. 15. Quibus autem apparuerit in viſu, diligunt
eam in viſione, & in agnitione magnalium ſuorum. 16. Initium Sapientiæ ti-
mor Domini, & cum fidelibus in vulua concreatus eſt, cum electis feminis graditur,
& cum iuſtis & fidelibus agnoſcitur. 17. Timor Domini, ſcientiæ religioſitas.
18. Religioſitas cuſtodiet & iuſtificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit.
19. Timenti Dominum benè erit, & in diebus conſummationis illius benedice-
tur. 20. Plenitudo Sapientiæ eſt timere Deum, & plenitudo à fructibus illius.
21. Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris
illius. 22. Corona Sapientiæ, timor Domini, replens pacem, & ſalutis fructum:
23. & vidit, & dinumerauit eam: vtraque autem ſunt dona Dei. 24. Scientiam,
& intellectum prudentiæ, Sapientia compartietur: & gloriam tenentium ſe, exaltat.
25. Radix Sapientiæ eſt timere Dominum: & rami illius longæui. 26. In theſau-
ris Sapientiæ intellectus, & ſcientiæ religioſitas: execratio autem peccatoribus Sa-
pientia. 27. Timor Domini expellit peccatum: 28. nam qui ſine timore eſt,
non poterit iuſtificari: iracundia enim animoſitatis illius, ſubuerſio illius eſt.
29. Vſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſteà redditio iucunditatis. 30. Bo-
nus ſenſus vſque in tempus abſcondet verba illius, & labia multorum enarrabunt
ſenſum illius. 31. In theſauris Sapientiæ ſignificatio diſciplinæ: 32. execratio
autem peccatori, cultura Dei. 33. Fili concupiſcens Sapientiam, conſerua iuſti-
tiam, & Deus præbebit illam tibi. 34. Sapientia enim & diſciplina, timor Domini:
& quod beneplacitum eſt illi, 35. fides, & manſuetudo, & adimplebit theſauros
illius. 36. Ne ſis incredibilis timori Domini: & ne acceſſeris ad illum duplici
corde. 37. Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in
labiis tuis. 38. Attende in illis, ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhono-
rationem, 39. & reuelet Deus abſconſa tua, & in medio Synagogæ elidat
te: 40. quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo
& fallacia.

COMMEN

COMMENTARII.

Siracides primo de Sapientia increata differit.

1\. ERS. 1.2.3. *Omnis Sapientia à Domino Deo eſt.* Hæc intelligo de Sapientia, vt abſtrahit ab increata, & creata. Aliqua dicuntur, quæ magis increatæ, aliqua, quæ creatæ potius conueniunt. *Et cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum,* antè ſæculum, ac ſi dicat: Sapientia eſt ante tempus. (Paulus *Tit.* 1.2. *Ante tempora ſæcularia.*) *Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi quis dinumerauit? Altitudinem cæli, & latitudinem terra, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Nullus equidem humanus. *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigauit?* Profectò incomprehenſibilis eſt longè magis quàm arenæ maris, guttæ pluuiæ, dies ſæculi vel temporis etiam imaginarij. Agit hic primò de Sapientia increata.

Verſ. 4. *Prior omnium creata eſt Sapientia,* ſeu genita ante omnia, ſiue ab æterno extitit. *& intellectus prudentiæ* in Deo *ab æuo* fuit, id eſt omni tempore imaginabili. Ad *Rom.* 16.25. *A temporibus æternis.*

Verſ. 5. *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis.* Ac ſi diceret: Verbum increatum, idque tùm notionale, quod eſt Filius Dei ſecunda Trinitatis Perſona: tùm eſſentiale, id eſt ipſa conceptio, intellectio, ac iuſſio Dei, qua ſcilicet omnia dixit, & facta ſunt, in cœlis habitans, eſt fons inexhauribilis Sapientiæ. *Et ingreſſus illius,* ſeu viæ, quæ ducunt ad Sapientiam, ſunt *mandata æterna* Dei immutabilia, & æternum duratura. In quo differunt à mandatis hominum facilè mutabilibus.

Verſ. 6. *Radix Sapientiæ cui reuelata eſt.* (Arabic. *Fundamentum*) *& aſtutias illius,* ſeu rationes, & modos, quibus omnia diſponit, & gubernat, *quis agnouit?* Nullus omnino. * Vt cum videris aliqua geri, aut permitti à Deo, quæ tuæ intelligentiæ modulos excedunt, nunquam non boni conſulas cum minimè valeas rectiſſima in cunctis Dei occulta iudicia dignoſcere] Nemo itaque Sapientiæ agnoſcit diſpoſitiones, quia radix Sapientiæ, eſt Deus, quem nemo perfectè intelligit.

Cum videris, aliqua geri aut permitti, quorũ rationem nõ capias, intellige rectè geſta, aut permiſſa eſſe, occultis Dei iudiciis.

Verſ. 7.8. *Diſciplina Sapientiæ cui reuelata eſt, & manifeſtata?* Quod verſ. præcedenti dixit, aliis verbis inculcat. Diſciplina Sapientiæ eſt ipſa ordinata ſapientiæ methodus diſpoſitio & ratio, qua cuncta Sapientiſſimè conſtituit. *Et multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit?* Multiplicatio ingreſſus, eſt viarum, & modorum eius multiplicatio. *Vnus eſt altiſſimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum illius,* (Græcè *ſuper thronum ſuum.*) & *Dominans Deus.* * Quàm ergo ſtulti, qui Deum metuendum nimis, potentiſſimum ad vindictam ſumendam, throno iudiciali hærentem, vt repentè poſſit exitialem ſententiam ferre, audent ſceleribus prouocare.

Stultiſſimus, qui Deũ potentiſſimum ſemper ſolio iudiciali hærentem audet ſceleribus prouocare.

Verſ. 9. *Ipſe creauit illam,* ſeu produxit. Sic enim ab Hebræis verbum *creare* vſurpatur. Increatam Sapientiam, ſeu Filium ſuum produxit gignendo: creatam verò concipiendo, & efformando in ſe ideam mundi creandi cum numero, pondere, & menſura rerum omnium faciendarum. Creauit, inquam, vel produxit illam *in Spiritu ſancto,* id eſt, *in* vel *ex* ſua ſpirituali diuinitate. Nempè increatam Sapientiam ex ſpiritualis naturæ ſuæ fœcunditate produxit: creatam verò ex ſpirituali dilectione, ſeu amore creaturarum; non autem propter commodum ſuum, cum ipſe nulla re opus habeat. * Hinc ad tenerrimum erga Deum amorem excitamur, qui nos, omniaque nobis tradita ad noſtram ſolummodò vtilitatem excitauit, & cummodum.] *Et vidit, & dinumerauit, & menſus eſt* omnia iuxta hominum indigentiam, & vtilitatem.

Deus omnia ex amore erga nos creauit, vt ad eum amando excitemur.

Verſ. 10. *Et effudit illam* (Sapientiam creatam) *Super omnia opera ſua,* quæ quidem Sapientia in omnibus Dei relucet operibus: *& ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum* (Græcè *donum*) id eſt, prout cuique voluit donare diuitibus pauperibus, ſenioribus, iuuenibus ſine, reſpectu, vel perſonarum acceptione. 2.

Ad Sapientiã creatam deſcendit timore Dei conſequendam.

Verſ. 11.12. *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia.* Timor Dei Sapientiæ initium, eſt cauſa gloriæ, & lætitiæ, *& corona exultationis,* ſeu exultationem iucundiſſimam conſcientiæ afferens. Quam aptiſſimè appellauit *Coronam,* quia rectæ conſcientiæ exultatio omnium Regnorum gloriam ſuperat. Per nos igitur ſtat, ſi ea felicitate non potimur: quã poſſint Principes inuidere.] *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam,* bonæ conſcientiæ teſtimonio, *& longitudinem dierum.* Syrus, *vitam æternam.* * Intelligo etiam de diuturnitate huius vitæ, quam ſe timentibus Dominus largitur in meritorum, & gloriæ futuræ augmentum.]

Rectæ conſciẽtiæ exultatio omniũ Regnorum gloriam ſuperat.

Timor Dei vitam etiam temporaneã producit.

Verſ. 13. *Timenti Dominum benè erit in extremis,* in morte, in iudicio diuino, ac gloria æterna. *Et in die defunctionis,* ſeu mortis *ſuæ* benedicetur à Deo, & ab hominibus. * Chriſtus enim dicet, *Venite benedicti:* homines verò, obiit iuſtus vita dignus. Impius autem moriens à Deo, & hominibus malè dicitur. Deus inclamat, *Diſcedite a me maledicti,* homines verò, Diu antè fuerat moriturus.]

Iuſtus in morte à Deo & ab hominibus benedicitur Impius autẽ afficitur maledictione.

Verſ. 14.15. *Dilectio Dei honorabilis Sapientia.* Tiguri. *Amor Dei præclara Sapientia eſt.* Vt idiotæ Deum diligentes intelligant ſe mundi Sapientes longo interuallo ſuperare.] * Eſt autem Sapientia honorabilis illorum. Nam qui ſanctus habetur, ab omnibus honoratur. Teſtor D. Didacum Seraphici Franciſci alumnum idiotam ſapientiſſimum cuius funebre dicam, an triumphale? ferculum Catholici Regis Philippi humeris pliſſimis aliquando inſedit.] *Quibus autem apparuerit in viſu,* quibus ſe videndam præbuerit, & cognoſcendam, *diligunt eam in viſione,* per ſolam hanc viſionem illius amore capiuntur, *& in agnitione magnalium ſuorum,* magnificorum ſcilicet eius operum.

Idiotæ Deũ diligentes ſapientiſſimi ſunt

Dum idiotæ honorabilis Sapientia in S. Didaco Seraphici Ordinis eluxit.

Verſ. 16. *Initium Sapientiæ timor Domini, &c.* iam inde à tenera ætate Deum timere, & colere incipiunt. Intelligo de indole bonæ naturæ procliui ad pietatem. Porrò ad litteram completum video in Beata Virgine ſine labe concepta, in Ieremia, Ioanne Baptiſta, & aliis in vtero ſanctificatis. *Cum electis fœminis graditur, & cum iuſtis, & fidelibus agnoſcitur.* In fœminis eximiæ ſanctitatis aſpicitur, & etiam fideles viros comitatur, eos per viam mandatorum Dei, perfectionisque arctum iter deducens,

Verſ. 17.18.19. *Timor Domini ſcientia religioſitas.* Timor Domini eſt ſcientia, ſeu ſciens, prudens, & vera religio, ac pietas, ſiuè pius Dei cultus. *Religioſitas* autem *cuſtodiet, & iuſtificabit cor)* Tigur. *Sanctitas autem* cor incolume, iuſtumque reddet) & eidem *iucunditatem, atque gaudium dabit. Timenti Dominum benè erit, &c.* Repetit, verbis parum mutatis, quod *verſ.* 13. dixerat.

Verſ. 20.21. *Plenitudo Sapientiæ eſt timere Deum,* Sicut inchoatus amor eſt inchoata Sapientia: ita perfectus eſt conſummata, ac perfecta Sapientia. * Nihil enim aliud eſt verè ſapere, quàm Deum timere, & piè colere.] *Et plenitudo à fructibus illius,* id eſt, & plenitudo fructuum Sapientiæ cumulat timentes Deum. Græcè, *eos inebriat,* ſaturat, replet, *Omnem domum illius implebit à generationibus,* animam ſcilicet, nam vt dicitur *cap.* 7. Sedes Sapientiæ animi.) Etiam eſt ſermo de domo materiali, & fructibus temporalibus. * Implet ergò Sapientia domum timentis Deum neceſſariis vitæ ſubſidiis, Deum enim, & eius Regnum quærentibus etiam hæc adiiciuntur. *Matth.* 6.33.] *Et receptacula à theſauris illius.* Eſt hemiſtichij prioris repetitio.

Perfectè Sapientia eſt Deum perfectè colere.

Timor Dei bona etiam temporalia auget.

Verſ. 22.23.24. *Corona Sapientiæ timor Domini.* Timor Domini vocatur corona, quod Deum timentes corona Sapientiæ exornet, replens pacem (Græcè *germinans*) *& ſalutis fructum,* (Græcè *fructum ſanitatis.*) Hebraicè *Pax* non ſolùm pacem ſignificat, ſed etiam omne bonum complectitur. * Poſt bonorum temporalium omnium, quibus Deum timentes fruuntur, addidit fructum ſeu bonum *ſanitatis,* quæ quidem ſuper omnia fortunæ bona ab hominibus æſtimatur: nec enim bona cuncta valent ægrotantis dirè lenire dolorem.] Ideò Siracides poſt pacem omnium bonorum facilè epilogum, orationem augens poſuit ſanitatem. *Et vidit, & dinumerauit eam.* Dixerat ſuprà neminem vidiſſe, vel dinumeraſſe Sapientiam præter vnum Deum: nunc adiicit, ex Dei beneficio etiam timorem Dei videre, & dinumerare Sapientiam, ſcilicet Sapientiæ rationes, & opera ſaltem ex parte. *Vtraque autem ſunt dona Dei,* timor videlicet & Sapientia: vel pax & ſalus, de quibus *verſ.* præcedenti.

Sanitas corporis, ſeu valetudo diuitiis præponenda.

Verſ. 24. *Scientiam, & intellectum prudentiæ Sapientia compartietur,* id eſt, pro capacitate vniuſcuiuſque communicabit, & diſtribuet. Græcè, *diſtillabit,* vel quaſi imbrem diffundet: *& gloriam tenentium ſe exaltat.* Tigur. *Et habentes ſe gloria extollit.*

Verſ. 25.26. *Radix Sapientiæ,* ſeu initium *timere Dominum: & rami illius longæui,* Græcè, *longæuitas.* Ex timore enim Domini velut ex radice oriuntur hi rami, id eſt, longæuitas ac proſperitas. * Timentis Deum vita producitur diffluens proſperitate.] *In theſauris Sapientiæ intellectus,* ſeu intelligentia, *& ſcientia religioſitas,* id eſt, ſcientia religioſa, ſiue religio ſciens & prudens, non ignorans, & errans, qualis eſt ſuperſtitio. *Execratio autem peccatoribus Sapientia,* ſiue res execrabilis, quia Sapientiæ monita eorum carpunt iniuſtitiam.

Timentis Deum vita producitur proſperitate diffluens.

Verſ. 27.28. *Timor Domini expellit peccatum,* ſiue quod iam admiſſum eſt, ſiue quod irrumpere tentat. *Nam qui ſine timore,* Dei eſt, & iracundiæ (v. gr.) laxat habenas, *non poterit iuſtificari,* ſiue iuſtus eſſe niſi mores mutet. *Iracundia enim animoſitatis illius ſubuerſio illius eſt.* Græcè, nam ruinam ei creat ipſius ad iram procliuitas. Iracundus namque ruit in contumelias, maledictiones, blaſphemias, &c.

Verſ. 29. Vir autem, qui vel ab aliis prouocatus continet, ac reprimit iracundiæ impetum, Vſque in tempus *ſuſtinebit patiens,* id eſt, exiguo tempore patietur, *& poſtea redditio iucunditatis,* cum ſcilicet ſeſe aperiet ſerenitas, nubibus moleſtiarum dicuſſis, & conſcientiæ haud ex impatientia vulneratæ ſecuritas. * Suſtinuiſſe enim patienter iniuriam magna equidem cordis eſt recreatio.]

3\. *Iracundiam, & hypocriſim carpit.*

Recreatio animi eſt, iniuriam patienter ſuſtinuiſſe.

Verſ. 30.31.32. *Bonus ſenſus,* ſiue vir ſenſatus ac prudens, vir cordatus, *vſque in tempus opportunum abſcondet verba illius,* ſeu verba ſua, ſibi imperabit ne proferat verba, cum potius eſt tacendum. * Nam in loquendi ac tacendi circumſpectione maximè elucet viri Sapientia.] *Et labia multorum enarrabunt ſenſum illius,* ab omnibus velut vir ſenſatus laudibus efferetur. *In theſauris Sapientiæ ſignificatio diſciplinæ.* Græcè, *Parabolæ ſcientiæ.* Porrò Parabolæ ab Hebræis vocantur ſententiæ abditæ, doctæ, prudentes, quæ mores inſtruunt. Hos tanquam gemmas habet Sapientia in theſauris ſuis. * Vt Concionatores aduertant, conceptus, qui ad inſtructionem morum non ſpectant, haud eſſe à Sapientiæ theſauris depromptos, ſed ignorantiæ ex penu deſumptos.] *Execratio autem peccatori cultura Dei,* ſeu pietas, cultus Dei, religio res eſt peccatori execrabilis.

In circumſpectione loquendi, aut tacendi, maximè viri Sapientia elucet.

Conceptus Concionis, qui ad morũ correctionẽ non diriguntur, haud ſunt ea Sapientiæ theſauris depromptis, ſed ex ignorantiæ penu.

Verſ. 33.34.35. *Fili, concupiſcens Sapientiam, conſerua iuſtitiam,* cuſtodiens Dei præcepta. *Et Deus præbebit eam tibi.* * Parum aut nihil proficiet in litteris qui delinquens ad iram Deum prouocat, à quo ſcientiarum intelligentia profluit.] *Sapientia enim & diſciplina timor Domini,* eſt, ſiue conexa cum timore Domini, ex quo oritur iuſtitia, ſeu mandatorum obſeruatio. *Et quod beneplacitum eſt illi.* Qui enim Deum timet procurat eius voluntati morem gerere. *Fides, & manſuetudo, & adimplebit theſauros illius.* Qui habuerit fidem, ſeu fidelitatem, vt fideliter præſtet officia, quæ Deo, nobis, & proximis debemus: & eam manſuetudinem, qua æquo animo ferat aduerſa. Sapientiæ theſauros pretioſiſſimis diuitiis implebit. Sic autem ſenſus elicitur, ſit illi fides & manſuetudo, & adimplebit theſauros illius.

Peccator nihil in litteris ex ſtudio proficiet.

Verſ. 36. *Ne ſis incredibilis timori Domini:* Græcè, ne ſis rebellis, contumax, inobediens. *Et ne acceſſeris ad illum duplici corde,* fictè ſcilicet, & cum hypocriſi, & non ſincerè.

Verſ. 37. *Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum,* virtutem, quam non habes, præ te ferans. *Et non ſcandalizeris in labijs tuis,* mentiendo, dum ſanctitatem ſimulas, & offendiculum tibiipſi obiiciens, & ruinam concilians.

Verſ. 38.39.40. *Attende in illis* (labiis) quid loquaris, quæ verba contineas, ne proferantur: ne *fortè* vitio linguæ *cadas. & adducas animæ tuæ,* ſeu tibi *in honorationem dedecus,* probrum, quo aſſolent affici, qui imprudenter loquuntur. *Et reuelet Deus abſcondita tua,* id eſt, tui

cordis

Qui imprudèter loquitur in ipsa inconcinna loquela inuenit supplicium.

cordis leuitatem tuam stultitiam, *& in medio Synagoga elidat te*, te prosternat in medio magnæ multitudinis. * Nam qui sine huiusmodi cautela loquitur imprudenter, in ipsa sua inconcinna loquela inuenit supplicium, dum ab audientibus irridetur.] *Quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo, & fallacia.* Hypocritam carpit qui verbis ac actionibus simulat sanctitatem, quem quidem Deus solet elidere seu prosternere, detegendo hypocrisim, & fictionem cordis manifestando. * Hypocrisis enim haud diu potest occultari.]

Hypocrisis nō potest diu occultari.

CAPVT II.

Ad patientiam in ærumnis, ad constantiam in tentationibus Siracides hortatur. Media ad id facilè consequendum suggerit.

1. FILI accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore,
& præpara animam tuam ad tentationem. 2. Deprime cor
tuum, & sustine: inclina aurem tuam, & suscipe verba in-
tellectus: & ne festines in tempore obductionis. 3. Susti-
ne sustentationes Dei: coniungere Deo, & sustine, vt crescat
in nouissimo vita tua. 4. Omne, quod tibi applicitum fue-
rit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patien-
tiam habe: 5. quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò re-
ceptibiles in camino humiliationis. 6. Crede Deo, & recuperabit te: & dirige
viam tuam, & spera in illum. Serua timorem illius, & in illo veterasce. 7. Me-
tuentes Dominum sustinete misericordiam eius: & non deflectatis ab illo ne cadatis.
8. Qui timetis Dominum, credite illi: & non euacuabitur merces vestra. 9. Qui
timetis Dominum, sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia.
10. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.
11. Respicite filij nationes hominum: & scitote quia nullus sperauit in Domino,
& confusus est. 12. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut
quis inuocauit eum, & despexit illum? 13. Quoniam pius & misericors est Deus,
& remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se
in veritate. 14. Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus,
& peccatori terram ingredienti duabus viis. 15. Væ dissolutis corde, qui non cre-
dunt Deo: & ideò non protegentur ab eo. 16. Væ his, qui perdiderunt sustinen-
tiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. 17. Et quid
facient, cùm inspicere cœperit Dominus? 18. Qui timent Dominum, non erunt
incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conseruabunt viam illius. 19. Qui
timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, reple-
buntur lege ipsius. 20. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in
conspectu illius sanctificabunt animas suas. 21. Qui timent Dominum, custodiunt
mandata illius, & patientiam habebunt vsque ad inspectionem illius, 22. dicen-
tes. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in ma-
nus hominum. 23. Secundùm enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia
illius cum ipso est.

COMMENTARII.

1. Hortatur ad patientiam in laboribus.

Impossibile est non pati eum, qui Dei ad seruitium accedit.

VERS. 1. *Fili, accedens ad seruitutem Dei*, (cui seruire est regnare) *sta in iustitia*, fortis & constans in vitæ innocentia: *& præpara animam tuam*, seu te ipsum *ad tentationem*, generosè excipiendam, repellendam, superandam. * Impossibile enim est, vt qui vult à mundi illecebris abstinere, & diuinis obsequi mandatis, aduersa mundi, diaboli, & carnis non patiatur aduersa. 2. Timot. 3. *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur.* Etsi hi hostes deessent, *Deus quos diligit castigat, & tentat*, vt eorum virtus innotescat. *Prou.* 3. 11.]

Vers. 2. *Deprime cor tuum*, nè elatione intumescat, *& sustine* flagella à Deo immissa, & diuinæ legis difficultates. * Aptè monet, cor deprimi ne tumore, seu vanitate afficiatur, antè quàm ad laborum sustinentiam horretur. Patienter enim labores tolerare tam egregium est facinus, vt facilè valeas hominem efferre. Dum etenim

Tam egregiū est facinus patienter tolerare labores, vt possit patiens periculum vanitatis incurrere.

etenim patienter probra, & iniuriam sustinemus, patienti Domino conformamur.] *Inclina aurem tuam*, legem vt auscultes, & monitis, ac consiliis diuinis obedias, *& suscipe verba intellectus*, seu quæ te intelligentem, prudentem, Sapientem reddant: *Et nè festines*. Alij, *nè trepides*, sed fortis esto, & longanimis *in tempore obductionis*, afflictionis, tentationis, quæ tuo sereno cordi tanquam nubes atra subducitur. * Diabolus enim, canis instar, altiorem edit latratum, cum timetur, eum constantia intrepida fugat.]

Diabolus altiorem latratum edit, cũ timetur, & a constãtia intrepida fugatur.

Vers.3. Sustine sustentationes Dei, seu quæ Deus vult à te sustineri. Alij, *Expecta expectationes Dei*, id est, quamdiu Deus vult se expectari, & vsque dum veniet hora eius. * Ego autem explico idem esse, sustinere tentationes, & expectare expectationes seu beneficia. Quia teotamina, labores sunt infallibilis mercedis spes.] * Cur autem non dixit Expecta præmia, sed *expectationes?* Quia virtus spei ità animum recreat, vt loco præmij posse recipi videatur.] * Adhuc premo verba illa, *Sustine sustentationes*, seu labores. Aptè labores sustentationes vocitantur. Sustentant enim & erigant homines, ne è Deo excidant in piacula.] *Conturgere Deo*, Græcè *conglutinare* per arctissimum orationis & adhæsionis constantis vinculum: *& sustine* Græcè, ne desciscas, ne recedas, ne tentationis vi debellaris. * Graues enim tentationes præsertim si à carne teterrimo hoste procedant, difficillimè poterunt sine assiduis precibus superari.] *Vt crescat in nouissimo vita tua*, per gratiam & gloriam, post tentationem fortiter superatam.

Labores sustinere est infallibilis spes mercedis.

Virtus spei ita animum recreat, vt loco præmij laborum posse recipi videatur.

Labores hominem sustẽtant, & erigunt, ne in piacula excidat.

Carnis tentationes sine orationis exercitio difficilè poterunt superari.

Vers.4.5. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: id est, quidquid aduersum tibi acciderit, sustine. * Dicit autem vt accipias, vt donum Dei esse innuat, quidquid aduersum euenit. Siquidem aduersitas patientiæ exercitamentum pretiosissimum operatur.] *Et in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe*, cum ex labore & tribulatione ad humilem statum deiiceris. Græcè, *Mutationem humiliationis tua longanimiter fer*.* Si humiliatio est, quomodo potest esse humiliationis mutatio, quæ supponit finitam iam esse humiliationẽ? Certè quia tam momentaneum, & breue est tempus tribulationis nostræ (vti Paulus ait) vt tunc etiam cum humiliamur, iam humiliatio terminata esse videatur.] *Quoniam in igne probatur aurum, & argentum: homines verò receptibiles in camino humiliationis*. Græcè, Homines accepti & grati Deo, cum deprimuntur, & humiliantur. Nam sicut aurum & argentum gratiori forma donat. Sic tribulatio homines reddit Numinis oculis pulchriores.]

Tribulatio donum Dei est.

Tam breue est humiliationis, & laborum tempus, vt cum patimur, pati vix videamur.

Tribulationis ignis auget animi pulchritudinem.

2. *Vers.6. Crede Deo*, confide in Deo, *& recuperabit te*: id est, releuabit, & eruet te ex omnibus angustiis. Græcè, *recipiet te*, seu tuebitur. *Et dirige viam tuam* secundùm diuinæ legis regulam, *& spera in illum. Serua timorem illius, & in illo veterasce*, seu consenesce: ad senium vsque, & mortem in eo constanter persiste. * Perseuerantiæ enim in virtute corona paratur, nec proderit bene cœpisse in iuuentute, si in senecta deficias.]

Media ad sustinẽdos patienter labores, suggerit.

Perseuerantiæ in virtute corona paratur.

Vers 7. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam eius, seu expectate, metuentibus enim se Deus dona largitur, & aliquibus quidem ita largè, vt videantur non tam accipi quàm sustineri. Exemplum exhibeo in meo D. Francisco Xauerio, qui tot à Deo orans consolationibus afficiebatur, vt earum pondus quasi sustinere impotens clamitaret, *Satis est Domine, satis est*.] * Si autem cum aliis tibi lubeat verbum illud, *sustine misericordiam*, ad laborum sustinentiam allicere: doceberis, labores à Deo immissos ex eius vberrima misericordia procedere. Misericodia est, non supplicium sustinendi labores occasio.] *Et non deflectatis ab illo, ne cadatis*, ex impatientia à Domino deflectentes.

Tot fauoribus aliqui Dei à Deo afficiuntur, vt eorũ põdus sustinere non posse videantur. Ita D. Franciscus Xauer.

Labores à Deo nobis immissi sunt eius misericordiæ effectus.

Vers. 8.9. Qui timentis Dominum, credite illi, confidite: *& non euacuabitur merces vestra*, seu mercedem, & præmium non amittetis. *Qui timetis Dominum, sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia*. Id est, misericordia Dei, quam speratis vos, oblectabit, cum rem speratam, seu salutem præsentem & æternam largietur.

Vers. 10. Qui timetis Dominum, diligite illum. Nec enim timor expellit amorem. * Imò plus Deum diligere ostendet, qui plus timuerit in eum delinquere. Qui timet offendere, se probat amare, qui autem vere amat, offendere timet, vnde timor & amor Dei vna in sede morantur.] *Et illuminabuntur corda vestra*, lumine quidem non tam cognitionis, quàm consolationis, & gaudij.

Timor & amor Dei vna in sede morantur.

Vers. 11. Respicite filij, nationes hominum, Græcè, *antiquas generationes*. Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Dauidem ad memoriam adducite: *& scitote*, siue, & scietis, comperietis, *quia nullus sperauit in Domino, & confusus est*, rem speratam non consequutus.

Vers. 12. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? Aut quis inuocauit eum, profusis humiliter & affectuosè precibus, & despexit illum? Principes terræ despiciunt exorantes: Deus autem magni facit preces, & precantibus effectu respondet.

Vers. 13. Quoniam pius, & misericors Deus, & remittet in die tribulationis, pœnitentiæ scilicet, cum quis se propterea afflixerit, quod peccauerit. Aptius in die tribulationis seu laboris, quo homo affligitur, remittit Deus eius peccata, quia actus afflictione superueniente peccator, agnoscit, se propter crimina flagellari, & vt pœnam euadat, curat se exuere culpa. Proficiunt etenim maximè tribulationes ad pœnitentiæ affectum.] *Et protector est omnibus exquirentibus se in veritate*, siue verè ac sincerè.

Tribulationes maximè proficiũt peccatori ad pœnitentiæ affectum.

Vers. 14. Væ duplici corde, fictis hypocritis, dolosis pietatem simulantibus, cum sint impij: *& labijs scelestis* mendacibus, *& manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs*. Illi duplici via ingrediuntur, qui se temporibus, locis, & personis, quibuscum agunt, accommodantes, modò pietatem simulant, modò cum impiis gradiuntur. Tales sunt, qui cum Catholicis Catholici induunt personam, cum hæreticis hæreticos se ostentant. * Et tales sunt Ministri Regum, qui eis populum grauantibus tributis adulantur: & conuersi ad populum ei morem gerentes de impositis exactionibus conqueruntur.]

Qui Regi imponẽti tributa adulantur, & conuersi ad tributarios de tributis impositis conqueruntur, terram duabus ingrediuntur viis vnde væ illis.

Vers. 15. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: & ideò non proteguntur ab eo, seu væ remissis,

sis, & tepidis, qui molliter, ac tepidè Deo hærent, nec illi planè confidunt; hos enim Deus demergi permittit.

Viæ rectæ ad cœlum laborum sustinentia.

Vers. 16. *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam*, Græcè, *patientiam*, *& qui dereliquerunt vias patientiæ rectas.* * Iustus enim à Deo per vias rectas deducitur, cum eum in laboribus honestat.] Vndè qui rectam viam patientiam scilicet perdiderunt, à rectitudine abstracti fuére, *& diuerterunt in vias prauas.*

Dei iudicis strictissimum circa peccata examen.

Vers. 17. *Et quid facient, cum inspicere cœperit Dominus?* seu cum cœperit inquirere, vt iudicium gerat, & sententiam proferat exitialem. * Vsus autem est Auctor verbo illo, *cum cœperit inspicere*, licet Deus vno intuitu peccatorum omnium conscientiam calleat, vt innuat strictum examen esse gerendum, nec vnum vel minimum omittendum piaculum.]

Vers. 18. *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius*, seu increduli, diffidentes, inobedientes; hoc enim verbum Græcum ἀπειθὴς significat. *& qui diligunt illum, conseruabunt viam illius.* Dei legem, virtutem, honestatem.

Diligentia circa notitiā legis acquirēdam commendatur.

Vers. 19: *Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius:* eam planè inquirent, cognoscent, exequentur. * Nec enim rectè iuxta legis præscriptum poterit operari, qui legem ignorat; nec Deum verè se diligere ostendit, qui negligens est circa dogmatum legis cognitionem.]

Vers. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua*, component animæ suæ statum, cogitationes, desideria, actiones, vt legi, ac voluntati Dei conforment. *Et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Græcè, *humiliabunt animas suas.* Hæc enim submissio, & reuerentia est ad dona Dei excipienda optima dispositio.

Verè humilis, videtur assecutum sesse sanctitatem.

* Aptè autem eodem vocabulo *sanctitas*, *&* *humilitas* annotantur. Nam qui verè est humilis, sanctitatem assecutus iam esse, videtur.]

Vers. 21.22. *Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius: & patientiam habebunt, vsque ad inspectionem illius*, seu visitationem, donec scilicet, ipse benigno vultu nos aspiciat, & à malis liberet: vel vsque ad inspectionem, siue vsque ad iudicium. *Dicentes* quidem: *si pœnitentiam non egerimus, &c.* In Dei scilicet vltrices manus, quæ vt potentiores sunt, ita acrius, præsertim post hanc vitam puniunt.

Vers. 23. *Secundùm enim magnitudinem ipsius, &c.* Iusti autem, & pij patientiam habebunt, præparabunt, & sanct ficabunt corda sua: in Deo spes omnes suas defigent, scientes misericordiam magnitudini illius parem, ac propterea esse infinitam.

CAPVT III.

Parentes honorandas pluribus Siracides edocet argumentis. Monet in vera animi demissione perseuerantiam. Ad curiositatem vitandam, pericula cauenda, eleemosynas impendendas nos allicit.

1. FILII Sapientiæ, Ecclesia iustorum: & natio illorum, obedien-
tia & dilectio. 2. Iudicium patris audite filij, & sic facite vt
salui sitis. 3. Deus enim honorauit patrem in filiis, & iudi-
cium matris exquirens, firmauit in filios. 4. Qui diligit Deum,
exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione
dierum exaudietur. 5. Et sicut qui thesaurizat, ita & qui
honorificat matrem suam. 6. Qui honorat patrem suum,
iucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. 7. Qui honorat patrem
suum, vita viuet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem. 8. Qui
timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genue-
runt. 9. In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, 10. vt
superueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouissimo ma-
neat. 11. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris
eradicat fundamenta. 12. Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est
tibi gloria eius confusio. 13. gloria enim hominis ex honore patris sui, & dede-
cus filij pater sine honore. 14. Fili, suscipe senectam patris tui, & non contri-
stes eum in vita illius: 15. & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in
virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in obliuione. 16. Nam pro pec-
cato matris restituetur tibi bonum, 17. & in iustitia ædificabitur tibi, & in die
tribulationis commemorabitur tui: & sicut in sereno glacies, soluentur pec-
cata tua. 18. Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem: & est maledictus
à Deo, qui exasperat matrem. 19. Fili in mansuetudine opera tua perfice, & su-
per hominum gloriam diligeris. 20. Quantò magnus es, humilia te in omnibus,
& coram Deo inuenies gratiam: 21. quoniam magna potentia Dei solius, & ab

humilibus honoratur. 22. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. 23. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. 24. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curiosus. 25. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. 26. Multos quoque supplantauit suspicio illorum & in vanitate detinuit sensus illorum. 27. Cor durum habebit malè in nouissimo: & qui amat periculum, in illo peribit. 28. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, & prauus corde in illis scandalizabitur. 29. Cor nequam grauabitur in doloribus: & peccator adiiciet ad peccandum. 30. Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur. 31. Cor sapientis intelligitur in sapientia, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. 32. Sapiens cor & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis: 34. & Deus prospector est eius qui reddit gratiam: meminit eius in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum.

COMMENTARII.

1. *Parentes honorandes pluribus argumentis persuadet.*



VERS. 1. *Filij genuini Sapientiæ.* sunt *Ecclesia iustorum.* Vetus enim Sapiens colit, zelatur, promouet vbique iustitiam: *& natio illorum obedientia, & dilectio.* Et soboles spiritualis, & veri ni fructus illorum sunt obedientia erga Deum, & dilectio erga proximum, & præ omnibus erga parentes.

Vers. 2. *Iudicium patris audite filij*, præceptum parentum, consilium ô filij cordis aure percipite vt obsequamini: *& sic facite, vt salui sitis*, seu vt præsentem & æternam salutem consequi valeatis. * Vtraque enim felicitas sequitur filium, qui parentibus reuerentiam exhibet. Ideò salutem Siracides ita honorandi parentes actioni connexit, vt videatur idem esse hoc facere, ac salutem temporalem & æternam consequi: Hoc facite vt salui sitis.]

Parentes honorare idem est, ac temporali, & æterna felicitate potiri.

Vers. 3. *Deus enim honorauit Patrem in filijs*, præcipiendo filiis, vt patrem honorent, & similiter matrem, nam *& iudicium matris exquirens*, id est, exigens vt sententia ac iussio matris à filiis obseruetur, eo ipso, firmauit imperium & authoritatem matris in filios, & apud filios. Vel confirmauit matris ius, (authoritatem) apud filios: illudque exquirit, hoc est, seuerè exigit, vult seruari, & contumaces punit. Videtur, efficacius reuerentiam matri debitam à filiis commendari, quàm quæ patri exhibenda est, quia facilius filij, sexus fragilitate, & materna indulgentia nixi, assolent matris reuerentiam contemnere. Sciant igitur strictum à Deo examen gerendum circa filiorum in matrem obseruantiam.]

Strictum examen fit à Deo circa filiorũ in matrem obseruantiam.

Vers. 4. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis.* Græcè, *qui honorat patrem.* * Nec enim potest Deum verè diligere, qui præceptum de parente honorando non seruat. Vndè idem Siracidi est parentes honorare, & Deum diligere.] Qui ergo patrem honorat, *exorabit pro peccatis*. expiabit peccata, veniam peccatorum obtinebit. * Deus enim honorem parentibus delatum sibi exhibitum putat, & in eos, qui pij sunt in parentes, & ipse est indulgens.] *Et continebit se ab illis, & in oratione dierum*, seu quotidiana *exaudietur*.

Deum non diligit, qui parẽtes non honorat.

Qui parentes honorat, veniam facilè à Deo de peccatis impetrat.

Vers. 5. *Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.* Hunc ipsum honorem quasi ingentem bonorum operum, ac meritorum thesaurum sibi reponit. Vndè sicut qui pecuniarum thesaurum habet, illis vtitur quoties occasio se necessitatis, aut voluptatis offert: ita qui thesaurum honoratæ parentis possidet, quoties spiritualis superuenit necessitas aut voluptas, inde diuitias extrahit, queis omnia valeat quæ cupit acquirere. Deus enim huius honoris commutatione cuncta bona tradit.]

Honor delatus matri à filiis thesaurus diuitiarũ est, quo spiritualia bona possint acquiri.

Vers. 6. *Qui honorat patrem suum iucundabitur in filijs.* Deo illi pro pietate in parentes iucunditatem ex filiis probis, & egregiis, naturæ ac gratiæ dotibus instructis rependente. Si expetiare filios dissolutos, inobedientes, à probitate alienos, recordare, num te parentibus irreuerentem te præstiteris, ex illa enim irreuerentia ortum habet, te tuis in filiis non iucundari.] *Et in die orationis suæ exaudietur.*

Qui fuerit erga parẽtes irreuerens, irreuerẽtes erga se filios suos experietur.

Vers. 7. *Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore.* Honor enim parentibus delatus vitam feliciter filio producit. *Et qui obedit patri, refrigerabit matrem.* Hæc enim ipsa obedientia refrigerium præstat matri, illam recreat. Videns enim eum obsequentem patri, prudentem colligit illum fore felicem.

Vers. 8. *Qui timet Dominum honorat parentes, &c.* Præcipuus enim parentum cultus in obedientia & obsequio consistit. * Quid mirum iubeantur parentibus sicut dominis deseruire, si ipsius omnium Domini sunt vicarij?] Porrò nos genuisse, validum est ius, eorum supra nos constituens imperium.

Parentibus debent filij tanquam Dei Vicariis deseruire.

Vers. 9. 10. *In opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum.* Non solùm verbis, & actionibus honorandi parentes, sed & patientia, eorum asperitatem, imperium, mores difficiles, ac vitia tolerando. * *In omni patientia*, ait, vt innuatur tolerandos esse parentes, etiamsi ad irritandum filium omnes colligent iracundiæ excitandæ causas; omni enim illi occasionum iræ colligationi debet in filio omnis patientia respondere.] *Vt superueniat*

Omni parentum occasioni filio à parentibus datæ ad irascendum, debet omnis filij patientia respondere.

tibi

tibi benedictio ab eo, &c. Diuinus fauor, quem benedicens pater precatur tibi, vsque ad vitæ terminum duret, teque speciatim in obitu comitetur, cum ratio supremo Iudici de dictis ac factis est reddenda.

Vers. 11. Benedictio patris firmat domos filiorum, facit enim, vt filius prole & familia eaque diuite & splendida dotetur, firma quidem & stabili. *Maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Non solùm verò patris, qui serius assolet inobsequenti filio maledicere, sed & matris execratio pari iure domum filij funditus euertit. * Quotidie, videmus nobiles ac prædiuites familias omninò periisse. Si autem causam vestigare libeat, comperiemus à patris, seu matris id maledictione profluere.]

Familiæ filiorum funditus corruunt, ob parentum maledictionem.

Vers. 12. 13. Ne glorieris in contumelia patris tui. Quod aliquando filius insipiens facit, qui si iugum confregerint, verba etiam contumeliosa in parentes proferunt. *Non enim est tibi gloria eius confusio,* imò potius tibi confusio est. Apud cordatos enim dedecus est filium refractarium esse parenti, & contumeliosum in illum. * Maximè cum quidquid contumeliæ in parentes iactatur, necessarium est vt exundet in filios ab eis procedentes.] *Gloria enim hominis ex honore patris sui, &c.*

Quidquid contumeliosum filius in parentes iactat, in ipsum exundat.

Vers. 14. 15. Fili, suscipe senectam patris tui. Græcè, *adiuua*, subleua patrem senio grauatum: *& non contristes eum in vita illius,* seu dum vixerit, videntem scilicet te eius subleuationi nuncium remisisse. Et si defecerit sensu, intellectu mentis vigore, *veniam da,* tolera, ne culpes, ne subsannes: *& ne spernas eum in virtute tua,* seu eo quod videas te viribus mentis ac corporis præualere. *Eleemosyna enim patris non erit in obliuione,* pietas scilicet, beneuolentia, & misericordia parentibus exhibita. Deus enim illius recordabitur, vt pro ea, multa bona rependat. * Appositè reuerentiam & pietatem filij in parentes, *eleemosynam* appellauit, vt innuat, eius vberrimos esse fructus, similes vtique illis, qui assolent eleemosynæ respondere, de qua Dominus, *Centum plus accipiet, & vitam æternam possidebis.*]

Pietati filiorum erga parentes senes respondent fructus, qui assolēt eleemosynæ respondere.

Vers. 16. 17. Non pro peccato matris, pro impatientia, iurgiis, improperiis iniactatis si patienter toleres, *restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi,* pro iustitia siue pietate exhibita parenti, ædificabitur tibi domus, seu familia tua æternùm duratura, liberi tui multiplicabuntur, & benedictionibus innumeris afficientur. *Et in die tribulationis commemorabitur tibi,* Deus erit tui memor, vel ipsa in parentes pietas memoriam tui quodammodò Deo refricabit, vt te à tribulatione eripiat æterna. *Et sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua,* id est, tam facilè Deus tuis peccatis ignoscet, quàm facilè tempore claro, & calido assolet glacies dissolui. * En pietati filij in parentes respondens vberrimum illud eleemosynæ agnatum centuplum.]

Filij pietate in parentes centuplum, seu innumerabilia bona accipiunt.

Vers. 18. Quàm malæ famæ est qui derelinquit, seu necessaria ope destituit, *patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Maximè enim filius videtur debere matrem non exasperare, quæ asperos cum eum enixa est, subiit dolores.]

Matrem non exasperet filius, quę cum enixa est, asperos subiit dolores.

Vers. 19. Fili, in mansuetudine, id est, mansuetè & humiliter *age in omnibus, & super,* seu præter *hominum gloriam,* quam inde summam consequeris, etiam à *gratis* (sic Græcus) *& acceptis Deo,* imò ab omnibus hominibus *diligeris.* * Nam animi demissio ac modestia mirè omnibus placet.] 2.

Ad aliàs nos allicit virtutes.

Animi demissio, ac modestia amabilis omnibus.

Vers. 20. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, &c. Quantò maiorem te inuenis ex fortunæ dotibus aliis, te in cunctis actionibus submitte vberius: & apud Deum qui superbis resistit, humilibusque dat gratiam, eam inuenies. * *In omnibus,* inquit, *te humilia.* Non enim est verè humilis, qui vel in minimo putat efferre se posse.]

Non est verè humilis, qui non se submittit in omnibus.

Vers. 21. Quoniam magna potentia Dei solius, &c. Quia Deus est summa celsitudo, summa apud eum submissio, & humilitas est exhibenda. * Vt si fieri posset, dum considerat homo infinitam Dei maiestatem, infinitum deiiciatur: & quanto Deum ascendentem videt, tanto ipse descendat.]

Si fieri posset, deberet homo Dei infinitā celsitudinē considerans, infinitè humiliare se ei, ac submittere.

Vers. 22. 23. Altiora te ne quæsieris: fortiora te ne scrutatus fueris. Hebræi difficiliora, & captum superantia, vocant *fortiora*, altiora, profundiora. Ne itaque intendas quæ assequi non vales, nec scrutari ea, quæ nequeas penetrare eo quod tuum superant intellectum. *Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, &c.* Sunt enim plura Dei mysteria, quæ non vult mortalibus reserari. *Non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.* Est Liptote adeo non est necessarium, vt etiam sit noxium.

Vers. 24. In superuacuis rebus noli scrutari multiplicuter Ad te non pertinentes res, vel captum tuum excedentes noli scrutari multa animi contentione, studio, sollicitudine. *Et in pluribus operibus eius non eris curiosus.*

Vers. 25. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Deus quippè multas res naturales, ac supernaturales, necessarias & vtiles, quæ captum nostrum superant, nobis ostendit, & reuelauit, vt in illis ingenium occupemus; hoc ergò agamus: nec ad superuacua frustra, inutiliter, & noxiè transcendere expetamus.

Vers. 26. Multos quoque supplantauit suspicio illorum, seu decepit temerè de se concepta opinio, qua putabant se intelligere, quæ nullo modo intelligebant. *Et in vanitate detinuit sensus illorum:* & huiusmodi suspicio falsis & mendacibus opinionibus mentes illorum imbuit, quibus illi detenti sunt dum eas mordicùs tuentur.

Vers. 27. Cor durum habebit malè in nouissimo, id est, cor contumax, & obstinatum in malo, vel etiam in opere vires suas excedente, atquè ità Deum tentans: sub finem malè habebit, quia spe sua frustrabitur, eludetur, & confundetur. *Et qui amat periculum, in illo peribit.* Qui pericula non cauent, quāuis se putent esse securos, tandem in iis depereunt. * Sen. *in Herc. furen.*

Quem sæpè transit casus, aliquando inuenit.

Idem iudicium de peccandi periculis, ille enim securus erit, qui ab occasionibus delinquendi se abstraxerit.]

Qui occasiones delinquendi non fugit, in illis corruit.

Vers. 28 Vir ingrediens duas vias, non habebit successus. Qui in duo contraria tendit, & Deo vult, ac diabolo seruire: non habet successum quia neutri satisfacit. * Vndè Dominus, *Nemo potest duobus dominis seruire.* Qui viam perfectionis sectatur, debet omninò a mundi itinere

Mundo & Deo nemo seruire potest.

itinete recedere.] *Et prauus corde in illis scandalizabitur.* Qui tectæ viæ noo insistit, sed obliquo corde modo hanc vult tenere, modo illam arripete, in viis illis subibit scandalum, impinget, cotruet.

Verʃ.29. Cor nequam grauabitur in doloribus. Ex Græco, cor durum, pettinax, obfirmatum in malo immensum dolorum vel pœoæ pondus humeris sustinebit; sua enio obstinatione peccata multiplicat queis supplicium ætetnum respondebit. *Et peccator adiiciet ad peccandum.* Vnum enim peccatum aliud peccatum trahit, & propter habitum prauum ad illud inclinatio crescit. Profectò peccatum vnum proxima est ad aliud dispositio, si mox peccator non resipiscat.]

Vnum peccatum est ad aliud dispositio.

Verʃ.30. Synagoga superborum non erit sanitas. Cætus superborum difficilè sanatur. *το Sanitas* Græcè est, *ἴασις sanatio*, curatio, *Frutex enim peccati radicabitur in illis.* Noxia hæc planta peccati per prauos habitus altas radices agit, vt facilè extirpari noo possit. *Et non intelligetur,* noo aduettitur, quia dum oostris cedimus perturbationibus, & illis paremus, habitum contrahimus non aduertentes. * Qui replicat crimina: habitum acquirit delioquendi, vndè fetè impossibilem suam teddit sanitatem, *Non est Sanitas* propter illam assequendi ex prauo habitu difficultatem.]

Qui replicat crimina, habitum acquirit delinquendi, quo difficillimâ reddit sanitatis assequutionem.

Verʃ.31. Cor sapientis intelligitur in Sapientia. audienda, legenda, meditanda, opere exercenda. *Et auris bona*, quæ cotdi bono ac docili seruit, *audiet cum omni concupiscentia*, auidissimè Sapientiam excipiet.

Verʃ.32. Sapiens cor, & intelligibile, seu intelligens *abstinebit se a peccatis : & in operibus iustitia successus habebit*, iuxta illud *Psal.1.3. Omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur.*

Verʃ.33.34. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, quæ hominem peccatotem ad damnationem diro impetu trahunt. Eorũ violentiæ eleemosyna resistit, a Deo impetrans veniam; nam *misericordes misericordiam consequentur*. Matth.5.7. *Et Deus prospector est eius, qui reddit gratiam.* Deus ei, qui pauperibus succurrit, de omnibs prouidet. *Nomine eius in posterum*, eleemosynæ scilicet, vt eam suo tempore remunetetur. *Et in tempore casus sui inueniet firmamentum.* Si eleemosynarius in aduersa labatur, fulciet eum Dominus, roborabit, etiget, & pristinum rediget in statum.

CAPVT IV.

Ad eleemosynam hortatur, ad reuerentiam superioribus, subditis charitatem exhibendam. Sapientiæ studium & plurium virtutum exercitia commendat.

1. FILI eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne
transuertas à paupere. 2. Animam esurientem ne despexeris
& non exasperes pauperem in inopia sua. 3. Cor inopis ne
afflixeris, & non protrahas datum angustianti. 4. Rogationem
contribulati ne abiicias: & non auertas faciem tuam ab egeno.
5. Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram: & non
relinquas quærentibus tibi retrò maledicere: 6. maledi-
centis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet
autem eum, qui fecit illum. 7. Congregationi pauperum affabilem te facito,
& presbytero humilia animam tuam, & magnato humilia caput tuum. 8. De-
clina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi
pacifica in mansuetudine. 9. Libera eum, qui iniuriam patitur de manu superbi: &
non acide feras in anima tua. 10. In iudicando esto pupillis misericors vt pa-
ter, & pro viro matri illorum: 11. & eris tu velut filius Altissimi obediens, & mi-
serebitur tui magis quam mater. 12. Sapientia filiis suis vitam inspirat, & sus-
cipit inquirentes se, & præibit in via iustitiæ 13. & qui illam diligit, diligit vitam:
& qui vigilauerint ad illam, complectentur placorem eius. 14. Qui tenuerint
illam, vitam hæreditabunt: & quò introibit, benedicet Deus. 15. Qui seruiunt
ei, obsequentes erunt sancto: & eos, qui diligunt illam, diligit Deus. 16. Qui audit
illam, iudicabit Gentes: & qui intuetur illam, permanebit confidens. 17. Si crediderit
ei, hereditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illius. 18. quo-
niam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum. 19. Timorem & me-
tum, & probationem inducet super illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ
suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius. 20. Et firma-
bit illum, & iter adducet directum ad illum, & lætificabit illum, 21. & denuda-
bit absconsa sua illi, & thesaurizabit super illum scientiam & intellectum iustitiæ.
22. Si autem oberrauerit, derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici sui.

.23. Fili

23. Fili conserua tempus, & deuita à malo. 24. Pro anima tua ne confundaris
dicere verum. 25. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio addu-
cens gloriam & gratiam. 26. Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, nec adner-
sus animam tuam mendacium. 27. Ne reuerearis proximum tuum in casu suo:
28. nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas Sapientiam tuam in
decore suo. 29. In lingua enim Sapientia dignoscitur: & sensus, & scientia, & do-
ctrina in verbo sensati, & firmamentum in operibus iustitiæ. 30. Non contradicas
verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere. 31. Non
confundaris confiteri peccata tua, & ne subiicias te omni homini pro peccato.
32. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluuij. 33. Pro
iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus ex-
pugnabit pro te inimicos tuos. 34. Noli citatus esse in lingua tua; & inutilis, &
remissus in operibus tuis. 35. Noli esse sicut leo in domo tua, euertens dome-
sticos tuos, & opprimens subiectos tibi. 36. Non sit porrecta manus tua ad acci-
piendum, & ad dandum collecta.

COMMENTARII.

1. *Ad eleemosynam hortatur.*

Non dare eleemosynā pauperi, est illam defraudare.

Quasi occidit pauperē, qui ei necessaria ad vitam non impertit. Illicò subueniendus est pauper.



VERS. 1. *Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes*, non dando. * Quomodò autem quod non aufertur, sed, non datur, defraudari dicitur? Certè quia non dare cum potes, pauperi, defraudare eleemosynam est, illi enim subsidia debentur.] Græcè sic, vitam pauperis ne defraudes. * Quasi enim pauperem occidit, qui ei subtrahit ad vitam necessaria.] *Et oculos tuos ne transuertas à paupere*, vt faciunt superbi, qui nè aspectu quidem inopes dignantur. Græcè, *Ne protrahas oculos indigentes*, vt diù cogantur in te respicere stipis extorquendæ gratia. * Illicò enim subueniendus est inops.]

Duplex eleemosyna pauperi debetur, corpori nutriendo, animo exilarando.

Vers. 2. Animam esurientem ne despexeris, Græcè, *Nec contristes* pauperis animam. * Vt innuat, duplicem eleemosynam nos pauperi exhibere; alteram corpori nutriendo, alteram animæ exhilarandæ.] *Et non exasperes pauperem in inopia sua.* Non addas afflictionem afflicto, malum, quo premitur tua immisericordia exasperando.

Vers. 3. Cor inopis ne afflixeris: & non protrahas datum, seu eleemosynam *angustianti*, siue ei, qui in inopiæ diuersatur angustiis.

Vers. 4. Rogationem contribulati ne abiicias, afflicti pauperis ne preces contemnas, eum pius audi, ac subleua. *Et non auertas faciem tuam ab egeno.* * Nam si eum miserum aspicias, ipse respectus te alliciet ad ei succurrendum.]

Videre pauperis miseriam, nos allicit, ad ei succurrendum.

Efficax solet esse pauperis in immisericordem maledictio.

Vers. 5. 6. Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram ipsius pauperis vitandam. Ne scilicet exasperatus, & tibi iratus malum tibi à Deo precetur. * Efficax enim solet esse pauperis maledictio in immisericordem iactata.] *Et non relinquas, quærentibus tibi retrò maledicere.* Ne des occasionem postulantibus post tergum tuum secreto tibi mala imprecari. *Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius*, illius maledicentis tibi ob animæ amaritudinem, quam ex tua immisericordia concipit deprecatio, exaudietur; nam si tu non exaudis, *exaudiet autem eum* Deus, *qui fecit* seu creauit illum.

Vers. 7. Congregationi pauperum, seu cum ad ostium tuum plures confluxerint egeni, eis *affabilem te facito. Et presbytero*, seu seniori *humilia animam tuam: & magnato*, siue viro primario, *humilia caput tuum.* Si autem lubeat τὸ *Presbytero* Sacerdotem signari, huic animus humiliandus, dum Magnato caput submittitur, quæ quidem submissio potest sine animi humiliatione geri. Vt innuatur, Sacerdotem Dei Vicarium suprema reuerentia (quæ fit animo) esse dignum.]

Sacerdos Dei Vicarius est animi reuerentia dignus.

Vers. 8. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, inclina aures hilariter ad inopem deprecantem, ei te affabilem ostende, lætus illi succurre, ac si bonum nuncium audieris. * Salutis enim æternæ ex eleemosyna consequendæ tibi nuncium affert.] *Et redde debitum tuum*, debitum scilicet eleemosynæ extrema, ac graui necessitate: seu quodcumque aliud debitum, cuiusmodi est, quod operariis pro exhibito opere est reddendum. *Et responde illi pacifica in mansuetudine*, seu pacificè, ac mansuetè, illi responde.

Pauper affert misericordi salutis consequendæ nuncium.

Vers. 9. Libera eum, qui iniuriam patitur, &c. Dùm succurris ei, qui à potente, vel irato iniuria afficitur, non egrè id feras, aut indigneris ob incommodum tuum.

Vers. 10. 11. In iudicando, seu cum Iudex extiteris, *esto pupillis misericors vt pater: & pro viro matri illorum*, sis orphano quasi pater, & viduæ matri illius quasi maritus ad subleuandum eos. * Iudicis enim est pupillos ab iniuria defendere ac si pater illorum esset: & viduas tueri, ad eum modum, quo eas earum mariti, si essent superstites tuerentur.] *Et eris tu velut filius Altissimi obediens* huic monito, id est, si obedias; *& miserebitur tui* Deus *magis, quam mater*, non solùm te vti filium curabit, sed erit tibi matri indulgentior, & blandior. * Magna Iudicis felicitas, qui dum pupilli se patrem ostendit, Deum sibi non solum patrem, sed & matrem indulgentiorem acquirit.]

Iudex pupillos defendat vt pater: viduas vti maritus tueatur.

Dum Iudex se pupillorū patrem præbet. Deum sibi patrem, ac matrem acquirit.

2. *Ad Sapientiam acquirendam procurat nos allicere.*

Vers. 12. 13. Sapientia filiis suis vitam inspirat, gratiæ inquam, & gloriæ, quæ est vita supernaturalis, beata, & æterna. *Et suscipit inquirentes se*, seu in suam fidem recipit, ac tutelam. *Et præibit in via iustitiæ*, quasi facem præferens, ostendensque quid sit iustum, quid impium, ad recta excitans, à prauis auertens. *Et qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilauerint ad illam*, seu solicitos se præbuerint in illa requirenda, *complectentur placorem eius*, siue placiditatem, suauitatem, lætitiam Sapientiæ assequentur. Sic ex Græco vocabulo.

Verſ. 14. *Qui tenuerint illam, vitam hereditabunt* præſentem ſæpè longæuam, & futuram ſemper æternam. Græcè, *Gloriam hereditabunt*, Sapientia enim ad gloriam recta eſt via. Profectò illa ipſa ad ſtudium Sapientiæ inclinatio eſt non vulgare prædeſtinationis ſignum; ad ſtudium enim affectus animum à diuerticulis mundi noxiis auertit.] *Et quo introibit, benedicet Deus.* Aliqui vertunt, *& quo introibunt*, qui tenuerint Sapientiam, eis Deus benedicet, proſpera cuncta concedens.

Affectus ad ſtudium literarum non vulgare prædeſtinationis eſt ſignum.

Verſ. 15. 16. *Qui ſeruiunt ei, obſequentes erunt ſancto*, ſeruient Deo, ipſa enim Sapientia ad virtutem inclinat. *Et eos, qui diligunt illam, diligit Deus. Qui audit illam, iudicabit gentes.* Ex Græco, *poterit iudicare*, ſeu aptus erit, & dignus ad iudicandum. Nec enim actu Iudicem eſſe, videretur eſſe Sapientiæ gratum effectû. * Nihil enim moleſtius quàm alios iudicare, aliis præeſſe. Honor eſt Præſulatus, vel iudiciarij throni eſſe dignum, onus verò id munus exercere.] *Et qui intuetur illam, permanebit confidens.* Qui Sapientiam aſpicit, vt eius doctrinam excipiat, *habitabit* (ſic Græcè) *ſecurus* quaſi in aſylo ſub Sapientiæ tutela latens.

Honor eſt, te Præſulatu eſſe dignum, onus eſt illum exercere.

Verſ. 17. 18. *Si crediderit ei, hereditabit illam*, ſi firmiter ac fideliter ei adhæſerit, eius erit quaſi heres tum in hac vita per gratiam, tum potius in futura per gloriam. *Et erunt in confirmatione creaturæ illius.* Ex Græco ſic: *Et in poſſeſſione Sapientiæ, erunt generationes ipſorum.* Filij enim parentes imitati, Sapientes & ipſi erunt Sapientiam vtique poſſidentes, ad ſe quaſi hereditate tranſmiſſam. *Vel erunt in confirmatione*, id eſt, confirmabuntur, & ſtabilientur omnigenis bonis, nempe induſtria & merito Sapientis parentis eorum. * Iuſto enim, ſeu recto Sapientiæ vſu diuitiæ filiis comparantur, quibus ipſi patris labore vbertim victitent.] *Quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum.* Græcè, *Quia obliquè, diſtortè, durè ambulat cum eo in principio.* Ac ſi dicat, Sapientia, ſeu Deus, qui eſt prima Sapientia, ſui ſtudioſum ſeu diſcipulum aſſolet initio per tentationes, & aſpera quæque probare: & per hæc probatum ſibi eligere tanquam ſe dignum, cui ſe inſinuet, quem erudiat, & ſuis ditet opibus. * Nihil egregium intendes, quod in principio difficultatibus non exundet, quas viriliter ſuperare, effectus felix eſt conſequutio.]

Recto Sapientiæ vſu parat filiis diuitias comparat.

Nihil egregium intendimus, quod in principio difficultatibus non exundet.

Verſ. 19. *Timorem, & metum, & probationem inducet ſuper illum.* Sapientia ſuos alumnos probat, & explorat per timorem & metum, qui quidem ſit illorum probatio. *Et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ*, Græcè, *caſtigatione*, Sapientia enim, ſiue Ethica Chriſtiana caſtigat, & reſecat motus iræ, ſuperbiæ, gulæ, concupiſcentiæ atque ita erudiendo diſcipulos cruciat. * Certè Sapientia effrænatorum animi motuum ſolet eſſe correptio, vndè plerumque Sapientes viros morigeratos moribus experieris.] *Donec tentet eum in cogitationibus ſuis*, Græcè, *in iuſtificationibus ſuis*, in legibus nimirum ſuis, vt exploret, & cognoſcat, an ſe illis per omnia ſubiiciat, licet moleſtiam aliquam afferant. *Et credat animæ illius*, confidat illorum conſtantiæ, & tutò ei dogmata ſua poſſe communicari comperiat.

Sapiens plerumque eſt morigeratus moribus.

Verſ. 20. 21. *Et firmabit illum, &c.* Iam probatum, & exploratum firmo virtutis paciſque collocabit ſtatu, & faciet ad illum viam, expediorem ſublatis difficultatibus, qua ipſa Sapientia redeat ad illum. Græcè, *Et rurſus redibit recta ad illum.* Dixerat enim, *verſ.* . Sapientiam initio obliquè ambulare cum diſcipulo ſuo, vt illum probet: hic verò ait eandem ad iam probatum rectà redire. *Et lætificabit illum*, præſentia ſua delectabili. *Et denudabit abſconſa ſua illi*, ſua ei reuelabit arcana, *& theſaurizabit ſuper illum ſcientiam*, abundè & quaſi theſauro illum ſcientia ditabit, *& intellectum iuſtitiæ*, eius animo infundet, vt ſciat quod noxium eſt ablegare, quod bonum ac vtile eligere.

Verſ. 22. *Si autem oberrauerit, derelinquet eum.* Ab eo recedet Sapientia, ſi à via iuſtitiæ exciderit. *Et tradet eum in manus amici ſui*, Græcè, *caſus ſui*, ſinet eum ferri in caſum & ruinam ſuam. * Appoſite caſum, ſeu peccatum vocauit *inimicum*, cuius in manus peccator tradendus exprimitur. Nec enim diabolus peccati crudelitatem æquat: mites ſunt tartareæ furiæ, ſi cum crimine comparentur.]

Peccatum omnium crudelium animi hoſtium crudeliſſimus.

Verſ. 23. *Fili, conſerua tempus*, obſerua tempus, ſeu *occaſionem, opportunitatem*, (ſic Græcè) *& deuita à malo.* Id eſt, non te fugiat tempus, non inutiliter elabatur, illicò age pœnitentiam à piaculis recedendo. Quàm pulchrè, conſerua, ait, *opportunitatem & occaſionem conſerua.* * Ad pœnitudinem enim agendam præſens quodcumque tempus eſt opportunum, importuna verò, quæcumque in tempus futurum dilatio.] Neſcis namque an futuro tempore, quo valeas pœnitere donaberis.]

Ad pœnitentiam omne præſens tempus eſt opportunum, futurum minimè, quia incertum.

Verſ. 24. *Pro anima tua*, ſeu vt vitam ſerues, *ne confundaris dicere verum*, cum legitimè interrogaris. Veritas enim nobis debet potior eſſe, quam vita. Vel, verum dicas, vt animam tuam à peccato, & à peccati pœna ſerues.

. 3.
Varias inutilis, & noxij pudoris notas ſpecies.

Verſ. 25. *Eſt enim confuſio adducens peccatum*, pudor ſcilicet vitioſus, quo quis operit veritatem, cum reſerare oporteret: *& eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam*, cum ſcilicet aliquem pudet peccare, aut peccaſſe, aut eo perfectionis non perueniſſe, quo debuiſſet. In ſacramentali confeſſione exemplum exhibeo. Qui pudore affectus peccatum, quod patrauit audet reticere, ei eſt confuſio illa peccatum nouum ſacrilegij adducens: ei verò, qui vincens vim noxij pudoris, commiſſum aperit confeſſario flagitium, confuſio illa gratiam adducit, & gloriam.]

Contrà operientes ex verecundia in confeſſione peccata.

Verſ. 26. *Ne accipias faciem aduerſus faciem tuam.* Ne Iudex cum fueris accipias perſonam alicuius quantumcumque potentis, id enim agere eſſet contra faciem, ſeu perſonam tuam, vitio namque tibi verteretur, & tuum reſultaret in damnum. Sed excuſo inutili, ac vano metu, ſemper iuſte iudica. *Nec* patiaris, obtrudi tibi *mendacium*, quo litigantes cauſam ſuam volunt ſtabilire; id enim ſi admiſeris, neque cum poſſis, detexeris, erit *aduerſus animam tuam*, ſeu officiet tuo bono nomini, ſaluti, ac vitæ non rarò, vt plurimis poſſem exemplis confirmare.

Verſ. 27. 28. *Ne reuerearis proximum tuum in caſu ſuo.* Ne formides, cum proximus tuus in aliquod

quod excidit crimen, eum fraternè monere. *Nec retineas verbum in tempore salutis*, seu correptionis, instructionis, consilij, quod quidem Salute donat errantem. *Non abscondas Sapientiam tuam in decore suo*, cum scilicet pulchrum, & decorum est eam promere, quod fit, cum eam promi Dei gloria, & proximorum salus postulat. * Profectò sermonis pulchritudo ac decor tunc solùm inest, cum causa Dei, seu proximorum agitur. Vnde fœdum illum sermonem dixerim, qui ad aucupandum plausum vanè profertur.]

Sermo, seu concio, ex qua resultat Dei gloria, aut proximi salus fœda est omninò.

Vers. 29. In lingua enim Sapientia dignoscitur, &c. Ac si dicat, optima confirmatio, & persuasio Sapientiæ, ac doctrinæ est ea, quæ fit non per verba, sed per opera iustitiæ ab ipso docente facta. * Verba enim artificiosè ordinata possunt falsò aliquem Sapientem ostendere: opera verò iusta verè Sapientem esse concludunt.]

Vera Sapientia Doctoris magis operibus, quàm sermone manifestatur.

Vers. 30. Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere, de mendacio scilicet, indisciplinatè, imprudenter, & temerè prolato te affectum esse confusione fatere, nec illud tueri velis.

Vers. 31. Non confundaris confiteri peccata tua. Sunt enim, qui se nunquam errasse, aut imprudenter egisse, velint profiteri. Quo se magis infamant, dum mendaces non fuisse minimè probant, & se incorrigibiles, ac pertinaces esse manifestant.] *Et non subiicias te omni homini pro peccato.* Aliud extremum deuita, vt dum pertinax esse non vis, nimium te deiicias, & cuiuslibet hominis sine delectu sententiam sequaris, dum te quasi peccantem monere volunt, & tuæ vitæ rationes iuxta sensum, ac voluntatem suam te accommodare cupiunt.

Duplicem contrahit infamiam, qui commissum crimen curat defendere.

Vers. 32. Noli resistere contra faciem potentis, &c. Ne cures seu Principis, seu multitudinis populi impetum retardare. Quia non magis illis resistere poteris, quam aduerso cursui fluminis rapidè decurrentis obniti.

Vers. 33. Pro iustitia agonizare pro anima tua. Pro tuenda iustitia decerta omnes vires exerendo, vt animam tuam serues iustitiam, & tuendo. *Et vsque ad mortem certa pro iustitia: & Deus expugnabit pro te inimicos*, quos quidem protegens iustitiam aduersum te irritabis, sed à Deo, cuius causam agis, debellabuntur. * Causam Dei gerenti nihil est quod timorem incutiat, Deo infallibiliter protectore.]

Causam Dei agens nihil timere debet.

Vers. 34. Noli citatus esse in lingua. Græcè, *durus, asper, temerarius.* Nostram tamen retineo lectionem, *citatus*, nam sic constat antithesis inter citum in lingua & remissum in opere. Vndè addit, & noli esse *inutilis, & remissus in operibus tuis.* * Plerumque vidi parum aut nihil agere, qui multum loquitur.]

Parum solet agere, qui multum loquitur.

Vers. 35. Noli esse sicut leo in domo tua clamans, sæuiens in subditos, *euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* * Quis cum leone poterit habitare? Quis famulos, filius, vel vxor poterit virum, patrem, aut Dominum iracundum tolerare?]

Herus iracundus, instar leonis, domesticis horribilis est.

Vers. 36. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Hæc auari conditio est. Qui ab alio munus accepit, manum exerat ad reddendum, instar fortis illius fœminæ, quæ manum aperit, & extendit; aperit, vt det: si extendit, vt recipiat.]

Qui manum extendit vt recipiat, debet eam extendere vt redonet.

CAPVT V.

Metum iustum inculcat: constantiam in dictis persuadet, & factis: susurrones ac bilingues reprehendit.

1. NOLI attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: Est mi-
hi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ &
obductionis. 2. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscen-
tiam cordis tui: 3. & ne dixeris: Quomodo potui? aut
quis me subiiciet propter facta mea? Deus enim vindicans
vindicabit. 4. Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit
triste? Altissimus est enim patiens redditor. 5. De propi-
tiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum. 6. Et
ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum misere-
bitur. 7. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit
ira illius. 8. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.
9. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. 10. Noli
anxius esse in diuitiis iniustis: non enim proderunt tibi in die obductionis & vindi-
ctæ. 11. Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam, sic enim
omnis peccator probatur in duplici lingua. 12. Esto firmus in via Domini, & in
veritate sensus tui & scientia, & prosequatur te verbum pacis & iustitiæ. 13. Esto
mansuetus ad audiendum verbum, vt intelligas: & cum Sapientia proferas respon-
sum verum. 14. Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus
tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris. 15. Ho-

nor

nor & gloria in fermone fenfati, lingua verò imprudentis fubuerfio eft ipfius. 16. Non appelleris fufurro, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. 17. Super furem enim eft confufio & pœnitentia, & denotatio pefſima fuper bilinguem: fufurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia. 18. Iuftifica pufillum, & magnum fimiliter.

COMMENTARII.

1.  *ERS.1. Noli attendere ad poffeffiones iniquas*, feu iniquè acquirendas, noli diuitiis iniquè partis fidere. Exiftimarim quaflibet diuitias, *iniquas* poffe vocitari, quia funt plerumquè iniquitatis illecebræ.] Et ne dixeris: *Eft mihi fufficiens vita*, feu quæ fufficiunt ad victum & cultum opes poffideo. *Nihil enim proderit in tempore vindictæ, & obductionis.* Nihil in die mortis opes proderunt, cum de iniquis à Deo vindicta fumetur, & omnia obducta funt, fiue claufa, nec vlla adeft fpes manus Omnipotentis euadendi.

Metum iuftū inculcat. Diuitiæ funt iniquitatis illecebræ.

Verf.23. Ne fequaris in fortitudine tua concupifcentiam cordis tui. Ne velis, tantum tibi licere, quantum potes. *Et ne dixeris: Quomodò potui*, id eft, potui quidem agere, & confequi quod concupiui. (Syrus, *Quis potens vt ego?*) *Aut quis me fubiiciet propter facta mea?* Cur non pecco, cum poffim impunè? *Deus enim vindicans vindicabit.* Replicatio verbi indicat horribilem admodum fore vindictam. * Eos, qui ex fragilitate delinquunt, videtur Deus quafi parcens punire, & vindicare: ergò fuperbos autem peccatores vindicans vindicat, iudicium fert fine mifericordia.]

Peccatores ex fragilitate mitius Deus punit, quàm ex fuperbia delinquentes.

Verf.4. Ne dixeris. Peccaui, & quid mihi accidit trifte? * Nihil enim poteft adeo trifte peccatori accidere, atque ærumnofum, quod valeat cum ipfius peccati triftitiæ quidem origine, ærumna comparari.] *Altiffimus eft enim patiens redditor.* Longanimis eft Deus, fed qui tarditatem fupplicij grauitate compenfet. * Quanto enim plus Deum patientem videris, dum delinquis, crede, tanto horribilius ac dirius fore fupplicium.]

Nihil peccato triftius poteft peccatori accidere.

Quantò plus Deus patiens exfpectat, tanto horribilius erit peccatori fupplicium.

Verf.5. De propitiato peccato noli effe fine metu. Ex Græcò, *De propitiatione peccatorum facienda ne fis abfque cura, & folicitudine*, nefcis enim, an fubito mors irrumpet. Retineo tamen noftram lectionem *De propitiato peccato*, quafi iam facta propitiatio fit, non ideò debes fecuritatem præfumere, ac folicitudinem omittere, nemo enim fcit, *dignufne fit amore, vel odio Ecclefiaf.9.1.* & licet remiffa fit culpa, pœna, quæ luenda fit, poteft timeri. * Vnde licèt fcires euidenter, crimina tua iam propitiata effe, debes cum Dauide petere, *Amplius laua me ab iniquitate mea. Pfal.50.* & eandem gerere folicitudinem, ac fi de propitiatione dubius effes.] *Neque adiicias peccatum fuper peccatum*, fed fi deliqueris, illicò age pœnitentiam; ne habitum delinquendi replicato crimine, acquiras.

De propitiato peccato non fis fine metu.

Verf.6. Et ne dicas: Miferatio Domini magna eft, &c. * Fateor effe infinitam Dei mifericordiam: fed cum infinita mifericordia cohæret pro vnico lethali crimine prani defiderij hominem æterno igne iuftè cruciari.] *Miferebitur*, ais. Teneturne tui mifereri? Minimè. Quis igitur te certum reddidit de eius infallibili miferatione?

Cum mifericordia infinita Dei cohæret ob vnicum lethale crimen te iuftè damnari.

Verf.7. Mifericordia enim, & ira ab illo cito proximant, citò aderunt, breuis enim eft vitæ curfus, quantumuis fit diuturna. Si ita Dei aduenit, quomodo pariter, ait, mifericordiam eius incedere? Quia licet peccator damnationi addicatur ex Dei ira, femper fulget eiufdem mifericordia citrà condignum plectens.] Et peccatores refpicit ira illius, Græcè, *In peccatoribus requiefcit ira Dei*, quod pœnæ fignat æternitatem, ac voluptatem, quam Deus percipit ex damnatorum pœna. * Quàm mifer ftatus ille peccatoris, de cuius æterno cruciatu infinitè mifericors æternè delectabitur!]

Vel in inferno Dei mifericordia fulgurat.

Quàm mifer ftatus peccatoris, de cuius æterno cruciatu infinitè mifericors Deus æternè delectabitur.

Verf.89. Non tardes conuerti ad Dominum, &c. * Veniet autem procul dubio cum primum numerus peccatorum, quæ permittere decreuit Deus, perfectus fuerit: quis autem certum numerum permittendum agnouit?]

Non differenda peccatorum conuerfio.

Verf.10. Noli anxius effe in diuitijs iniuftis, acquirendis, *non enim proderunt tibi in die obductionis, & vindictæ*, fiue in die mortis, cum fententia à fupremo Iudice ferenda eft, quæ quidem non poterit diuitiis corrumpi, muneribus immutari.

Verf.11. Non ventilles te in omnem ventum. 2.
Nolite agitare, accommodate ad omnem hominum placitum, *& non eas in omnem viam*, facilè mutans propofitum: iam iter perfectionis terens, iam ad tepiditatis viam diuertens; iam vituperando, iam laudando, &c. *Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.* Sic namque omnis homo dignofcitur effe bilinguis cum pro varietate perfonarum nunc affirmat, nunc negat: nunc laudat, nunc vituperat. * Nihil profectò viro indignius, quàm loquendi inconftantia.]

Conftantiam perfuadet.

Loquendi inconftantia indigna viro.

Verf.12. Efto firmus in via Domini. Via Domini eft recta fides & operatio: *& in veritate fenfus tui*, in vera animi fententia, ac vero prudentiæ iudicio: *& in fcientia*, fententiæ fcilicet, ac iudicij certitudine, *& profequatur te verbum pacis, & iuftitiæ*, fit verbum tuum vnum, vniforme, verum, pacificum, & iuftum. * Nam hominis bilinguis verbum eft duplex, difforme, falfum, ideoque turbulentum, & ad lites, ac difcordias concitandas idoneum.]

Hominis bilinguis verbū lites concitat, ac difcordias.

Verf.13. Efto manfuetus ad audiendum verbum, &c. Nam qui loquenti patientes non 3.
accommodat aures, quid dicatur plenè non poteft percipere, nec prudens refponfum exhibere.

In loquendo circumfpectionem monet.

Verf.14. Si eft tibi intellectus, refponde proximo: &c. Si ea, de quibus interrogaris, aut de quibus inter amicos difputatur, intelligis, refponde; fi verò ea tuum fuperant captum, fapienter tace, ne ftultum aliquid ex ore excidat, & te ab audientibus irridendum exhibeas. * Certè fi huiufmodi homo fcit hoc in cafu tacere, manifeftat hoc ex capite fe effe fapientiffimum:

Infipiens fi tacere fcit, fapientem fe hoc ex capite oftendit.

tiſſimum: Vndè Siracides dixit, *ſi eſt tibi intellectus, reſponde, ſin autem intellectu cares, ſit manus tua ſuper os tuum*, ſiue tace. Exiſtimo *τὸ ſin autem*, non eſſe eo ſenſu efferendum, ſed, *ſin autem*, velis oſtendere, te intellectu & Sapientia pollere, ne reſpondeas, te enim Sapientem illi dignoſcent, qui potuiſti labia, ne proferrent iodiſciplinata verba, continere.]

Verſ. 15. Honor, & gloria in ſermone ſenſati, &c. Prudentis verba plauſum audientium conciliant: ſermo autem imprudentis ſuo auctori comparat irriſionem.

4. *Verſ. 16. Non appelleris ſuſurro.* Eſt ſuſurro, qui occultè alterius alteri dicta deferendo, odium, & diſſenſionem excitat inter illos. *Et lingua tua ne capiaris, & confundaris.* Ferè enim ſuſurronis duplicitas, falſitas, ac fallacia deprehenditur, odio habetur, & ſibi infamiam vel ſolo *ſuſurronis* nomine conciliat. * Quid enim abiectius, quam poſſe quis iuſte ſuſurro appellari?]

Suſurrones ſubtaxat.

Infame prorſus ſuſurronis nomen.

Verſ. 17. Super furem enim eſt confuſio, & pœnitentia. Si quis furetur, acquitit notam, quam pœnitudine & emendatione tandèm delet. *Et denotatio peſſima ſuper bilinguem*, Bilinguis autem ſeu ſuſurronis nota adeo peſſima eſt, vt apud homines nec pœnitudine, nec emendatione aboleatur. * Ergò ſuſurronis infamia latrocinij notam maxime ſuperat; fur enim comminuit opes, ſuſurro autèm honotem, & pacem corrumpit.] *Suſurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia* perpetuo hæreſcit.

Suſurronis infamia ſuperat notam latrocinij.

Verſ. 18. Iuſtifica puſillum, & magnum ſimiliter. Fama cuiuſlibet proximi tui, ſiuè magnus ſit, ſiue paruus, ſit tibi quaſi ſacra, & inuiolabilis. Ne potentem laudes ac iuſtum pronuncies: pauperem verò, & eum, à quo nihil tibi times, libere carpas: ſed cum omnibus iuſtitiam cole. * Tunc autem te iuſtum oſtendes, ſi bonorum landaueris virtutem, iniquorum crimina ſilentio preſſeris.]

Proferendæ proximi virtutes, vitia reticenda.

CAPVT VI.

Conditiones veræ amicitiæ Siracides proponit, quàm ardua ſit Sapientia, & quanto ſtudio proſequenda docet.

1. NOLI fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim &
contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bi-
linguis. 2. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut tau-
rus: ne fortè elidatur virtus tua per ſtultitiam, 3. & folia tua co-
medat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum
in eremo. 4. Anima enim nequam diſperdet qui ſe habet, & in gaudium inimicis
dat illum, & deducet in ſortem impiorum. 5. Verbum dulce multiplicat amicos,
& mitigat inimicos: & lingua eucharis in bono homine abundat. 6. Multi paci-
fici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi vnus de mille. 7. Si poſſides amicum, in ten-
tatione poſſide eum, & ne facilè credas ei. 8. Eſt enim amicus ſecundùm tempus
ſuum, & non permanebit in die tribulationis. 9. Et eſt amicus, qui conuertitur ad
inimicitiam: & eſt amicus, qui odium & rixam & conuitia denudabit. 10. Eſt au-
tem amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis. 11. Amicus ſi
permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis, & in domeſticis tuis fiducialiter aget:
12. ſi humiliauerit ſe contra te, & à facie tua abſconderit ſe, vnanimem habebis
amicitiam bonam. 13. Ab inimicis tuis ſeparare, & ab amicis tuis attende.
14. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum.
15. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti
contra bonitatem fidei illius. 16. Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immor-
talitatis: & qui metuunt Dominum, inuenient illum. 17. Qui timet Deum, æquè
habebit amicitiam bonam: quoniam ſecundùm illum erit amicus illius. 18. Fili à
iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies Sapientiam. 19. Quaſi
is qui arat, & ſeminat, accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius. 20. In
opere enim ipſius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.
21. Quàm aſpera eſt nimiùm Sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in
illa excors. 22. Quaſi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur
proiicere illam. 23. Sapientia enim doctrinæ ſecundùm nomen eſt eius, & non
eſt multis manifeſta: quibus autem cognita eſt, permanet vſque ad conſpectum
Dei. 24. Audi fili, & accipe conſilium intellectus, & ne abiicias conſilium meum.
25. Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum:
26. ſubiice humerum tuum, & porta illam: ne acedieris vinculis eius. 27. In
omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conſerua vias eius. 28. In-

uestiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam:
29. in nouissimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectatio-
nem. 30. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases vir-
tutis, & torques illius in stolam gloriæ: 31. decor enim vitæ est in illa, & vincula
illius alligatura salutaris. 32. Stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis
superpones tibi. 33. Fili, si attenderis mihi, disces: & si accommodaueris animum
tuum, Sapiens eris. 34. Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam: & si
dilexeris audire, Sapiens eris. 35. In multitudine presbyterorum prudentium sta,
& Sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis au-
dire, & prouerbia laudis non effugiant à te. 36. Et si videris sensatum, euigila
ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. 37. Cogitatum tuum habe
in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, &
concupiscentia Sapientiæ dabitur tibi.

COMMENTARII.

1.

Vera amicitia conditiones.



ERS.1. *Noli* per susurrationem, vel detractionem *fieri pro*, seu ex *amico inimicus proximo* tuo, *Improperium enim, & contumeliam malus hereditabit, &c.* Omnis malus velut iustam suæ malitiæ sortem & pœnam debitam hæreditabit probrum, & contumeliam: præsertim verò inuidus, & bilinguis, seu qui ex inuidia, & linguæ intemperantia clam amico detrahit, eique nocet. Illud, *& omnis peccator* idem est ac *Præsertim* Sic *Mar.* 16.7. *Dicite Discipulis meis, & Petro.* Id est, *præsertim Petro.*

*Vers.*23. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus.* id est, superbè, iactabundè, nequidem in cogitatione (Græcè *in consilio*) *animæ tuæ.* id est, in consilio tuo, Ne interius in secreto animi, & cogitationum tuarum, vllam iactantiam, vel superbiam admittas. *Ne forte elidatur virtus tua per stultitiam.* Id est, ne per hanc stultitiam fortis illa taurina animositas elidatur, *& folia tua comedat, &c.* Et ne ista tua superbia comedat vt taurus folia tua, seu perdat omnem tuum ornatum, & gloriam cum omni fructu, quem speraras. Duobus hisce versibus alludit Siracides ad Nabuchodonosoris historiam, qui superbiens in feram est mutatus, cuius etiam euersio arboris allegoria Danieli fuit ostensa *cap.*4. * Et quidem superbus animus tauro appositè comparatur; quia sicut taurus cornupeta ab armentorum magistris alligatur, stabulo concluditur, aut etiam occiditur, ne cæteras fuget pecudes: ità virtus superbi, ac stulta ferocitas à Deo eliditur, & frangitur.] Vt Regi illi superbo accidisse refertur.]

Superbus est fera, est taurus, quem Deus elidit, & frangit.

*Vers.*4. *Anima enim nequam disperdet qui se habet*, anima improba exitio erit ei, qui habet eam. *Et in gaudium inimicis dat illum*, qui quidem eius malis, ac infortuniis collætantur. * Nam sicut virtus omnibus est amabilis, sic iniquitas eunctis apparet ingrata.] *Et deducet in sortem impiorum.* vt scilicet quorum mores imitatus est, eorumdem pœnis subiaceat.

Iniquitas cũctis apparet ingrata.

*Vers.*5. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis*, id est, lingua pretiosa, eloquens, diserta *in bono homine abundat.* Multum proficit linguæ eloquentia cum probitate cõiuncta, abundè enim & largiter fert fructum. * At eloquens lingua in eo, qui probitatem negligit, sterilis procul dubio erit.] In Græco est, *Lingua gratiosa multiplicat affabiles compellationes*, salutationes scilicet, & humanitatis significatione plenum sermonem. Vrbanitas enim & comitas laudabilis admodum.]

Eloquentia Concionatoris non probi, nullum fert fructum.

Vrbanitas & comitas, laudabilis est.

*Vers.*6. *Multi pacifici sint tibi*, cum multis pacificè viuas, imò cum omnibus. *Et consiliarius sit tibi vnus de mille.* Cum omnibus pacem habeas, nullum à te repellens: ex his autem omnibus vnum elige amicum, cui pectoris arcana fidas. * Vnum, inquam, nam ad pacem omnes prosunt, multi nocent ad amicitiam.]

Ad pacem omnes sint tibi coniuncti, sed vnus tantum ad amicitiam.

*Vers.*7. *Si possides amicum, in tentatione posside eum*, prius eum tenta, & proba, probatum verò experimentis in amicitiam iunge. * Pauci sunt, qui strictas amicitiæ leges obseruent: vnde priusquam aliquem in amicum eligas, eum debes diligenter probare.] *Et ne facilè credas ei.* Multi enim se tibi ingerent in amicos, qui primo aspectu aptissimi apparent, quibus possis fidere: qui tamen in occasione suam ineptitudinem ostentant.

Probandus amicus, prius quàm eligatur.

*Vers.*8. *Est enim amicus secundum tempus suum*, cum scilicet ex amico se commodi aliquid decerpere posse confidit; (nam vt cecinit ille:

Vulgus amicitias vtilitate probat,

Et non permanebit in die tribulationis. Nam cum propriæ studebat vtilitati, te deserit paupertate pressum vel actum iniuria; ex tua enim protectione nullam videt posse vtilitatem captare. * Profectò verus amicus non suam, sed amici vtilitatem quærit, & in amici tribulatione se actum tribulatione reputat.]

Verus amicus in tribulatione dignoscitur.

*Vers.*9. *Et est amicus, qui conuertitur ad inimicitiam*, ob leuem causam. Sunt enim aliqui adeo delicati, vt qualibet offensiuncula commoueantur, & ab amico recedant. *Et est amicus, qui odium, & rixam, & conuitia denudabit*, seu qui manifestabit soluta amicitia, quæ parum prudenter ei communicaueras, vel causas ob quas soluta est amicitia, nempè rixam, aut conuitia, quæ inter vas nata fuére.

Vers. 10. *Est autem amicus socius mensæ, &c.* Dum diues Faeris, & mensa cibis abundauerit, eum tibi socium inseparabilem experieris: si autem premaris inopia quæ vix tibi strictam apponat mensam, solus aderis. O quot vidimus amicos solùm ad mensam!]

Sunt multi solùm ad mensam amici.

Vers. 11. *Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, &c.* Constantem amicum vti

æqua

æqualem tracta, licet sis maior & permitte, vt inter domesticos tuos liberè agat, & dispo- nat vt tu ipse. * Licet enim inferior aut nobilitate, aut opibus sit, amicitia aut æquales inuenit, aut facit.]

Amicitia vulgaré quélibet facit Principi æqualem.

Vers. 12. *Si humiliauerit se contra te, &c.* Si se coram te ex modestia, verecundia, reuerentia submiserit, aut absconderit, nec ausus fuerit tecum liberè agere, non propterea illum despicias. Sed potius eum chariorem habe, & vnanimem cum illo tuere amicitiam. * Si amicitia plebeium quemuis Principi efficit æqualem, vndenam præfata amici submissio, aut absconsio? Certè quia prudens cum ad altioris se fuerit amicitiam admissus debet se non reputare æqualem. Sed ex modesta submissione nunquam non inferiorem profiteri.]

Qui ad amicitiam altioris se fuerit euectus, debet se inferiorem reputare semper, nec de amicitiæ æqualitate præsumere.

Vers. 13. *Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende.* Nam vt prudentis est, inimicos cauere, ita amicis nimium non confidere; nam & falsi amici sunt aliqui, & qui ex animo aliquando amatunt, mutata voluntate, inimici fiunt.

Vers. 14. *Amicus fidelis, protectio fortis.* Græcè, *forte tegumentum*, siue clipeus amici, quo protegatur. *Qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum*, cuius diuitiis ad quæque omnia commoda possit vti. * Vsus est Auctor verbo *Inuenit*, non *Reperit.* Nam reperitur, quod casu venit, inuenitur, quod diligenter quæritur. Verum autem amicum rarò aut nunquam reperies: maxima enim diligentia quærendus, inueniendus est.] * Inuentus autem, thesaurus tibi erit æstimandus, quo in tempore tribulationis, inopiæ, ægritudinis, affatim vtaris.]

Verus amicus non casu reperitur, sed magna inuenitur diligentia.

Verus amicus, instar thesauri est.

Vers. 15. *Amico fideli nulla est comparatio.* Græcè, *Non est permutatio*, aut comparatio, quæ digna sit, vel æqualis. * Nihil enim ei potest æquiualens acquiri.] *Et non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius*, seu quæ possit eum pretio fidei illius conferri.

Nihil vero amico æquiualet.

Vers. 16. *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis.* Nam fidelis amicus tam in corporis, quàm animi ægritudinibus amico adest, eúmque opere & consilio iuuat, quibus vitam illius facit diuturniorem, aut à periculis eruendo, aut detergendo mœrores, qui terminum vitæ contractiorem facient; aut vitia detergendo, per quæ immortalem beatámque vitam amittimus. * Verus namque amicus præcipuè debet amici spiritualia commoda procurare.] *Et qui metuunt Dominum inuenient illum.* * Tam magnum enim est huius thesauri pretium, vt dignum sit, quod iustis pro parte mercedis iustitiæ in præsenti donetur.]

Verus amicus spiritualia commoda amici procurat.

Magnum veri amici pretium, siquidem iustis datur hic à Deo in partem præmij iustitiæ.

Vers. 17. *Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam.* Qui iusti sunt constantem ac fidelem amicitiam cum Deo colunt: idque illis retribuit Dominus vt quando ipsi fideles eius amici sunt: ita & quos ipsi habent amicos inter homines eos fideles, & in amore persistentes experiantur. * Qui Dei infidelis amicus est, in supplicium infideles homines experietur amicos.] *Quoniam secundum illum erit amicus illius.* Vt se ipse cum Deu gesserit, talem erga se amicum hominem videbit.

Qui Dei infidelis amicus est, homines infideles experietur amicos.

2. *Vers.* 18. *Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies Sapientiam.* Sapientia, quam iuuenis exanthlaris laboribus, acquisieris, te vsque ad senectam comitabitur. Nam quo semel est imbuta recens, seruabit odorem testa diu. * Prauos mores, quos iuuentus haurit, senecta difficilè euomit.]

Sapientiam edocet procurandam.

Prauos mores, quos iuuenta haurit, senecta difficile euomit.

Vers. 19. *Quasi qui arat & seminat, &c.* Quemadmodum agricola patienter expectat, dum semina terræ commissa germinent, crescant, & maturescant; ità Sapientiæ studiosi patienter ferre debent, si ea non tam cito prouenit, aut suos fructus producit. * O tempora, quando Sapientiæ messis adeo in aliquibus Serotina conspicitur, vt post producta ac matura germina in agro iam (volucribus pastum) derelicta esse videatur.]

Fructus Sapientiæ in aliquibus præmium scilicet, nimium Serotini conspiciuntur.

Vers. 20. *In opere enim ipsius* (Sapientiæ) *exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius.* Hos plus habent Sapientiæ fructus, quàm ij, qui ex terra ab agricolis percipiuntur, quod hi non nisi serò colligantur, Sapientia enim statim aliquos edit: licet perfectos non nisi post longum tempus. * Vndè licet aliqui serò aut nunquam hîc præmio optato donentur, non possunt sine præmio viuere. Nam illud ipsum litteris studium, vtiliter absumpto tempore, impendisse, & Sapientiæ audiisse dogmata, pluraque didicisse, sufficiens præmium totius est laboris.]

Licet docti præmium nõ recipiant, nõ possunt vel hîc esse sine præmio, quia illud ipsum didicisse, præmium laboris est.

Vers. 21. *Quàm aspera est nimium Sapientia in doctis hominibus, &c.* Iis imprudentibus, qui non rationem, sed concupiscentiam sectantur, dura, & intractabilis apparet Sapientia, vnde eius consuetudinem (Græcè sic) non patiuntur, mox ex eius aula recedunt.

Vers. 22. *Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, &c.* Quemadmodum ignauus, aut qui infirmis est viribus, eum lapidem amouere tentat, si grauis sit, ab incœpto desistit: haud aliter qui difficultates in acquirenda scientia experitur, eam abiicit. *Virtus lapidis* hîc pro lapidis grauitate sumitur.

Vers. 23. *Sapientia enim doctrina secundùm nomen est eius obscura*, & paucis manifesta, vt eius nominis etymon ostendit, quod quidem apud Græcos, & Hebræos *Abscondita vel difficilis* sonat: *Et non est multis manifesta.* Sapientia itaque est secundùm nomen eius abscondita, ardua, difficilis, magno studio, ac labore paranda. *Quibus autem cognita est, permanet vsque ad conspectum Dei*, seu vsque ad vltimi finis assequutionem. * Ad quam non parum confert Sapientiæ studium, dirigens ac corripiens ex rationis vi eos, qui in aliquo aberrant.]

Multum Sapientiæ studiũ iuuat ad æternam salutem assequendam.

Vers. 24. 25. *Audi fili, & accipe consilium intellectus*, consilium scilicet Sapiens & prudens: *& ne abiicias consilium meum. Iniice pedem tuum in compedes illius.* * Sapientiane discipulos ad compedes, ad carcerem vocitat? Certè sacræ scientiæ studium hominem compedibus adstringit, ne ad diuerticula noxia recurrat.] *Et in torques illius collum tuum.* Torques ex Græco numella sunt, quibus collum includitur. Honestissimum profectò est Sapientiæ esse mancipium, illiusque seruitus non pudenda, sed optanda.

Litterarum studium hominem compedibus adstringit, ne ad diuerticula noxia recurrat.

Vers. 26. *Subiice humerum tuum, & porta illam, ne acedieris vinculis eius.* Sustine, quidquid in parandaSapientia graue est, & onerosum ne acedia, seu tristitia afficiaris propter vincula illius.

Verſ. 27. *In omni animo tuo accede ad illam,* & in omni virtute tua (Græcè potentia, vi, robore) *conſerua vias eius*, eius dogmata animo retine.

Verſ. 28. 29. *Inuestiga illam, & manifeſtabitur tibi : & continens factus*, (Græcè, *compos factus illius*) *ne derelinquas eam. In nouiſſimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.* Tandem erit tibi ſuauis, & placidè in ea quieſces, licet prius moleſtiam nonnullam attulerit. * Terminus, ſeu finis placidus efficit vt abſtera principia & media iam placida fuiſſe videantur.]

Placidus finis facit, vt abſtera principia & media placida fuiſſe videantur.

Verſ. 30. 31. 32. *Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis*, roboris, ſeu baſes robuſtas. Id eſt, compedes illi firmabunt tuos pedes, & greſſus, vti ſolidæ baſes columnas illis innixas firmas oſtentant. * Ne hominis ſpirituale ædificium excidat, Deus aſſolet aliquando loco baſium eum compedibus alligare, in cuſtodiam includere.] *Et torques*, ſeu numellæ, aut vincula *illius in ſtolam gloriæ. Decor enim vitæ eſt in illa*, ſeu vitæ honeſtæ pulchritudo. *Et vincula illius alligatura ſalutaris*, qualem Medici vulnerato adhibent membro. *Stolam gloriæ indues eam*, id eſt, indueris Sapientia quaſi ſtola gloriæ. *Et coronam gratulationis ſuperpones tibi.* Græcè, *exultationis*, quæ te præ gaudio exilire faciat : quam cum fueris conſecutus, tibi ipſe gratuleris.

Homo aliquãdo à Deo carceri addicitur, vt compedes ſint baſes quibus in virtute ſit metus.

Verſ. 33. 34. *Fili, ſi attenderis mihi, diſces: etſi accommodaueris animam tuam*, ſeu intellectum aptaueris ad mea dogmata audienda. *Sapiens eris, ſi inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam* : etſi dilexeris audire affectuosè incumbens ſtudio, *Sapiens eris.*

Verſ. 35. *In multitudine presbyterorum prudentium ſta*, ſeu ſeniorum Sapientium cœtum inire procura. * Cur dixit presbyterorum ſeu ſeniorum prudentum, ſi ſufficeret dixiſſe presbyterorum, vel ſeniorum? Certè quia non omnes ſenes prudentes ſunt. Prudentia enim haud infallibiliter prodit à canis corporis, ſed ab animi maturitate.] *Et Sapientiæ illorum ex corde coniungere : vt omnem narrationem Dei poſſis audire.* Vt eos de ſacris litteris, aliiſque ad religionem, vel compoſitionem morum diſſerentes exaudias. *Et prouerbia laudis non effugiant à te*, ſeu prouerbia ſcita & docta digna quidem, quæ ab auditoribus laudentur. * Et quidem ſolummodo ſenſati auditores in Magiſtro, aut concionatore eos conceptus laudant, qui ad Dei gloriam, & proximorum ſalutem ſpectant, hi etenim ſunt ſolùm digni commendatione.]

Prudentia non prodit à corporis canis, ſed ex animi maturitate.

Cordati auditores eos ſolùm in Cõcionatore cõceptus laudant, qui ad mores ſpectant.

Verſ. 36. *Etſi videris ſenſatum* Magiſtrum, *euigila ad eum*, primo diluculo, id eſt, ſtudioſè, & aſſiduè perge ad illum audiendum. *Et gradus oſtiorum illius exterat pes tuus*, vt venturum expectes.

Verſ. 37. *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, &c.* Si in lege Domini meditaueris, (quod de iuſto *Pſal.* 1. dicitur, *Et in lege eius meditabitur die ac nocte*) à Deo accipies mentem cordatam, ſapientem, conſtantem : addetque Sapientiæ concupiſcentiam. Quia quantò quis magis in Sapientia proficit, tantò plus illius perfectionis poriundæ deſiderio accenditur.

CAPVT VII.

Quonammodò nos gerere debeamus erga Deum, erga Sacerdotes, parentes, filios, filias, amicos, potentes, infirmos, afflictos, mortuos, pecora, &c. Siracides edocet.

1. NOLI facere mala, & non te apprehendent. 2. Diſcede ab
iniquo, & deficient mala abs te. 3. Fili, non ſemines ma-
la in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum. 4. Noli
quærere à Domino ducatum, neque à rege cathedram ho-
noris. 5. Non te iuſtifices ante Deum, quoniam agnitor
cordis, ipſe eſt : & penes regem noli velle videri Sapiens.
6. Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere
iniquitates : ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.
7. Non pecces in multitudinem ciuitatis, nec te immittas in populum, 8. neque
alliges duplicia peccata : nec enim in vno eris immunis. 9. Noli eſſe, puſillanimis
in animo tuo : 10. exorare, & facere eleemoſynam ne deſpicias. 11. Ne dicas:
In multitudine munerum meorum reſpiciet Deus, & offerente me Deo altiſſimo,
munera mea ſuſcipiet. 12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ : eſt enim
qui humiliat & exaltat, circumſpector Deus. 13. Noli arare mendacium aduerſus
fratrem tuum : neque in amicum ſimiliter facias. 14. Noli velle mentiri omne
mendacium : aſſiduitas enim illius non eſt bona. 15. Noli verboſus eſſe in multitu-
dine presbyterorum, & non iteres verbum in oratione tua. 16. Non oderis labo-
rioſa opera, & ruſticationem creatam ab Altiſſimo. 17. Non te reputes in multi-
tudine indiſciplinatorum. 18. Memento iræ, quoniam non tardabit. 19. Humi-
lia valdè ſpiritum tuum : quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis. 20. Noli
praua

præuaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem charissimum auro
spreueris. 21. Noli discedere à muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore
Domini: gratia enim vereeundiæ illius super aurum. 22. Non lædas seruum in
veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. 23. Seruus sen-
satus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem
derelinquas illum. 24. Pecora tibi sunt? attende illis: & si sunt vtilia, perseuerent
apud te. 25. Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. 26. Filiæ
tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.
27. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam. 28. Mulier
si est tibi secundùm animam tuam, non proiicias illam: & odibili non credas te. In
toto corde tuo, 29. honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris:
30. memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo
& illi tibi. 31. In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica.
32. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: & ministros eius ne derelinquas.
33. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes, & propurga te
cum brachiis. 34. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum, & pur-
gationis, & de negligentia tua purga te cum paucis. 35. Datum brachiorum tuo-
rum & sacrificium sanctificationis offeres Domino, & initia sanctorum: 36. &
pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio & benedictio tua. 37. Gra-
tia dati in conspectu omnis viuentis, & mortuo non prohibeas gratiam. 38. Non
desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. 39. Non te pigeat
visitare infirmum: ex bis enim in dilectione firmaberis. 40. In omnibus operibus
tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

COMMENTARII.

1.

Quomodo se gerere erga Deum.

Nulla pœna maior peccato.



VERS. 1. *Noli facere mala,* peccata scilicet ne perpetres, quæ sunt mala culpæ; *& non te apprehendent* mala pœnæ, siuè ipsius peccati mala. * Nulla enim pœna maior peccato excogitari potest.]

Vers. 2. Discede ab iniquo, & deficient mala abs te. Ab improbo socio recede, & multa vitabis mala, incommoda, pericula, damna, quæ

Exitialis est cum iniquo societas.

ex praua Societate assolent prouenire. * Exitialis equidem est cum iniquis societas.] Alij τὸ *Ab iniquo* pro iniquitate ipsa sumunt, Fuge ab

Fugiens iniquum socium, fugies iniquitatem.

eo, quod iniquum est. * Ego vtramque sector expositionem, fugiens enim iniqui consortium, iniquitatem fugies, ad quam iniqui Societas allicit.]

Vers. 3. Fili, non semines mala in sulcis iniustitiæ. Nostra voluntas ager est, quem sulcis iniustitiæ exaramus, cum illi habitus prauos imprimimus: seminamus autem, cum praua desideria iis iniicimus. Ne ergò obsequare iniustis affectibus, aut carnalibus desideriis, (quod *seminare in carne* vocat Apostolus *Gal.* 6. 8.] *Et non metes ea in septuplum.* Quia vitiorum praua messis facile admodum succrescit. Si autem id lubeat de messe pœnarum exponere, pœnæ, quæ culpam subsequuntur, magnum secum

Peccato vnico pœna immensa respondet.

prouentum affert. * Pro exigua enim delectatione doloris plurimum rependitur. Vnde vnum huius seminis granum, peccatum lethale vnum messem connotat pœnarum immensam.]

Vers. 4. Noli quærere à Domino ducatum, Principatum, Dignitatem: *neque à Rege cathedram honoris,* Magistratus, Reipublicæ administrationem.

Ad Præsulatum inuitus traharis.

Nam qui ista ambiunt, vel eis se ingesunt, aliorum odio expositi, magno se conscientiæ onere pergrauant. * Ad publica officia, ad Præsulatum non te propria voluntas alliciat, sed obedientia trahat.]

Vers. 5. Non te iustifices ante Deum, dum te idoneum ad Præsulatum esse putas. *Quoniam agnitor cordis ipse est,* & scit quinam apti, quinam ad regimen aliorum inepti. *Et penes Regem noli velle videri Sapiens.* Quod faciunt, qui honoris cathedras Sapientibus debitas ambiunt, quorum scientia experimento tentata, exigua, aut nulla interdum apparet cum ignominiæ nota.

Vers. 6. Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates Græcè, profligare, extirpare, tollere. Iudicis enim munus est præcipuum publica Reipublicæ peccata prohibere, delinquentes punire. * Vnde insigne regiminis magis esse debet hasta, & gladius ad pugnam, quam virga dignitatis, & honoris.] *Ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua,* seu tibi ipsi, quærendo Magistratum, impedimentum obiicias, quod te ab æquitate, & iustitia faciat declinare.

Magistratus insigne magis sit gladius contra peccatores, quàm virga honoris.

Vers. 7. 8. Non pecces in multitudinem Ciuitatis. Caueat Præses, Iudex, Magistratus, ne totam in se ciuitatem irritet, nonnulla gerendo, quæ communitatis iura violent, aut negligendo communis annonæ prouidentiam, aut augendo tributa, &c. *Nec te immittas in populum,* cum scilicet concitatus est, & furit. Vt enim populus irritandus non est, ita ab irritato cauendum: ne furorem in caput tuum effundat. *Neque alliges duplicia peccata,* peccatis priuatis peccata Magistratus cumulando: *Neque enim in vno eris immunis.* Nullum enim peccatum potest à pœna immune esse. Vndè insipienter ages si adieceris criminibus, quæ vt priuatus ex fragilitate committis, crimina ex praua Magistratus administratione, quo pœna succrescat.

Vers. 9. 10. Noli esse pusillanimis in animo tuo.

Si peccaſti, ſaltem in excutiendo peccato fortis eſto, non remiſſus: *exorare, & facere eleemoſynam nè deſpicias*, precibus enim, & eleemoſynis. Numen propitius redditur, & peccata redimuntur. Attamen.

Verſ. 11. *Ne dicas: In multitudine munerum meorum*, ſacrificiorum, victimarum, *reſpiciet Deus*. Licet monuerim puſillanimitatem fugiendam, iam moneo, ne nimium confidas, animo dictitans. Etiamſi peccata peccatis addidero, tamèn ſacrificiis, & muneribus ea expiabo. * Huiuſmodi confidentia multos ad damnationis traxit exitium. Ex peccatore enim Deo ſolum eſt gratum iuſtitiæ, cordiſque contriti ſacrificium.] Nec addas: *Et offerente me Deo altiſſimo, munera mea ſuſcipiet*. Peccatoris namque impœnitentis munera Deus contemnit.

Nimia confidentia in oblationibus offerendis multiplicanti crimina parit exitium.

2.

Quomodò erga homines.

Verſ. 12. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ*, ſeu in anguſtia, dolore, mœſtitia conſtitutum. *Eſt enim qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus*. Nam Deus tuam annotat irriſionem, & cum ſit, à quo eiectio, & exaltatio profluunt, ſciet irriſum à te exaltare, & te irriſorem irridendum fortuna commutata exponere. * Vt nullum in deiecta fortuna conſtitutum deſpicias, memor ſis ſortis, & viciſſitudinum, quibus mortales ſunt obnoxij.]

Memor viciſſitudinum, queis ſunt mortales obnoxij, deiectos à fortuna ne deſpicias.

Verſ. 13. *Noli arare mendacium*, fabricare, concinnare, *aduerſus fratrem tuum, neque in amicum ſimiliter facias*. * Contrà fratrem ſeu proximum mendacium machinari, iniuſtitia eſt: aduerſus autem amicum fraudibus ſi vtaris, non ſolum perpetras iniuſtitiam, ſed teipſum viliſſimum homuncionem eſſe profiteris.

Qui contra proximū machinatur mēdacium, iniuſtus apparet: qui contra amicum, ſe iniuſtum & vilem ſe oſtentat.

Verſ. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium*, ſeu nullum mendacium proferas. *Aſſiduitas enim illius non eſt bona* (Mioſis eſt, minus enim dicitur, quàm ſignificatur) conſuetudo mentiendi eſt admodum mala. * Ad conſuetudinem verò mentiendi præcauendam, oportet, vel vnicum mendacium vitare. Hoc enim eſt mendacij ingenium, vt ex vno in aliud facilè producatur, vnde adquiritur mentiendi conſuetudo.]

Qui ſemel mentitur, facilè in plura mēdacia prolabitur, vnde mentiēdi habitum acquiſit.

Verſ. 15. *Noli verboſus eſſe in multitudine preſbyterorum*, ſeu virorum prudentum, apud quos plus honoris ſilentio, quàm multiloquio acquires. *Et non iteres verbum in oratione tua.* Apud Deum autem in precibus (ſic Græcè) tuis inutilem vita verborum reiterationem. * Deus enim prima prolata ſillaba percipit cordis affectum, eique reſpondet.] * Exiſtimo, hîc attentionem inter orandum perſuaderi, vt non ſit opus verba ſemel prolata repetere.]

Deus prima precum prolata ſillaba, percipit cordis affectum.

Attentio in oratione.

Verſ. 16. *Non oderis laborioſa opera, & ruſticationem*, ſeu agriculturam *creatam*, ſeu inſtitutam *ab Altiſſimo*. Tulit enim Deus hominem, *& poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur. Gen.* 2. 15. * Laborem manuum Deus inſtituit, otioſitatem à Diabolo inſtitutam eſſe quis dubitet?]

Laborem Deus inſtituit, diabolus verò otioſitatem.

Verſ. 17. *Non te reputes* Græcè, *non te computes*, annumeres *in multitudine indiſciplinatorum*. Græcè, *peccatorum*: omnis enim peccator indiſciplinatus, ſeu ſtultus obiicitur. Ac ſi diceret, Non permittas, te inter peccatores annumerari improbè viuens: ſed ad iuſtorum cœtum iuſte degens accurre.

Verſ. 18. *Memento iræ*, vindictæ ſcilicet, peccatorum, *quoniam non tardabit*. Repentè enim aſſolet euenire. * Etſi aliquando tardare videatur, verè non tardat, diuturna enim hominis vita quaſi momentum eſt.]

Hominis diuturnior vita quaſi momentum eſt.

Verſ. 19. *Humilia valde ſpiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij ignis, & vermis.* Vindex Dei ira in carnem ſeu corpus peccatoris per ignis & vermium cruciatus deſæuiet, Periculum autem tam ingens euadit humilitas, qua quis Deo eiuſque legibus ſe ſubmittit.

Verſ. 20. *Noli præuaricare in amicum pecuniam differentem.* LXX. *propter rem indifferentem*, qualis v. gr. eſt pecunia. Id eſt, noli amicum alias ſat fidum alienare à te, vel repellere propter pecuniam, aut quamlibet rem externam tibi abnegatam, aut dilatam. *Nec fratrem chariſſimum auro ſpreueris*, ſeu propter aurum. * Nempe omni auro, omni theſauro pretioſior, ac vtilior eſt fidus amicus.

3.

Quomodo erga amicum, Sacerdotes, parentes filios, vxorem, &c.

Omni auro pretioſior fidus amicus.

Verſ. 21. *Noli diſcedere à muliere ſenſata, & bona*, prudenti & honeſta, *quam ſortitus es in timore Domini*, quæ tibi in coniugem adaptaſti iuxta ſacras matrimonij leges. *Gratia enim verecundiæ illius ſuper aurum.* * Si enim mulier prudens ac verecunda, ſeu honeſta ſit, pluris eſt quam aurum facienda.]

Coniux prudens & verecūda pretioſior auro.

Verſ. 22. *Non lædas ſeruum in veritate operantem.* Ne affligas duriter tractando, aut laboribus atterendo ſeruum tuum fideliter agentem. *Neque mercenarium dantem animam ſuam*, ſeu ſe tibi totum impendentem, & qui ſe nonnunquam vitæ diſcrimini tua cauſa obiicit.

Verſ. 23. *Seruus ſenſatus*, prudens *ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate* ei onera quaſi mancipio adiiciens, quæ tibimetipſi nequaquam adiiceres. * Si ergo quaſi anima tua, ſiue ſicut tu ipſe à te eſt diligendus ſeruus fidelis, non ſicut mancipium, ſed ſicut liber erit tractandus: Dignus enim eſt degere ſicut liber, ſeruus, qui mancipij ingenium non ſapit.] Neque inopem derelinquas illum, iuxta *Deuteron.* 15. 13. in qua dicitur, *Quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris, ſed dabis viaticum*, ſeu ad vitam ſuſtentandum neceſſaria largire. Sunt qui libertate donant ſeruum ſenectute preſſum, ſed dimittentes inopem, magis eum efficiunt ſeruum, quàm erat, cogunt enim illum grauiori neceſſitatis & inopiæ ſeruituti addici.]

Seruus, qui fidelitatē ſeruans, mancipij non ſapiens ingenium quaſi liber eſt tractandus.

Qui ſeruum libertate donat, ſed pauperē dimittit, grauiori eum addicit ſeruituti.

Verſ. 24. *Pecora tibi ſunt? Attende illis.* Græcè, viſita illa, inſpice. *Et ſi ſunt vtilia, perſeuerent apud te.* Nam ſi inutilia reddantur, aut vende, aut macta illa, & in cibum, vſumque familiæ conuerte.

Verſ. 25. *Filij tibi ſunt? erudi illos. Et curua illos à pueritia illorum*, ceruicem eorum deprime, vt à pueritia rectum contrahant habitum perpetuo manſurum. Nam ſi filij à pueritia non corripiantur, ſerò poſtmodum eis moderamen adhibebitur.]

Filius à pueritia iugo aſſueſcat.

Verſ. 26. *Filiæ tibi ſunt? ſerua corpus illarum*, longè remotis impudicitiæ corruptelis. * Muliebris enim fragilitas diligentiori eget cuſtodia.] *Et non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas*, vt ſeueritate cultus, & timore à leuitate agnata coerceantur. O quot filiarum pudor nimia parentum benignitate periit!]

Muliebris fragilitas diligentiori eget cuſtodia.

Filiarum pudor nimia parentū benignitate deperit.

Verſ. 27. *Trade filiam nuptui*, cum ad nubiles annos acceſſerit. *Et grande opus feceris*, & ingenti te cura leuaueris, *Et homini ſenſato da* illam.

illam, magis cutans vt vir eius mente sit prææditus, quàm diuitiis. * Nihil enim opes prosunt, imò nimium officiunt, si non adsit ad illarum vsum mariti prudentia.]

Filiæ tuæ maritumque te magis mēte præditum, quàm diuitiis.

Vers. 28. *Mulier si est tibi secundùm animam tuam*, si vxorem tuo desiderio agnatam sis nactus, *ne proyciat illam*, dato libello repudij. *Et odibili ne credas te*, & odio dignæ ob peruicaciam, garrulitatem insuaues mores, vel etiam improbos, non fidas, ne tradas te in maritum, si eures domus pacem, & thori immunitatem tueri.

Vers. 29. 30. *In toto corde tuo honora patrem tuum: & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris*, quos scilicet te in vtero gestando, enitendo, lactando, educando protulit, hoc est, labores, quos tui causa tolerauit. * Quotum quidem memores non sunt filij qui matri irreuerentes ostentantur.] *Memento*, inquam, gemituum matris tuæ, *quoniam nisi per illos natus non fuisses. Et retribue illis*, id est, parentibus, per quos natus es, & sine quibus ortus non fuisses, gratus esto retribuens eis, *quomodo & ipsi tibi.* Quemadmodum ipsi tibi bona tribuerunt, tu etiam illis vicissim bona repende.

Vt reuerearis matrem, recordare laborum, quos tui causa tolerauit.

Vers. 31. *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica.* Græcè, suspice, admirare, reuerere. * Postquam Dei timorem monuit nos, illico reuerentiam Sacerdotibus exhibendam commendauit. Post Deum enim, imò simul cum Deo Sacerdos Dei Vicarius reuerendus obiicitur.]

Post Deum, imò simul cū Deo Sacerdos, reuerendus obiicitur.

Vers. 32. *In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit*, seu creatorem tuum. *Et Ministros eius ne derelinquas*, id est, Sacerdotes eius primitiis, decimis, oblationibus ale, & sustenta. * Diuites pudeat, Sacerdotes non semel ostiatim mendicare, Dei vicarios Deos dixerim egestate premi.]

Pudeat diuites, mendicare Sacerdotes Dei Vicarios.

Vers. 33. *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes: & propurga te cum brachijs*, id est oblationibus brachiorum, seu quas brachiis & manibus tuis offers, purga, & expia peccata.

Vers. 34. *Da illis partem, sicut mandatum est tibi, (Leui. 2. 1.) primitiarum, & purgationis.* Intelligit victimas pro purgatione leprosi, menstruatæ, aut alia ratione immundi, lege veteri præceptas. Vel portionem victimarum, quæ pro purgatione peccati offerebantur. *Et de negligentia tua purga te cum paucis*, præsentibus, vt eorum paucis tuum peccatum aperiens, melius tuæ famæ consulas, nec alios ad scandalum incites. Aptius *τὸ paucis* explico de paucitate victimarum ac si diceret: Paucis victimis, & sumptibus te purga, si pauperes, nec habes multa, aut magna, quæ offeras. * Deus enim in exigua victima, & oblatione solùm affectus aspicit magnitudinem.]

Deus in exigua oblatione magnitudinem affectus aspicit & recipit.

Vers. 35. *Datum brachiorum tuorum*, armorum scilicet dexterorum, qui Sacerdoti debebantur, *& sacrificium sanctificationis*, seu holocaustum (quod totum Domino sanctificabatur.) *offeres Domino: & initia sanctorum*, id est, primitias, quæ debentur sanctis, seu sanctificatis Sacerdotibus.

Vers. 36. *Et pauperi porrige manum tuam.* Non tantum Sacerdotibus benefaciendum, illis dando primitias, &c. Sed communibus etiam pauperibus largiendum subsidium. *Vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua.* Vt perfecta sit & absoluta actio, qua tibi Deum propitium reddis. * Quasi imperfecta sit negotiatio propitiationis, vbi eleemosyna locum non obtinet.]

Quasi imperfecta est negotiatio propitiationis, vbi eleemosyna non adest.

Vers. 37. *Gratia dati in conspectu omnis viuentis.* Datum siue donum gratum est omni viuenti. *Et mortuo non prohibeas gratiam*, seu gratia tua, beneficentia, & liberalitas ad mortuos extendatur per eleemosynas, & sacrificia, &c.

Vers. 38. *Ne desis plorantibus*, seu afflictis *in consolatione: & cum lugentibus ambula.* Flendum enim est cum flentibus vt *Rom.* 12. 15. monet Apostolus.

Vers. 39. *Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.* Græcè, *amaberis*, diligeris.

Vers. 40. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Quæ te in fine manent, mortem, iudicium, æternas pœnas, gloriam in omni opere mente euolue, & huiusmodi recordatio ita te afficiet, vt nunquam te peccare permittat. * Certè ex nouissimorum obliuione existimo cuncta crimina ortum habere.]

Ex obliuione nouissimorum cuncta crimina ortum habent.

CAPVT VIII.

Quonammodo nos gerere debeamus erga potentiores, verbosos, resipiscentes, iracundos, stolidos, &c. Siracides monet.

1. NON litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius. 2. Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te constituat litem tibi. 3. multos enim perdidit aurum & argentum, & vsque ad cor regum extendit & conuertit. 4. Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna. 5. Non communices homini indocto, ne male de progenie tua loquatur. 6. Ne despicias hominem auertentem se à peccato, neque improperes ei, memento quoniam omnes in correptione sumus. 7. Ne spernas hominem in sua senectute: etenim

ex

ex nobis senescunt. 8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire. 9. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbiis eorum conuersare. 10. ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, & seruire magnatis sine querela. 11. Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis: 12. quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis date responsum. 13. Non incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. 14. Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. 15. Noli fœnerari homini fortiori te: quòd si fœneraueris, quasi perditum habe. 16. Non spondeas super virtutem tuam: quod si spoponderis, quasi restituens cogita. 17. Non iudices contra iudicem: quoniam secundùm quod iustum est iudicat. 18. Cum audace non eas in via, ne fortè grauet mala sua in te: ipse enim secundum voluntatem suam vadit, & simul cum stultitia illius peries. 19. Cum iracundo non facies rixam, & cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, & vbi non est adiutorium, elidet te. 20. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent. 21. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet. 22. Non omni homini cor tuum manifestes: ne fortè inferat tibi gratiam falsam, & conuitietur tibi.

COMMENTARII.

1\. *Quomodò te gerere debeas cum potenti homine.*

VERS. 1. *Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius*, ne succumbas in certamine. Licet enim varius sit belli euentus, potentiori plerumque victoria cedit.

Vers. 23. Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te constituas litem tibi. Græcè, *Ne constituas contra te pondus.* Nihil enim lite ponderosius & molestius.] Ne scilicet grauet, & opprimat te, diuitiis testes, vel Iudices iniquos contra te subornando, efficiatque, vt in contrariam partem inclinet sententia apposito auri pondere: ad eum modum, quo bilances in eam partem inclinantur, quæ maiori est pondere granata. * O quotiens balaos iustitiæ auri pondere in partem contrariam veritati inclinatur!] *Multos enim perdidit aurum, &c.* Suam vim pecunia in præcordiis Principum non semel exeruit, inflexit, & mutauit, vt æquitatis iura violarent.

Nihil lite grauiº & molestius.

Auri pondus facit balancem iustitiæ in iniuriam inclinare.

2\. *Quomodo cũ linguato?*

Vers. 4. Non litiges cum homine linguato, &c. Si litiges cum linguato, perindè agis, ac si ligna igni suggeras; maius enim contentionum incendium excitatur.

Vers. 5. Non communices homini indocto. (Græcè, *indisciplinato.*) *ne malè de progenie tua loquatur*, ne si quod dedecus est, aut macula generis tui, ea tibi ille iratus obiiciat. * Profectò indocti, indisciplinati, stulti homuncionis est, defectus generis obiectione iracundiæ satisfacere.]

Stulti hominis est, iracundiæ satisfacere obiiciendo alij generis defectus.

Vers. 6. Ne despicias hominem auertentem se à peccato, neque improperes ei, peccata ante admissa, quorum illum modo pœnitet, & à quibus se auertit. * Iam enim peccata illa apud Deum non extant pœnitudine abolente: vndè iniquum est, de falso crimine hominem accusare: peccatum enim quasi non fuit, cum vera animus pœnitentia diluitur.] *Memento quoniam omnes in correptione sumus*, seu in peccato, propter quod nos ipsi corripere debemus, & ab aliis meremur corripi: * Memor peccati tui, aliorum crimen non improperabis.]

3\. *Quomodo cũ pœnitente.*

Quasi de falso crimine alium accusas cum ei peccata pœnitudine abluta improperas.

Memor peccati tui, aliorum crimen non improperabis.

Vers. 7. Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt, cum senes fiunt, non mutant hominis naturam, potius sunt nostræ ætatis complementum, & perfectio: & quæ in sene tibi modo despicienda videntur, eadem tibi, si senueris contingere poterunt.

4\. *Quomodo cũ sene?*

Vers. 8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens, quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire, ægre scilicet ferimus, si aliquem praué nobis affectum suspicamur in obitu nostro capturum esse voluptatem.

Vers. 9. 10. Ne despicias narrationem presbyterorum Sapientium, siue senum, qui Sapientia pollent. *Et in prouerbiis eorum conuersare.* Audi, retine, & repete prouerbia, adagia, similitudines, sententias, quibus mores formantur, quæ frequenter in suis sermonibus senes vsurpant. * Indecens enim senibus esset, futiles, & inutiles proferre sermones.] *Ab ipsis enim disces Sapientiam, & doctrinam intellectus*, prudentiam scilicet, qua quis intelligenter, seu prudenter cum quibuslibet versetur, & sua munia peragat: *& possit seruire magnatis sine querela*, faciliter scilicet, & cum prospero euentu.

Indecens seni esset, inutiles proferre sermones.

Vers. 11. 12. Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis, quorum auctoritate decor doctrinæ accrescit. *Quoniam ab ipsis disces intellectum*, prudentiam, *& in tempore necessitatis dare responsum aptum*, congruum.

Vers. 13. Non incendas carbones peccatorum, arguens eos. Peccatorem, qui abstrahi non vult à crimine, ne arguas; ne tua correptio sit velut flatus Sopitum ignem suscitans, & carbones accendens. *Et ne accendaris flamma ignis peccatorum illorum*, seu ne à peccatoribus iratis & excandescentibus ipse lædaris. * Non semper charitas obligat, peccatores corripere.]

5\. *Quomodò cũ impœnitente, & contumelioso?*

Non semper obligat charitas peccatores corripere.

Vers. 14. Ne contrà faciem stes contumeliosi, ne cum contumelioso rixeris, iurgeris: *Ne sedeat quasi insidiator ori tuo*, ne ipse omnia verba tua obseruans, occasionem arripiat, te

in

in verbo aliquo ad prauum sensum detorto, capiendi.

6. *Vers. 15. Noli fænerari homini fortiori te*, seu fuge mutuo date (fœnus aliquando in bonam partem in Scriptura accipitur) homini te potentiori. *Quod si fæneraueris, quasi perditum habe*, nec enim ab illo recuperabis debitum. Vel enim non audebis exigere, vel potentia vtens, dolis tuum ius infirmauit. * Proceres quidem raro aut nunquam debita soluunt.]

Quomodo circa mutuum, & fideiussionem?

Proceres raro, aut nunquam debita soluunt.

Vers. 16. Non spondeas super virtutem tuam, seu supra vires tuas fideiubere fuge. *Quod si spoponderis quasi restituens cogita.* Sæpè enim, imò plerumque fit, vt fideiussores soluere cogantur.

7. *Vers. 17. Ne iudices contra Iudicem*, ne temerè Iudicis sententiam iniustam esse existimes, *Quoniam secundùm quod iustum est, iudicat.* Sæpè enim iustè iudicat, & tu iniustè iudicasse falso existimas, eo, quod rationes queis nixus fuerit, noo agnoscas. * Et quisnam litigator cum contrariam subit sententiam, non iudicauit, Iudicem se iustè gessisse?]

Quomodo cum iudice?

Litigator cōdemnatus, semper putat Iudicem iniustè iudicasse.

Vers. 18. Cum audace non eas in via, cum temerario, feroce iter non facias: *Ne forte grauet mala sua in te*, ne in alios iniurius fortasse sit de more, túque tanquam illius comes vt culpæ particeps, pœnæ, cum illo innocens subiiciaris. *Ipse enim secundum voluntatem suam vadit, & simul cum stultitia illius peries.* Ille suas cupiditates sequitur temerarius; quæ quidem te innocentem, & illum nocentem ad exitium adducent. * Nunquam enim praua societas potest non esse noxia.]

8. *Quomodò cū audace, & iracundo.*

Nunquam praua societas noxia nō est.

Vers. 19. Cum iracundo non facias rixam; & cum audace non eas in desertum, ne te solùm opprimat. Quàm hoe sit verum, Abelis à Caino occisi ostendit exemplum. *Quoniam quasi nihil est ante illum sanguis*, ita succensus facinus leue putat sanguinem exitialiter cuiusque profundere. *Et vbi non est adiutorium, elidet te*, vbi non adest qui defendat te comprimendo iratum, miserè deperibis.

Vers. 20. Cum fatuis consilium non habeas, à fatuis consilia non petas: *non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent*, fatua scilicet, periculosa consilia proferent fatuo agnata ingenio. 9.

Quomodò circa consilia capienda?

Vers. 21. Coram extraneo ne facias consilium. Græcè, extraneo ne committas secreta quæque, vel quæ seruari oportet: *nescis enim, quid pariet*, nescis, quid ex auditis à te tanquam ex concepto semine apud se machinabitur, & tandem suo tempore tuam in pernitiem enitetur. * Stultus est, qui extraneo cordis arcana reserat.]


Stultus, qui arcana sua extraneo fidit.

Vers. 22. Non omni homini cor tuum manifestes: ne forte inferas tibi gratiam falsam, seu beneuolentiam fictam ostendas: *& conuitietur tibi*, seu reponat pro gratia contumeliam, aut conuitium, te obloquens, & quæ agis damnans, & irridens.



CAPVT IX.

Vt caueas Zelotypiam, & non necessaria fœminarum consortia: vt fugias nouos amicos præsertim potentes, iniustos, linguosos, temerarios, à Iesu Sirach edoceris.



1. NON zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam
doctrinæ nequam. 2. Non des mulieri potestatem animæ
tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. 3. Ne
respicias mulierem multiuolam: ne fortè incidas in laqueos illius. 4. Cum saltatrice ne assiduus sis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. 5. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. 6. Ne des
Fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te, & hæreditatem tuam. 7. Noli
circumspicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. 8. Auerte
faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam: 9. propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis
exardescit. 10. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. 11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt, colloquium enim illius quasi ignis exardescit. 12. Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum: 13. & non alterceris cum illa in
vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem. 14. Ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis
illi. 15. Vinum nouum, amicus nouus: veterascet, & cum suauitate bibes illud.
16. Non zeles gloriam & opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius
subuersio. 17. Non placeat tibi iniuria iniustorum, sciens quoniam vsque ad inferos non placebit impius. 18. Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis. 19. & si accesseris ad illum, noli

aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam. 20. Communionem mortis ſcito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis. 21. Secundùm virtutem tuam caue te à proximo tuo, & cum ſapientibus & prudentibus tracta. 22. Viri iuſti ſint tibi conuiuæ, & in timore Dei ſit tibi gloriatio, 23. & in ſenſu ſit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis Altiſſimi. 24. In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in ſapientia ſermonis ſui, in ſenſu verò ſeniorum verbum 25. Terribilis eſt in ciuitate ſua homo linguoſus: & temerarius in verbo ſuo odibilis erit.

COMMENTARII.



1\. *Fugiendam zelotypiam docet.*

VERS. 1. *Non zeles mulierem ſinus tui*, ne ſis zelotypus, ne male de vxore tua ſuſpiceris. *Ne ipſa* ea occaſione *oſtendat ſuper te malitiam doctrina nequam*, quam tu male ſuſpicando, illam docuiſti. Quaſi diceret, Ne fortè adulteretur, aut te veneno perimat, aut alia via tibi noceat. * Multa enim ſcelera docet vxorem mariti imprudens zelotypia, quæ alioqui nullum malum cogitaret.]

Multa mala docet vxorē mariti zelotypia.

2\. *Vitādum fœminarum conſortium.*

Verſ. 2. *Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ*, ne vxori quidem te ita tradas, vt poſſit in te, & de te quidquid voluerit: *nè ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris.* Græcè, *ne aſcendat ſuper te*, & dominetur, ac prævaleat tibi, & animo tuo, tui equidem confuſione, ac dedecore. * Magna enim viri, qui caput mulieris eſt à Deo conſtitutus ab vxore coſta, ſeu membro eius gubernari: ſicut indecens contra naturam eſſet, ſi manus leges capiti indiceret.]

Indecentiſſimum eſt viro capiti ab vxore, eius coſta, gubernari.

Verſ. 3. *Ne reſpicias mulierem multiuolam*, ſeu multos amantem, & optantem, eam appetendo. Græcè, *Ne occurras meretrici.* Quælibet enim mulier, quæ plus, quàm vnum amat, vel optat, infami meretricis nomine digna obiicitur.] *Nè fortè incidas in laqueos illius.* * Preme verbum, *Ne reſpicias*, oculos ſupprime, viſu enim luxuriei tentationes aſſolent apparari.]

Mulier, quæ plus, quàm vnum amat, meretrix ubi ſit.

Viſu parantur luxuriei tentamina.

Verſ. 4. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis.* Græcè, *cum cantatrice*, auerſare fœminam cantatricem & ſaltatricem, *nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Magnam enim habent illecebram mulierum ſaltationes, & cantus. * Memento Herodes, qui ſaltatricis petitione caput Ioannis Baptiſtæ amputauit: ſi non velis ad memoriam Vliſem afferre, qui nauis arbori ſe alligare iuſſit, ne Syrenum efficaci cantu ad exitium alliceretur.]

Fœminæ ſaltatricis, aut cātatricis fugiēdus aſpectus.

Verſ. 5. *Virginem ne conſpicias* pulchram, *nè fortè ſcandalizeris*, ſeu in ruinam luxuriæ traharis, *in decore illius.*

Verſ. 6. *Ne des fornicariis animam tuam in vllo*, ſeu meretricibus te non tradas in re vlla nec aſpectu, nec colloquio, nec alia conſuetudine. *Ne perdas te, & hæreditatem tuam.* * Te quidem, quia fornicatio corpus eneruat, famam maculat, conſcientiam æternæ damnationis ream efficit. Hæreditatem verò, quia meretrices pecuniarum, omniumque bonorum inexplebiles ſunt voragines.]

Meretrices hominem, & eius opes perdunt.

Verſ. 7. *Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, &c.* Hæc enim curioſitas damnum afferunt ſi contingat errantem in formoſam fœminam oculos intendere. * Caſtitas enim cautela, ſenſuumque cuſtodia conſeruatur.]

Caſtitas ſenſuum cuſtodia conſeruatur.

Verſ. 8. *Auerte faciem tuam à muliere compta*, ſeu fucis infecta, *& ne circumſpicias ſpeciē alienam.* Illa enim ſpecies, ſeu pulchritudo fœminæ comptæ propria non eſt, ſed aliena, illam enim mulier à purpuriſſo, ac ceruſſa mutuo accepit.] * Loco illius verbi. *A muliere compta*, in Græco eſt, *A muliere pulchra.* Profectò ſi non eſſet ſacra hæc tranſlatio, ſed profani Auctoris lectio, ei repugnarem. Mulier enim compta, ſeu fucis infecta difficilè poteſt veram pulchritudinem oſtentare. Nec pulchritudo vera noua pictura indiget. * Ego quidem crediderim, eam, qui curat faciem pigmentis illinire, fœditate laborare, quam ſatagit ementito decore operire.]

Fœminæ comptę aliena eſt pulchritudo, fucorum videlicet.

Difficile poteſt mulier compta pulchritudinem oſtentare veram.

Plerumque fœda eſt mulier, quæ fucis vtitur.

Verſ. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, &c.* Oportet ergo oculos auertere ab eius pulchritudine, ſi laqueus eſt quo capiaris facilè, & à quo difficilè expediaris, & in quo plerumque depereas.

Verſ. 10. *Omnis mulier, quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur.* Quid enim vilius deſpiſcabiliuſque ſcorto eſſe poteſt?

Verſ. 11. *Speciem mulieris aliena*, ſeu non ſuæ, *multi admirati, reprobi*, ſeu improbi *facti ſunt: Colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit*, exurit. * Plures vidi, qui pulcherrimæ vxoris propriæ formam deſpiciunt, & mediocrem alienæ pulchritudinem admirantur. Heu praui affectus noxia ſeductio!]

Plures mariti vxoris pulchræ formā contemnunt, alienæ coniugij inferiorem pulchritudinem admirantur.

Verſ. 12. 13. *Cum aliena*, ſeu non tua *muliere ne ſedeas omninè, nec accumbas cum ea ſuper cubitum.* Ne aſſideas cum alterius vxore præſertim in menſa, in eodem lectulo recumbēdo, in ſinu illius, aut vice verſa. Quia omnis huiuſmodi contactus, ac vicinitas habet illecebram. *Et non alterceris cum illa in vino*, ad æquales hauſtus illam inuitando: *ne fortè declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem*, id eſt, praua concupiſcentia (cuius ſedes eſt in ſanguine hepatis) ad exitium traharis. * Ego quidem aliter rè, *& ſanguine tuo labaris in perditionem*, ad vitij huius crudelitatem allicio. Luxuriæ enim cruentiſſima voluptas amatores ſuos, inſtar Dalidæ iugulo tradit.] Aliter expendo, Ne ſanguine tuo luas, quæ peccaueris, marito illius iniurias ſuas, aut ſuſpiciones iniuriæ vindicante. * Suſpitiones, inquam, nam coniugalis thalamus ſtricto iure apud ingenuum virum adeò gaudet, vt ſuſpicio aliquando ſufficiat ad innoxium vere ſanguinem profundendum: vel leuis namque ſuſpicio ius mundi cultoribus violaſſe videtur.]

Vitium luxuriæ crudeliſſimum eſt.

Thalami cōiugalis ius vel leui libidinis ſuſpicione violari videtur.

Verſ. 14. *Ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit ſimilis illi.* Vetus enim magis 3.
cognitus eſt longo experimento, & plus ei debemus

Amicus antiquus nō dimittendus.

Vt vetus amic' cōseruetur, sufficit, longo tēpore apud se amici nomē non amisisse.

bemus fidere, quàm nouo adhuc non probato. Certè vt vetus retineatur, sufficit, multo tempore veterem amicum posse appellari, nomenque illud infidelitate non amisisse.]

Vers. 15. Vinum nouum amicus nouus, &c. Si autem nouum amicum tibi aptare decernas, ne illico illi fidas, sed vti assoles vinum nouum non haurire donec veterascat: pari ratione cum diuturno tempore amicum probaueris, erit tibi iucundus, & vtilis: fidere enim illi poteris, arcanaque pectoris tui cum illo communicare.

Alia dogmata vtilia tradit.

1. *Vers. 16. Non zeles gloriam, & opes peccatoris, &c.* Ne peccatorum felicitatem inuideas: cum ignoret, quænam futura sit vltima quasi fabulæ pars, scilicet an eum æterna expectet egestas.

Vers. 17. Non placeat tibi iniuria iniustorum, quam aliis inferre assolent: *sciens quoniam vsque ad inferos non placebit impius*, sed odio & abominationi erit Deo, vsque dum ad inferos descendat, id est, perpetuo Deo erit inuisus, quandiu in impietate sua perstabit.

Vers. 18. 19. Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi: & non suspicaueris timorem mortis, id est, non anxiè timebis tibi à morte, vel mortis periculo. * Hinc colliges quanto cum timore debeat peccator semper viuere, qui necessariò adest iuxta Hominem Deum, qui potestatem occidendi, & mittendi in gehennam habet.] *Etsi accesseris ad illum, noli aliquid committere* scelus, *ne fortè auferat*, vitam tuam. Cotam Iudice enim delinquere, exitiale quidem est.

Timeat peccator, qui à Deo potestatem habente occidendi elongari nequit.

Vers. 20. Communionem mortis scito, seu cogita quod apud Principes vulgata & communis consuetudo sit, morte plecti, & vltimo supplicio affici paruas ob causas. *Quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis*, inter dolentium, seu iratorum arma ambulas, quare nihil facilius, quàm vt armis illis pereas. * Agere igitur cum Principe, idem est, ac communicare, versari cum morte.] In Græco habetur, *Ambulas per pinnas murorum Vrbis*, quod periculosissimum est, ne impetaris armis, & telis eorum, qui infernè Vrbem obsident. * Porrò eorum vita qui apud Principes valent, periculis est plena, nullus enim est, qui contrà illum linguæ saltem telum contorquere non gaudeat.]

Agere cum Principe, idē est, ac versari cum morte.

Qui valet apud Reges, omnium telis exponitur vulnerandus.

Vers. 21. Secundum virtutem tuam caue te à proximo tuo, ne nimium illi fidas: *& cum Sapientibus, & prudentibus tracta.* Non sufficiat proximum tuum esse, vt cum eo ineas amicitiam; sed ex proximis elige prudentes, quorum amicitiam, seu consuetudinem poteris securius ambire.

Vers. 22. 23. Viri iusti sint tibi comiuæ, & in timore Dei sit tibi gloriatio. Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, seu cum prudentia & Sapientia de Deo cogita, ne cogitatio tua erronea sit, absona, absurda, Deo indigna, vel à veritate abhorrens. *Et omnis enarratio tua in preceptis Altissimi*, stude semper loqui de præceptorum Dei obseruatione, vt audientes te ad eorum impletionem alliciantur.

Vers. 24. In manu artificum opera laudabuntur. Opera mechanica propter artificis peritas manus laudantur, quæ illa perfecerunt. *Et Princeps populi in Sapientia sermonis sui: in sensu verò seniorum verbum.* Laudantur haud aliter Principes cum prudenter loquuntur: & verba seniorum commendatione afficiuntur, cum prudentia sunt, & Sapientia.

Vers. 25. Terribilis est in Ciuitate sua homo linguosus. Nemo enim est, qui sibi ab illo non timeat, ne fortè configatur maledicto quod eius famam laceret. *Et temerarius in verbo suo odibilis erit.* Et præceps, effrænis, petulans odium omnium in se prouocat, cunctorum odium procul dubio metetur.

CAPVT X.

Docet Siracides, quænam virtutes deceant, quænam vitia dedeceant Iudices, & Principes.

1. IVDEX sapiens iudicabit populum suum, & principatus sen-
sati stabilis erit. 2. Secundùm iudicem populi, sic & ministri
eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.
3. Rex insipiens perdet populum suum: & ciuitates inhabi-
tabuntur per sensum potentium. 4. In manu Dei potestas
terræ: & vtilem rectorem suscitabit in tempus super illam.
5. In manu Dei prosperitas hominis, & super faciem Scribæ
imponet honorem suum. 6. Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil
agas in operibus iniuriæ. 7. Odibilis coram Deo est & hominibus superbia: &
execrabilis omnis iniquitas gentium. 8. Regnum à gente in gentem transfer-
tur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. 9. Aua-
ro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra & cinis? 10. Nihil est iniquius
quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet: quoniam
in vita sua proiecit intima sua. 11. Omnis potentatus breuis vita. Languor
prolixior grauat medicum. 12. Breuem languorem præcidit medicus: sic & rex

hodie est, & cras morietur. 13. Cùm enim morientur homo, hæreditabit serpen-
tes, & bestias, & vermes. 14. Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo:
15. quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius. quoniam initium omnis pec-
cati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet
eum in finem. 16. Propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, &
destruxit eos vsque in finem. 17. Sedes ducum superborum destruxit Deus, &
sedere fecit mites pro eis. 18. Radices gentium superbarum arefecit Deus, &
plantauit humiles ex ipsis gentibus. 19. Terras gentium euertit Dominus, &
perdidit eas vsque ad fundamentum. 20. arefecit ex ipsis, & disperdidit eos, &
cessare fecit memoriam eorum à terra. 21. Memoriam superborum perdidit
Deus, & reliquit memoriam humilium sensu. 22. Non est creata hominibus su-
perbia, neque iracundia nationi mulierum. 23. Semen hominum honorabitur
hoc, quòd timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quòd præterit
mandata Domini. 24. In medio fratrum rector illorum in honore: & qui ti-
ment Dominum, erunt in oculis illius. 25. Gloria diuitum, honoratorum, &
pauperum timor Dei est: 26. noli despicere hominem iustum pauperem, & no-
li magnificare virum peccatorem diuitem. 27. Magnus, & iudex, & potens est
in honore: & non est maior illo, qui timet Deum. 28. Seruo sensato liberi
seruient: & vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus, & in-
scius non honorabitur. 29. Noli extollere te in faciendo opere tuo, & noli
cunctari in tempore angustiæ. 30. Melior est qui operatur, & abundat in
omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane. 31. Fili in mansuetudine serua
animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum. 32. Peccantem in
animam suam quis iustificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam
suam? 33. Pauper gloriatur per disciplinam & timorem suum: & est homo
qui honorificatur propter substantiam suam. 34. Qui autem gloriatur in pauper-
tate, quantò magis in substantia; & qui gloriatur in substantia, paupertatem ve-
reatur.

COMMENTARII.

1. *Docet Principes Sapientia.*



ERS. 1. *Iudex, vel Princeps*, (cuius præcipuum munus est, iudicare) *Sapiens iudicabit populum suum*, Græcè, *erudiet*, id est, tanta iustitia, benignitate, Sapientia seorētiam proferet, vt sit subditis virtutis eruditio. * Sapiens Princeps iudicando Doctor omnium existit.] *Et principatus sensati stabilis erit.* Græcè, *ordinatus, compositus.* * Stabilitas enim Regni in ordine, morumque compositione sistit. Non aderit stabile Imperium, in quo subditorum mores inordinati ac incompositi conspiciuntur.]

Sapiens Princeps iudicando docet omnes virtutem.

Regni stabilitas in morum compositione sistit.

Vers. 2. Secundum Iudicem populi, sic & ministri eius. Qualis Princeps, talis populus. * Hic enim ad exemplum Principis componitur.] *Et qualis Rector est Ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* * Disce quales sint Magistratus mores recti, aut iniusti: & tales in ciuibus plerumque reperies.]

Qualis Princeps, talis populus.

Qualis Magistratus, tales ciues.

2. *Vers. 3. Rex insipiens perdet populum suum, &c.* Regis insipientia causa est perditionis populi, quia potentes sibi arrogant regimen ciuitatum, & iuxta suum affectum, & dictamina non semper æqua, iniqua sæpè iura dirigunt. * Princeps equidem qui ab immediato regimine abstinet, & Ministris omnium negotiorum expeditionem committit, aut insipientia laborat, aut damnabilis incuriæ adstrictus vinculis misero detinetur in carcere.]

Dedecet Principes insipientia.

Princeps, qui immediatè non regit, aut est insipiens, aut damnabili laborat incuria.

Vers 4. In manu Dei potestas terræ: & vtilem Rectorem suscitabit in tempus super illam. Supremus Princeps terræ Deus, à quo omnis hominum potestas tempore opportuno, siue cum ei placuerit, suscitabit vtilem populi Rectorem. * Vtilis enim subditis Princeps proprium est Dei munus.]

Vtilis populo Rex, proprium est Dei munus.

Vers. 5. In manu Dei prosperitas hominis, vt scilicet hunc potius, quam illum Principem faciat: vnde hominis, seu ciuium prosperitas pendet. * Regnante enim pio ac Sapiente Principe, cuncta erunt prospera: impio, vel insipiente tenente clauum Reipublicæ, cuncta ærumnosa aduersitate exundabunt.] *Et super faciem Scribæ imponet honorem suum.* Viro Sapienti honorem Principatus imponet. *Scriba* apud Hebræos idem est, ac Sapiens in lege. Si Princeps Sapiens non fuerit, ei aderit, Dei munere Scriba, seu Minister, aut Consiliarius Sapiens, cuius prudentia Imperium vtiliter ac iuste gubernetur. * Sicut Dei munus est Rex pius & Sapiens: ita à Dei munificentissima manu accipit populus Ministrum pium, ac Sapientem.]

Ex Regia pietate ac Sapientia subditorum prosperitas pendet.

Minister Regis pius, ac Sapiens Dei donum.

Vers. 6. Omnis iniuriæ proximi ne memineris. Ex Græco, tua ira diuturna non sit, cum iniuria afficeris: *& nihil agas in operibus iniuriæ:* & nihil geras contra proximum, quod redolere possit, te memorem iniuriæ operari.

3. *Dedecet superbia.*

Vers. 7. Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium, seu hominum. * Alicui placet, τὸ *Omnis iniquitas* idem esse ac *Superbia*. Superbia enim quodammodo omnium iniquitatum est collectio; vndè non mirum adeo Numini esse execrabilem.]

Superbia quodammodo est omnium collectio iniquitatum.

Vers. 8. Regnum à gente in gentem transfertur

propter

propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Græcè, *propter pecunias dolosas,* hoc est, fraude ac dolo partas. * Cum videris nutare Regna, eiusque prouincias, aut Vrbes ab aliis Principibus possideri: crede id ortum ab ininstitia, aliisque criminibus ortum duxisse.]

Regna pereũt propter iniustitias.

4. *Vers. 9. Auaro autem nihil est scelestius,* quia nullum scelus non suadet auaritia; hinc enim rapinæ, vsuræ, sacrilegia, homicidia, periuria, luxuries. Græcè, *Auaro nihil est magis exlex,* seu quod magis legem, ac iura violet. * Fuge ergò auaritiam omnium vitiorum matrem.] *Quid superbis terra, & cinis?* Quid diuitiæ ad superbiam vitæ parantur, cum nihil aliud sit homo, quàm terra & cinis? Et quæ parasti, cuius erunt? * Certè vt ab auaritia remoueas affectum, memoria cineris admodum confert.]

Dedecet auaritia.

Auaritia omnium parens vitiorum.

Memoria mortis auaritiæ medicamen est.

5. *Vers. 10. Nihil est iniquius, quam amare pecuniam: Hic enim, & animam suam venalem habet;* exiguo enim pretio damnationis æternæ se exponit periculo. *Quoniam in vita sua proiecit intima sua,* id est, viscera, & intestina corrumpit, imò & exerit, seu valetudinem lædit grauissimè per varios morbos, quos ex nimia solicitudine & anxietate, & animi contentione non rarò contrahit. * Planè amare pecuniam non solùm animæ, sed & corpori est exitiale.]

Dedecet tyrannus.

Amor pecuniæ non solùm animæ, sed & corpori est exitialis.

Vers. 11. Omnis potentatus breuis vita. Nomine *Potentatus* ea Imperia significantur, quæ tyrannide exercentur. Quæ quidem diuturna esse non possunt. Nam *Languor prolixior grauat Medicum.* Sicut morbus prolixus Medicum grauat, sic diuturna Reipublicæ affectio sub tyranno Principe, Deo qui Medici instar se habet, grauis est, & molesta. * Vndè ægritudinis causam (quod non semper Medici temporarij norunt) radicitùs auellit, tyrannum perimendo.]

Breuis vita Regis tyranni.

Vers. 12. Breuem languorem præcidit Medicus. Græcè, *incidit longum morbum.* Sicut Medicus obuiare solet recenti malo, ne inueterato grauetur, nec sanari valeat: ità Deus Principem tyrannicè imperantem solet cito de medio tollere, ne confirmata tyrannide Reipublicæ exitialis fiat. * Profectò tyrannica gubernatio exitialis est Reipublicæ ægritudo, quæ solum à cœlesti Medico curari potest.] *Ideò Rex tyrannus hodie est, & cras morietur.* Quia huiusmodi Principes Deus diutius viuere non sinit.

Tyrannica gubernatio ægritudo exitialis Reipublicæ.

6. *Vers. 13. Cum enim morietur homo* ille, qui se hominem esse negare videbatur, ex agnata humanæ naturæ miseria *hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes,* hæc enim animalia in sepulchris mortuorum cadauera depascunt.

Superbiam Principum subtaxat.

Vers. 14. 15. Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo est, id est, desciscere, rebellare deficere à Deo, & eius lege. Id videre est in Adamo, & locum habet in omni superbo. * Certè superbia omnis peccati est initium; quia superbus in omnia crimina prolabi, & procliuis,] *Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius. Quoniam initium omnis peccati est superbia.* Siue omnis generis peccatorum principatum tenet. * Vel superbia initium est omnis peccati, siue omne peccatum ex superbia suum sumit initium; quia in omni peccato inest quædam generalis superbia, qua se homo à diuinis legibus eximit.] *Qui tenuerit illam, implebitur maledictis,* qui à superbia agi, ac teneri permiserit, non solum implebitur maledictis à Deo & hominibus prolatis: Sed & ipse innumera maledicta proferet. Græcè, *sicut imbrem abominationem emittet* maledicta, iniurias, omnisque generis abominationes, quibus os superbi redundat, & vita vniuersa. *Et subuertet eum in finem,* superbus enim tandem humiliabitur. * Imò non solum *in finem* humiliatur superbus, sed nunc cum superbit, humiliatione, ac deiectione afficitur; ipsum eleuari iam deiici est iuxta illud Dauidis, *Deiecisti eos dum alleuarentur;* non post eleuationem, sed *dum* eleuarentur, nam ipsa eleuationis actio, actio eiectionis erat.]

Superbia omnis peccati est initium.

In omnibus peccatis superbia inuenitur.

Superbi in ipsa eleuationis actione deiectionem habent.

Vers. 16. Propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum. Ex Græco, insolito, & mirabili modo dehonestauit. * Nam vt superbum deiiciat, plura Deus sæpè adeo noua disponit, vt videantur mirabiliter esse excitata.] *Et destruxit eos vsque in finem,* omnino deiecit.

Vt superbum humiliet, videtur Deus miracula excitare.

Vers. 17. Sedes Ducum superborum destruxit Deus: & sedere fecit mites pro eis, seu disposuit Deus, vt humiles sedem, quam indignè occupabant superbi, obtinerent.

Vers. 18. Radices gentium superbarum arefecit Deus: & plantauit humiles ex ipsis gentibus. id est, superborum loco alias gentes humiles substituit.

Vers. 19. Terras gentium euertit Dominus superbarum videlicet, *& perdidit eas vsque ad fundamentum.* Ex turri superba illa nec primus fundaminis lapis in terra remansit.

Vers. 20. Arefecit ex ipsis, & disperdidit eas, id est, ipsas terras arefecit, *& cessare fecit memoriam eorum à terra.* Sanè superborum Sodomorum regionem igne submisso non arefecit solùm, sed & redegit in cineres, eorum memoria cessauit à terra, & ignominiosè transiuit in ignem.

Vers. 21. Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu, qui alta, ac sublimia de se non sentiunt, sed spiritu humiles obiiciuntur. * Sunt namque multi ore, & habitu humiles ad captandum hominum plausum, & sensu superbi.]

Humiles sensu, nõ verbo solùm laudabiles.

Vers. 22. Non est creata hominibus superbia: neque iracundia nationi mulierum. Non est agnata aut conueniens viris superbia, nec mulieribus iracundia: sed potius belluis: homines enim humani esse debent.

Vers. 23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: homines honorabiles obiiciuntur ex Dei timore, & præceptorum eius obseruatione. *Semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.* Honorem non acquirit superba à lege recessio, sed humilis mandatorum obseruatio. 7.

Decet timor Dei Principes.

Vers. 24. In medio fratrum Rector illorum in honore, &c. Quemadmodùm primogenitus, vt natu grandior, ita prærogatiuis potior est inter fratres, quos regit, & præcipuè honoratur: ita qui timent Dominum, honorem ab illo egregium consequuntur.

Vers. 25. Gloria diuitum, honoratorum, & pauperum, timor Dei est. Si diuites, si illustres, si inopes homines gloriam vel in præsenti appetant, ad Deum timendum conatum adhibeant

beant. Deum enim timentes ab omnibus honorantur.

Vers. 26. Noli despicere hominem iustum pauperem, &c. Hic enim nihili, ille autem maximi fit à Deo. Veræ quidem diuitiæ sunt vita immaculata.

Vers. 27. Magnus, & Iudex, & potens est in honore, seu Principes, Magistratus, & potentes diuitiis ab hominibus honorantur: & non est maior illo, qui timet Deum, seu nullos illorum præferri debet iosto, apud Deum maximè honorabili.

Vers. 28. Seruo sensato liberi seruient, &c. Seruo prudenti liberi submittentur, eumque honorabunt, quia eius prudentiam agnoscentes: consilia ipsius libenter admittunt, & etiamsi liberi se conditione superiores seruo cognoscant: tamen à seruo prudenti, & cordato moniti, aut etiam reprehensi, non ægre ferent. Ignarus autem & imprudens, licet libertate potiatur, honorem, qui seruo prudenti datur, minimè assequetur. * Magna virtus prudentia, quæ vel in mancipio commendabilis obiicitur.]

Prudentia, vel in mancipio commendabilis obiicitur.

Vers. 29. Noli extollere te in faciendo opere tuo. Ex Græco, ne causas nectas, quominos agas opus tuum, quasi te non deceat nobilem virum talia facere, etiam necessitatis tempore. *Et noli cunctari, tempore angustiæ.* * Tempore enim, quo proximus famis angustia afficitur, vilissima quæque ministeria, quæ ad reparationem illius ærumnæ geri possunt, virum nobilissimum maximè decent.]

Quodcumque vile opus ad ærumnam subleuandã, dignum est, quod à quolibet nobili viro geratur.

Vers. 30. Melior est, qui operatur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane. Satius est aliqua ministeria vel vilia aliàs gerere, v. gr. terram colere, manuum labore victitare, quàm ex nobilitatis obiectu ab hisce operibus abstiuere, & fame laborare.

Vers. 31. Fili, in mansuetudine serua animam suam, Græcus, *In mansuetudine honora animam tuam.* Nec gloriam, & honorem ita quæras, vt aliis velis in consessibus præferri: nec ita te demittas, vt tuæ dignitati debitum non tuearis: modestè tamen id & cum mansuetudine gere. *Et da illi honorem secundùm meritum suum.*

Vers. 32. Peccantem in animam suam quis iustificabit? Et quis honorificabit exhonorantem animam suam? Si to te nimium deiicis, & in loco, qui tibi debetur tua incuria collocaris: quis pro honore tuo solicitus erit, cum nullus sit, te porior? Hoc ergo est quod præmisit obscurius, *Peccantem in animam suam,* seu honorem suum, *quis iustificabit?* * Non est superbia modestè honorem tibi debitum tueri, imò id non procurare interdùm erit incuria.]

Superbia non est honorem tibi debitum modestè tueri.

Vers. 33. Pauper gloriatur per disciplinam, & timorem suum. Græcè, *pauper honoratur,* per probatos mores, timorem Dei, & modestiam, seu pauper modestus & in alios reuerens honorabilis à cunctis exponitur. *Et est homo, qui honoratur propter substantiam suam,* seu propter diuitias. * Elige magis, propter bonos mores, quàm propter opes honorari. Honor enim, qui diuiti exhibetur ore tenus est: honor verò qui pauperi iusto datur, ex cordis reuerentia procedit.


Honor, qui pauperi iusto datur, è corde procedit, secus qui datur alicui propter diuitias.

Vers. 34. Qui autem gloriatur in paupertate, quantò magis in substantia? Qui cum pauper sit, honore afficitur, quantò maiorem consequeretur gloriam, si diues esset. *Et qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur,* quia si diuitiarum iacturam fecerit, nulla superetit causa, propter quam honoretur: vnde dum diuitiis pollet, debet pauperes reuereri, & honorare. * Dum diues es, paupertatem reuerere, ad quam fortunæ inconstantia facillimè deiici poteris.]

Dum diues es, ne despicias paupertatē, ad quam fortunæ inconstantia deiici poteris.

CAPVT XI.

Docet Auctor Sacer, Sapientem debere esse in aduersitate modestum, in forma corporis, statura vestibus, loquela; & de manu Domini diuitias, vel paupertatem: prospera, vel aduersa acceptare.



1. SAPIENTIA humiliati exaltabit caput illius, & in medio
magnatorum consedere illum faciet. 2. Non laudes virum
in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. 3. Breuis
in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.
4. In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui ex-
tollaris: quoniam mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa,
& absconsa, & inuisa opera illius. 5. Multi tyranni sederunt
in throno, & insuspicabilis portauit diadema. 6. multi potentes oppressi sunt va-
lidè, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum. 7. Priusquam interroges ne vitu-
peres quemquam: & dùm interrogaueris, corripe iustè. 8. Priusquam audias, ne
respondeas verbum: & in medio sermonum ne adiicias loqui. 9. De ea re, quæ
te non molestat, ne certeris: & in iudicio peccantium ne consistas. 10. Fili ne in
multis sint actus tui: & si diues fueris, non eris immunis à delicto; si enim securus
fueris, non apprehendes: & non effugies, si præcucurreris. 11. Est homo laborans,

&

& festinans, & dolens impius, & tantò magis non abundabit. 12. Est homo mar-
cidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: 13. &
oculis Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit
caput eius: & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum, 14. Bona &
mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. 15. Sapientia & disciplina,
& scientia legis apud Deum. Dilectio, & viæ bonorum apud ipsum. 16. Error
& tenebræ peccatoribus concreata sunt, qui autem exultant in malis, consenescunt
in malo. 17. Datio Dei permanet iustis, & profectus illius successus habebit in
æternum. 18. Est qui locupletatur parcè agendo, & hæc est pars mercedis illius.
19. In eo quod dicit: Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis
solus: 20. & nescit quòd tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquat
omnia aliis, & morietur. 21. Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in
opere mandatorum tuorum veterasce. 22. Ne manseris in operibus peccatorum.
Confide autem in Deo, & mane in loco tuo. 23. Facilè est enim in oculis Dei
subitò honestare pauperem. 24. Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, & in
hora veloci processus illius fructificat. 25. Ne dicas: Quid est mihi opus, & quæ
erunt mihi ex hoc bona? 26. Ne dicas: Sufficiens mihi sum: & quid ex hoc pessi-
mabor? 27. In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne
immemor sis bonorum: 28. quoniam facilè est coram Deo in die obitus retribuere
vnicuique secundùm vias suas. 29. Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ,
& in fine hominis denudatio operum illius. 30. Ante mortem ne laudes hominem
quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. 31. Non omnem hominem in-
ducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi. 32. Sicut enim eructant
præcordia fœtentium, & sicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum:
sic & cor superborum, & sicut prospector videns casum proximi sui. 33. Bona
enim in mala conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam. 34. A scin-
tilla vna augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis: homo verò peccator
sanguini insidiatur. 35. Attende tibi à pestifero, fabricat enim mala: ne fortè in-
ducat super te subsannationem in perpetuum. 36. Admitte ad te alienigenam, &
subuertet te in turbine, & abalienabit te à tuis propriis.

COMMENTARII.

1. *Docet, Sapientem debere esse modestum in aduersis.*

ERS.1. *Sapientia humiliati*, seu afflicti, depressi paupertate, morbis, &c. *exaltabit caput illius.* Sapienta enim comperiet, cunctas tribulationes è Dei prouidentia proueoire ad animi salutem. Græcè est, *Sapientia humilis* hoc sensu: Qui Sapiens est, etiamsi humili loco natus; tamen ad magistratus insulas euehitur & inter proceres collocatur. * Sapientia enim abiectum quemque nobilitat humilem operiens natalitium.] Ideò addit: *Et in medio magnatorum consedere eum faciet.*

Sapientia humile operis natalitium.

2. *Nullum laudandum ob speciem externam.*

Vers.2. Non laudes virum in specie sua, in forma, aut pulchritudine. *Neque spernas hominem in visu suo*, seu ob aspectum externom, si fortè corpore sit deformi, ac specie despicabili. * Ex animi enim dotibus sumenda veræ laudis materia.]

Ex animi dotibus sumenda veræ laudis materia.

Vers.3. Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Apis exigua est statura & tamen fructus illius habet principium, seu principatum dulcedinis, mel quidem inter omnia dulcia dulcore excedens. * Ineptè ergò iudicium de interna cuiusque virtute fertur ex solo rerum externarum, quæ in oculos incorrunt, aspectu.]

Ineptè fertur iudicium de interna hominis virtute ex corporis parua, aut alta statura.

Vers.4. In vestitu ne glorieris vnquam. nec in die honoris tui extollaris ob splendidam vestem, qua fulges, vel ob encomia, qoibus te tui prosequuntur: *Quoniam mirabilia opera Altissimi solius, &c.* Quoniam solius Dei vti maiestas, ità opera planè mirabilia sunt, & suspicienda. Monet ergò non esse gloriandum propter dignitatum insignia; qua Domini consilia occulta sunt, & frequenter qui celsa occupauerunt loca, ad humilem statum rediguntur. Vnde.

Vers.5. Multi tyranni sederunt in throno, & insuspicabilis portauit diadema, seu ille, quem nullus vnquam suspicatus fuisset, eum de throno deturbauit, & diademate tempora redimiuit.

Vers.6. Multi potentes oppressi sunt validè: & gloriosi traditi sunt in manus alterorum. Græcè *aliorum*, hostium scilicet suorum: qui quidem eos Regno, & nonnunquam vita spoliarunt.

3. *Nullum vituperare lentè.*

Vers.7. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam. Græcè, *priusquam exploraueris*, an quæ de aliquo dictitantur, vera sint, necne, ne eum vituperio dignum esse credas. * Mendax plerumque est fama, quæ defectus profert alienos.] *Et cum interrogaueris*, seu exploraueris, compererisque verum esse quod circa illius mores dictitatur, *corripè iustè*, seu tunc poteris iustè, cum in corde damnare, & si lex charitatis obliget, eum corripere.

Mēdax plerumque fama circa defectus.

Vers.8. Priusquam audias, ne respondeas verbum. Nam qui interrogationem non percipit, non poterit aptum reddere responsum, postulanti falces reddet ligonem.] *Et in medio sermonum ne adiicias loqui*, loquentis sermonem interrumpendo.

Qui non attēdit interrogationē, non potest aptè respondere.

Vers.9.

Rei, quæ ad te non attinet, ne te ingeras.

Rarò fit, vt quis iudicet proximi actiones sine crimine.

4 *Verſ.9. De eare, quæ te non moleſtat, ne certeris*, ſeu ne certa: *& in iudicio peccantium ne conſiſtas*, eorum ſcilicet, qui aliena facta ad ipſos nihil pertinentia inquirunt curioſè, & temerè iudicant. * Preme illud, *In iudicio peccantium.* Qui de proximi actionibus iudicant, *peccantes* appoſitè vocantur. Cum enim ad rectum de actione aliqua iudicium tot circumſtantiæ confluere debeant, rarò iudicium ſine crimine profertur.]

Ne multis negotijs implicerus.

5 *Verſ.10. Fili, ne in multis ſint actus tui*, ne multis negotis impliceris. Nam intentus pluribus minor ad ſingula ſenſus aderit. *Et ſi diues fueris, non eris immunis à delicto*; facilè enim qui diuites ſunt, aut fieri volunt, incidunt in laqueum diaboli. 1.*Tim* 3.7 *Si enim ſecutus fueris.* Diuitiæ diuino potius munere, quàm noſtra parantur induſtria. Vnde etiamſi illas fueris ſequutus, tamen non aſſequeris, niſi tibi eas deſtinauerit. *Et non effugies, ſi præcurreris.* Nam tibi eas Deus etiam non quærenti: Et quodammodo fugienti ingeret. * Stulta igitur iuſti eſt nimia circa diuitias acquirendas ſolicitudo. Nam ſi conferent tibi ad ſalutem, à Deo accipies etiam inuitus: ſi officiant, eas tibi cupienti denegabit.

Iuſto opes aut dantur, aut denegantur à Deo, prout expedit ad ſalutem.

Verſ.11. Et homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tantò magis non abundabit. Anxius erit impius ad diuitias acquirendas dolens, quod diues non ſit: & eo ipſo plus longè erit ab earum acquiſitione.

Verſ.12.13. Eſt homo marcidus egens recuperatione, Græcè languidus, indigens reparatione, ſeu reſtaurationе familiæ, & annonæ: *plus deficiens virtute*, viribus ſcilicet, ac robore: *& tamen abundans paupertate*, ſe diuitem, & omnibus plenum eſſe exiſtimans, qui ſic Deo placitum. Quare in fidei præmium, *Et oculus Dei reſpexit illum in bono*, vt ſcilicet, ei benedicat, & benefaciat: *& erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput eius: & mirati ſunt in illo*, ſeu illum *multi: & honorauerunt Deum.* qui eſurientes implet bonis & diuites dimittit inanes.

Proſpera & aduerſa à Deo.

6 *Verſ.14.15. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Læta, ac triſtia, proſpera & aduerſa fortuna, à Deo profluit: & ideo ab illo petenda ſplendida quæque, & ille cui vult, tribuit. *Sapientia, diſciplina, & ſcientia legis apud Deum* ſunt, precibus quidem nobis communicanda. *Dilectio*, charitas, vel amor Sapientiæ, & diſciplinæ, *& via bonorum apud ipſum*, id eſt, fontes bonorum, quæ ad nos profluunt, ab ipſo immenſo bonorum pelago promanant.

Semper peccator degit in tenebris.

Plura alia diſcrimina profert.

7 *Verſ.16. Error, & tenebræ peccatoribus concreata ſunt*: peccatum enim ſequuntur. * Semper peccator degit in tenebris.] *Qui autem exultant in malis, creſcunt in malo.* Nam quo quis gaudet, illud abiicere non ſtudet.

Verſ.17. Datio Dei, ſeu donum *permanet in iuſtis*, ſeu piis, *religioſis*, vt eſt in Græco: *& profectus illius ſucceſſus habebit in æternum.* Beneplacitum Dei, aut fauor Dei, qui fit iuſtis, effectum habebit ſtabilem, & diuturnum. * Non tibi in mentem veniat, poſſe apud te perſiſtere diu dona quæ à mundo ſine Dei beneplacito accipis: ſolummodò enim ſtabilia ſunt, quæ Dei ex voluntate acquiris.]

Solùm ſtabile eſt bonum, aut donũ, quod ex Dei beneplacito acquiritur.

Verſ.18. Eſt, qui locupletatur parcè agendo: & hæc eſt pars mercedis illius, id eſt, *& hunc ſolùm conſequitur fructum* (cum Sigurina loquor) *pro præmio ſuo.* Profectò acquirere ſine labore ac anxietate diuitias pars præmij iuſtitiæ eſt. * Nam quæ magnis laboribus acquiruntur, non ita gratè adueniunt, de illis enim dici vulgariter poteſt, *Menos valen, de lo que cueſtan.*] Attamen Siracides non de iuſtis, ſed de mundialibus diuitibus loquitur. Vndè adiicit.

Acquirere ſine labore diuitias, pars præmij iuſtitiæ eſt.

Verſ.19.20. In eo, quod dicit diues ille: *Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus*, ſe gerit ſtultè. Quare? *Et neſcit, quod tempus præterit, &c.*

Verſ.21. Sta in teſtamento tuo, Græcè, *in pacto tuo*, id eſt, ſi quod pactum iniſti, aut obligationem ſuſcepiſti, in ea perſeuera, & conſtans eſto. *Et in illo colloquere*, Græcè *aſſiduus eſto*, agens quod agis. *Et in opere mandatorum tuorum veteraſce*, conſeneſce inſiſtens operibus, quæ tibi ſtatus vitæ tuæ, aut muneris ſuſcepti ratio præſcribit. * Stare promiſſis, viri conſtantis eſt.]

Viri conſtãtis eſt, ſtare promiſſis.

Verſ.22. Ne manſeris in operibus peccatorum, Græcè, *ne admiſeris. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo*, perge in vitæ tuæ inſtituto, ne commouearis, etiamſi videas impios proſperè agere, dum tu ærumnis pauper afficeris.

Verſ.23. Facilè eſt enim in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem. Annon facilè oculis proximum tendis in obiectum? Facilius adhuc Deus poterit inopem diuitiis opplere.

Verſ.24. Benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat, citò aſſolet opera iuſtitiæ & pietatis merita mercede compenſare. *Et in hora veloci*, ſeu velociter *proceſſus illius fructificat*, fructum & mercedem boni operis affert. Præmia geſtorum, quæ Principi mundiali litantur, nunquam obueniunt, aut lento admodum greſſu incedunt: opera autem Deo ſacrata mox præmio donantur.]

Præmium Regis terreni ſero, Regis cœleſtis citò aduenit.

Verſ.25.26. Ne dicas. Quid eſt mihi opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona? Græcè, quid eſt mei opus? Cur viuo? quæ ex hoc tempore, & deinceps bona mihi ſunt expectanda? *Ne dicas: ſufficiens mihi ſum, & quid ex hoc peſſimabor?* Nihil mihi deeſt ad conſummatam felicitatem. Prima vox eſt pauperis animum deſpondentis, ſecunda eſt ſuperbi diuitis: & vtraque vox inſuauiter inſonat.

Verſ.27.28. In die bonorum ne immemor ſis malorum, &c. Pauper animum non deſpondeat, diues non glorietur. * Sunt enim rerum frequentes viciſſitudines, & à paupertate ad diuitias, & ab his rurſum ad paupertatem facilis tranſitus.] *Quoniam facilè eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundùm vias.* Licet autem pauper in ærumna perſiſtat vſque ad mortem, tunc veris diuitiis ditabitur, recipiens à Deo bonorum operum (ad quæ non parum inopia contulit) gloriæ mercedem.

Facilis tranſitus à paupertate ad diuitias, à diuitiis ad paupertatem.

Verſ.29. Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ, Græcè, *delitiarum.* Breuis & horaria afflictio voluptatum quamtumuis magnarum & diuturnarum obliuionem inducit. * Quod ſemper eſt verum, in extrema autem vitæ hora veriſſimum. Tunc enim iuſtis diuturni temporis ærumnæ vnius horæ fuiſſe videntur. *Et in fine hominis denudatio operum illius.* Aliqui delicias

Iuſtis in die obitus diuturnæ ærumnæ vix eius horæ fuiſſe videntur.

cias sectantur, & in die bonorum parum memores malorum, paupertatem non timent: & quia lautè viuunt, diuites esse censentur. Tandem horum opera denudantur, cum illis vita functis, æri alieno dissoluendo, surgentibus creditoribus, filij, aut heredes pares non sunt.

Vers. 30. *Ante mortem ne laudes hominem*, Græcè ne fælicem prædices: *quoniam in filijs suis cognoscitur vir*, in filiis miseris, aut felicibus, diuitibus, vel pauperibus patet, qua fuerit pater prudentia præditus. * Vel virum non laudes, dum viuit, obitus enim illius manifestabit, an fuerit laude dignus, nempe si filios morigeratos reliquerit. Nam in filiis bonis, vel malis constat an parens bonus, vel malus fuerit.]

In filiis probis, vel prauis dignoscitur an parens probus, vel improbus extiterit.

8. *Vers.* 31. *Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi.* Vndè poteris sincerè aliquem admittere, cuius ingressus domui paret exitium.

Hortatur, vt à doloso caueas tibi.

Vers. 32. *Sicut enim eructant præcordia fœtentium, &c.* Quemadmodum ebrij fœtidos crapulæ exhalant anhelitus: ita corda superborum superba sunt, & iniusta. Et quemadmodum perdices, columbæ, & alia huiusmodi volatilia, quibus venatores vtuntur ad alias eiusdem generis aues capiendas, inducuntur in caueam, aut in retia: & videntur eo delatæ cum cæteris simpliciter, & sine dolo, ac proinde eiusdem infortunij participes: cum tamen secus sit, & quod casu factum videtur, artificium sit, & dolus; ita superbi impij, ac dolosi homines amicitiam simulant, & ex ærumnis tuis dolorem: interim tamen sicut *prospector*, seu speculator, vident, & rident tuam calamitatem. * Vnde strictum gerendum examen eorum, quos ad tuam recipis consuetudinem.]

Strictum gere examen eorum, quos ad tuam admittis consuetudinem.

Vers. 33. *Bona enim in mala conuertens, insidiatur, &c.* Abutens humanitate, & simplicitate tua, quæ facis, aut dicis in peiorem partem adducit: in laudabilibus eligibilibusque maculam adesse affirmabit. Ex Græco, *maculam asperget* iustas actiones obloquendo, & iniquas esse calumniando.

Vers. 34. *A scintilla vna augetur ignis: & ab vno doloso augetur sanguis*, seu sanguinis profusio procedit: *homo vero peccator sanguini*, seu alienæ vitæ *insidiatur.* * Aptè dolosus *Homo peccator appellatur.* Nam dolis agnatum ingenium in omnia crimina facile prolabitur.]

Dolosum ingenium omnium facilè fit reus.

Vers. 35. *Attende tibi à pestifero*, Græcè, *vafro*, malitioso, nocente: *fabricat enim mala, nè fortè inducat super te subsannationem*, vituperium, infamiam *in perpetuum*, seu qua infamia semper ab aliis irrideatis.

Vers. 36. *Admitte ad te alienigenam.* Ad tuum consortium admitte eum, qui à vera religione est alienus: *& subuertet te in turbine*, seu, instar turbinis, te conturbabit. Græcè, *in turbis te subuertet*, quas contra te concitabit: *& abalienabit te à tuis propriis*, te tuis possessionibus euertet. Sic Tigurina.



CAPVT XII.

Ostendit Sirach eleemosynam, & alia beneficia iustis potius, quàm impiis præstanda: cauendosque inimicos, qui etiam reconciliati, amicitiam simulant.

1. SI bene feceris scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis mul-
ta. 2. Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam: &
si non ab ipso, certè à Domino. 3. Non est enim ei benè qui
assiduus est in malis, & eleemosynas non danti: quoniam &
Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœni-
tentibus. 4. Da misericordi, & ne suscipias peccatorem:
& impiis & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos
in diem vindictæ. 5. Da bono, & non receperis peccatorem. 6. Benefac hu-
mili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit:
7. nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi: quo-
niam & Altissimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam. 8. Non
agnoscetur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus. 9. In bo-
nis viri inimici illius in tristitia: & in malitia illius, amicus agnitus est. 10. Non
credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum æruginat nequitia
illius: 11. & si humiliatus vadat curuus, adiice animum tuum, & custodi te ab
illo. 12. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne fortè
conuersus in locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in nouissimo agnos-
cas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris. 13. Quis miserebitur incanta-
tori à serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis? & sic qui comi-
tatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius. 14. Vna hora tecum
permanebit: si autem declinaueris, non supportabit. 15. In labiis suis indulcat

inimicus: & in corde suo insidiatur vt subuertat te in foueam. 16. In oculis suis lacrymatur inimicus: & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine: 17. & si incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem. 18. In oculis suis lacrymatur inimicus, & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas. 19. Caput suum mouebit, & plaudet manu, & multa susurrans commutabit vultum suum.

COMMENTARII.

1. *Beneficia potius iustis, quàm impijs præstanda.*

VERS. 1. 2. *Si benefeceris, scito, cui feceris, &c.* Vide, cui des, quantum indigeat, quæ personæ conditio, &c. vt liberalitas ratione tegatur, & vt liberalitati tuæ sit gratia, quod tunc accidit, cum res proot decet, fit, & iuxta rationis præscriptum. * Sæpè liberalitas ingrata, Deo prodigalitas est.] *Benefac iusto* In quo oulla debet esse cunctatio aut dubitatio: *& inuenies retributionem magnam; etsi non ab ipso,* certè à Domino, qui tua in paupere munera recipit.

Liberalitas sępè ingrata. Deo prodigalitas est.

Vers. 3. Non est enim bene ei, qui assiduus est in malis, &c. Benefac iusto, non autem peccatori, quia non bene, imò pessimè erit ei, qui assiduè peccat, delictum amat, & ideò negligit pœnitentiam, & eleemosynam, qua se ad pœnitentiam disponat, & peccata redimat. Cur tali homini benefacies, qui sibi, Deo, aliisque pessimè facit? Cur des eleemosynam ei, qui aliis illam abnegat, nec curat illam elargiendo iuxta suam exilitatem sua peccata expiare? * Non prohibet Sapiens misericordiam in malum, cum reuera indiget; sed docet non esse conferendum beneficium indebitum, & liberale in peccatorem.]

Beneficium indebitum, & liberale non conferendum peccatori.

Vers. 4. Da misericordi, & ne susciplas, imes, protegas peccatorem: & impijs & peccatoribus reddet vindictam. Particula *et* est hîc exegetica idem ac. *Quia.* Ac si diceret: Ne des impio, si notis abusurum, vel ingratum fore beneficio, vel in sua nequitia hac via fouendum. Quia huiusmodi impiis pro beneficio vindictam, & supplicium reddit, *custodiens eos in diem vindictæ,* seu eos tantisper viuere sinens, donec pœnæ statutum tempus aduenerit.

Vers. 5. Da bono, & ne receperis peccatorem. Idem, quod superiori *vers.* dixit, inculcat. Vndè operæ pretium erit, hanc doctrinam vberiùs exponere. Omnibus omninò egentibus etiam impiis succurrendum esse in necessitatibus, patet ex generali præcepto charitatis proximi, & ad *Gal.* 6. 10. Cæteris autem paribus præstat piis eleemosynam impendere ob duplex inde cósurgens meritum ex duplici titulo, seu motiuo propter quod illis datur. Primò, quia creaturæ Dei sunt, quæ egent ope tua: secundo quia serui, ac filij Dei sunt. Cum in impiis non nisi primus titulus reperiatur. * Certè impiis aliquando corporalem negare eleemosynam, est eleemosynam spiritualem præstare, cum ex abnegatione illa, si causam aduertat, motiuum accipit ad crimina dimittenda.]

Negare impio eleemosynam corporalem, aliquando spiritualis vtilior eleemosyna est.

Vers. 6. Benefac humili, & non dederis impio, &c Eleemosynam confer abiecto, afflicto, indigenti: non conferas impio superbo; ne auctus, aut ditatus beneficio tuo, illo contra te vtatur, teipso factus potentior. * Supponit Sapiens, eleemosynam in nimia, quantitate esse gerendam, siquidem ex eius subsidio impius potentior esset euasurus. Prob temporum malitia, aptiùs inopiam dixerim quando quis eleemosynarius dicitur, cum pauperi frustulum panis impendit.]

Eleemosyna deberet in notabili quátitate geri.

Vers. 7. Nam duplicia mala inuenies, &c. Duplicia seu multiplicia mala ex tua eleemosyna impiis collata obuenient. Perdes enim, quod das, ei, cui das, nocebis, & periculum creabis tibi, & in malo iuuabis, ac roborabis impium, quem Deus odio habet, & loco beneficij reddet supplicium.

Vers. 8. Non agnoscetur in bonis amicus, id est, in prosperis. Nam omnes promiscuè tunc tibi adulantur, & fingunt amicos, *Et non abscondetur in malis inimicus,* siue in aduersis, quis sit inimicus, non latebit; nam is te deseret. Soli amici persistent. * Verus amicus fuisse probatur, qui te in calamitate non deserit.]

Verus amic⁹ fuisse probatur, qui te in aduersis non deserit.

Vers. 9. In bonis, in prosperitate *viri, inimici eius in tristitia.* Nam cum res secundas inimicorum vident, inuidia tabescunt. *Et in malitia illius, amicus agnitus est.* In rebus aduersis vera ostenditur amicitia. Verus enim amicus amico in vtraque fortuna adhærescit.

2. *Eleganter falsi amici proprietates describit.*

Vers. 10. 11. Non credas inimico tuo in æternum, etiamsi reconciliatus tibi videatur, & amicitiam simulet. *Sicut enim æramentum æruginat malitia illius.* Æramenta sunt vasa ex ære, æruginant, cum rubiginem quandam contrahentes virescunt. Ità in amicitia simulata accidit: iterum offensiones & odia, sicut ærugo in æramento, pullulant, quamuis bene tersum, ac perpolitum esse videatur. * Si attendis ad vas simulatæ amicitiæ, citò videbis id ærugine plenum.] *Etsi humiliatus vadat curuus aduce animum tuum, & custodi te ab illo.* Et licet eum tibi submissum, & quasi supplicem aspexeris animo statue, illi non credere.

Simulata amicitia facilè dignoscitur.

Vers. 12. Non statuas illum penes te, &c. Ne illum penes te statuas, ne conuersus insurgat contra te, téque deiiciens, locum tuum occupet, in eoque consistat. Nec sedeat ad dexteram tuam, ne conuersus in te, è cathedra tua te conturbet, eamque solus occupet. * Monemur, ne inimicum etiamsi amicitiam simulet, honoris consortem faciamus: quia nobis è gradu exclusis, solus eum curabit obtinere.] *Et in nouissimo agnoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris.* Tandem comperias, me tibi salutare dedisse consilium, & crucieris, & doleas, quod monitis meis fidem non adhibueris.

Inimicum, etiãsi se amicum simulet, ad honoris consortium non admittas.

Vers. 13. Quis miserebitur in cantatori à serpente percusso, &c. Vt semper in cantatori nemo miseretur, si ab illis mordeatur, quia illos quærit, & voleos tractat: ità qui moniti, vt pericula caueant, misericordiam non merentur, si aliquod incommodum, quod cauere potuissent, incurrant. * Certè qui monitus se ingerit periculo, si excidat, misericordia dignus non erit.] *Et sic qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus*

Qui monitus se periculo ingerit, si excidat, misericordiam non meretur.

est

est in peccatis eius, seu peccatis illius commis-
Rarò accidet, vt cum impio societatem ineas, & eius criminum socius non sis. cetur. * Rarò accidet, vt societatem cum impio ineas, & eorum criminum non sis socius.]

Vers. 14. Vna hora tecum permanebit : si autem declinaueris, non supportabit. Si excideris à diuitiis, seu honoribus, non perseuerabit, (vt habetur in Græco.)

Vers. 15. In labiis suis indulcat inimicus, dulcia loquitur ad adulationem : *& corde suo insidiatur, vt subuertat te in foueam*, vt incidas in laqueum, quem parauit.

Vers. 16. 17. In oculis suis lacrymatur inimicus, quasi tuis condolens malis : *& si inuenit tempus*, si nactus fuerit opportunitatem, *non satiabitur sanguine*, hostiliter tecum aget, nec desistet, donec sanguinem tuum crudeliter effuderit. *Et si incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem*, vt tibi noceat, & malum, quod pateris, exasperet, & grauius efficiat.

Vers. 18. In oculis suis lacrymatur inimicus, & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas. Græcè, pro *suffodiet*, habet, *impediet*. Fictis lacrymis, se compassione ostentabit affectum, & simulans te adiuuare, vt fugias ærumnam, te retardabit, & impediet, ne solatij, aut remedij iter aripias.

Vers. 19. Caput suum mouebit, & plaudet manu, qui gestus sunt exultantis : *& multa susurrans, commutabit vultum suum*, garriens, & sibi gratulans, tristitiæ illius fictæ personam deponet.

CAPVT XIII.

Edocet Sapiens, familiaritatem cum potentioribus, & impiis cauendam : amicitiam inter moribus, & opibus pares instituendam esse.

1. QVi tetigerit picem, inquinabitur ab ea : & qui communicaue-
rit superbo, induet superbiam. 2. Pondus super se tollet, qui
honestiori se communicat. Et ditiori te non socius fueris.
3. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se
colliserint, confringetur. 4. Diues iniustè egit, & fremet: pau-
per autem læsus tacebit. 5. Si largitus fueris assumet te : & si
non habueris, derelinquet te. 6. Si habes, conuiuet te-
cum, & euacuabit te, & ipse non dolebit super te. 7. Si necessarius illi fueris, sup-
plantabit te, & subridens spem dabit, narrans tibi bona, & dicet : Quid opus
est tibi? 8. Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis, & ter : & in no-
uissimo deridebit te: & posteà videns derelinquet te, & caput suum mouebit ad te.
9. Humiliare Deo, & expecta manus eius. 10. Attende ne seductus in stultitiam
humilieris. 11. Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam se-
ducaris. 12. Aduocatus à potentiore discede : ex hoc enim magis te aduocabit.
13. Ne improbus sis, ne impingaris : & ne longè sis ab eo, ne eas in obliuionem.
14. Ne retineas ex æquo loqui cum illo: nec credas multis verbis illius. ex mul-
ta enim loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis. 15. Im-
mitis animus illius conseruabit verba tua : & non parcet de malitia, & de vin-
culis. 16. Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo : quoniam cum subuersione
tua ambulas. 17. Audiens verò illa quasi in somnis vide, & vigilabis. 18. Omni
vita tua dilige Deum, & inuoca illum in salute tua. 19. Omne animal diligit simi-
le sibi : sic & omnis homo proximum sibi. 20. Omnis caro ad similem sibi con-
iungetur, & omnis homo simili sui sociabitur. 21. Si communicabit lupus agno
aliquando, sic peccator iusto. 22. Quæ communicatio sancto homini ad ca-
nem? aut quæ pars diuiti ad pauperem? 23. Venatio leonis, onager in eremo : sic
& pascua diuitum sunt pauperes. 24. Et sicut abominatio est superbo humilitas: sic
& execratio diuitis pauper. 25. Diues commotus confirmatur ab amicis suis: humi-
lis autem cùm ceciderit, expelletur & à notis. 26. Diuiti decepto, multi recuperato-
res : locutus est superba, & iustificauerunt illum. 27. humilis deceptus est, insuper
& arguitur, locutus est sensatè, & non est datus ei locus. 28. Diues locutus est, &
omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. 29. Pauper locutus
est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subuertent illum. 30. Bona est substantia,
cui non est peccatum in conscientia: & nequissima paupertas in ore impij. 31. Cor
hominis immutat faciem illius, siue in bona, siue in mala. 32. Vestigium cordis boni,
& faciem bonam difficilè inuenies, & cum labore.

COMMENTARII.

1\. *Familiaritas cum potentioribus fugienda*

Fœda cum impio consuetudo.



ERS. 1. *Qui tetigeris picem, inquinabitur ab ea, &c.* Quemadmodum quis picis contactu inficitur: Sic qui superbi, aut impij consuetudine delectatur, illius mores referet.* Quàm fœda cum impio societas, quæ picis similitudine declaratur.]

Vers. 2. Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Qui ditiori, potentiori, nobiliori adhæret, vt cum eo ineat familiaritatem, molesta grauamina subit. *Et ditiori te ne socius fueris,* ob eandem rationem, de qua statim.

Vers. 3. Quid communicabit cacabus ad ollam? &c. Quemadmodum olla fictilis nimium æreo cacabu vicina facilè frangitur: sic diuiti ac potenti si nimiùm inops, vel tenuis hæreścat, haud incolumis diu permanebit. * Pares cum paribus pacificam, amicam ineunt societatem: pauper diuiti non vt amicus, sed vt famulus associatur.]

Pauper diuiti non vt amicus, sed vt famulus associatur.

Vers. 4. Diues iniustè egit, & fremit. Cum iniuriam diues aliis intulit, fremitum edit, quasi ipse fuerit affectus iniuria. *Pauper autem læsus* verè, *tacebit*, nec audebit de proprio dolore gemitum elicere.

Vers. 5. Si largitus fueris, assumet te. Si muneribus eum donaueris, ad suam amicitiam te alliciet. *Si non habueris*, quid ei donare possis, illicò te repellet.

Vers. 6. Si habes, conuiuet tecum, seu conuiuabitur, *& euacuabit te*, tuas paulatim opes absumet. *Et ipse non dolebit super te*, tibi compatiens, quod tua prodigas existimans, sibi eum honorem deberi, illasque delicias, quas ei apponis tuas opes exhauriens. * Profectò si vulgaris cum equite contrahat familiaritatem, quidquid ei impenderit, non accipiet vt donum, sed exiget vt tributum.]

Quidquid dat vulgaris homo equiti, ab eo non vt donum recipitur, sed quasi exigitur vt tributum.

Vers. 7. Si necessarius illi fueris, si tua opus habuerit opera, *supplantabit te*, seu verbis blandis, vultu hilari te decipiet. *Et subridens spem dabit, narrans tibi bona*, enumerans beneficia, quæ paratus est in te conferre. *Et dicet. Quid opus est tibi? Pete quod libuerit à parato donare.*

Vers. 8. Et confundet te in cibis suis. Adeò te oppiparè conuiuio aliquo excipiet, vt pudeat te tenuis apparatus tui, atque ideo illum te inuitans multò plura prodigas, quàm prodegerat *Donec te exinaniat bis, aut ter*, secundo vel tertio conuiuio à te illi apparato. *Et in nouissimo deridebit te, & postea videns derelinquet te, & caput suum mouebit ad te ac si diceret*: Et stultum hominem, qui mecum de lautitiis contendere voluit. Quidquid exiguum licet potentior infirmiori dat, census perpetui instar, perpetuam redditum solutionem firmat.]

Quidquid potentior infirmiori dat, censsus in morem, perpetuam connotat redditũ solutionem.

Vers. 9. Humiliare Deo, & expecta manus eius. Supplicem te Deo exhibe, & de illius potius manu bona expecta, quàm de manu diuitis. Ille egregius ad amicitiam Dominus, qui te quærit, non tua: etsi aliquando exiguum aliquid tuum ambit in paupere à te subleuando, ideo gerit, vt te spiritualibus, & temporariis, (si ad salutem conferant) diuitiis affluentem gratus efficiat.]

Deum amicum habe, qui tua non quærit, sed te ditare satagit.

Vers. 10. Attende, ne seductus, seu lactatus vana spe promissorum diuitis in huiusmodi *stultitiam, humilieris*, deiiciaris gradu tuo, tuis spolieris fortunis. Satius erit Deo opes in pauperibus impendere, quàm colendis diuitibus ingratis insumere.

Vers. 11. Noli esse humilis in Sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris. Noli esse abiecti vel pusilli animi, vt maculam Sapientiæ tuæ impingas, frequentando potentiorum consortia, & alia stulta gerendo, quæ nosti rectæ rationi repugnare.

Vers. 12. Aduocatus à potentiore, discede, refuge illo ire, & cum iueris, paucis te expedi. *Ex hoc enim magis te aduocabit*, maiorem in eo te aduocandi excitabis affectum.

Vers. 13. Ne improbus sis, seu importunus, *ne impingaris*, ne eiiciaris, ne extrudaris: *& ne longe sis ab eo*, non tamen ab eo nimium elongeris, *ne eas in obliuionem* Nam si infrequens nimium sis, tui obliuiscetur.

Vers. 14. Ne retineas ex æquo loqui cum illo, ne audeas, cum principe agere, & loqui tanquam æqualis; vel ne diu moreris illum retinens, & ab aliis impediens negotiis, alloquendo illum quasi æqualis, aut multum familiaris: *nec credas multis verbis illius*, blandis scilicet, humanisque sermonibus; *ex multa enim loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis*, vt secreta eliciat. * Ex nimia cum proceribus conuersatione nunquam non incommoda oriuntur.]

Ex nimiâ cum proceribus conuersatione semper incommoda nascuntur.

Vers. 15. Immitis animus illius conseruabit verba tua, illius animus immisericors verba tua perpendet, & ex illis suspiciones, quas de te habet, fouebit: *& non parcet de malitia, & de vinculis*, & non abstinebit tibi malè facere, & in carcerem etiam ac vincula detrudere.

Vers. 16. Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo, quid audias, quid scilicet princeps rogitet, & quonam fine. *Quoniam cum subuersione tua ambulas*, seu in euersionis periculo diuersaris. * Nunquam enim in nimiâ cum principibus consuetudine mille defuére euersionis pericula.]

In nimia cum principe consuetudine mille adsunt euersionis pericula.

Vers. 17. Audiens verò illa, quasi in somnis vide, & vigilabis. Græcè, *cum hæc audies, in somno tuo euigila.* Cum scilicet, hæc audis, cum interrogaris, tibi caue, illi esto similis, qui in somnis videt graue aliquod malum, aut periculum, ideoque somnum statim discutit. Liceat vulgariter exponere: *como quien tiene en su sueños pesadilla, y alterade despierta.*

Vers. 18. Omni vita tua dilige Deum, & inuoca eum in salute tua, vt ab eo salus tibi contingat, vtq; te ab huiusmodi periculis auertat. Operæ pretium est, eum, qui in aula diuersatur, frequenti orationi studium adhibere, vt ab agnatis aulæ periculis à Numine eripiatur.]

Qui versatur in aula, debet orationi studere, vt à periculis aulæ agnatis à Deo liberetur.

Vers. 19. Omne animal diligit simile sibi, leo cum leone, tygris cum tygride commoratur, oues cum ouibus pacificè degunt, & lupi consortium formidolosæ fugitant. *Sic & omnis homo proximum sibi*, vulgaris vulgari, eques equiti adhæret. Fuge igitur cum proceribus inire amicitiam, si ad vulgarem pertines ditionem. * Inter similes enim inita amicitia persistit.]

2\. *Inter pares moribus, & rebus amicitiam instituendam docet.*

Amicitia inter similes persistens est.

Vers. 20. Omnis caro, omne animal ad similem sibi coniungetur: & omnis homo simili sibi sociabitur,

bitur, seu potentiores declinans versabitur cum æqualibus. * Profectò si quodlibet animal suæmet speciei animanti hæreſcit: homo suæ speciei hominibus adhæreat. Annon princeps homo est eiusdem speciei, ac vulgaris? Certè principes quodammodò videntur à communi humana specie longè recedere, nouamque aoimantium speciem constituere.]

Principes quodammodò ab humana specie abstracti, nouã quasi speciẽ viuẽtium videntur constituere.

Vers.21. Si communicabit lupus agno aliquando: sic peccator iusto. Quemadmodum lupo & agno non est amicitia, aut societas: ita nec iostis, ac peccatoribus. Particula *Si* negationibus frequenter in Scriptura seruit.

Vers.22. Quæ communicatio sancto homini ad canem. Græcè, *Quæ communicatio hyænæ ad canem*, hoc sensu: Vt nequit esse communicatio hyænæ cum cane, cum sint non solùm diuersi generis animalia, sed inter se inimica: ità inter diuitem pauperi infestum & ipsum pauperem societas esse non potest. Noster autem Interpres non legit ὑαίνῃ sed ἁγίῳ, & sensus est: Non potest esse communicatio hominis sancti cum cane, id est, cum immundo, iniquo impio. * Vir iustus fugiat impij consortium, si à morsu ei agnato velit esse securus. Ferox est canis, procul dubio mordebit.] *Aut quæ pars diuiti ad pauperem*, quæ communitatio, quæ societas apta à paupere cum diuite instituetur, quæ pauperi non refluat in damnum?

Vir iustus fugiat impij consortium, qui, canis instar, cruentè mordebit.

Vers. 23. Venatio leonis, onager in eremo: &c. Sicut leones in desertis montibus asinos siluestres venantur, & illis pascuntur: sic diuites pauperes deuorant.

Vers.24. Et sicut abominatio est superbo humilitas, &c. Quemadmodum superbus humilitatem odit, sic diues paupertatem.

Vers.25. Diues commotus confirmatur ab amicis suis, &c. Fluctuans, aut nutans diues ab amicis suis consilio, & auxilio iuuatur, ne corruat. Pauper verò abiectus etiam post casum vel à notis, à vicinis, à propioquis expelletur, seu ampliùs conculcabitur, vt difficilior sit è casu surrectio. Vulgariter exponam: *Al pobre todos le dan del pie.*

Vers.26.27. Diuiti decepto multi recuperatores, &c. Diuite stultum aliquid locuto, vel in errorem aliquem lapso, non desunt recuperatores, qui scilicet illum tueantur, & verba ad bonum sensum trahant. *Humilis deceptus est, insuper & arguitur, &c.* Contrà verò accidit pauperi. Si deceptus in sermone aliquandò vel parùm aberrat, corripitur acriter: si Sapienter loquitur, senteotia illius à cunctis repellitur, & stulta reputatur.

Vers.28.29. Diues locutus est, & omnes tacuerunt, quasi ostentantes, se auidè illius verba audire integrè affectare. Et verbis illius vsque ad nubes perducent. Hispanè. *Que bien dicho*, licet ineptam protulerit sententiam. *Pauper locutus est, & dicunt. Quis est hic? Et si offenderit* verbo correptionem sapiente, aut minus comptè prolato, *Subuertent illum.*

Vers.30. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Quia multa dixerat Sapiens contra diuites, & pro pauperibus, ne quis existimaret, diuitias esse malas, aut solam paupertatem iustum facere: docet, bonas esse diuitias, si conscientiam peccati labe non maculant, & si bonis artibus sint acquisitæ. *Et nequissima paupertas in ore impij.* Paupertas autem in ore impij soluentis linguam in oblocutiones, detractiones, maledictiones &c. res neqnissima est, cum bona externa desint, & ioternus fructus paupertatis, quæ animum demissum facere debet. * Taxat agnatam mendicis obloquendi, murmorandi, maledicendi consuetudinem, dum eis à diuitibus negatur stipes.]

Subtrahantur mendici superbi, & murmuratores.

Vers.31. Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona, siuè in mala. In facie enim imminent signa lætitiæ, tristitiæ, verecuodiæ, & pro animi dispositione in facie apparent perturbationum notæ, siue ad hilaritatem, siue ad tristitiam, siue bonum, siue malum colorem inducendo. * Vnde facies cordis appositè imagioem dixeris.]

Facies est velut imago, ac index cordis.

Vers.32. Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficilè inuenies, & cum labore. Non facilè inuenitur cor bonum in Sapientia inuestiganda occupatum & in meditatione diuinarum rerum: & facies bona vegeta scilicet, & coloribus agnatis ornata. * Nam studium frequens, & meditatio assidua corporis est afflictio.]

Studium frequẽs, & meditatio assidua corpus affligit & macie induit.

CAPVT XIV.

Agit Siracides de linguæ lapsu, de vanitate, & malitia auaritiæ.

1. BEATVS vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, & non est sti-
mulatus in tristitia delicti. 2. Felix, qui non habuit animi sui
tristitiam, & non excidit à spe sua. 3. Viro cupido & tenaci sine
ratione est substantia, & homini liuido ad quid aurum:
4. Qui aceruat ex animo suo iniustè, aliis congregat. & in bo-
nis illius alius luxuriabitur. 5. Qui sibi nequam est, cui alij
bonus erit? & non iucundabitur in bonis suis. 6. Qui sibi
inuidet, nihil est illo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius: 7. & si benè fece-
rit, ignoranter, & non volens facit: & in nouissimo manifestat malitiam suam.
8. Nequam est oculus liuidi: & auertens faciem suam, & despiciens animam
suam. 9. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec
consumat arefaciens animam suam. 10. Oculus malus ad mala: & non satiabi-

tur pane, sed indigens & in tristitia erit super mensam suam. 11. Fili si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. 12. Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum quia demonstratum est tibi: testamentum enim huius mundi, morte morietur. 13. Ante mortem benefac amico tuo, & secundùm vires tuas exporrigens da pauperi. 14. Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. 15. Nónne aliis relinques dolores & labores tuos in diuisione sortis? 16. Da & accipe, & iustifica animam tuam. 17. Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos inuenire cibum. 18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi. 19. Alia generantur, & alia deiiciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur. 20. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo. 21. Et omne opus electum iustificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo. 22. Beatus vir, qui in Sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. 23. Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi inuestigator, & in viis illius consistens: 24. qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens: 25. qui requiescit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per æuum: 26. statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis eius morabitur. 27. protegetur sub tegmine illius à feruore, & in gloria eius requiescet.

COMMENTARII.

1\. *Agit de lapsu linguæ.*



ERS. 1. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo: & non est stimulatus in tristitia delicti*, seu non sentit conscientiæ remorsum ob delictum, quod hominem hilari animo esse non sinit. * Agnata enim semper est peccato tristitia emortuæ scilicet animæ luctus.] Græcè, & non est tristis *ob multitudinem peccatorum.* * Innumera namque peccata ex linguæ immoderatione procedunt.]

Agnata est peccato tristitia emortuæ animæ luctus.

Innumerabilia peccata ex linguæ immoderatione.

Vers. 2. *Felix, qui non habuit animi sui tristitiam* ob huiusmodi ob effrænem loquelam admissa peccata, vel ob huius vitæ aduersa. *Et non excedit à spe sua*, Græcè additur, *qua in Domino*, supple, fixa est, à quo expectat in futura vita bonorum operum, & laborum suorum mercedem.

2\. *Vers.* 3. *Viro cupido, & tenaci*, seu auaro *sine ratione est substantia*, seu diuitiæ. * Quia frustrà, & sine vllo vsu eas possidet.] *Et homini liuido ad quid aurum?* Auaro homini ad quid opes, si illis vsurus non est. * Porrò auarus aptè liuidus, siue inuidus vocitatur, quia inuidet tùm sibi, tùm aliis vsum pecuniæ. Vt præter liuorem nullum alium inde fructum capiat.]

Auaritia malitiam describit.

Auarus sine vsu opes possidet.

Omnis auarus est inuidus.

Vers. 4. *Qui aceruat ex animo suo iniustè*, seu defraudat, detrahit genio, & appetitui suo iniustè opes, *alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur delectabitur.* Solent enim hæredes quæ sine labore ab auaro acceperunt, prodigè insumere.] * Premè paticulam *Iniustè.* Auaritia enim plerumque cogit seu allicit auarum vt vel iniustè acquirat, vel iniustè retineat, quæ in pios vsus, & in pauperum leuamen sæpè insumere tenebatur.]

Auarus luxuriei aliorum diuitias congregat.

Auarus plerumquè acquirit iniustè, vel retinet.

Vers. 5. *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* Qui vt congreget opes, sibi abnegat necessaria ad victum, & decentiam, quomodo aliorum subueniet egestati? * Nulla auaro inest animo circa proximum indigentem miseratio.] *Et non iucundabitur in bonis suis*; semper enim timore afficitur, curis angitur circa opum acquisitionem, & augmentum.

Auaro nulla circa egéten miseratio.

Vers. 6. 7. *Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius: & hæc redditio est malitiæ illius.* Ipsemet malitiæ ac peccato suo congruam irrogat pœnam, seipsum velut sibi inuidens, macerans, & male tractans in victu, vestitu, & reliquis fame, siti, frigoreque conficiens se, sibi ipse tortor. * Carnifex est suiipsius auarus in præsentem auaritiæ pœnam.] *Etsi benè fecerit*, alicui casu, & *ignoranter*, non ex animi sententia, *& non volens*, seu inuitus *facit. Et in nouissimo*, siue in fine beneficij *manifestat malitiam suam*, imò plerumquè ante finem eam prodit, nec potest dissimulare, se malo animo fecisse, quod egit, potiùs vt obsit, quàm vt prosit. * Magna prorsùs malitia auari, qui nunquam alij benefecit ex animo!]

Auarus est suiipsius carnifex.

Nunquam auarus alij benefacit ex animo.

Vers. 8. *Nequam est oculus liuidi*, malignus est auari oculus: *& auertens faciem suam, & despiciens animam suam.* Auertit faciem ab inope, ne illius videat egestatem & dare cogatur: & despicit vitam suam, quam cibis fraudat, imò & medicamentis, si sumptuosi sint futuri. * Pondera illud: *Et auertens faciem suam*, ne scilicet videat egentem & succurrere ei cogatur. Supponit enim vel auarum admodùm crudelem si vidisset pauperis miseriam minimè potuisse manum contrahere.] * O tempora, quandò passim oculis fidelium pauperes miselli obiiciuntur, & vix adest qui ei vel miserationis eroget affectum.]

Tanta est vis miseriæ pauperis, vt vel auarus si illam videat, succurrere cogatur.

Hodiè eam vide, & vix compassionis impendis affectum.

Vers. 9. *Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis*, id est, nulla parte lucri iniquè corrasi quantumcumquè magna potest auarus animus expleri. Nec verò expleretur, etsi toto mundo potiri contingeret, potiùs infamis sitis magis accenderetur. *Non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam*, donec seipsum

anxiis

anxiis curis, & studiis prorsus exhauriat animum, totusque contabescat. * Græcè, *Auari oculus non impletur parte*, appetit totum diuitiarum. Ego existimo nec toto acquisito eius sitim explendam.]

Toto acquisito diuitiarũ auarus minimè satiaretur.

Vers. 10. *Oculus malus ad mala*, peruersa auari intentio ad praua studia perpetuò vergit, quibus de nouo opes valeat augere: *& non satiabitur pane, sed indigens, & in tristitia erit super mensam suam.* Semper egebit, nolens sibi ex congregatis opibus succurrere: & etiam in mensa ipsa se pane satiare non audebit, imò dolebit, quod vel exiguus cibus in mensa exhibeatur. * Crudele vitium, quod cogit suum asseclam in mediis diuitiis egere, in mensa à cibo apposito ieiunare.]

Auarus in medus diuitiis eget, in mensa ieiunat.

Vers. 11. *Fili, si habes, benefac tecum.* Si diuitias possides, illis ad tuum vtere commodum. *Et Deo dignas oblationes offer.* Non vt auatus Cain egit, qui deterrima obtulit. Deo offer in paupere, in Templo; In hunc enim vsum concessæ sunt tibi à Deo opes. * *Dignas*, ait, *Deo oblationes.* Nec enim digna est Deo oblatio diuitis qui pauperi dat teruntium, aut panis frustulum. Eleemosyna gerenda est iuxta dantis possibilitatem, & iuxta Dei dignitatem in paupere accipientis.]

Eleemosyna faciẽda Deo accipiente digna.

Vers. 12. *Memor esto, quoniam mors non tardat*, citò morieris. Vt quid ergo accumulas in immensum opes, & intactas asseruas, quasi semper, aut diuturnissimè esses victurus? *Et testamentum inferorum*, seu Dei dispositio, siue decretum de omnium morte, & ad inferos descensu, saltem ad limbum patrum. Intelligit de iis, qui vixerant ad illud tempus, & vsque ad Christum Victuri erant *quia monstratum est tibi*, id est, memento etiam quòd monstrata, seu manifestata est tibi hæc communis Dei dispositio tum ex Scripturis, tum ex experientia. *Testamentum enim huius mundi morte morietur.* Portò hoc decretum vniuersale est totius mũdi, commune omnibus hominibus, & *à sæculo* (vt Græcus addit) seu ab initio mundi hucusque inuiolabiliter obseruatum. Et verba testamenti, vel decreti sunt: *Morte morietur* omnis Adæ filius.

Vers. 13. *Ante mortem* igitur necessariam cunctis, *benefac amico tuo*, seu pauperi, qui amicus fidus ei succurrentis est: *& secundum vires tuas exporrigens* brachium, manum aperiens, da pauperi.

Vers. 14 *Non defrauderis à die bono*, seu ne defraudes te, seu prines læto ac iucundo die conuiuij, vel festi, vel amœno tempore vitæ tuæ: *& particula boni doni non te prætereat*, vt ere à Deo concessis. Græcè, *pars desiderij boni*, seu parte, seu portione tibi adeò desiderata, iam tandem accepta vtere & fruere.

Vers. 15. *Nonne aliis relinques dolores, & labores tuos in diuisione sortis?* Cur enim patieris relinqui opes tuas tanto labore partas hæredibus diuidendas, de quibus tibi non constat, an futuri ingrati, an illis benè sint vsuri. * Appositè diuitias vocitauit *dolores, & labores.* Quia cum dolore & labore acquiruntur, & cum dolore & labore conseruantur inutiles. Vndè auaro diuitiæ procul dubio diuitiæ non sunt, sed solummodò dolor, & labor.]

Diuitiæ auaro diuitiæ nõ sunt, sed solũmodò dolor, & labor.

Vers. 16. *Da* largè aliis, maximè pauperibus. *Et accipe*, nam si dederis, vicissim plura à Dei munificentissima manu accipies. *Luc. 6. Date, & dabitur vobis.* Idem profectò est, pauperi dare, & à Deo id quod das, cum fœnore accipere. Nam *qui miseretur pauperis, fœneratur Domino.* Luc. 6. 38. *Et iustifica animam tuam*, per eleemosynam compara, vel auge tibi iustitiæ meritum, te à peccatis, & pœnis debitis expurga.

Quod pauperi das, à Deo cũ fœnore recipis.

Vers. 17. *Ante obitum tuum operare iustitiam*, seu omne genus boni operis, eleemosynam scilicèt, quæ in Scriptura *Iustitia* appellatur *Psal.* 111. 9. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* * Quasi eleemosynæ virtus omnium virtutum contineat perfectionem. Vndè in die nouissima Dominus de sola eleemosyna geret examen, quasi omnibus aliis virtutibus abundantem se ostendat, qui eleemosynæ virtute nitet.] *Quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Quia si dum viuis, bonis non insistis operibus, post mortem non est ampliùs meritis augendi locus. Vt congruat hæc sententia cum Christi Domini monito *Ioa. 6. 27. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

Quasi omnibus virtutibus ornatur, qui eleemosynæ virtute nitet.

Vers. 18. 19. *Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi*, fœni in morem leui flatu vita humana marcescit, & sicut folium excidit. Fructificans dicitur folium, ipsa enim folia partus quidam sunt, & fructus arboris. *Alia generantur, & alia deiiciuntur, sic generatio carnis & sanguinis* hominum scilicet, *alia finitur, & alia nascitur.* * Sed fœni ac foliorum in morem nascimur, illicò morituri.] 3.

Agit de vitæ breuitate.

Fœni, ac foliorum instar nascimur citò morituri.

Vers. 20. *Omne opus corruptibile in fine deficiet, &c.* Omne opus putrescens, deficiens, & marcori obnoxium tandem perit, & soluitur: quemadmodum etiam operis illius artifex interit.

Vers. 21. *Et omne opus electum iustificabitur, &c.* Opera iusta & sancta iusta declarabuntur esse in hac vita, & in extremo iudicio, & auctor huiusmodi operum à Deo propter illa honorem ac præmium recipiet.

Vers. 22. 23. 24. 25. *Beatus vir, qui in Sapientia morabitur*, qui Sapiẽs erit ad hæc intelligenda: *& qui in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei*, seu mente assiduè voluet, Deum omnia circumspicere, ac contemplari. * Nam qui viuacem fidem Dei immensitatis fouet, difficilè à dæmone allicietur, vt in Dei conspectu delinquere audeat.] *Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens:* qui Dei perpendit mente iudicia, & occultissima illius arcana, *vadens post illam quasi inuestigator*, vestigia persequens, & Sapientiam, quam requirit, inueniens: *Qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens.* Cum scilicet ad Sapientiæ ædes peruenerit, & fores ac fenestras clausas inuenerit: per rimas fenestrarum, ac portarum introspiciet, & ad audiendum aures applicabit, præ desiderio perueniendi ad Sapientiam, quæ intus latet. *Qui requiescit iuxta Domum illius, & in parietibus illius figens palum*, vt de illo tabernaculum suspendat: *statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per æuum*, seu bona æternùm duratura. 4.

Ad Sapientiam acquirẽdam hortatur.


Qui Deum sibi præsentem considerat, non facilè ad crimẽ allicietur.

Vers. 26. 27. *statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis eius morabitur*, ab vmbraculis arborum metaphora desumpta. *Protegetur sub tegmine illius à feruore solis*, ab æstu. *Et in gloria eius requiescet.* Arbor enim hæc suis foliis floribus, ac fructibus ei decus, ac gloriam afferet.

CAPVT

CAPVT XV.

Timoris Dei, seu Sapientiæ cœlestis fructus Sapiens enunciat, quam in nostri liberi arbitrij inesse potestate demonstrat.

1. VI timet Deum, faciet bona: & qui continens est iustitiæ,
apprehendet illam. 2. & obuiabit illi quasi mater honorifi-
cata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum. 3. Cibabit
illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris po-
tabit illum:& firmabitur in illo,& non flectetur. 4. & conti-
nebit illum,& non confundetur:& exaltabit illum apud pro-
ximos suos: 5. & in medio Ecclesiæ aperiet os eius, & ad-
implebit illum spiritu Sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum.
6. Iucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æter-
no hereditabit illum. 7. Homines stulti non apprehendent illam, & homines
sensati obuiabunt illi, homines stulti non videbunt eam: longè enim abest à
superbia & dolo. 8. Viri mendaces non erunt illius memores: & viri veraces
inuenientur in illa, & successum habebunt vsque ad inspectionem Dei. 9. Non
est speciosa laus in ore peccatoris: 10. quoniam à Deo profecta est sapientia: sa-
pientiæ enim Dei astabit laus, & in ore fideli abundabit, & Dominator dabit eam
illi. 11. Non dixeris:Per Deum abest, quæ enim odit ne feceris. 12. Non dicas:
Ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij. 13. Omne execra-
mentum erroris odit Dominus,& non erit amabile timentibus eum. 14. Deus ab
initio constituit hominem,& reliquit illum in manu consilij sui. 15. Adiecit man-
data & præcepta sua: 16. si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in per-
petuum fidem placitam facere. 17. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod vo-
lueris, porrige manum tuam. 18. Ante hominem vita & mors, bonum & ma-
lum: quod placuerit ei,dabitur illi: 19. quoniam multa sapientia Dei, & fortis in
potentia,videns omnes sine intermissione.20. Oculi Domini ad timentes eum,& ipse
agnoscit omnem operam hominis. 21. Nemini mandauit impiè agere, & nemini
dedit spatium peccandi: 22. non enim concupiscit multitudinem filiorum infide-
lium,& inutilium.

COMMENTARII.

1. *Timoris Dei, seu Sapientiæ cœlestis fructus enunciat.*

ERS.1. *Qui timet Deum, faciet bona.* Nam Dei timor ad legis affert obseruationem. *Et qui continens est iustitia, apprehendet illam.* Græcè, *qui compos est iustitiæ*, siue qui iustus est, qui studiosè obseruat mandata, Sapientiam cœlestem consequetur.

Vers.2. Et obuiabit illi quasi mater honorificata, erit illi quasi sponsa præcipua, quæ est materfamilias: (olim enim plures vxores licebat habere,) *Et quasi mulier à virginitate suscipiet illum*, siue illi in coniugium quasi virgo ducta aptabitur.

Vers.3. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus. Ex Græco, cibos minutim concidendo more nutricis, & in os inserendo ministrabit ei cibum vitam, & Sapientiam afferentem. *Et aqua Sapientiæ salutaris potabit illum.* * Salutaris quidem, est enim Sapientia mundi, quæ saluti animi officit.] *Et firmabitur in illo, & non flectetur.* Cibo illo ac potu confirmatus ad malum, seu ad piacula non declinabit. * Timor enim Dei cœlestis Sapientia, panis instar, cor hominis confirmat vt persistat in iustitia.]

Sapientia mundi saluti animi officit.

Timor Dei panis est, qui cor hominis confirmat.

Vers.4. Et continebit illum, & non confundetur, fulciet illum, ne in aliquod malum ruat, quod illi dedecus afferat. * Omne enim crimen dedecore afficiet peccatorem.] *Et exaltabit illum apud proximos suos*, omnibus enim iustus placet, & virtus semper in honore habetur. Ex Græco, *Et exaltabit illum supra proximos suos.* * Eum namque, qui virtute eminet, omnes nobis admodùm superiorem reputamus, & non externam solùm, sed & internam reuerentiam exhibemus]

Omne peccatum dedecus affert peccatori.

Iustum omnes egregiũ velut superiorem sibi reuerentur.

Vers.5. Et in medio Ecclesiæ aperiet os eius, vt populum edoceat, & Ecclesiæ Doctor existat. * Iustus enim omnis Doctor est si non verbo, moribus quidem. Probi enim mores vocales sunt ad persuadendum.] *Et adimplebit illum spiritu Sapientiæ, & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum*, ingentem ei gloriam, & famæ celebritatem conciliando.

Probi mores vocales sunt ad persuadendum.

Vers.6. Iucunditatem, & exultationem thesaurizabit super illum, &c. Copiosum gaudium ad instar thesauri coaceruabit super illum, faciét-

que

que vt perennem famam nunquam internmorituram quasi hereditatem consequatur. * Timor Domini austerus non est, sed blandus, sed dulcis, siquidem timens Deum iucunditatis, & exultationis thesauro potitur.]

Timor Dei non est rigidus, siquidé effert animo exultationem.

Vers. 7. Homines stulti non apprehendent illam. Peccatores Sapientiam veram minimè possidebunt. *Et homines sensati obuiabunt illi*, obuiam illam habebunt qui sensu ad Deum timendum pollent. *Homines stulti non videbunt eam. Longè enim abest à superbia. & dolo.* * Aptè superbia tribuitur stulto; stultus enim valdè est, qui cinis cum sit, putet aliquid posse in fragilitatis humanæ cinere inesse, vndè vanitas excitetur. *Quid superbis terra, & cinis?*

Vers. 8. Viri mendaces non erunt illius memores, nec in memoriam Sapientiam afferent longissimè ab eis dissitam, & viri veraces inuenientur in illa, seu ab illa, quæ quidem corda apta quærit, vbi sedem statuat. *Et successum habebunt*, seu proficient, *vsque ad inspectionem Dei*, donec Deum facie ad faciem aspiciant.

Vers. 9. 10. Non est speciosa laus in ore peccatoris, &c. Nemo ritè potest, aut debet laudare, vel prædicare Sapientiam, nisi missus, doctus, & inspiratus à Deo. Deus autem ordinariè non mittit, nec docet peccatores. Ergo hi non debent eam prædicare, iuxta illud. *Prou. 26 7. Indecens est in ore stultorum parabola.* Ei, qui Sapiens à Deo est, competit officium laudandi: copiosè & eloquenter laudabit Sapientiam is, qui Sapiens est à Deo, quippè qui rem non ignotam celebrat; & à Deo accipiet Sapientiæ elogia, vt pro dignitate illam commendet. * Laus, quæ à Deo non accipitur, vt pro meritis euique reddatur, vera laus non est, sed adulatio.]

Laus, quæ à Deo non accipitur vt pro merito euiq. tribuatur nô laus, sed adulatio est.

Vers. 11. Non dixeris: Per Deum abest. Per Deum stat, quominùs probus sim & Sapiens. *Quæ enim odit, ne feceris.* Deus odit insipientiam, & peccatum: si autem peccatum amas, quod Deus odit, Sapientiam à Deo non assequeris. Vndè excusatio tua non erit idonea.

Vers. 12. Non dicas: Ille me implanauit, decepit, &c. Liptote, vel Miosis est. Ac si diceret, adeo Deo necessarij non sunt, aut optabiles impij, vt etiam illos oderit, & admodum aduersetur.

Vers. 13. Omne execramentum erroris odit Dominus, &c. Peccatum Dei cultoribus non probabitur, sed odio habebitur. Debet enim iustus capitali odio insectari crimen, quod Deus execratur. Amicus enim Dei veluti Deus alter.]

Dei amicus debet odio habere peccatum, quod Deo est inuisum.

Vers. 14. Deus ab initio constituit hominem, seu creauit: *& reliquit illum in manu consilij sui*, illi liberum sui arbitrium dedit.

Vers. 15. 16. Adiecit mandata, & præcepta sua, fatus, *Ex ligno scientiæ boni & mali ne comedas*. Gen. 3. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te*, si volueris perpetuò seruare fidem Deo placitam, eius præscripta custodiens: hæc tua fidelitas vicissim perpetuò te seruabit. Hæ duæ actiones se mutuò respondent: serua, & seruaberis. Serua mandata, & ab ipsa mandatorum obseruatione seruaberis ab omni securus incommodo. Quia nulla tibi nocebit aduersitas, si nulla tibi dominetur iniquitas.]

2. A nostro libero arbitrio pendet cælestis Sapientia potiri.

Hæ sibi mutuò respondent serue mandata, & seruaberis incolumis.

Vers. 17. Apposuit tibi aquam, & ignem, &c. Bonum, & malum; vitam & mortem tibi obiecit, vt eligeres: ad te spectat decernere, quid sit eligendum, an satiùs sit, te in hoc felici statu conseruare innocentiæ, nec te solum, sed etiam posteros tuos: an te, ac posteros tuos in duplicem interitum animi & corporis deturbare? En aquam & ignem, vitam & mortem.

Vers. 18. 19. Ante hominem ergò vita & mors. Non potuit certius ac clarius aduersus Hæreticos liberum arbitrium hominis depingi. *Quoniam multa Sapientia Dei, &c.* Vt mirabilis Sapientia Dei elucet in homine creando cum liberi arbitrij compotem: ita eius potentia in iis, qui à rectâ iustitiæ via aberrant, puniendis fulgurat. Nemo ergò existimet posse se euadere potentissimi manus, nec illius oculos eludere. Deus enim perpetuò omnes videt, & quonammodò se exerant, contemplatur.

Vers. 20. Oculi Domini ad timentes eum, vt illis faueat: *& ipse agnoscit omnem operam hominis*, an sit in eis rectitudo? an iniquitas adsit?

Vers. 21. 22. Nemini Deus mandauit impiè agere, &c. * Et tamen est tanta hominum malitia, vt peccatis patrandis incumbant, & spatium vitæ voluptatibus dedant, quasi præcepta peccandi accepissent, & spatium vitæ ad captandas voluptates eis datum fuisset.] *Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.* imò intestino odio prosequitur peccatores. Quos aptè *Inutiles* appellauit. Peccator enim ad nullum Dei ministerium est aptus. Imò nullum hominum munus perfectè gerit. Vndè, instar ligni viris solùm eum ad ignem aptum reperies.]

Homines impij sic assè dant peccatis operã, ac si peccandi habeasent præceptum.

Peccator ad nullum aptus ministerium.

CAPVT XVI.

Ostendit Sapiens, in filiis impiis non esse lætandum: iustam Dei vindictam in impios describit: eximiam Dei sapientiam in vniuersi dispositione laudibus effert.



Ne iucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. 2. Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum. 3. Melior est enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij. 4. Et vtile est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios. 5. Ab vno sensato inhabitabitur patria, Tribus impiorum deseretur. 6. Multa talia vidit oculus meus, & fortiora ho-

rum audiuit auris mea. 7. In Synagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardescet ira. 8. Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti: 9. & non pepercit peregrinationi Lot, & exectatus est eos præ superbia verbi illorum. 10. Non misertus est illis, gentem totam perdens, & extollentem se in peccatis suis. 11. Et sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt in duritia cordis sui: & si vnus fuisset ceruicatus, mirum, si fuisset immunis. 12. Misericordia enim & ira est cum illo. Potens exoratio, & effundens iram: 13. secundùm misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundùm opera sua iudicat. 14. Non effugiet in rapina peccator, & non retardabit sufferentia misericordiam facientis. 15. Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundùm meritum operum suorum, & secundùm intellectum peregrinationis ipsius. 16. Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? 17. In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? 18. Ecce cœlum, & cœli cœlorum, abyssus, & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, 19. montes simul, & colles, & fundamenta terræ: cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur. 20. Et in omnibus his insensatum est cor: & omne cor intelligitur ab illo: 21. & vias illius quis intelligit, & procellam, quam nec oculus videbit hominis? 22. Nam plurima illius opera sunt in absconsis: sed opera iustitiæ eius quis enuntiabit? aut quis sustinebit? Longè enim est testamentum à quibusdam, & interrogatio omnium in consummatione est. 23. Qui minoratur corde, cogitat inania: & vir imprudens & errans, cogitat stulta. 24. Audi me fili, & disce disciplinam sensus, & in verbis meis attende in corde tuo, 25. & dicam in æquitate disciplinam, & scrutabor enarrare sapientiam: & in verbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio, & in veritate enuntio scientiam eius. 26. In iudicio Dei opera eius ab initio, & ab institutione ipsorum distinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus suis. 27. Ornauit in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laborauerunt, & non destiterunt ab operibus suis. 28. Vnusquisque proximum sibi non angustiabit vsque in æternum. 29. Non sis incredibilis verbo illius. 30. Post hæc Deus in terram respexit, & impleuit illam bonis suis. 31. Anima omnis vitalis denuntiauit ante faciem ipsius, & in ipsam iterùm reuersio illorum.

COMMENTARII.

1.

Ostendit, in filijs impijs nõ esse lætandum.

Ex filiis impiis Dei inimicis quodnam potest domui commodum obuenire.

Filij imprudentia parẽtum senectæ tristia prænunciat.



ERS. 1. *Ne iucunderis in filiis impiis, si multiplicentur.* Ne gaudeas cum plures enumeras filios, si eos videris affici impietate. * Quodnam enim domui tuæ commodum, aut decus accrescet, si tot Dei inimicos foues, quot filios enutris?] *Nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis.* Ex impietate enim eorum haud difficilè coniicere potes luctui tibi esse futuros.* Filiorum enim imprudentia paternæ senectæ tristia prænunciat.]

Vers. 2. *Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum.* Etiamsi industrij sint, & laboriosi, & ad cuncta ministeria apti videantur, non tibi in illis placeas.

2.

Dei vindictam in impios describit.

Vers. 3. 4. *Melior est enim vnus filius timens Deum, quàm mille filij impij.* Vnus filius pietate nitens filiorum turbam longo interuallo superat. Imò fælicior est, qui nullum suscepit filium, quàm qui multos pessimè habet morigeratos. *Et vtile est* magis, *mori sine filiis, quàm relinquere filios impios,* maius dedecus inferentes in patrem ex fœcunditate, quàm sterilitas ei posset afferre. * Notam olim sterilitas inurebat coniugibus: nunc maiorem notam inurit fœcunditas, si filij vitiis implicentur.]

Parenti filij impij maiorem notam fœcunditas inurit, quàm olim sterilitas inurebat.

Vers. 5. *Ab vno sensato inhabitatur patria:* Vnus filius Sapiens ac timens Deum, Deo benedicente tam multos, tam fœcundos filios ac posteros procreabit, vt integrum iis Regnum compleat: Vt videre fuit in Noë Abrahamo, Isaaco, & Iacobo. *Tribus* familia, vel natio *impiorum* natorum *deseretur*, extinguetur, desolabitur. Patuit in Amalecitis, Chananæis, & tot populis à Saule, Iosue, ac Dauide excisis.

Vers. 6. *Multa talia vidit oculus meus, &c.* Multa circa hoc argumentum exempla vidi, plura autem maiora, & grauiora audiui ex parentum traditione.

3.

Iustam Dei vindictam in impios describit.

Vers. 7. *In Synagoga peccantium ardebit ignis,* In cœtu, congregatione impiorum diuinæ vltionis ignis exardescet: *Et in gente incredibili,* incredula, inobedienti, rebelli exardescet ira Dei, scelera vindicantis.

Vers. 8. 9. *Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui Gigantes.* Non placauerunt Deum potentia sua prisci Gigantes. Fortasse illi Deum orauerunt, cum iam se diluuio obrui viderent, sed non exorauerunt, non placarunt, quia preces illæ non ex pœnitenti cordis affectu, sed ex mortis timore profluxerunt. * Non omnis exorat oratio, sed quæ ex corde pœnitudine affecto procedit. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Psal. 50.] Id accidit Gigantibus, *qui destructi sunt confidentes sua virtuti. Et non pepercit peregrinationi Loth*, id est, Sodomæ, ac

Non omnis oratio placat Deum, sed quæ ex corde contrito procedit.

reliquis

reliquis Ciuitatibus, in quibus peregrinatus Loth fuit, seu in quibus peregrinus inhabitauit. * Iustus enim inter impios obtinens domicilium, quasi peregrinus, & alienigena commoratur, ab eorum consuetudine prorsus alienus.] *Et execratus est eos præ superbia verbi illorum.* Quia scilicet superbè loquuti sunt contra Deum, & Loth. Nam etiam superbiam fuisse ex parte causam excidij Sodomæ, Ezechiel *cap. 16.49. docet.*

Iustus inter impios habitãs, velut peregrinus est, ab illis omninò abstractus.

Vers. 10. *Non misertus est illis, &c.* Gloriabantur, se peccatores esse, quod prouocauit Dominum profantem, *Clamor Sodomorum venit ad me: etenim illi peccatum suum prædicauerunt.* * Præpropera vindicta furit in peccatores qui non verentur, publicè de delictis gloriari.]

Festinat supplicium peccatori publicè de peccato glorianti.

Vers. 11. 12. 13. *Et sicut sexcenta millia peditum,* Hebræorum in deserto, *qui congregati sunt,* seu conspirarunt, *in duritia cordis sui,* seu duro, & obstinato animo nolentes terram Chanaan inuadere, vti Deus imperabat, præter duos Iosuë, & Caleb, omnes à Deo excisi sunt. *Num.* 14. & 26. *etsi vnus fuisset ceruicatus, mirum, mirum si fuisset immunis.* Mirum si vnus aliquis duræ ceruicis, & rebellis Deo audeat sibi spondere, quod immunis euadet. Nam qui tanto populo non pepercit, quomodo parcet vni capiti? * Hinc edisce, in plaga communi pestis v. gr. belli, febris malignæ, &c. te pœnitudine ad obitum præparare. Nam qui tot Ciues exitialiter propter peccata plerumquè vulnerat, difficilè te immunem asseruabit.] *Misericordia enim & ira est cum illo,* vt est summè misericors, ita etiam summè iustus scelerum vindex. * Ne de infinita Dei misericordia impius præsumat, sciens se de infinita eius iustitia posse formidinem capere.] *Potens exoratio, & effundens iram.* Vt misericors est, & exorabilis, ita iustos, & in peccatores iram effundens. *Secundùm misericordiam suam sic correptio illius hominem secundùm opera sua iudicat.* Eadem aliis verbis sententia inculcatur.

In plaga cõmuni pestis, &c. te ad mortem præpara, nec enim debes præsumere te solùm euasurum incolumem.

Ne de infinita Dei misericordia præsumas, est enim etiã infinitè iustus.

Vers. 14. 15. *Non effugiet in rapina peccator, &c.* Quemadmodùm raptores, reliquique peccatores non manum Dei vindicem; ita sufferentia, seu patientia, & expectatio misericordis, & iusti non retardabit, seu diu exspectabit benefactorum suorum mercedem. Iustus enim infligit supplicia, misericos præmia largitur. *Omnis* enim *misericordia faciet locum,* siue sedem siue inferiorem, siue superiorem, *vnicuique secundum meritum operum suorum, & secundùm intellectum peregrinationis ipsius,* iuxta Sapientiam, pietatem, religionem, cæterásque virtutes, quarum actus, dum in hac vita peregrinaretur, exercuit.

Vers. 16. *Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur?* De cœlo vbi Deus habitat, quonammodò poterit obscuros recessus, vbi abscondar, vestigare, méque absconditum inuenire? Quasi Deus singulorum hominum peccata non curet. * O stultè audi Dauidem peccatoris personam agentem. *Quò ibo a spiritu tuo, &c. Psal.* 138. Nequit peccator se à Dei conspectu abscondere.]

Nequit peccator se à Dei conspectu abscondere.

Vers. 17. *In populo magno non agnoscar, &c.* In tanta hominum multitudine abscondi potero; quota enim hominum pars ego sum, si cum omnibus gentibus conferar?

Vers. 18. 19. *Ecce cœlum, & cœli cœlorum, &c.* Omnia Deus aspicit, & cunctis præsens adest; ideoque omnes illius reuerentia, ac metu commoueri, & concuti debent. *Montes simul, & colles & fundamenta terræ, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur,* sic de suo *Ioue* cecinit ille.

Nutu treme fecit olimpum.

Vers. 20. 21. *Et in omnibus his insensatum est cor* hominum, pro dignitate non æstimantium, quæ præmisi. *Et omne cor intelligitur ab illo,* & cor præfata negligit, Deo est manifestum. *Et vias illius quis intelligit,* rationes, modos, quos Deus in operando sequitur, quis poterit penetrare? *Et procellam, quam nec oculus vidit hominis?* Procella est ventus cum impetu irruens, qui aliquando repentè ad est improuisus, & cuius causam dignoscere non possumus. Sic viæ Domini ignotæ nobis sunt, & quasi ingruens procella iussu Dei, vindicta in peccatores fertur. * Eum peccator timeat, cum delinquit, qui procellæ in morem, repentè potest vindicator irruere.]

Deum peccator timeat, qui repentè in morẽ procellę solet ad vindictam irruere.

Vers. 22. *Nam plura eius opera sunt in absconsis: sed opera iustitiæ eius quis enunciabit?* Cùm multa Dei opera repentè proferantur, & sine consiliario præparentur, à quonam poterit peccator moneri opus iustitiæ, seu supplicium tali, vel tali tempore exerendum, vt sibi caueat, obiecta pœnitudine? * Si peccaueris ergo, illicò ad pœnitentiæ remedium accurre: crimini enim subitanea pœna est agnata.] *Aut quis, si irrupetit, sustinebit,* aut tolerare poterit? *Longè enim est testamentum à quibusdam,* seu diuina lex, eiusque obseruatio. *Psal.* 77. *Non custodierunt testamentum Dei,* seu legem violarunt. *Et interrogatio omnium in consummatione est,* examen, inquisitio in morte, & in extremo iudicio omnium cogitationum & operum districtè admodùm fiet.

Peccasti? illicò pœnitẽtiam age, ne repẽtè agnatum supplicium irrumpat.

Vers. 23. *Qui minoratur corde,* seu stultus & vecors, *cogitat inania nugas,* & vanitates sæculi. *Et vir imprudens, & errans, cogitat stulta,* omnis suarum cogitationum materia est peccati stultitia. * Porrò *stultitia* agnatum est peccati nomen.]

Agnatum est peccati nomen stultitia.

Vers. 24. 25. *Audi me fili, & disce disciplinam sensus,* seu doctrinam, quæ te sensatum, ac Sapientem efficiat. *Et in verbis meis attende in corde tuo,* dogmata mea aure cordis ausculta. *Et dicam in æquitate,* (Græcè, *in pondere*) *disciplinam,* siue ad æquum rationis pondus appensam, & matura consideratione libratam. *Et seruabor enarrare Sapientiam, & in verbis meis,* seu ad verba mea *attende in corde tuo: & dico iam in æquitate spiritus,* cum æquo ac iusto mentis examine, *virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio.* Enarro eximias Dei virtutes, Dotes, & attributa, quæ in eius operibus ab ipso rerum exordio emicant. *Et in veritate enuncio scientiam eius.* Græcè, *cum exacta diligentia.* * Appositè cum *veritate* idem est ac cum *exacta diligentia.* Vt enim veritas nec lædatur in minimo, exacta opus est diligentia.]

3.

Miram Dei Sapientiam in mundi conditione laudat.

Vt veritas vel in minimo non lædatur, exactã diligentiã opus est.

Vers. 26. *In iudicio Dei opera eius ab initio.* Cuncta Dei opera eius immensam Sapientiam enunciant. *Et ab institutione,* seu Initio *ipsorum, distinxit partes illorum* Græcè, *distinxit principatus,* hoc est, principes & præcipuas mundi partes cœlos, astra, &c. *Et initia eorum in gentibus suis,* seu generibus,

fecit enim, vt quodlibet astrum, & cœlum, suum haberet genus, naturam, motum, proprietatem, officium. Vel, si manis, *in gentibus*, siue Angelis, qui cœlestes orbes & astra regant, & moueant. * Aptè Angelis humanæ naturæ, ob Christum Dominum, amatoribus egregiis data est super astra potestas, vt exigentiæ nostræ salutares expendant astrorum influxus.]

Angeli mouent astra & cœlos in magnú hominú beneficium.

Vers. 27. *Ornauit in æternum opera illorum,* (Græcè, *ordinauit*) *nec esurierunt, nec laborauerunt, & non destiterunt ab operibus suis.* Nec cœlestes orbes, nec astra, nec Angeli eorum Rectores egent cibis, nec continuis actionibus defatigantur: vnde à continuis sibi iniunctis operibus aut esurientes, aut fessi nunquam desistunt.

Vers. 28. *Vnusquisque proximum sibi non angustiabit vsque in æternum.* Militis cœli ordine procedit, nec se cœlestes illi milites vicinitate premunt, aut inuicem vnquam angustias faciunt.

Vers. 29. *Non sis incredibilis verbo illius.* His, quæ tibi annuncio, fidem adhibe. Quia si cœli, si astra seruant ordines suos, & Dei verbis obsequuntur inanimata quidem: tibi animo rationali ornato strictior eminet obligatio audiendi, & exequendi.

Vers. 30. *Post hæc Deus in terram respexit, & impleuit illam bonis suis.* Duobus enim primis mundi diebus cœlos instituit, ordinauit, astris exornauit: die tertio ad terræ ornatum suam curam conuertit, eámque herbis, plantis, animalibúsque impleuit.

Vers. 31. *Anima omnis vitalis denunciauit ante faciem ipsius.* Omnis viuens apertè indicauit, & iugiter indicat quod præmisi, scilicet, Deum bonis suis terram impleuisse. * Speciali quidem studio, quia futura erat Christi Domini patris, Deiparæ, & omnium prædestinatorum habitatio. Vnde non dicit Siracides cœlos suis bonis impleuisse, sicut dixit de terra, *& impleuit eam bonis suis.*] *Et in ipsam iterum reuersio illorum.* Ex Græco, Animantia omnis generis superficiem terræ operuerunt, & in eandem vnumquodque reuertitur. Omnes namque viuentes terreni rursus in terram, tanquam in sinum magnæ matris mortui reuertuntur.

Speciali studio Deus suis bonis impleuit terrá, quia futura erat Christi, Deiparæ, & prædestinatorú habitatio.



CAPVT XVII.

Hominis creationem, eiusdémque perfectionem Sapiens describit. Ad pœnitentiam peccatores hortatur.

1. DEvs creauit de terra hominem, & secundùm imaginem suam
fecit illum. 2. Et iterum conuertit illum in ipsam, & secun-
dùm se vestiuit illum virtute. 3. Numerum dierum & tem-
pus dedit illi, & dedit illi potestatem eorum quæ sunt super
terram. 4. Posuit timorem illius super omnem carnem, &
dominatus est bestiarum & volatilium. 5. Creauit ex ipso
adiutorium simile sibi: consilium, & linguam, & oculos,
& aures, & cor dedit illis excogitandi: & disciplina intellectus repleuit illos.
6. Creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum: & mala & bona
ostendit illis. 7. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis
magnalia operum suorum. 8. Vt nomen sanctificationis collaudent: & gloriari
in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius. 9. Addidit illis disci-
plinam, & legem vitæ hereditauit illos. 10. Testamentum æternum consti-
tuit cum illis, & iustitiam & iudicia sua ostendit illis. 11. Et magnalia hono-
ris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, &
dixit illis: Attendite ab omni iniquo. 12. Et mandauit illis vnicuique de pro-
ximo suo. 13. Viæ illorum coram ipso sunt semper, non sunt absconsæ ab
oculis ipsius. 14. In vnamquamque gentem proposuit rectorem. 15. & pars
Dei, Israël facta est manifesta. 16. Et omnia opera illorum velut Sol in conspe-
ctu Dei: & oculi eius sine intermissione inspicientes in viis eorum. 17. Non
sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in
conspectu Dei. 18. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam ho-
minis quasi pupillam conseruabit: 19. & postea resurget, & retribuet illis retribu-
tionem, vnicuique in caput ipsorum, & conuertet in interiores partes terræ. 20. Pœ-
nitentibus autem dedit viam iustitiæ, & confirmauit deficientes sustinere, & desti-
nauit illis sortem veritatis. 21. Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua.
22. Precare ante faciem Domini, & minue offendicula. 23. Reuertere ad Domi-
num, & auertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem: 24. & cognosce
iustitias & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi Dei. 25. In

partes

partes vade sæculi sancti, cum viuis, & dantibus confessionem Deo. 26. Non de-
moreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit
confessio. 28. Confiteberis viuens, & viuus & sanus confiteberis, & laudabis
Deum, & gloriaberis in miserationibus illius. 27. Quàm magna misericordia Do-
mini, & propitiatio illius, conuertentibus ad se! Nec enim omnia possunt esse in
hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ pla-
cuerunt. 29. Quid lucidius Sole? & hic deficiet. Aut quid nequius quàm quod
excogitauit caro & sanguis? & hoc arguetur. 30. Virtutem altitudinis cæli ipse
conspicit: & omnes homines terra & cinis.

COMMENTARII.

1. *Hominis creatio, ac perfectio describitur.*



ERS. 1. 2. *Deus creauit de terra hominem, & secundùm imaginem suam*, quoad animum spiritualem, *fecit illum. Et iterum conuertit illum in ipsam terram*, resoluto per mortem aliquando corpore in puluerem. *Et secundum se vestiuit illum virtute*, fortitudine scilicet, ac robore tum corporis, tum animi. Familiaris est Scripturæ metaphora vestiri virtute. Psal. 92. 1. *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem.*

Vers. 3. 4. *Numerum dierum, & tempus dedit illi*, quoddam definitum vitæ spatium, quo post præuaricationem causam mortis, esset superstes. *Et dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram.* Regem creaturarum eum constituit. *Posuit* enim *timorem illius super omnem carnem*, vt tanquam Dominum animantia omnia eum reuererentur, timorem illius eis Deus infudit.

Multi subditi Præsulē nō reuerētur nisi eum timeāt.

* Educens plerumquè subditorum reuerentiā ex timore profluere: multi enim quem non timent, non reuerentur. Nonnulli ex amore, Præsuli obediunt, ingenui quidem. Sunt autem, qui ad obediendum ex supplicij timore adducuntur.] *Et dominatus est bestiarum, & volatilium.*

Vers. 5. *Creauit ex ipso adiutorium simile sibi*, in mulierem coalescente Adami costa. Eua videlicet. *Consilium, & linguam & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi: & disciplina intellectus repleuit illos*, seu eos Sapientiæ ornauit præstantia, vt Sapiens Adamus subditis appositè creaturis imperaret.

Ineptus ad Regnum qui Sapiens non est.

* Ineptè enim Regium munus exercet qui vacuus Sapientiā seu intelligentiā reperitur.]

Vers. 6. *Creauit illis scientiam spiritus*, seu rerum spiritualium cognitionem illis infudit, nempè agnitionem Dei, Angelorum, virtutum, gratiæ, gloriæ. Talis scientia est fides, Theologia, & intelligentia, mores ad legis Dei præscriptum conformandi, *sensu impleuit*, siue Sapientia *cor illorum: & mala, & bona ostendit illis*, mala scilicet culpæ & pœnæ: bona virtutis & gloriæ.

Vers. 7. 8. *Posuit oculum suum*, fauorem, illustrationem, prouidentiam *super corda illorum: ostendere illis magnalia operum suorum*, Alij, *Aperuit oculos eorum*, vt scilicet cognoscerent diuinorum operum magnalia: & *vt nomen sanctificationis collaudent*, seu nomen Dei sanctum sanctificatione & laude dignum efferant: *& gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius.* Possunt enim homines & apud fideles, & apud infideles gloriari ob beneficia diuinitùs accepta.

Vers. 9. *Addidit illis disciplinam*, seu vitæ probè transigendæ institutionem: *& legem vitæ hæreditauit illos*, legem datam per Moysem illis præscripsit quasi opulentam hæreditatem.

Obseruatio legis homini confert spiritualem, ac temporalem hæreditatem.

* Nam qui legem Dei seruat, spiritualibus bonis abundat, & temporalia, si ad salutem animi conferant, affatim accipit.]

Vers. 10. *Testamentum æternum constituit cum illis*, seu perpetuum pactum, quo promisit, se daturum eis terram fluentem lacte, & melle, si eum colerent, & legem eius custodirent. *Et iustitiam, & iudicia sua ostendit illis*, seu leges ceremoniales, & iudiciales.

Vers. 11. *Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum*, maiestatem Dei legislatoris in monte Sina conspexere. *Et honorem vocis audierunt aures illorum.* (Græcè, *gloriam vocis eius:*) *& dixit illis: Attendite ab omni iniquo.* Hæc enim est summa, & compendium secundæ Decalogi tabulæ.

Vers. 12. *Et mandauit illis vnicuique de proximo suo.* Præcepit generatim illis omnibus, & vnicuique particulatim, ne proximo nocerent, aut ius eius violarent, sed potius diligerent.

Vers. 13. *Via illorum coram ipso sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis ipsius.* Deus data lege non se ab eorum cura abduxit, sed illis adfuit, obseruans vtique quonammodò legem custodirent.

Vers. 14. 15. *In vnamquamque gentem præposuit Rectorem*, seu Principem, à quo gubernarentur: *Et pars Dei, Israel facta est manifesta.* Deus autem ostendit, se velle peculiari cura per seipsum populum Israëliticum regere, ità vt Israël esset pars, & hæreditas Dei.

Christianus populus specialissimā in Dei hæreditatē electus maxima gloria fuit.

* Si magna fuit Israëlitici populi gloria electum in specialem Dei partem fuisse, quantò in erit Christiani populi decus, quem Deus sibi, & filio suo Christo Domino in specialissimam elegit hæreditatem?]

Vers. 16. *Et omnia opera illorum velut Sol in conspectu Dei*: Et sicut lux Solis patet omnibus aspicientibus, sic Israëlitarum opera manifesta Dei oculis erant: *Et oculi eius sine intermissione inspicientes in viis eorum*, ne vel leuis cogitatio sine speciali Dei aduertentia præteriret.

Nulla hominū cogitatio potest Dei oculos fugere.

* Vt edoceamur, rectè operari, qui nullatenùs possumus vel in minima excogitatione Dei oculos eludere.]

Vers. 17. *Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum.* Pacta Dei cum Israël non sunt abolita per eorum peccata: *& omnes iniquitates eorum in conspectu Dei.* Tanta Dei in Israëlitas pietas, vt tot peccatorum conscius, adhuc in pacto cum eis inito perstiterit, nec eos omni-

Ineffabilis Dei misericordia, peccatorem patienter expectare, si fortè pœniteat.

nò deseruerit. * In hoc Dei misericordia maximè elucet, quod tot, ac tantis iniquitatibus prouocatus, adhuc patienter exspectet, si fortè tandem resipiscas.]

Vers. 18. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso. Eleemosyna Deo est maximè grata, & illi semper præ oculis obuersatur, ad eum modum, quo annulus signatorius semper adest in manibus, & ante oculos, qui illum possidet. Et gratiam hominis, seu eleemosynam, quam liberali animo homo elargitur, *quasi pupillam*, seu rem charissimam *conseruabit.* * Pupillam oculorum suorum, quibus peccata hominum aspicit Deus tuam facit eleemosynam, vt quasi eleemosyna videns peccata, ipsius respectu illis ignoscat.]

Eleemosyna est pupilla oculorum Dei, quâ peccata videt, vt eis ignoscat.

Vers. 19. Et posteà resurget Deus vindex, *& retribuet illis retributionem, vnicuique in caput ipsorum*, iis, qui eleemosyna Deum ad ignoscendum peccatis, allexerunt, gloriam: scelestos verò damnabit, *& conuertet in interiores partes terræ.* seu ad inferos detrudet.

2\.
Ad pœnitentiam sapiens allicit peccatores.

Vers. 20. Pœnitentibus autem dedit viam iustitiæ. Græcè, *pœnitentibus concedit reditum ad se*, seu ad iustitiam. *Et confirmabit deficientes sustinere*, seu roborabit pusillanimes, vt valeant tentationes sustinere, & vincere. *Et destinabit illis sortem veritatis.* Siua præmium veritati, iustitiæ scilicet, & virtuti debitum. * Veritas in Scriptura sæpe iustitiam, & omne virtutis officium significat. Frequenter sectator virtutis specialis est cultor veritatis.]

Sectator virtutis frequẽter est cultor veritatis.

Vers. 21, 22. Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare antè faciem Domini, & minue offendicula. Ex Græco, *peccatorum occasiones.* Ac si diceret, si vis verè ad Deum conuerti, peccata dimitte, veniam precare, & occasiones delinquendi relinque. * Nec enim vera geritur pœnitentia, dum delinquendi occasio non omninò dimittitur.]

Vera pœnitẽtia nõ agitur, dum omninò delinquendi occasio non relinquitur.

Vers. 23. 24. Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem, maximè odio habe peccatum, quod Deus execratur. *Et cognosce iustitias, & iudicia Dei*, legem, & mandata, quæ præscribunt quod iustum est, & iuxta quæ ferendum est iudicium. *Et sta in sorte propositionis*, seu in sorte tibi proposita in vocatione tua: *& orationis Altissimi Dei.* Deúmque ora, vt iuxta propositum vocationis tuæ rectè viuere valeas. * Aptè illas particulas, *Propositionis, & Orationis.* Sirach colligauit. Sine assidua enim oratione difficillimè quis poterit rectè agendi propositum tueri.]

Sine oratione vix poteris rectè viuendi tueri propositum.

Vers. 25. In partes vade sæculi sancti cum viuis, &c. Rectè viuendo perge ad beatorum sortem ad partiam viuentium, & laudantium Deum semper, vt cum eis æternùm viuas, Deumque laudes.

Vers. 26. Non demoreris in errore impiorum pœnitudinem differentium: *ante mortem confitere.* * Illi enim qui differunt de die in diem pœnitentiam plerúmque impœnitentes obeunt, morte subitò aduentante, vel ægritudine delirium capiti immittente.] Vel dum viuis, *confitere*, id est, te diuinis laudibus exerce. *A mortuo quasi nihil perit confessio.* A mortuo, tanquam qui nihil est, seu qui cum viuentibus hîc non existit, laus Dei vtilis & meritoria, seu peccatorum confessio, quæ ducat in partes sæculi beati omninò deperit.

Qui de die in diẽ differunt pœnitẽtiam, plerumquè impœnitente moriũtur.

Vers. 27. Confiteberis viuens: viuus, & sanus confiteberis, &c. Preme illud: *Viuus & sanus confiteberis*, seu laudabis Deum, ne videaris ægritudine compulsus laudare. * Aptiùs moribus ad confessionem peccatorum locum allicio. Pœnitentiam age, non solùm dum viuis, sed & dum sanus es. Confessio enim in vltima ægritudine facta suspecta quidem est, an toto ex corde geratur; cum videantur magis crimina te deserere quam tu crimina.]

Dũ viuis, & sanus es, confitere peccata, suspecta enim est cõfessio in ægritudine facta.

Vers. 28. Quàm magna misericordia Domini, &c. Profusa est Dei misericordia ergà eos, qui se ad eum conuertunt. * Quia non solùm peccatis ignoscit, sed, & præmium ipsi pœnitudini assignat, pœnam æternam extinguit, merita facit emortua noua vita donari.]

Profusa Dei liberalitas in eum, qui verè de peccatis pœnitet.

Vers. 29 Nec enim omnia possunt esse in hominibus. Non sunt homines omnimodè perfecti: *quoniam non est immortalis filius hominis*, seu non est Angelis confirmatis in gratia similis, sed mortalitate nunc carnis indutus, infirmus est, & omnis generis malis obnoxius. * Edisce hinc scandalo non pungi cum grauia piacula videris, vel audieris proximi: mortalis est, mortalitatis defectibus obnoxius.] *Et in vanitate malitia placuerunt*, & illi malitiæ vanitas placet. Quia *sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Gen. 8. 21.*

De homine mortali nullo vel maximo peccato mirere.

Vers. 30. Quid lucidius sole? & hic deficiet. Quid luce solis clariùs? at etiam hæc per eclipsim deficit. *Aut quid nequius quod excogitauit caro & sanguis?* Mirum ergo non est, si peccator, quo nihil est nequius, & ad praua magis propensum, quique sequitur carnis suggestiones, concupiscentiæ, & naturæ, deficiat. *Et hoc arguetur*, condemnabitur, & punietur. * Ne putet homo imbecillitatis humanæ excusatione se immunem futurum à pœna.]

Ne putet homo imbecillitatis humanæ excusatione se liberum à pœna, si deliquerit.

Vers. 31. Virtutem altitudinis cœli ipse conspicit, & omnes homines terra, & cinis. Ex Græco locum expono. Exercitum altissimi cœli, id est, planetas, & reliqua Sidera ipse Sol conspicit, seu illustrat suo lumine, instar Ducis, & Principis. Et tamen hoc tam nobile sidus deficit aliquando. Nihil ergo mirum si etiam homo deficiat, & maximè peccator, qui non est nisi cinis. * Deficit Sol, quid mirum hominem deficere?

Si Sol deficit, quid miraris, hominem, cinerẽ quidem deficere?

CAPVT

CAPVT XVIII.

Ponderat Sapiens eximiam Dei erga hominem pietatem, indeque ansam arripit, vt nos ad Deum colendum, prauas fugiendum concupiscentias hortetur.

1. QVI viuit in æternum, creauit omnia simul. Deus solus iustificabitur, & manet inuictus rex in æternum. Quis sufficit enarrare opera illius? 3. Quis enim inuestigabit magnalia eius? 4. Virturem autem magnitudinis eius quis enuntiabit? aut quis adiiciet enarrare misericordiam eius? 5. Non est minuere, neque adiicere, nec est inuenire magnalia Dei. 6. Cùm consummauerit homo, tunc incipiet: & cùm quieuerit, aporiabitur. 7. Quid est homo, & quæ est gratia illius? & quid est bonum, aut quid nequam illius? 8. Numerus dierum hominum vt multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui. 9. Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam. 10. Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, & cognouit subuersionem illorum quoniam nequam est. 11. Ideò adimpleuit propitiationem suam in illis, & ostendit eis viam æquitatis. 12. Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem. 13. Qui misericordiam habet, docet, & erudit quasi pastor gregem suum. 14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, & qui festinat in iudiciis eius. 15. Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali. 16. Nónne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius quàm datum. 17. Nónne ecce verbum super datum bonum? sed vtraque cum homine iustificato. 18. Stultus acriter improperabit, & datus indisciplinati tabescere facit oculos. 19. Ante iudicium para iustitiam tibi, & antequam loquaris disce. 20. Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. 21. Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam. 22. Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum. 23. Ante orationem præpara animam tuam: & noli esse quasi homo qui tentat Deum. 24. Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conuersatione faciei. 25. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die diuitiarum. 26. A manè vsque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei. 27 Homo Sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia. 28. Omnis astutus agnoscit Sapientiam, & inuenienti eam dabit confessionem. 29. Sensati in verbis & ipsi sapienter egerunt: & intellexerunt veritatem & iustitiam, & impleuerunt prouerbia & iudicia. 30. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere 31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. 32. Ne oblecteris in turbis, nec in modicis: assidua enim est commissio illorum. 33. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & est tibi nihil in sacculo: etis enim inuidus vitæ tuæ.

COMMENTARII.

1. *Eximiam Dei erga homines Sapiēs pietatem ponderat.*

ERS.1. *Qui viuit in æternum* Deus *creauit omnia simul*, seu pariter, & nullo prorsus excepto. Creauit inquam omnia non vno die, sed sex dierum spatio. Nisi velis hîc per *omnia* intelligi omnium rerum materiam rudem, & informem, quæ primo mundi die omnis simul producta fuit. *Deus solus* iustificabitur, Græcè, *Deus solus est iustus* nempè ex se perfectè, ac completè. (Hoc sensu dicebat Christus Dominus. *Mar.* 10. 18. *Nemo bonus, nisi vnus Deus.*) *Et manet inuictus Rex in æternum*, iustus, perfectus, immortalis, immutabilis, & omnium Dominus.

Vers.2. Quis sufficit enarrare opera illius? Nullus,

Nullus*, etsi omnes homines disertè loquantur, licet Angeli choros laudis ducant, licet cunctæ arenæ aut guttæ pelagi vertantur in linguas.

Vers. 3.4. Quis enim inuestigauit magnalia eius? Nec mirum, nullum sufficere opera Dei narrare, si nullus potuit vel mente cogitare quàm sint mirabilia *Virtutem magnitudinis eius quis enunciabit? &c.* Impossibile est, vt inueniatur vllus, qui duplicis illius attributi iustitiæ & misericordiæ possit magnalia voce proferre, aut mente excogitare.

Vers. 5 Non est minuere, nec adiicere, nec est inuenire magnalia Dei. Adeò Dei perfecta sunt opera, vt illis nihil addi, vel detrahi possit: nec eius perfectionem valet creatus intellectus inuenire.

Vers. 6. Cum consummauerit homo, tunc incipiet: cum homo quantum potuerit Dei magnalia fuerit scrutatus, adeo multum supererit, quod cognoscat, vt perinde sit, ac si nihil cogitando progressus esset. *Et cum quieuerit, aporiabitur*, & cum ab scrutatione cessauerit, anceps erit, & incertus.

Vers. 7. Quid est homo, & quæ est gratia illius? Græcè, *quæ illius vtilitas? Et quid est bonum, aut quid nequam illius?* Quid boni, aut mali inferre potest?

Vers. 8. Numerus dierum hominum vt multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt, &c. Centum anni vitæ hominum imò centum viginti millia millium, si superstes posset esse, quasi guttula maris, velut arenæ immensæ granulum sunt, si cum æuo, seu æternitate comparentur.

Dei misericordia quodámodo ex nostra facilitate ad peccandum sumit motiuũ ad parcendum.

Vers. 9. Propter quod, seu propter imbecillitatem humanam, ærumnas, & vitæ breuitatem, *patiens est Deus in illis, & effundit in eos misericordiam suam*, eos tolerat, eos expectat ad pœnitentiam, eis parcit. * Tanta enim est Dei misericordia vt ex nostra ad delinquendum fragilitate, ac promptitudine sumere ad parcendum motiuum videatur.]

Vers. 10. Vidit præsumptionem cordis eorum, siue superbiam, *quoniam mala est: & cognouit subuersionem*, perditionem, excidium, interitum *illorum, quoniam nequam est*, miseranda, & lugubris.

Subuersio est agnata superbiæ.

Vers. 11. Ideò adimpleuit propitiationem suam in illis, pœnitentibus scilicet. Etsi enim crimina sint innumerabilia, Deus illicò pœnitencia placatur. *Et ostendit eis viam æquitatis*, legem tradendo. * Illa preme, *Vidit præsumptionem, & cognouit subuersionem.* Agnata enim adeo est subuersio superbiæ, vt videns superbiam eodem intuitu subuersionem aspiciat.

Vers. 12. Miseratio hominis circa proximum suum, &c. Hominum miseratio ad vicinum, propinquum vnum, vel alterum extenditur: Dei verò misericordia ad omnia viuentia se extendit.

Doctor probus veluti pastor est.

Vers. 13. Qui misericordiam habet, & erudit quasi pastor gregem suum. Deus infinitè misericors est, qui nos oues errantes quærit, & ducit ad pascua salutis. * Illud expende: *Docet quasi pastor.* Probus est Doctor ille, qui pastorem se gerit: qui scilicet non solum intellectum erudit, sed curat discipulorum actiones à vitiorum errore noxiorum quidem graminum separare.]

Misericordi Deus misertus.

Feruor & diligentia in lege seruanda placet admodum Deo.

Vers. 14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, seu admittentis, & seruantis doctrinam, & præcepta misericordiæ, in eamque proni. * Nam qui miserationis erga proximum fouet affectum, Deum allicit, vt ei misereatur. Vnde Dominus *Matth. 9. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*] *Et* etiam consequitur Dei misericordiam, *qui festinat in iudiciis eius*, seu qui solicitè curat, vt legem Domini seruet. * Placet enim admodum Numini ille, qui non segniter, vt multi, sed festinanter asseruandis præceptis eius dat operam.]

Hilari vultus beneficia facienda; pluris enim æstimatur modus quam substantia.

Vers. 15. Fili, in bonis ne des querelam. Cum agis bona, seu beneficia, ne addas reprehensionem, aut exprobationem: *& in omni dato ne des tristitiam verbi mali*, seu in omni beneficio, aut largitione, quam gesseris te hilarem præsta. * Nam beneficij gratiam silentium, aut tarditas loquendi, aut vultus seueritas aut asperum verbum corrumpit. Multi enim pluris beneficij modum æstimant, quàm substantiam.]

Vers. 16. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius, quàm datum. Potiora sunt verba, quàm munera, & verborum humanitas est instar roris herbis in æstate.

Vers. 17. Nonne ecce verbum super datum bonum? &c. Sed vtraque cum homine iustificato. Licet verborum humanitas æstimetur in eo qui donum largitur, pluris quam ipsum donum: tamen vix probus & iustus vtrumque debet agere, & conferre beneficium, & beneficio humanitatem adiungere.

2.

Plura documenta adycit circa pœnitentiam, & orationem.

Vers. 18. Stultus acriter improperabit, exprobrans amico petenti: *& datus nummus* (Græcè Datum *donum*) *indisciplinati*, seu male instructi, *tabescere facit* oculos pauperis, seu cuiusuis accipientis, dùm verbis asperioribus illum contristat.

Prius quàm Dei tribunali sistaris institue priuatum examen vitæ tuæ, vt scias ad obiecta respondere.

Vers. 19. Ante iudicium para iustitiam tibi, cogita quid pro tua causa sis dicturus: *& antequam loquaris*, disce tuæ causæ iustitiam, rationes, quibus illa nititur. Institue priuatum causæ examen, vt scias, quid ad obiecta debeas respondere. * O quàm aptè è terreno tribunali transitum facies ad cœleste! supremi Iudicis tribunali sistendus vitæ tuæ priuatum examen institue & præpara quam rationem ad obiecta poteris reddere.]

Vers. 20. Ante languorem adhibe medicinam. Medicos imitare, qui præseruatiuis medicamẽtis vim ægritudinis imminentis anteuertunt: *& ante iudicium interroga teipsum*, antequam cœlesti tribunali sistaris tu tibi obiicere rata pœnitudinis quidem affectu, *& in conspectu Dei* Iudicis supremi, *inuenies propitiationem*, liberatoria scilicet sententia prolata.

Peccatorem Deus ægritudine affligis, vt conuertatur.

Vers. 21. Ante languorem humilia te, temperantiæ exercitatione, & abstinentia. Hebræis familiaris est dicendi modus, *Humiliare animam in ieiunio.* Si tamen irruerit ægritudo? Addit. *Et in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam.* Græcè, *conuersionem*, peccatorum pœnitentiam, & morum emendationem. * Vt enim peccator conuertatur, eum Deus misericorditer ægritudine affligit.]

Vers. 22. Non impediaris, orare semper Remouere procura omnia ad orationem impedimenta,

ta, ita vt cum orandum eſt, ſemper expeditus orare poſſis. * Niſi enim ab externis expediare negotiis, nec attentè, nec deuotè orare poteris.] *Et ne verearis, vſque ad mortem iuſtificari*, ne vllo otioſo pudore impediaris ſemper in virtutis via proficere, & te in illius actibus exercere: *quoniam merces Dei manet in æternum.* Cuilibet enim virtutis actioni ſpecialis merces reſpondebit æterna. * Nec inſtans vitæ deberet otioſè peragere, qui inſtanti quolibet poteſt gloriæ pondus acquirere.]

Oraturus ſe à negotiis externis expediat.

Nec vitæ inſtans deberet otioſè peragere, qui inſtanti quolibet poſſet gloriæ pondus acquirere.

Verſ. 23. *Ante orationem præpara animam tuam*, ſeu teipſum per ſeriam peccatorum pœnitentiam, per ſtudioſam attentionem præſentiæ diuinæ, per puram honoris ipſius intentionem. *Et noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Is Deum tentat, qui imparatus ad orandum accedes, non ea, qua par eſt, reuerentia orat, aut indigna, vel inutilia poſtulat: aut vult Dei potentiam oſtendi. Vulgariter expono. *Quiere, que haga Dios milagros.* * Miraculum enim eſſet, ſi qui imparatus per ſeriam peccatorum pœnitentiam ad orandum accedit, poſtulata à Deo conſequeretur. Vnde Deum tentari ab eo quis dubitet?

Miraculum à Deo petit quaſi illum tentans, qui imparatus dũ orat, vult cõſequi quod petit.

Verſ. 24. *Memento iræ in die conſummationis*, recordare diuinæ vindictæ, quæ impiis superueniet in conſummatione vitæ, ſeu in die mortis: *& tempus retributionis in conuerſatione faciei* Græcè, *in auerſione.* Recordare etiam mercedis prauorum operum in die iudicij, quando Deus ſuam faciem auertet ſuauem ab impiis, & terribilem vultum ad eos conuertet, & ſic terribiliter cum eis conuerſabitur. * Chriſti enim Domini ſpecioſi præ filiis hominum facies adeò horribilis improbis illa die oſtentabitur, vt ſola huiuſce aſpectus recordatio debeat nos à peccatis commiſſis abſtrahere, & ne alia committas, continere.]

Memoria vultus Chriſti cõtra impios irati in die iudicij deberet nos à peccatis abſterrere.

Verſ. 25. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, &c.* Dum viuis, & temporis opportunitate ad rectè agendum abundas, recordare futuræ inopiæ, quando nec inſtans temporis tibi vltra donabitur. * Dùm tempus ſuppetit, theſaurum operum bonum acquire, qui tempore futuro ſubleuet egeſtatem.]

Vitæ tempore acquirendæ diuitiæ ad tempus egeſtatis, quando operari non poteris.

Verſ. 26. *A mane vſque ad veſperam immutabitur tempus, &c.* Deus ſubitò mutat tempora, quando, & prout vult. Ergo ne affligas cor tuum in aduerſitate, quia ſtabilis non erit: ſed expecta patienter ſortis & vitæ, non minus quàm auræ, mutationem. Hæc omnia *citata ſunt*, cito & velociter mutantur *in oculis Dei*, ipſo vidente, imò agente, vel ſaltem permittente. * Cùm ærumna afficeris, ne nimium angaris, cum volante velociſſimè tempore peruolabit ærumna.]

Ne ærumna angaris, quæ cum tempore volat.

Verſ. 27. *Homo Sapiens in omnibus metuet*, poſſe latitare periculum: *& in diebus delictorum attendet ab inertia*, ſeu cum ſibi peccati alicuius conſcius fuerit, excutiet inertiam, pœnitentiæ, aliiſque virtutis officiis inſiſtet.

Verſ. 28. *Omnis aſtutus*, ſeu Sapiens *agneſcit Sapientiam: & inuenienti eam dabit confeſſionem.* Qui feliciter Sapientiam inuenit, Sapienter & prudenter hæc dogmata perpendit, & ipſa Sapientia ab eo inuenta, ei inſeret confeſſionis, ſeu pœnitudinis affectum, ne inertia circa ſalutis negotium teneatur, ſed tempus, quo fruitur, vtiliter abſumat.

Verſ. 29. *Senſati in verbis & ipſi Sapienter egerunt*, qui ſenſu, ſeu intellectu pollent, & loquuntur & agunt ſapienter: *& intellexerunt veritatem, & iuſtitiam, & impleuerunt prouerbia, & iudicia*, Græcè, *tanquam* pluuiam, aut imbrem effuderunt quæ didicerant, vti aliis proficerent. * Nec enim Sapiens debet ſibi imbrem doctrinæ retinere, ſed in aridam aliorum terram profundere, vt virtutum germina producantur.]

Sapiens ſciẽtiam non ſibi retineat, ſed in aridam aliorum terrã profundat.

Verſ. 30. *Poſt concupiſcentias tuas non eas: & à voluntate tua auertere*, ſeu ab eo, quod optat voluntas tua, ſi noxium eſt, omnino recede.

Verſ. 31. *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Si id, quod concupiſcit cor tuum, illi permiſeris, malè te mulctabit ea ipſa permiſſio, ex quo inimici tui inuiſibiles & viſibiles gaudio afficiantur. Inuiſibiles quidem, dum te criminibus ſaucium contemplantur: viſibiles verò, dum te fœda fortaſsè ægritudine è concupiſcentiæ effrænatione procedenti vulneratum aſpiciunt.

Verſ. 32. *Ne oblecteris in turbis*, ne gaudeas in circulis diuerſari maximè popinariis, vel menſalibus: *nec frequens ſis in modicis*, id eſt, cum vili plebecula, qualis eſſe aſſolet in popinis. *Aſſidua enim eſt commiſſio illorum*, ſeu peccatum. * Quid enim aliud in popinis, & ſordidis menſis quàm luxus, ira rixæ, ſcurriles Sanni, vt alia peiora conticeam?]

In popinis ira, rixæ, luxus, &c. inueniuntur.

Verſ. 33. *Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore.* Ne pauper euadas (ſic Græcè) dum contendis *Symbola diuidere*, id eſt, conuiuia ſociis facere *ex fœnore*, ſeu ex pecunia, quam mutuo cum onere præſtandi fœnoris accepiſti, *& eſt tibi nihil in ſacculo*, accepiſti inquam ex fœnore, eo quod exhauſtum iam erat ſacculum, ſiue crumena tua. *Eris enim inuidus vitæ tuæ.* Id eſt, perinde feceris ac qui inuidet, & odit ſemetipſum, & peſſimè conſulit propriæ quieti, & incolumitati.

CAPVT XIX.

Sobrietatem Sapiens commendat, ebrietatem, & scortationem reprehendit, cauendam loquacitatem, detractionem, inimicitiarum facilem susceptionem, &c. monet.

1. OPERARIVS ebriosus non locupletabitur: & qui spernit modica, paulatim decidet. 2. Vinum & mulieres apostatare faciunt Sapientes, & arguent sensatos: 3. & qui se iungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius. 4. Qui credit citò, leuis corde est, & minorabitur: & qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. 5. Qui gaudet iniquitate, denotabitur: & qui odit correptionem, minuetur vita: & qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. 6. Qui peccat in animam suam, pœnitebit: & qui iucundatur in malitia, denorabitur. 7. Ne iteres verbum nequam & durum, & non minorabetis. 8. Amico & inimico noli narrare sensum tuum: & si est tibi delictum, noli denudare, 9. audiet enim te, & custodiet te, & quasi defendens peccatum odiet te, & sic aderit tibi semper. 10. Audisti verbum aduersus proximum tuum: commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. 11. A facie verbi parturit fatuus tanquam gemitus partus infantis. 12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti. 13. Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat: Non feci: aut si fecerit: ne iterùm addat facere. 14. Corripe proximum, ne fortè non dixerit, & si dixerit, ne fortè iteret. 15. Corripe amicum: sæpè enim fit commissio. 16. Et non omni verbo credas, est qui labitur lingua, sed non ex animo. 17. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua? Corripe proximum antequam commineris. 18. Et da locum timori Altissimi: quia omnis Sapientia timor Dei, & in illa timere Deum, & in omni Sapientia dispositio legis. 19. Et non est Sapientia nequitiæ disciplina: & non est cogitatus peccatorum prudentia. 20. Est nequitia, & in ipsa execratio, & est insipiens qui minuitur Sapientia. 21. Melior est homo, qui minuitur Sapientia, & deficiens sensu in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi. 22. Est solertia certa, & ipsa iniqua. 23. Et est qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo: 24. & est qui se nimiùm submittit à multa humilitate: & est qui inclinat faciem suam, & fingit se non videre quod ignoratum est: 25. & si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si inuenerit tempus malefaciendi, malefacie. 26. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. 27. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. 28. Est correptio mendax in ira contumeliosi: & est iudicium, quod non probatur esse bonum: & est tacens; & ipse est prudens.

COMMENTARII.

1. *Commendat sobrietatem, scortationem reprehendit.*


ERS. 1. *Operarius ebriosus non locupletabitur*, imò (per miosim) ad paupertatem redigetur. Mercedem enim, quam ex diurno labore longo quidem acquirit, in œnopolio breuiùs absumit. *Et qui spernit modica, paulatim decidet.* Particula *Et* hic est causalis. *Quia.* Quia scilicet, qui spernit modica opera, & lucrum quotidianum, quasi facilis illius sit iactura, paulatim in egestatem decidet. * Quod si ad spiritum transferat, qui contemnit, à leuibus piaculis abstinere, tandem in grauiora haud difficilè decidet.]

Qui contemnit, à leuibus abstinere piaculis in grauiosa facilè decidet.

Vers. 2. Vinum, & mulieres apostatare faciunt Sapientes, seu à Sapientia faciunt deficere. Nam vti inquit Oseas *cap. 4. 11. Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor.* * Præstantius ingenium vini & Veneris immoderato vsu hebetatur.] * Aptè ex vino illicò petrexit Sapiens ad mulierum mentionem, *Vinum & mulieres:* crapula enim & luxuria pari gressu solent incedere.] *Et arguent sensatos*, seu reprehensione, ac redargutione dignos facient. * Nihil enim indignius sensato, aut Sapienti, quàm crapulæ & scortationi vacare.]

Ingenium acutum vini & Veneris vsu hebetatur.

Crapula & luxuria pari gressu solent incedere.

Nihil indignius sapienti, quàm crapula & scortatio.

Vers.

Vers. 3. Et qui iungit fornicarijs, erit nequam, seu impius erit, & reputabitur, ex prauis enim sociis nequitiam edíscet. *Putredo & vermis hereditabunt illum.* Quia luxuria conciliantur fœdæ ægritudines, & mors citius aduentat, *& extolletur,* seu de medio tolletur, *in exemplum maius* in aliorum exemplum insigne, & quod alios commouere, ac percellere potest: *& tolletur de numero anima eius,* seu vita eius de viuentium numero expungetur. * Quot adolescentes elegantes, quot pulchritudine ornatas puellas vidisti fœda macie deformes immaturo interitui addici, quia se profusè dedere voluptatibus? Si Sapis affatim quotidie sese tibi obiiciunt exempla: quod illis accidit, tibi continget, si alieno periculo non edoceris.]

Fœdæ ægritudines, & immatura mors ex luxuria.

Vers. 4. Qui credit citò, leuis corde est. Nec enim quidlibet cuilibet credendum, maximè si de proximo prauè gesta enarrantur. *Et minorabitur,* æstimatione apud alios, nam leuis habebitur, imprudens indicabitur. * Cùm audis in cœtu obloquentium, aliquem de absente murmurare, illiusque aperire defectus, illum defende; nam si ostendis te credidisse, ab ipsis murmuratoribus leuis, ac imprudens esse reputaberis.] *Et qui delinquit in animam suam, insuper habebitur* Qui peccat contra seipsum, seu animam suam, quam leuiter decipi permittit, homo nihili habebitur, qui frustra sit, & quasi supra numerarius.

Qui annuit de absente murmurantibus, ab ipsis leuis, & imprudens iudicatur.

2\. *Vers. 5. Qui gaudet iniquitate, denotabitur,* seu vituperio afficietur: *Et qui odit correptionem, minuetur vita,* quia peccata peccatis adiicier, quæ eum in exitium trahent: *& qui odit loquacitatem, extinguit malitiam,* fomitem illi subtrahendo ipsam scilicet loquacitatem. * Nec dubium, quin nimium loqui fomes sit peccatorum.]

In iniquitate non gaudendum.

Loquacitas peccatorum est fomes.

Vers. 6. Qui peccat in animam suam, seipsum lædendo,) quod omnes peccatores faciunt) *pœnitebit,* maturè si sapit; alioqui seram & inutilem pœnitentiam fortassis instituet. *Et qui iucundatur in malitia, denotabitur,* condemnabitur subtaxabitur à cunctis.

Vers. 7. Ne iteres verbum nequam, & durum, iracundum, contumeliosum, minax, *& non minoraberis,* neque in honore, nec in quiete, nec in amicitia, nec in bonis reliquis: si nimirum non iteres, sed, vt decet, excuses, damnes, retractes. * Aptiùs mihi *non iteres* significat, quæ audiuntur in proximum iactata verba contumeliæ, aut detractionis non esse iteranda; hoc est, aliorum auribus ingerenda.]

Quæ audieris in proximũ iactata verba detractionis aliis non referas.

3\. *Vers. 8. Amico & inimico noli narrare sensum tuum.* Noli promiscuè, & sine delectu animi tui sensus aperire; hoc enim loquacis est, & imprudentis. * Si scires, Inimicum esse, procul dubio taceres, nec sensum ei manifestares Ergo cum non tibi constat, an amicus vel inimicus sit, imprudenter agis, dum cordis arcana illi reserare non dubitas.] *Etsi est tibi delictum, noli nec amico denunciare.* Nam quæ secreta esse volumus, nemini dicere debemus. Causam reddit.

Secretum tibi.

Imprudenter agit, qui cordis arcana cuilibet sine delectu referat.

Quæ secreta esse volumus, nemini dicere debemus.

Vers. 9. Audiet enim te, &c. Audiens te tuum ei secretum reserasse à te se custodiet, seu sibi cauebit, ne quod in te, vel in aliis, eadem & in ipsum pecces, secreta scilicet, & tacenda prodendo. Tamen non te palam arguet quasi detractorem, imò vt expiscetur arcana, iustam te habere querelarum causam affirmabit! in animo tamen suo te contemnet, & odio habebit tanquam detractorem, & sic semper tibi simulatè erit amicus. * Cùm ergo secretum tibi commissum alicui amico reuelas, ille tibi secretum suum non audebit reuelare, iudicans prudenter, te non seruaturum arcanum suum, qui alterius arcanum non asseruasti.]

Ille, cui aliena arcana reuelas, tibi propria non reuelabit, iudicans te nõ seruaturum.

4\. *Vers. 10. Audisti verbum aduersus proximum? commoriatur in te,* silentio preme, nec cum aliis communica: *fidens, quoniam non te dirumpet,* non propterea tua præcordia tumpentur. vulgariter exponam, *No reuentaras, aunque nolo digas.*

Quod in proximum auditur, retinendum.

Vers. 11. A facie verbi parturit fatuus. Imprudens, qui linguæ suæ potens non est, & quasi fœtum cordis sui continere non potest, gestit auditum de proximo verbum parturire, seu in publicum proferre, mox vt audiuit: *tanquam gemitus partus infantis,* similis fœminis partui vicinis, quarum vterum adeò grauat infans, vt illum omninò cogantur effundere. * Ne fatuo reueles, quod vis silentio custodiri.]

Fatuus, instar fœminæ grauidæ, nescit secretum auditum cõtinere.

Vers. 12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti. Quemadmodum ille, qui sagitta in femore percutitur, diro actus dolore silere non potest, sed gemitus, ac clamores edit: sic stultus audiens proximi defectum silentio non potest continere, sed illicò profundit.

5\. *Vers. 13. Corripe amicum, ne fortè non intellexerit,* seu cognouerit, quæ de illo iactitantur: *& ne dicat: Non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere,* ne à te non correptus, pergat peccare, & ad eundem lapidem offendere. Amicitiæ veræ est, amicum de iis, quæ de illo iactantur admonere, & illum delinquentem corripere.]

Proximus corripiendus.

Verus amicus amicum peccantem monet, ac corripit.

Vers. 14. Corripe proximum, ne fortè non dixerit: etsi dixerit, ne fortè iteret. Si audieris, proximum, domesticum, vicinum, amicum aliquid sonans male dixisse, eum corripe, aut mone: quia fieri potest, vt non dixerit, & æquum est, vt ab ipso innocentiam eius agnoscas: etsi dixerit, proderit admonitio, vt iterum eadem non committat. * Monitione prudenti plura proximi poteris inhibere delicta.]

Monitione prudenti plura proximi poteris inhibere errata.

Vers. 15. Corripe amicum: sæpè enim fit commissio, seu criminis patratio. Græcè, *sæpè fit calumnia.* Sensus erit. Mone amicum, qui si non deliquit, hoc referet commodi, vt se à calumnia impacta repurget. Proderit etiam admonitio, vt amicus ab illo abstineat, quod ansam calumniæ obloquentibus exhibet.

6\. *Vers. 16. Et non omni verbo credas, &c.* Non omnia, quæ dicuntur speciem mali offerentia, credenda sunt: labitur enim sæpe lingua aliquod verbum durum auditu proferens, non tamen animo nocendi, vel detrahendi. * Vnde non anteà amicum, vel proximum de iis quæ contra eum audisti dictitari, moneas, quàm exquiras, aut vestigari cures, quonam animo verba illa fuére prolata.]

Non credendum omni verbo.

Multa dicuntur dura auditu, quæ ex animo nocendi non prodeunt.

Vers. 17. Quis est enim, qui non deliquerit in lingua sua? Quod si verba illa ex animo non protulit, parcendus est, nec monendus. * Vix

Vix inuenietur, cuius lingua omninò sit innocens.

enim inuenietur, cuius lingua omninò innocens valeat vocitari. } *Corripe proximum, antequam commineris.* Præstat blande ad officium amicum reuocare, quàm asperitate sermonis, aut minis, fante Apostolo Gal. 1. *Instruite huiusmodi in spiritu lenitatis.* * Lene correptionis oleum exitialia vulnera curasse comperimus.] Si autem lenitas non proficiat, comminatio succedet.

Lenitas correptiuui exitialia vulnera curat.

7. *Vers.* 18. *Et da locum timori Altissimi*, qui huiusmodi præcipit lenitatem. *Quia omnis Sapientia timor Dei, & in illa timere Deum, & in omni Sapientia dispositio legis.* Quia scilicet timor Dei, est *omnis*, seu tota, ac perfecta Sapientia practica: & in illa Sapientia vicissim quidquid docetur, est, *timere Deum*. Omnis enim Sapientia est legis dispositio, id est, disponit Sapientem ad legem obseruandam.

Dei timor commendatur.

Vers. 19 *Et non est Sapientia nequitia disciplina*, seu falsa & politica prauorum hominum prudentia, quæ praua agere docet, & proximum circumuenire, multum abest à Sapientia, & prudentia vera, licet illam mentiatur. *Et non est cogitatus peccatorum prudentia*, seu prudentia non est machinationes, & inuenta impiorum.

Vers. 20. *Est nequitia, &c.* Ille cogitatus, seo illa peccatorum machinatio non solum prudentia non est, sed est prorsus malitia, calliditas, & execrabilis astutia: & multum falluntur qui pro illa Sapientiam veram non sectantur, ex quo se insipientes ostendunt.

Vers. 21. *Melior est homo, qui minuitur Sapientia, &c.* Satius est, illa falsa prudentia carere, quæ diuinas contemnit leges: quàm ea abundare, nec Altissimi obseruare præcepta.

Vers. 22. 23. *Est solertia certa, & ipsa iniqua.* Duplex est solertia, vna astuta, & exacta, sed iniqua: altera recta & æqua, de qua subdit, *Et est, qui emittit verbum certum enarrans veritatem*, nunquam à veritate deuians. *Est qui nequiter humiliat se*, voce, gestu, reuerentiæ significatione: *& interiora eius plena sunt dolo*; manus scilicet osculatur, quas amputatas esse concupisceret.

Vers. 24. *Et est, qui se nimium submittit à multa humilitate*, quam simulat: *& est, qui inclinat faciem suam, & fingit, se non videre, quod ignoratum est*, demittens oculos, simolat se non vidisse, seo alios non obseruasse astutè, & ea non animaduertisse, quæ ab aliis nesciuntur, vel quæ alij tecta, & ignorata esse volont. 8.

Plura alia docet.

Vers. 25. *Etsi ab imbecillitate virium vetetur peccare, &c.* Et est, qui licet confectus senectute videatur iam non esse libidini (v. gr.) obnoxius: tamen tam pronus est ex praua consuetudine ad flagitia, vt nacta occasione delinquendi, ea pronus saltem affectu potiatur. * Nec enim praua luxuriei consuetudo à senio facilè recedit.]

Praua luxuriei consuetudo vix recedit à senio.

Vers. 26. *Ex visu cognoscitur vir*, id est, ex aspectu, *& ab occursu faciei*, seu ex vultu *cognoscitur*, an qois sit *sensatus*, seu prudens. * Vt enim in bestiis elucet earum vel sæuitia, vel astutia, vel aliæ qualitates, etiam priusquam noceant: ita ex vultu, gestibus, risu, incessu multas coniecturas de animo, & indole hominis sumere possumus. } Et nominatim de vultu hominis dicunt quidam Physiognomici, relucere in vnoquoque figuram certæ cuiusdam bestiæ, v. gr. leonis, tauri, vulpis, felis, &c. ex quarum bestiarum indole iudicium de naturali hominis cuiusque propensione desumunt.

Ex hominis vultu modesto, vel immodesto de eius indole coniecturam sumimus.

Vers. 27. *Amictus corporis, &c.* Ex vestitu, risu, & incessu hominis possumus de illius moribus & ingenio coniecturam capere.

Vers. 28. *Est correptio mendax in ira contumeliosi.* Cùm quis per iram, aut contumeliam alium corripit, aut mendacium perpetrat effingens defectum proximi quem corripit: aut virtutem vitio docere conatur. *Et est iudicium, quod non probatur esse bonum*; quia præceps, & ab ira profectum: & plerumque falsum. * Affectus iracundia nec corripias, nec iudices proximum; iracundia enim sæpe & effingit errata, & iniquè de actionibus assolet iudicare.] *Et est tacens, & ipse prudens.* Est qui prudenter alterius errata tacitus transmittat, cum scilicet corripiendi locus haud est opportunus.

Iracundus sæpè effingit errata in proximo, & iniquè de illo iudicat.

CAPVT XX.

Vita, ac virtutes linguæ Sapiens manifestat, & munera cauenda, suadet.

1. QVAM bonum est arguere, quàm irasci, & confitentem in ora-
tione non prohibere. 2. Concupiscentia spadonis deuirgina-
bit iuuenculam: 3. sic qui facit per vim iudicium iniquum.
4. Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam? sic
enim effugies voluntarium peccatum. 5. Est tacens, qui inue-
nitur sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendum.
6. Est tacens non habens sensum loquelæ: & est tacens
sciens tempus aptum. 7. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus: lasciuus
autem & imprudens non seruabunt tempus. 8. Qui multis vtitur verbis, lædet
animam suam: & qui potestatem sibi sumit iniustè, odietur. 9. Et processio in
malis viro indisciplinato, & est inuentio in detrimentum. 10. Est datum, quod
non est vtile: & est datum, cuius retributio duplex. 11. Et propter gloriam mi-
noratio: & est qui ab humilitate leuabit caput. 12. Est qui multa redimat mo-
dico

dico pretio, & restituens ea in septuplum. 13. Sapiens in verbis seipsum ama-
bilem facit: gratiæ autem fatuorum effundentur. 14. Datus insipientis non
erit vtilis tibi: Oculi enim illius septemplices sunt. 15. exigua dabit, & multa im-
properabit: & apertio otis illius inflammatio est. 16. Hodie fœneratur quis,
& cras expetit: odibilis est homo huiusmodi. 17. Fatuo non erit amicus, &
non erit gratia bonis illius. 18. qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ
sunt. Quoties, & quanti irridebunt eum? 19. Neque enim quod haben-
dum erat, directo sensu distribuit: similiter & quod non erat habendum. 20. Lap-
sus falsæ linguæ, quasi qui in pauimento cadens: sic casus malorum festinanter ve-
niet: 21. Homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assidua erit.
22. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.
23. Et qui vetatur peccare præ inopia, & in requie sua stimulabitur. 24. Est qui
perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti persona perdet eam:
personæ autem acceptione perdet se. 25. Est qui præ confusione promittit
amico, & lucratus est eum inimicum gratis. 26. Opprobrium nequam in homi-
ne mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. 27. Potior fur quàm
assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hereditabunt. 28. Mores
hominum mendacium sine honore: & confusio illorum cum ipsis sine inter-
missione. 29. Sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit ma-
gnatis. 30. Qui operatur terram suam, inaltabit aceruum frugum: & qui ope-
ratur iustitiam, ipse exaltabitur: qui verò placet magnatis, effugiet iniquita-
tem. 31. Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus, in ore auertit
correptiones eorum. 32. Sapientia absconsa & thesaurus inuisus; quæ vtilitas in
vtrisque? 33. Melior est qui celat insipientiam suam, quàm homo qui abscondit
Sapientiam suam.

COMMENTARII.

1. *Vitia & virtutes linguæ describit.*



ERS. 1. *Quàm bonum est arguere, &c.* Quantò melius est humaniter corripere proximum errantem, quàm irasci occultè, fouendo in pectore iracundiæ virus, & patienter audire illum, dum se, seu peccatum suum excusat, vel illius veniam petit, ingenuè profitendo se illud commisisse.

Vers. 2. 3. Concupiscentia spadonis deuirginabit iuuenculam, &c. Sicut eunuchus cui virginum custodia credita est, iniquè ageret, si virgunculam gynecæi sibi commissam deflotaret, vi illi illata: sic Iudex iniquus, qui per vim vitiat iustitiam, cui seruandæ ac propugnandæ præfectus fuit, & quàm veteres virginis imagine depingebant, iniquissimè agunt. * Iniquissimos se ostendunt Iudices, qui virginem iustitiam sibi creditam ad custodiam, violare non metuunt.]

Iniquissimũ se Iudex ostendit, Virginem iustitiã sibi creditam ad custodiã, violando.

Vers. 4. Quàm bonum est, correptum manifestare pænitentiam, &c. Si delinquens ab alio corriperis, seriò peccata detestare, & ostendes, te affectata malitia non deliquisse, sed ex humana fragilitate.

Vers. 5. Est tacens, qui inuenitur Sapiens, &c. Omnes enim cordati Sapientem esse iudicant illum, qui scit, se continere, ne importunè loquatur: sicut odio prosequuntur eum, qui temerè & procaciter loquitur. Quis enim multiloquum non auersatur virum? procacem fœminam quis poterit sustinere?

Homo procax odiosus cunctis.

Vers. 6. Est tacens non habens sensum loquela. Qui suam ad loquendum agnoscens infacundiam, & imprudentiam, sibi timens, indicat satius ei esse tacere: *Et est tacens, sciens tempus aptum*, & non loquitur, donec videat, tempus opportunum aduentasse. * Vterque quidem sapienter se gerit, alternè ineptè, alternè importunè loquatur.]

Sapienter tacet, qui timet se ineptè locuturũ, & qui loquẽdi spectat opportunitatem.

Vers. 7. Homo Sapiens tacebit vsque ad tempus: &c. Qui prudens est, non loquetur nisi oblata occasionis opportunitate: procax autem, nugator, insipiens non expectabit opportunitatem, sed quando in buccam venerit, obloquetur. * Verbum illud *Lasciuus* loquacem significat, & luxuriosum in Græco: aptè quidem, quia luxuriei addictus plerumque loquax seu procax est.]

Lasciuus plerumque est procax.

Vers. 8. Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam: qui potestatem sibi sumit iniustè, vt velit loquendo, docendo, imperando, sibi non subditis dominari, *odietur*, odio à cunctis habebitur. * Nihil enim magis homini inuisum, quàm tyranno Præsidi subiici.]

Inuisum cũctis tyranno Præsidi subiici.

Vers. 9. Est processio in malis viro indisciplinato: Homo nequam in sua nequitia assolet prosperari, rebus ei ad votum succedentibus: *& est inuentio in detrimentum*, id est, res inuenta, quæ detrimentum afferat. Prosperitas enim plerumque *inuenta*, id est, præter spem impio homini accidens, malorum est magnorum occasio.]

Prosperitas accidens impio malorũ magnorum est causa.

2. *Munera cauenda sunt.*

Vers. 10. Est datum, quod non est vtile. Aliquando quis donum alteri offert, ex qua largitione nullam percipiat vtilitatem: vt cum confert in ingratum: *& est datio, cuius retributio duplex*, seu cuius larga sit compensatio: vt cum donum grato ac ingenuo confertur. * Si das ingrato, creditorem tibi reddis: si grato dederis, eum tibi facies debitorem.]

Qui dat ingrato, creditorem eum sibi cõstituit: qui grato dederit, eum facit sibi debitorem.

Vers. 11. Est propter gloriam minoratio. Sunt, qui consequendæ dignitatis, aut honesti muneris gratiam, fortunas suas imminuant, quia magis æstimant honorem, quàm diuitias: *Et*

est, qui ab humilitate leuabit caput. Et sunt qui ex inopia eleuantur ad celsa nimia, id eis conciliante sola virtute. * Hi quidem egregiè munus obeunt, quia à Domino assumpti: illi autem pessimè officium exercent, quia eos diuitiarum manus erexit.]

Qui nummis acquirunt officia, malè ea obeunt: qui assumuntur ad ea, egregiè assolent obire.

Vers. 12. *Est, qui multa redimat modico pretio, &c.* Auarus vt pecuniæ pareat, vilissima & deterrima quæque ad domus necessaria comparat, quæ cum visum ad quem comparantur, non impleant, cogitur illa reiicere, aliaque comparare: vnde septuplo plus pecuniæ insumit, quam liberalis. * Sæpè quidem ea auaritia imminuuntur opes.]

Sæpè ex auaritia imminuuntur opes.

Vers. 13. *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit.* Verba enim vrbana multos conciliant amicos. *Gratiæ autem fatuorum effundentur*: apud nullum fatuus obtinebit gratiam, quia eius verba aliena sunt vrbanitate. * Fatuum illum reputa, qui vrbanitatis iura lædit.]

Fatuus Vrbanitatem nescit.

Vers. 14. *Datus*, seu donum *insipientis*, seu stulti, ac impij hominis, *non erit tibi vtilis*, seu lucrosus; *oculi enim illius septemplices sunt*, siue quia intendit impius multis actibus & modis à te septuplum, id est, multò amplius recipere, quàm dedit.

Vers. 15. *Exigua dabit, &c.* Exiguum munus eumdederit, multa in te beneficia se contulisse iactabit, te ingratitudinis accusans: & verba illios iram in audiente te excitabit. * Quis enim patienter ferat stulti dantis iactantiam? Græcè, *Aperiet os suum velut præco*, vt omnibus se tibi ingrato nimium dedisse mentiatur.

Quid patienter feret stulti dantis iactantiam?

Vers. 16. *Hodie fœneratur quis*, mutuo dat, aut commodat, *& cras expetit*, mutuum quod dedit. *Odibilis est homo huiusmodi.* Gratiam enim, quam mutuum largiendo conciliat, festina repetitio conuertit in odium. * Semper cunctis gratum est mutuum accipere: & omnquam non debitori ingrata debiti à creditore repetitio.]

Ingratum debitori à creditore debiti repetitio.

Vers. 17. 18. *Fatuo non erit amicus, &c.* Nam si amicum non habet, quis illius causas defendet? quis eius bona tutabitur? *Qui enim edunt panem illius, falsa linguæ sunt*, ad adulandum, & decipiendum illum, loquuntur: si defendendi illum accidat occasio, profundo silentio pressi, nec verbum effundent. *Quoties, & quanti irridebunt eum*! Illi ipsi quibuscum suas opes prodegit, & qui edunt suam substantiam, eum irrisione afficient, quod stultè sua prodegerit.

Vers. 19. *Neque enim quod habendum erat, directo sensu distribuit, &c.* Nec enim fatuus ille prudenter distribuit, quod retinendum erat ad suæ familiæ necessitatem subleuandam: Sicut nec rectè distribuit, quod ipsi habendum non erat, quia iniustè partum, & restituendum: ipse autem id iniustè retentum prodigè cum suis adulatoribus absumpsit.

Vers. 20. *Lapsus falsæ linguæ*, adulatoris, & detractoris ea improuiso illi dutissimus accidet, *quasi qui in pauimento cadens: sic casus malorum festinanter veniet.* Græcè, *lapsus à pauimento.* Notum mihi, in Palestina tecta fuisse plana, & in his ambulare, & diuersari solitos Hebræos. Quemadmodum igitur à pauimento solarij cadenti & deorsum delato casus hic improuisus ac lethifer esse solet: haud aliter adulatores improuiso ac exitiali casu obruentur. Timeat Regius Minister, qui in prosperitatis culmine inambulat; si enim de mote aulicorum Regem adulatione seducat opetiens veritatem, subito è fastigio exitialiter eacidet.]

Adulatores Ministri Regia plerumque subitò è felicitatis culmine excidunt.

Vers. 21. *Homo acharis quasi fabula vana.* Græca voa ἄχαρις quam retinet Interpres, significat, *insulsum, inutilem, stlepidum, fatuum.* * Homo itaque insulsus, fatuus, inutilis, omnibus accidit ingratus, ac molestus, perinde ac fabula insipientis narratio, qua Sapientes delectari non possunt.] *In ore indisciplinatorum assidua erit.* Solummodo huiusmodi fabula intempestiua iosipientes poterit delectare.

Homo, insulsus, omnibus molestus.

Vers. 22. *Ex ore fatui reprobabitur parabola*, sententia grauis, seria, acuta, sapiens, si a fatuo homine proferatur, contemnetur, perinde ac si à psittaco proferretur. *Non enim dicit illam in tempore suo.* Sententia enim quamtumuis egregia, si opportunè non dicatur, leporeio amittit. * Orator non laudandus ea conceptibus acutis, sed ex opportunitate, ac proposito, cuius causa afferuntur.]

Orator non est laudandus ex acutis conceptibus, sed ex proposito, quo dicuntur.

Vers. 23. *Est, qui vetatur peccare præ inopia, &c.* Aliquis præ egestate non poterit voluptati concupitæ indulgere: qui tamen dum otiatur cruciabitur, & dolebit, quod à peccato eum prohibeat inopia. Miser ipse non minus, quam si opere deliquisset, siquidem iam prauo peccauit affectu. * Si Sapiens esset, hoc ex capite deberet ei inopia esse gratior, quod eum abstraheret à delicto.]

Paupertas grata debet esse cordato, siquidem eũ abstrahit à delictis.

Vers. 24. *Est, qui perdet animam suam præ confusione*, seu vitioso pudore: *& ab imprudenti persona perdet eam*, seu proptet imprudentis alicuius postulatum aliquod iniquum perentis, cui non audet resistere. *Persona autem acceptione perdet se*, teuerentia scilicet intempestiua, & iniqua. * Vir Sapiens omnia iniqua, procerum licet, postulata viriliter repellet.]

Vir sapiens omnia iniqua postulata viriliter repellit.

Vers. 25. *Est, qui præ confusione promittit amico, &c.* Aliquis amico petenti difficile aliquid promittit se id præstiturum, ne pudore abnegans afficiatur: & cum implere id non potest, aut aduertit se promittere non debuisse resilire decernit: vnde amicus, cui promissio facta fuerit, irascitur, & in inimicum conuertitur.

Vers. 26. *Opprobrium nequam in homine* est *mendacium.* Græcè, *macula*, vituperium, probrum pessimum. * Certè mendacium leue, leuis culpa, Sed quæ grauissimè famam hominis maculat.] *Et in ore indisciplinatorum assiduum erit.* Nam cum exortes disciplinæ sint, quæ veritatis est illustratio, praua menriendi consuetudine deturpantur.

Mendacium leuis culpa, quæ grauiter famam hominis maculat.

Vers. 27. *Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis, &c.* Minus noxius est fur, quàm qui assiduè mentitur. * Nam fur pecunias, mendax famam eripit. Fur ea egestate furatur, mendaa detractor ea petulantia & proteruia falsa profert. Mendax totam familiam, imò Rempublicam conturbat aliquando, fur non ita. Licet furtum vnum vno mendacio peius esse valeat, at non assiduitate mentiendi. Furi pecunias credere prudenter non potes, mendaci autem nulla in re poteris fidere.] Perditio autem vtrique pariter imminet.

Minus noxius est fur quàm mendax.

Vers.

Vers. 28. *Mores hominum mendacium sine honore*, viles scilicet & contemptibiles: *& confusio illorum cum ipsis sine intermissione*; quia passim falsa protulisse deprehenduntur, vnde turpi afficiuntur confusione.

Vers. 29. *Sapiens in verbis producet seipsum:* & homo prudens placebit magnatis. Producit se, seu famam auget apud Principes, quos ad se allicit sapienter loquendo, & vera ac salutaria exhibendo consilia. * Mihi credite, Principes pios eos Ministros magnifacere, qui eis vera proferunt: prudens verò Minister scit veritatis amaritudinem opportunitatis sacchаro ita condire, vt gustui non displiceat.]

Rex pius eos magni æstimat, qui ei veritatē prudenter aperiunt.

Vers. 30. *Qui operatur terram suam, inaltabit aceruum frugum*, altum faciet aceruum, vberes fructus colligendo. *Et qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur*, seu aceruus spiritualium manipulorum virtutis scilicet actuum in cœlum increscet. *Qui verò placet magnatis, effugiet iniquitatem.* Si enim sapit, vt charior sit Principi, debet iustitiam, & virtutem colere. * Raro videris Ministrum iniquum diu Principibus esse gratum.]

Minister iniquus non potest diu Principi esse gratus.

Vers. 31. *Xenia & dona excæcant oculos Iudicum: & quasi mutus, in ore, auertit correptiones illorum.* Vox illa Mutus Græcè φιμὸς id significat, quod ori inseritur, ne loqui quis possit. Munera itaque Iudicum visum adeò offundunt, vt quod eis iniquum ante xenium acceptum erat, iustum post acceptionem muneris esse videatur: Et eorum os claudit, vel obturat munus acceptum, ne valeat iustam sententiam condemnatoriam pronunciare. * Caueant igitur Iudices xenia recipere, quæ quidem eos visu & voce captos efficiunt.]

Munera accepta Iudicem captum visu, & voce efficiunt.

Vers. 32. *Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus*, In thesauro abscondito adeò, vt nullus eo potiatur ad vsum, nulla prorsus inuenitur vtilitas. Talis est thesaurus Sapientiæ, quem quis occultum esse expetit, cum pluribus vtilis esse posset.

Vers. 33. *Melior est, qui celat insipientiam suam, &c.* Insipientia enim absconsa non nocet, cum manifesta noceret: abscondita verò Sapientia non prodest, cum manifesta plerumque prodesset auditoribus.

CAPVT XXI.

Ab omni crimine cauendum, & à peccandi consuetudine Siracides suadet primùm in genere, deinde in specie. Modestiam in moribus, in verbis, in gestibus seruandam esse monet.

1. FIli peccasti? non adiicias iterùm: sed & de pristinis deprecare
vt tibi dimittantur. 2. Quasi à facie colubri fuge peccata: &
si accesseris ad illa, suscipient te. 3. Dentes leonis, dentes
eius, interficientes animas hominum. 4. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.
5. Obiurgatio & iniuriæ annullabunt substantiam: &
domus quæ nimis locuples est, annullabitur superbia:
sic substantia superbi eradicabitur. 6. Deprecatio pauperis ex ore vsque
ad aures eius perueniet, & iudicium festinatò adueniet illi. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris: & qui timet Deum, conuertetur ad cor suum.
8. Notus à longè potens lingua audaci: & sensatus scit labi se ab ipso. 9. Qui
ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme.
10. Stupa collecta Synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.
11. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, &
pœnæ. 12. Qui custodit iustitiam, continebit sensum eius. 13. Consummatio timoris Dei, sapientia & sensus. 14. Non erudietur, qui non est sapiens in bono.
15. Est autem sapientia, quæ abundat in malo: & non sensus vbi est amaritudo. 16. Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius
sicut fons vitæ permanet. 17. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. 18. Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit,
& ad se adiiciet: audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proiiciet illud post dorsum suum, 19. Narratio fatui quasi sarcina in via: nam in labiis sensati inuenietur gratia. 20. Os prudentis quæritur in Ecclesia, & verba illius cogitabunt in
cordibus suis. 21. Tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia: & scientia insensati inenarrabilia verba. 22. Compedes in pedibus, stulta doctrina, &
quasi vincula manuum super manum dextram. 23. Fatuus in risu exaltat vocem
suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. 24. Ornamentum aureum prudenti
doctrina, & quasi brachiale in brachio dextro. 25. Pes fatui facilis in domum
proximi:

proximi : & homo peritus confundetur à persona potentis. 26. Stultus à fenestra respiciet in domum : vir autem eruditus foris stabit. 27. Stultitia hominis auscultare per ostium & prudens grauabitur contumelia. 28. Labia imprudentium stulta narrabunt : verba autem prudentium, statera ponderabuntur. 29. In ore fatuorum cor illorum : & in corde sapientium os illorum. 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. 31. Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur : & qui cum eo manserit, odiosus erit : tacitus & sensatus honorabitur.

COMMENTARII.

1\. *A criminis consuetudine cauendum.*



ERS. 1. *Fili, peccasti ? non adiicias iterum*, ne peccato addas peccatum: *sed de pristinis deprecare* veniam, pœnitudinis affectu, *vt tibi à Domino dimittantur.* * *Deprecare*, idem est *ac te pœniteat* ; ipsa enim peccatoris pœnitudo efficacissima est deprecatio.]

Ipsa pœnitendo peccatoris deprecatio efficax est.

Vers. 2. Quasi a facie colubri fuge peccata : etsi accesseris ad illa, suscipient te. Græcè, *mordebunt te.* Idem est sensus, serpentes enim mordendo eos suscipiunt, qui ad illos accedunt. Illud ipsum ad serpentem accedere, quasi morderi ab illo est : vt edocearis peccatum non mordere, postquam est consummatum, sed illud ipsum committere crimen exitialiter est morderi.]

Illud ipsum committere peccatum, exitialiter est ab ipso morderi.

Vers. 3. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. * Imò diriores sunt peccati dentes dentibus leonis : hic enim morsum corpori infligit, illud verò animam vulnerat, & comminuit.]

Crudeliores dentes peccati leonis dentibus.

Vers. 4. Quasi romphaabis acuta omnis iniquitas, omne peccatum est gladius parte ex vtraque acutus, corpus scilicet & animum vulnerans. *Plaga illius non est sanitas*, dum peccator contumax perseuerat.

2\. *In particulari plura vitia fugienda recenset.*

Vers. 5 Obiurgatio, & iniuriæ annullabunt substantiam, quia qui rixas amant & aliis iniuriam irrogant, verbis acribus eos percutientes, opes coguntur insumere in sui defensionem, adducendo armatos ad sui custodiam, vel addicti ipsi ad Iudicum tribunal. *Et domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia*, seu eam perdent superba illa verba iniuriosa, quæ protulit. *Sic substantia superbi eradicabitur.* * Lis enim nihil aliud assolet esse, quàm substantiæ perditio Litem diues suscipis ? pauper eris.]

Qui litem init, pauper erit.

Vers. 6. Deprecatio pauperis ex ore vsque ad auditum eius perueniet, &c. Vix pauper Dominum deprecatur, cum ab ipso exauditur, & illicò adueniet Dei iudicium & vindicta ei contra eos à quibus accepit iniuriam. Ad illius tribunal tuam affer causam, qui festinato dat sententiam sine opum imminutione, nec cogéris sæcularis iudicij pigritiam sustinere. * Felix conditio pauperis iniuria affecti, apud Dei tribunal causæ eius festinatò deciduntur : quæ apud tribonal sæculare longas patitur moras.]

Pauperis iniuria affecti causa apud Dei tribunal festinatò deciditur.

Vers. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris. Vestigium Latinis idem est quod signum aliquando. * Odisse itaque correctionem, signum est, aliquem iam per viam, & peccatorum vestigia incedere.] *Et qui timet Deum, conuertetur ad cor suum*, seu ex correptione libenter accepta, proficiet.

Odisse correptionem peccatoris signum.

Vers. 8. Notus à longè potens lingua audaci. Potens superbus iis, qui longè absunt, assolet esse notus, nam linguæ suæ petulantia alios solet impetere. * Si a detrahente lingua absentes longéque dissiti feriuntur, quid eis accidet, qui iuxta illum commorantur, & ab eius consuetudine non recedunt?] *Et sensatus scit labi se ab ipso*, illum declinare, & se ab illo submouere.

A detractoris lingua absentes, & præsentes feriuntur.

Vers. 9. Qui ædificat domum suam, &c. Qui auget familiam pecuniis & opibus alienis, furto, vsuris, fraude extortis, est quasi qui ædificat in hyeme, tempore admodum importuno, quando lapides calce compingi, & colligari nequeunt. Græcè, *Quasi qui congregat sibi lapides ad tumulum sepulchri sui*, id est, lapides quibus obruatur viuus, & tanquam tumulo sepulchrali inuoluatur. Quasi diceret, sibiipsi perniciem, & mortem accelerat. * Sepulchrum tibi ædificas, cum alienis opibus furto, aut dolo acquisitis domum construis.]

Sepulchrum sibi ædificat, qui opibus alienis domum construit.

Vers. 10. Stupa collecta Synagoga peccantium, &c. Cœtus peccatorum est quasi manipulorum stupæ plurium colligatio, quos tandem iræ cœlestis ignis absumet.

Vers. 11. Via peccatorum complanata lapidibus, &c. Impiorum via lata quidem est, strata lapidibus, iucunda scilicet, & grata sensibus : sed tamen ducit ad exitium.

Vers. 12. Qui custodit iustitiam, continebit sensum eius, seu assequetur eius intelligentiam, & mentem, nec leges, quam par est, benignius exponet, sine solido fundamento. * Hinc taxantur, qui opiniones nouas infirmo fundamento nitentes insequuntur.]

Taxantur, qui nouas opiniones laxiores sine solida ratione sectantur.

Vers. 13. Consummatio timoris Dei, Sapientia, & sensus. Timoris Dei perfectio, quæ consistit in perfecta legis Dei obseruatione, parit veram Sapientiam, & intelligentiam, adeóque ipsa vera Sapientia est.

Vers. 14. Non erudietur, qui non est Sapiens in bono. Qui non est Sapiens in bono quærendo, & vestigando, veræ Sapientiæ capax non erit, vnde ineruditus euadet. * Vera enim Sapientia est iustitiam sectandam quærere, & vitium obstaculum adiiciens viæ virtutis, declinare.]

Vera Sapientia est, sectari bonũ, malum fugere.

Vers. 15. Est autem Sapientia, quæ abundat in malo, siue solers ad iniquitatem, quam quidem non Sapientiam, sed aptius vocitarim astutiam. *Et non est sensus, vbi est amaritudo*, seu Sapientia non est, vbi adest peccatum, *quod est radix germinans fel. Deut 29.18.* * Insipiens procul dubio est, qui expetens voluptatis potiri dulcedine, amaritudinem sectatur inseparabilem quidem peccati comitem.]

Peccati inseparabilis comes amaritudo.

Vers. 16. Scientia Sapientis tanquam inundatio abundabit, &c. Instar diluuij exundantis erit scientia sapientis, quæ propriis terminis non

contine

continebitur, sed ad illos irrigandos profluet: & tanquam fons perennis nunquam non sitientibus salutare poculum ministrabit.

Vers. 17. *Cor fatui quasi vas confractum, &c.* Quemadmodum liquor vasi confracto immissus profunditur: sic scientiæ dogmata in cor stulti infusa minimè retinentur.

Vers. 18 *Verbum sapiens quodcumque audierit scius*, seu sciens, prudens, sensatus, *laudabit*, commendabit, *& ad se adiiciet* sibi applicabit, in corde recondet. *Audiuit luxuriosus, & displicebit illi, &c.* Idem verbum, quod sapienti placuit, insipienti displicet. * Preme verbum *Audiuit luxuriosus*, quod quidem opponitur illi, *Audierit scius.* Aptè quidem insipiens *luxuriosi*, vocabulo significatur. Vitium enim luxuriæ homines efficit stultescere.]

Vitium luxuriæ homines facit stultescere.

Vers. 19. *Narratio fatui quasi sarcina in via:* molesta scilicet est & grauis, sicut sarcina pedestre iter persequenti. *Nam in labiis sensati inuenietur gratia.* Sal, & lepor, qui ex narratione fatui aufugit, in sapientis narratione inuenietur omnibus quidem grata auditoribus.

Vers. 20. *Os prudentis quæritur in Ecclesia.* Fideles cordati quærunt in consiliis & deliberationibus prudentes viros, qui difficilia negotia expediant. *Et verba illius cogitabunt in cordibus suis*, illa perpendentes, & rationis allatæ efficacitatem. * Liceat τὸ *In Ecclesia de* Templo explicare, vt subtaxem illos, qui ad Templum confluunt ad concionem insipientis audiendam vt sensus eius loquacitate delectentur; cum deberent in Ecclesia prudentes requirere Concionatores, à quibus rectè viuendi consilia edocerentur.]

Taxantur qui Concionatores loquaces, & nō prudētes veritatis assertores quæritant.

Vers. 21. *Tanquam domus exterminata, sic fatuo Sapientia*, inconditè enim, & inordinatè loquitur fatuus, etiamsi alioqui, quæ dicit, bona sint. *Et scientia insensati inenarrabilia verba.* Græcè, *inuestigabilia*, quorum seriem & ordinem retexere nemo potest. * Certè in concione magis cordatis placet prudens ordo, quàm conceptuum acumen.]

In Concione magis placet ordo quā conceptuum acumen.

Vers. 22. *Compedes in pedibus stulto doctrina, &c.* Ideò stultus odio habet Sapientiam, quia quasi compedibus, & manicis illa impeditur, quominus iuxta stultitiam suam, quam amat, nequeat operari.

Vers. 23. *Fatuus in risu exultat vocem suam*, cachinnos excitans immodestè, & incompositè: *vir autem sapiens vix tacitè ridebit.* Græcè, subridebit. Vel in risu Sapientia, & stultitia hominis annotatur.]

In risu Sapientia vel stultitia hominis annotatur.

Vers. 24. *Ornamentum aureum prudenti doctrina: &c.* Vir prudens ornamento præfulgido doctrinæ pulchrior, & omnibus gratior ostentatur quam elegans fœmina aureis stipata monilibus.

Vers. 25. *Pes fatui facilis in domum proximi*, facilè fatuus domum alienam ingreditur: vulgariter, *es entremetido. Et homo peritus confundetur à persona potentis*, alienas domos nón ingredietur, maximè potentium, seu Principum palatia inire verebitur. * Stultorum est, non vocatos ad domos, & causas alienas inuerecundè prosilire.]

Stultus non vocatus se ad domos ingerit alienas, *Es entremetido.*

Vers. 26. *Stultus à fenestra respicit in domum*, si alioqui ingredi non valeat, vt suæ satisfaciat curiositati. *Vir autem eruditus foris stabit*, nec visum in domum alienam introducet. * Vitium quidem stultorum curiositas est.]

Vitium stulti est curiositas.

Vers. 27 *Stultitia hominis auscultare per ostium*, imperitus rusticus (sic Græce) & inciuilis est, qui, vt oculos, sic aures applicat, vt quæ domi fiunt alienæ, cognoscat. *Et prudens grauabitur contumelia.* contumeliosum sibi esse iudicabit huiusmodi curiositatis affectu teneri.

Vers. 28. *Labia imprudentium stulta narrabunt, &c.* ne verbum minùs comptum ex ore labatur.

Vers. 29. *In ore fatuorum cor illorum*, quia inconsultè, & inconsideratè quidquid cogitant effutiunt: *Et in corde Sapientium os illorum.* E contrario Sapientes os habent in corde.* Quia quod os proferre gestit, ad cordis reuocant examen.]

Os prudentis in corde: cor stulti in ore versatur.

Vers. 30. *Dum maledicit impius diabolum, &c.* Diabolus hîc pro dæmone non accipitur, sed in sua primaria significatione, quâ *calumniatorem*, denotat. Impius itaque dum calumniatores execratur, se execratur metipsum, quia etiam ipse ex eorum est numero. * At si velis dæmonem intelligere, peccator dæmonem maledicens seipsum execratur, quia peccator diabolus procul dubio imitatione est.]

Peccator diabolus est.

Vers. 31. *Susurro coinquinabit animam suam, &c.* Susurro labe peccati & infamia apud homines se deturpabit. *Et qui cum eo manserit*, odiosus erit, qui cum eo versabitur cunctis erit odiosus, iudicabunt enim eodem vitio affici. * Homo enim eius quocum assiduè commoratur, mores ebibit.] *Tacitus, & sensatus honorabitur.* Qui quæ audiuit prudenter apud se silentio custodit, nec auribus aliorum ingerit, à cunctis in honore habebitur.

Eius ebibes mores, quocum assiduè commoraris.

CAPVT XXII.

Expendit sapiens, quàm molesti, quàm intolerabiles sint stulti impij: & quænam vitia amicitiam violent.

1. IN lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur su-
per aspernationem illius. 2. De stercore boum lapida-
tus est piger: & omnis qui tetigerit eum excutiet manus.
3. Confusio patris est de filio indisciplinato: filia autem in
deminoratione fiet. 4. Filia prudens hereditas viro suo,
nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris. 5. Pa-
trem & virum confundit audax, & ab impiis non minorabi-
tur: ab vtrisque autem inhonorabitur. 6. Musica in luctu importuna narratio:
flagella & doctrina in omni tempore sapientia. 7. Qui docet fatuum, quasi qui
conglutinat testam. 8. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dor-
mientem de graui somno. 9. Cum dormiente loquitur qui enarrat stulto Sapien-
tiam: & in fine narrationis dicit: Quis est hic? 10. Supra mortuum plora, defe-
cit enim lux eius: & supra fatuum plora, deficit enim sensus. 11. Modicum plo-
ra supra mortuum, quoniam requieuit. 12. Nequissimi enim nequissima vita su-
per mortem fatui. 13. Luctus mortui septem dies, fatui autem & impij, omnes
dies vitæ illorum. 14. Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abie-
ris. 15. Serua te ab illo, vt non molestiam habeas, & non coinquinaberis peccato
illius. 16. Deflecte ab illo, & inuenies requiem, & non acediaberis in stultitia
illius. 17. Super plumbum quid grauabitur? & quod illi aliud nomen quàm fa-
tuus? 18. Arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre, quàm hominem
imprudentem, & fatuum, & impium. 19. Loramentum ligneum colliga-
tum in fundamento ædificij non dissoluetur sic & cor confirmatum in cogitatio-
ne consilij. 20. Cogitatus sensati in omni tempore, metu non depra abitur.
21. Sicut pali in excelsis, & cæmenta sine impensa posita contra faciem venti
non permanebunt: 22. sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impe-
tum timoris non resistet. 33. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui, omni
tempore non metuet, sic & qui in præceptis Dei permanet semper. 24. Pun-
gens oculum deducit lacrymas: & qui pungit cor, profert sensum. 25. Mit-
tens lapidem in volatilia, deiiciet illa: sic & qui conuitiatur amico, dissoluit
amicitiam. 26. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim
regressus. Ad amicum 27. si aperueris os triste, non timeas: est enim concorda-
tio? excepto conuitio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, &
plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus. 28. Fidem posside cum amico in
paupertate illius, vt & in bonis illius læteris. 29. In tempore tribulationis il-
lius permane illi fidelis, vt & in hereditate illius coheres sis. 30. Ante ignem
camini vapor, & fumus ignis inalratur: sic & ante sanguinem maledicta, & contume-
liæ, & minæ. 31. Amicum salutare non confundar, à facie illius non me abscon-
dam: & si mala mihi euenerint per illum, sustinebo. 32. Omnis qui audiet, cauebit
se ab eo. 33. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum cer-
tum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?

COMMENTARII.

1. *Expendit, quàm intolerabiles sint stulti impij.*

ERS 1. *In lapide luteo lapidatus est piger.* Qui etsi possit, non tamen vult fungi officio suo, lapide consputcato sordibus percutitur: *& omnes loquentur super aspernationem illius*, omnes sibilabunt ad eius infamiam. * Tam vilis est omnibus piger, vt passim in eum lutum, & stercora iaciant, & lapides cæno sordidatos: nec tamen condoleat quis tantam infamiam patienti, sed omnes eum risu & sibilis excipiant.] *Piger risui & sibilo est cunctis.*

Vers. 2. De stercore boum lapidatus est piger: & omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus, seu necesse habebit excutere, & expurgare manus sordibus illis infectas. Quasi diceret: Quicumque iuuat, & promouet eiusmodi sordidum hominem, is vna cum ipso fœdatur & confunditur.

ditur, & cum rubore eum pœnitet promotionis. * Ne ad officium hominem ineptum curres promouere, ne illo munus iniunctum male implente, rubore afficiaris.]

Ne adiunes ineptum, vt ad officium assumatur, ne posteà rubore afficiaris.

Vers. 3. Confusio patris est de filio indisciplinato, &c. Praui mores filij parentibus confusionem pariunt: at malè instructa filia, prauè morata, boni nominis parentum minorationem efficiet, seu erit illis causa ignominiæ, nomen, famam eorum lædet, & conuellet. * Vitio enim patentum mali filiorum mores adscribuntur.] * At ex filiarum libidine vberior parentibus infamia accrescit, quàm ex filiorum excessibus.]

Vitio parentum praui filiorum mores adscribuntur.

Vberior infamia parentis filiæ, quā filij libido.

Vers. 4. Filia prudens hereditas viro suo, seu perinde est viro suo vtilis, ac si illi ampla obuenisset hæreditas. Vndè qui coniugis dotem copiosam ambiunt, eurent prudentem, & virtute conspicuam licet pauperem ducere fœminam, quà eum hereditatem amplam acquirit. Huiusmodi enim coniux nunquam otiosa est, labore manuum opes acquirit, à vano sumptu muliebris abstinet ornatus, &c.] *Nam qua confundit, in contumeliam fit genitoris.* Quæ ita se gerit, vt dedecus afferat coniugi, parentibus probro, & ignominiæ est.

Qui am plā cum coniuge ambit dotem, ducat prudentem fœminam, licet inopem.

Vers. 5. Patrem, & virum confundit audax, parenti & marito coniux inuerecunda confusionem inurit: *& ab impijs non minorabitur*, seu impiis non cedet. Par enim erit filiæ libido inuerecundiæ, luxuriæ aliisque vitiis impiorum. Profectò ad parentum & mariti dedecus sufficit in fœmina audacia, seu inuerecundia. * Ipsa verò ex eo vnico vitio ita deturpatur, vt possit eum impiis hominibus computari.] *Ab vtrisque autem inhonorabitur*, eam parentes, & vir in magno despectu habebunt.

Solam libidinis vitium in fœmina illam ita deturpat, vt valeat cum impiis magnis computari.

Vers. 6. Musica in luctu importuna narratio. Intempestiuè tristibus læta miscentur, vndè importuna est musica in luctu: talis autem est sermo à proposito deuians. *Flagella, & doctrina in tempore, Sapientia.* Græcè, *disciplina & correctio in tempore Sapientiæ.* Etsi sermo intempestiuus per se bonus, tamen ingratus & inutilis est, maximè prouidendum, vt correptio in tempore omni Sapientiæ, id est, opportuno tempore adhibeatur, vt proficiat. * Nam si omnia tempus habent, certè in castigatione, vt profit, opportunitas est obseruanda.]

Opportunitas est obseruanda ad correptionem, vt prosit.

Vers. 7. Qui docet fatuum, qui conglutinat testam. Vasa testea rursum conglutinari, & coalescere nequeunt: qui igitur curarit fatuum edocere, æquè laborem perdet, ac ille qui curauerit vasa testea rupta rursum conglutinare. * Indocibilis enim est stultus.]

Fatuus indocibilis est.

Vers. 8. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno. Quemadmodùm enim hîc lethargo pressus statim in somnum relabitur, non percipit, quæ ei dicuntur: ita ille.

Vers. 9. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto Sapientiam, &c. Qui stultum curat Sapientiæ dogmata edocere, existimet se cum homine graui somno correpto loqui. Vndè cum diuturna terminatur oratio, stultus dicit. Quis est, qui me excitauit? quia vult? * Stultos se prorsus ac dormientes se ostendunt auditores, qui post terminatam concionem nihil ex dictis corde retinent.]

Stultum se auditor ostendit, qui terminata Concione nihil corde retinet ex dictis.

Vers. 10. Supra mortuum plora, &c. * Deplorandi stulti quasi mortui, quia sensu, ac Sapientia sunt destituti, quæ est animi vita.]

Plorandus stultus quasi mortuus.

Vers. 11. Medicum plora supra mortuum, &c. In obitu filij, vxoris, parentis, amici, maximè si iustè vixerunt, ne nimium plores, sufficit moderata tristitia, vt geras naturæ morem. Nec enim debes lacrymis nimiis prosequi obitum illius, qui requie est à Domino donatus. * Certè iusti mortem magis debeteres gaudio, quàm lacrymis prosequi.] *

Ne nimium plores in obitu iusti, sed eius requiem sequere.

Vers. 12. Nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui. Deploranda plus est vita scelesta fatui, quàm eius mors, quæ quidem illum pergere in peccando prohibet. * Vitam impij (verè mortem) plora, in eius autem obitu exulta, quia finem peccatis patrandis imposuit.]

Vita impij deploranda est, mors verò lætitia prosequenda.

Vers. 13. Luctus mortui septem dies, &c. Septem diebus mortuo euique in corpore iusta de more persolue: semper autem deplora impij mores, dum viuit, quibus Deum offendit, & sibi ingentia mala accersit.

Vers. 14. Cum stulto ne multum loquaris, &c. Nihil enim sapienter loquendo proficies, & illum comitando plura experieris incommoda.

Vers. 15. Serua te ab illo, illum caue, *vt non molestiam habeas*, ne tibi stultus sit molestus, vel ne particeps sis molestiæ, quæ stultis ab aliis exhibetur: *& non coinquinaberis peccato illius.* Impij enim sociis suis semper aliquid excitant mali, aut in discrimen aliquod eos adducunt. * Nec enim quis sine incommodo poterit cum impio inire societatem.]

Nunquam cum impio sine incommodo societatem inibis.

Vers. 16. Deflecte ab illo, & inuenies requiem: & non acediaberis in stultitia illius, tædio non afficieris ex eius stulta loquela, & ex aliorum ob eam excitata irrisione.

Vers. 17. Super plumbum quid grauabitur? & quod illi aliud nomen quam fatuus? Grauis est & onerosus fatuus, vt plumbum. * Idem sunt & eodem nomine possunt fatuus, & plumbum appellari.

Idem sunt, & eodem nomine appellari possunt fatuus & plumbum.

Vers. 18. Arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre: quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium. Hoc est quod dicitur Prou. 27. *Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtraque grauior.* Preme illud: *Et fatuum & impium.* Innuit, magnam admodùm grauedinem, eum ponderi stultitiæ immensum impietatis pondus adijcitur.]

Importabile peccati onus.

Vers. 19. Loramentum lignorum colligatum in fundamento ædificij non dissoluetur, &c. Alligamentum, siue connexio trabium ædificij (quæ transuersis costis & clauis ligneis quasi loris firmissimè colligantur) non facilè dissoluetur etiam ventorum turbine, vel terræ motu ingruente: sic est cor seu prudens consilium, non citò euertetur. Certè cor prudentis confirmatum, & stabilitum præmeditato consilio non facilè aduersitatibus frangetur, nec metu trepidabit.

Cor prudens præmeditato consilio stabilitū aduersitatibus non frangitur.

Vers. 20. Cogitatus sensati in omni tempore metu non deprauabitur. Propositum, seu resolutio prudentis metu potentum aut alia animi perturba

turbatione non diſſoluetur, nec corrumpetur, ſed firma perſiſtet. * Prudentis enim cordi agnata eſt conſtantia in præmeditata ac iuſta reſolutione]

Prudenti agnata eſt conſtantia in reſolutione iuſta.

Verſ. 21. 22. Sicut pali in excelſis, & camenta ſine impenſa poſita contra faciem venti non permanebunt, &c. Quemadmodùm pali ſeu pedamenta, quibus vites in excelſo loco poſitæ fulciuntur: & ſicut lapides rudes temerè poſiti, & non eo, quo debuit artificio vt hi faciunt, qui parcunt impenſis, quique non tantùm calcis addunt, quantùm eſt neceſſe: vento valido ingruente non ſubſiſtent. Sic cor ſtulti timidis cogitationibus actum concutietur.

Verſ. 23. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui omni tempore non metuet, &c. Quemadmodùm verò idem impij cor adeò trepidum in aduerſis, in omni alio tempore minimè metuit: nam abſente aduerſitate, & periculo audax eſt impius, nec quidquam metuere aſſolet. * Sic prudens iuſtus ſemper etiam in omnibus aduerſitatibus & tribulationibus quietus, ac ſecurus degit, nihil metuens niſi ſulam Dei offenſam, quod negligit impius.

2. *Verſ. 24. Pungens oculum deducit lacrymas, &c.* Quemadmodùm leui punctione oculorum lacrymæ profluunt: ſic qui pungit cor obiurgando, minando, terrendo, laudando, profert ſenſum ſine affectum vel motum iræ, doloris, amoris, gaudij prouocat, & prodi efficit.

Quænam vitia amicitiā ſoluant, oſtendit.

Verſ. 25. Mittens lapidem in volatilia, deiiciet illa, &c. Quemadmodum iactu lapilli quis efficit volucres auolare fugientes: haud aliter iactitato conuitio ſoluitur, & auolat amicitia.

Verſ. 26. Ad amicum etſi produxeris gladium, non deſperes; eſt enim regreſſus. Si vetus amicus eſt ille, contra quem gladium iracundia affectus eduxiſti, de eius regreſſu ad amicitiam conciliandam minimè deſperandum. * Vera enim amicitia patiens eſt, maximè cum videt amicum ex ſubita iracundia fuiſſe arreptum.

Vera amicitia nec vulnere ſoluitur.

Verſ. 27. Ad amicum ſi aperieris os triſte, non timeas: eſt enim concordatio. Ne timeas, amicum à te receſſurum diſſoluta amicitia, quia vultum ei triſtem oſtenderis, vel aliquod verbum minus vrbanum protuleris, facilè enim concordia inter te & illum inſtaurabitur. * Amantium enim iræ lenes redintegratio aſſolet eſſe dilectionis.] *Excepto tamen conuitio, & improperio, &c.* Dum tamen bonum nomen amici probro deliberato macules: & improperio eius actiones non exprobres; & ſuperbus te ſuper eum extollas cum ſpernendo: & arcanum tibi ab eo commiſſum non reueles: & eum dolis, & inſidiis minimè lædere ſtudeas. Quia in his omnibus effugiet amicus, fortè non reuerſurus. * Itaquè conuitium, improperium, ſuperbia, ſecreti reuelatio, & doloſæ inſidiæ perantiquam diſſoluunt amicitiam.]

Amantium leues iræ, redintegratio dilectionis.

Conuitium, improperiū, ſuperbia, ſecreti reuelatio, inſidiæ amicitiam ſoluunt.

Verſ. 28. Fidem poſſide cum amico, &c. Fidelitatem ſerua cum amico inopia preſſo, cum ſubleuans ſi potueris: vt melioris illius fortunæ ſine rubore poſſis eſſe particeps. * Nam qui amicum egentem deſeruit, inuerecundè volet ſuperueniente illi proſperitate ſimul potiri.]

Qui amicū egentem deſeruit, inuerecundè volet proſperitate ſuperueniente ſimul potiri.

Verſ. 29. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, &c. Amicum foue in tribulationis tempore, vt ſi ei melior fortuna arriſerit, bonorum, quæ illi obuenerint, & tu particeps fias.

Verſ. 30. Ante ignem camini vapor, & fumus ignis inaltatur, &c. Quemadmodùm antequam ignis fornacis omninò ſuccendatur, in altum peruolat fumus, & lignorum male ſiccorum vapores: ſic cœdes aut vulnera maledicta, contumeliæ ac minæ præcedunt, ignitæ iracundiæ proxima diſpoſitio.

Verſ. 31. Amicum ſalutare non confundar, non erubeſcam, etiamſi pauper factus ſit: *à facie illius* (de more multorum) *non me abſcondam*, ne ſuccurrere ei cogar: *etſi mala mihi euenerint per illum, ſuſtinebo.* Si amicus paupertate preſſus fuerit, aut inciderit in periculum, ideoque incommodum aliquod ſit ſuſtinendum, patienter, ac fortiter feram.

Verſ. 32. Omnis, qui audiet, cauebit ſe ab eo. Quicumque hæc dogmata vetæ amicitiæ exaudiet, & perceperit, quanta ſint veri amici commoda: cauebit ab illo, ſcilicet ab amico lædendo conuitio, improperio, ſuperbia, ſecreti reuelatione, doloſis inſidiis.

Verſ. 33. Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum (Græcè, *ſigillum cautionis, & prudentia*) *vt non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me*, vt ſcilicet verba illa, propter quæ amicitia diſſolui aſſolet, minimè proferam: & me vitio linguæ perdam, dum perdidero amicum! * Nam qui perdit amicum, ſeipſum procul dubio perdit; vetus enim amicus vita hominis eſt.]

Verus amicus vita hominis.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Continet orationem pro vera Sapientia obtinenda. Monet linguæ vitia cauendas parentes colendos: nemini detrahendum: peccata non iteranda, vagas libidines fugiendas.

1. DOMINE pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum: nec sinas me cadere in illis. 2. Quis superponet in cogitatu meo flagella, & in corde meo doctrinam sapientiæ, vt ignorationibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta eorum, 3. & ne adincrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & incidam in conspectu aduersariorum meorum, & gaudeat super me inimicus meus? 4. Domine pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum. 5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium auerte à me 6. Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me. 7. Doctrinam oris audite filij: & qui custodierit illam, non periet labiis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. 8. In vanitate sua apprehenditur peccator, & superbus & maledicus scandalizabitur in illis. 9. Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. 10. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis. 11. Sicut enim seruus interrogatus assiduè, à liuore non minuitur: sic omnis iurans, & nominans, in toto à peccato non purgabitur. 12. Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. 13. Et si frustrauerit, delictum illius super ipsum erit: & si dissimulauerit, delinquit dupliciter: 14 & si in vacuum iurauerit, non iustificabitur, replebitur enim retributione domus illius. 15. Est & alia loquela contraria morti, non inueniatur in hæreditate Iacob. 16. Etenim à misericordibus omnia hæc auferentur, & in delictis non volutabuntur. 17. Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati. 18. Memento patris & matris tuæ, in medio enim magnatorum consistis: 19. ne fortè obliuiscatur te Deus in conspectu illorum, & assiduitate tua infatuatus, improperium patiaris, & maluisses non nasci, & diem natiuitatis tuæ maledicas. 20. Homo assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur. 21. Duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram, & perditionem. 22. Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat. 23. & homo nequam in ore carnis suæ, non desinet donec incendat ignem. 24. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens vsque ad finem. 25. Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens: Quis me videt? 26. tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. 27. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei huiuscemodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: 28. & non cognouit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. 29. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. 30. Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur: & vbi non sperauit, apprehendetur. 31. Et erit dedecus omnibus eò quòd non intellexerit timorem Domini. 32. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hereditatem ex alieno matrimonio: 33. primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit: secundò in virum suum deliquit: tertiò in adulterio fornicata

nicata est, & ex alio viro filios statuit sibi. 34. Hæc in Ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur. 35. Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum. 36. Derelinquet in maledictum memoriam eius: & dedecus illius non delebitur. 37. Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quàm timor Dei, & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini. 38. Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.

COMMENTARII.

1. *Oratio pro vera Sapientia obtinenda.*



ERS. 1. *Domine pater, & dominator vitæ meæ* (Græcè, *omnium viuentium*) *ne derelinquas me in consilio eorum*, id est, labiorum intemperantium. Qui dominaris toti vniuerso dominare etiam oris, ac linguæ meæ: *nec sinas me cadere in illis.* Faciliùs & aptius ad præcedentem sermonem: Ne me derelinquas in consilio *eorum* fatuorum, & impiorum, nec permittas, me per ea consilia labi, ac perdi.

Vers. 2. 3. Quis superponet in cogitatu meo flagella, seu doctrinam Sapientiæ, quæ quasi flagello fugat fatuitatem? Petit, vt cogitationes eius Sapientia dirigantur, & si aliquando à recto deflectant tramite, castigentur, & reuocentur doctrinæ Sapientiæ flagello. * Et quidem ipsa Sapientiæ dogmata sunt vitiorum flagellum, cum ostendant hominem a recto rationis tramite deuiare.] *Et in corde meo doctrinam Sapientiæ, &c.* Quis in corde meo Sapientiæ præcepta statuat, vt cum per ignorantiam cogitatio, & cor à recta via eos sequens exciderit, Sapientiæ flagella mihi non pareant: & delicta cogitationis & cordis, seu impiorum mores in me non conspiciantur. *Et ne adincrescant ignorantiæ meæ &c. & in aduersariorum meorum*, seu ita cadam, vt aduersarij mei in meo lapsu ac ruina lætentur. *Et gaudeat super me inimicus meus.*

Sapientia est vitiorum flagellum.

Vers. 4. Domine pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum, peccatorum scilicet, superbiæ, libidinis, &c. ne permittas me nec in leui cogitatione delinquere.

Vers. 5. Extollentiam oculorum meorum, seu elationem animi, quæ se per elatos oculos prodit, *ne dederis*, ne permiseris mihi. *Et omne desiderium*, seu concupiscentiam, *auerte à me.*

Vers. 6. Aufer à me ventris concupiscentias, seu ad gulam affectus: *& concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me*, seu ne venereas trahar ad voluptates. * Aptè ingluuiem luxuriæ colligauit. *Ventris concupiscentias. Concubitus concupiscentiæ.* Quia ex gulæ vitio vitium libidinis ingeneratur.] * Preme verbum. *Ne apprehendant me.* Nam luxuriæ vitium sic homines afficit, vt videantur à tenacibus illius brachiis apprehendi, vnde difficilis admodùm erit separatio.] *Et animæ irreuerenti, & infrunitæ ne tradas me.* Græcè *pro irreuerenti*, est impudenti. Cato apud Festum *frunitum*, prudentem vocitat, vnde *infrunitus* erit *imprudens.* Igitur ne me tradi permittas impudentiæ, & imprudentiæ, seu ab anima mea impudentiam, & imprudentiam auertas obsecro.

Ex vitio gulæ vitium libidinis.

Vitium luxuriæ tenaciter hominem apprehendit.

Vers. 7. Doctrinam oris, seu quæ trado circa oris & linguæ moderationem, *audite filij: & qui custodierit illam, non periet labijs*, non peribit propter labiorum excessus: *nec scandalizabitur in operibus nequissimis*, seu nec impinget in grauissimis oris peccatis, qualia sunt periuria, calumniæ, blasphemiæ, detractiones, &c. * Verba iniqua sapiens opera nequissima vocitat, vt innuat peccatorum oris grauitatem.]

2. *Monet, linguæ vitia cauenda.*

Verba iniqua opera vocantur, vt eorum grauitas signetur.

Vers. 8. In vanitate sua apprehenditur peccator, &c. Græcè, pro vanitate, *stultitia ponitur.* In stultiloquio suo peccator deprehenditur, & qui superba verba loquitur, vel proximo detrahit, in labiis, se propter labia impinget.

Vers. 9. Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa, lapsus scilicet multi in iurandi consuetudine. * Nam qui habitum iurandi contraxit, facilè labitur in periuria.]

Qui habitum iurandi habet, facilè labitur in periuria.

Vers. 10. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, &c. Nec per Deum, nec per Diuos assiduè iures. *Quoniam non eris immunis ab eis*, non eris immunis à peccato ea nomina licet non falso, tamen irreuerenter, & temerè vsurpans. * Nec vera iuramento firmare assuescas; venialis enim semper culpa saltem est, sine necessitate iurare.]

Nec verum firmandum est iuramento sine necessitate.

Vers. 11. Sicut enim seruus interrogatus assiduè, à liuore non minuitur, &c. Quemadmodùm enim seruus sæpe examinatus ad flagra damnatus & virgis cæsus, non est sine liuore, & vestigiis plagarum: sic sæpè iurans, & sanctos nominans sine peccato non erit.

Vers. 12. Vir multum iurans, implebitur iniquitate, multa crimina patrare permittetur in huius prauæ consuetudinis supplicium, & sæpè in periuria labetur: *& non discedet à domo illius plaga*, ipse ac domus eius plagis diuinitùs in vindictam immissis atteretur. * Sæpè videris hominem ad iuramenta pronum pluribus iniquitatibus defœdari. *Replebitur iniquitate.*]

Sæpè videris hominem ad iurandum pronum pluribus iniquitatibus defœdari.

Vers. 13. Etsi frustrauerit, si iuramentum promissorium non impleuerit, *delictum illius super ipsum erit*, siue pœna delicti. Profectò aptissimè pro pœna ipsum delictum ponitur; quia illud ipsum in iuramento deliquisse cuiuslibet pœnæ superat grauitatem.] *Et si dissimulauerit, delinquit dupliciter*, si iuramentum illud corrigere, & expiare neglexerit, (Græcè, *despexerit*) duplici delicto se maculabit, primò fallendo, & iuramentum non implendo. Secundò, peccatum hoc non expiando legalibus expiationibus.

Ipsum malè iurare grauissima pœna delicti posset esse.

Vers. 14. Etsi in vacuum iurauerit temerè, inaniter, & sine causa: *non iustificabitur*, non censebitur, in hoc iustè, ac rectè egisse ob leue saltem non necessarij iuramenti piaculum. *Replebitur enim retributione domus illius*. in pœnam huius irreuerentiæ, temporariæ eius res non

prosperè

Vel leuia iurandi piacula Deus rigidè punit.

prospetè gerentur. * Tàm inuisa est, Deo iurandi consuetudo, vt vel leuia iurantis sine necessitate piacula rigidè puniat.]

Vers. 15. *Est & alia loquela contraria morti*, Idest, ex opposito, è regione mortis obiecta, & obnoxia morti. Græcè *vestita morte*. Intelligit iuramentum per idola, vel in genere blasphemiam, quæ morte plecti iubetur *Leuit.* 24. 16. *Non inuenatur in hereditate Iacob*, non sit in populo Israël tale scelus. * Cur autem huiusmodi loquelam morti addictam non nominauit? Quia tam graue crimen, tàm fœdum blasphemia est, vt puduerit Sapienti eam vel in genere nominare.]

Infandum vitium blasphemia est.

Vers. 16. *Etenim à misericordibus omnia hæc auferentur, &c.* Pij & religiosi (sic in Græco) ab hisce delictis omninò esse debent abstracti.

Vers. 17. *Indisciplinata loquela non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati*, siue peccatum inest. Verbum enim Hebraicâ phrasi quamlibet rem significat. * Loquela immoderata nunquam erit à piaculo immunis.]

Immoderata loquela nunquam erit à piaculo immunis.

Vers. 18. 19. *Memento patris & matris tuæ:*
3. *in medio enim magnatorum consistis.* Cum sederis inter proceres ad dignitatem prouectus, ne dissimules, te nosse parentes, etiamsi tenues sint, & abiecti. *Ne fortè obliuiscatur te Deus in conspectu illorum, &c.* Ne fortè, dum versaris inter magnates, aut vnus ex illis es, assiduitate consuetudinis cum proceribus, ex quo superbiam concipies, infatueris, & Deus tuæ decentiæ quasi oblitus permittat, vt quis te dedecore afficiat, & hoc ipsum improperet, quod sis humilis genere, & mente superbus, vnde maluisses doloris sui impatiens natus non fuisse, & diem natiuitatis tuæ imprecationibus afficias. * Disponit Deus, vt qui parentibus negat honorem, in honoris læsione puniatur.]

Parentes honorandos docet.

Qui parentib⁹ negat honorem, in honoris læsione punitur.

Vers. 20. *Homo assuetus in verbis improperij.* Qui habitum contraxit aliis improperandi, aut conuitiandi: *in omnibus diebus suis non erudietur:* difficilè aut nunquam ab huiusmodi consuetudine monitis abstrahetur. * Profectò qui diutius vitio alicui assueuit, ab illo nunquam, aut difficilè admodùm abstrahitur.]

Qui alicui assuescit vitio, rarissimè ab eo abstrahitur.

Vers. 21. *Duo genera abundant in peccatis*, seu
4. peccata multiplicant: *& tertium adducit iram, & perditionem.* Tertium verò genus peccatorum prima duo superans acrem Dei iram, vindictam, & perditionem prouocat.

Alia crimina reprehendit, præcipuè adulterium.

Vers. 22. *Anima calida quasi ignis.* Primum vitium trium horum est ira, quâ homines æstuant: *ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat.* Ardescens ergo homo iracundia, non placatur donec aliquem lædat vel occidat: sicut fames non cessat, donec famescens aliquem cibum deglutiat.

Vers. 23. *Et homo nequam in ore carnis suæ.* Secundùm vitium est, veneris appetitus. Metonymicè *os*, quod est comestionis instrumentum, ponitur pro ipso cibi appetitu. Cibos autem hîc est venus. *Non desinet, donec incendat ignem*, non requiescet in explendo carnis appetitu seu concupiscentiæ, donec ignem succendat in amasia, quam ad malum solicitat.

Vers. 24. *Homini fornicario omnis panis dulcis*, libidinis actus fame quaslibet appetit mulieres siue pulchras, siue deformes. *Non fatigabitur transgrediens vsque ad finem vitæ.* Tenacissima enim & inexplebilis est libido, cuius fames nunquam satiatur.] Tertium deniquè genus est.

Tenacissima & inexplebilis est libido.

Vers. 25. 26. *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum*, siue adulter, *contemnens in animam suam*, seu in animo suo: *& dicens* securitate plenus. *Quis me videt, &c.* Omnia crimina audacter perpetrabit, qui Deum existimat non videre.] Ideò addit.

Audacter omnia crimina perpetrabit, qui Deum existimat non videre.

Vers. 27. 28. *Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius: quoniam expellit a se timorem Dei huiusmodi hominis timor.* Timor huiusmodi hominis adulteri, seu timor humanus, quo solùm humanos oculos timet, seu ab homine videri metuit, expellit timorem Dei omnia videntis & suo tempore punituri. *Et oculi hominum timentes illum: & non cognouit, &c.* Græcè, *Et oculi hominum sunt timor illius solummodo.* Proh hominis stultitia, videri ab hominibus times qui obiecta remota non attingunt, nec occulta scrutantur: & Dei oculos negligis, qui vt profunda penetrant abyssi, occultissimos cordis recessus perspicaciter intuentur.

Vers. 29. *Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita, &c.* Quo modò enim postquam res factæ sunt poterunt Dei oculos effugere, si antequàm fierent in se eas Deus iam aspiciebat?

Vers. 30. *Hic in plateis Ciuitatis vindicabitur, &c.* Quia igitur impius Dei oculus secreta crimina aspicientis non timuit, imò ab eo ignorari sua crimina iactitauit: efficiet Deus, vt in Vrbis plateis per Iudices secreta crimina puniantur: & qui instar pulli equini ad vxorem proximi sui hinniebat (*Ier.* 5. 8.) timore perculsus antequam comprehendatur, fugæ sedabit, & vbi suspicatus non est, tandem comprehendetur, & pœnas dabit.

Vers. 31. *Et erit dedecus omnibus*, sibi scilicet, adulteræ, eius marito, & vtriusque propinquis, *eò quod non intellexerit timorem Domini*, eo quòd Dei aspicientis oculos despexit.

Vers. 32. 33. *Sic & mulier omnis negligens virum suum, &c.* Idem accidet adulteræ vxori, quæ substituit heredem spurium conceptum ex eo, qui alterius fœminæ matrimonio est iunctus. *Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit*, seu inobediens, & infidelis legi. *Secundò in virum suum deliquit*, iniuria illum afficiendo, & fidem datam violando. *Tertiò, in adulterio fornicata est*, etiam adulteri vxori fecit iniuriam, *& ex alio viro filios statuit sibi.* Quartum eius peccatum fuit, iniuriam fuisse in filios legitimos, quibus fratrem non legitimum super induxit, qui cum illis diuidat hereditatem. * En vnicum adulterij peccatum quatuor grauissima crimina continet.]

Vnicum adulterij peccatum quatuor grauissima crimina continet.

Vers. 34. *Hæc in Ecclesiam adducetur, &c.* Huiusmodi fœmina, quæ peccatum suum secretum esse existimat, in cœtum & congregationem populi adducetur, & fiet inquisitio, et à legitimis filij spurij secernantur, infamia notentur, & ab hæreditate excludantur. * Certè rarò videris si non semper id publico fiat iudicio apud tribunal cordis solet ferri sententia, quæ damnat adulteram. Huiusmodi enim ignis semper fumus auolat, & adulterij veritas solet esse populi fabula.]

Rarò videris adulterâ, de qua non fit rumor, & murmuratio in populo.

Vers.

Verſ. 35. 36. *Non tradent filij eius radices*, filij eius non erunt longæui, nec eorum familia ac proſapia radicabitur. *Et rami eius non dabunt fructum*, filij eius liberos non progignent. *Derelinquet in maledictum memoriam eius*, eius memoriæ maledicetur: *& dedecus illius non delebitur.*

Verſ. 37. *Et agnoſcant qui derelicti ſunt*, ſeu qui ſunt ſuperſtites, *quoniam nihil melius eſt, quàm timor Dei, &c.* * Cùm videris peccatorem aliquem ob delicta puniri, exiſtima id Deum te videre diſpoſuiſſe, vt alieno in capite periculum facias, & edocearis, ſatius eſſe Dei præceptis obtemperare.]

Cum rei puniuntur, nos videntes debemus in alieno capite periculum facere.

Verſ. 38. *Gloria magna eſt ſequi Dominum, &c.* Ab eo, qui ſequitur Dominum, longitudo dierum accipietur. * Sicut enim vitia decurtant vitæ curſum: ita virtus hominis producit ætatem.]

Iuſtitia ætatem producit.

CAPVT XXIV.

Sapientia Concionatorem agens, ſeipſam ab origine, ab officijs, à domo, à pulchritudine, à fructibus, ac donis laudat.



1. SAPIENTIA laudabit animam ſuam, & in Deo honorabitur, in
medio populi ſui gloriabitur, 2. & in Eccleſiis Altiſſimi aperiet
os ſuum, & in conſpectu virtutis illius gloriabitur, 3. &
in medio populi ſui exaltabitur, & in plenitudine ſancta admirabitur,
4. & in multitudine electorum habebit laudem, &
inter benedictos benedicetur, dicens: 5. Ego ex ore Altiſſimi
prodiui, primogenita ante omnem creaturam: 6. Ego
feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram:
7. Ego in altiſſimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. 8. Gyrum
cæli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, in fluctibus maris
ambulaui, 9. & in omni terra ſteti: & in omni populo, 10. & in omni gente
primatum habui: 11. & omnium excellentium & humilium corda virtute calcaui:
& in his omnibus requiem quæſiui, & in hereditate Domini morabor. 12. Tunc
præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creauit me, requieuit in
tabernaculo meo, 13. & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Iſrael hereditate,
& in electis meis mitte radices. 14. Ab initio, & ante ſæcula creata
ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram
ipſo miniſtraui. 15. Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter
requieui, & in Ieruſalem poteſtas mea. 16. Et radicaui in populo honorificato,
& in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio
mea, 17. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte
Sion: 18. quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho:
19. Quaſi oliua ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquam in
plateis. 20. ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi
myrrha electa dedi ſuauitatem odoris: 21. & quaſi ſtorax, & galbanus, & vngula,
& gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, & quaſi
balſamum non miſtum odor meus. 22. Ego quaſi terebinthus extendi ramos
meos, & rami mei honoris & gratiæ. 23. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem
odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis. 24. Ego mater pulchræ dilectionis,
& timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. 25. In me gratia omnis viæ & veritatis,
in me omnis ſpes vitæ & virtutis. 26. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis
me, & à generationibus meis implemini: 27. Spiritus enim meus ſuper
mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel & fauum: 28. Memoria mea in generationes
ſæculorum. 29. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc
ſitient. 30. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt.
31. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. 32. Hæc omnia
liber vitæ, & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis. 33. Legem mandauit
Moyſes in præceptis iuſtitiarum, & hereditatem domui Iacob, & Iſraël promiſſiones.
34. Poſuit Dauid puero ſuo excitare regem ex ipſo fortiſſimum, &
in throno honoris ſedentem in ſempiternum. 35. Qui implet quaſi Phiſon
Sapientiam, & ſicut Tygris in diebus nouorum. 36. Qui adimplet quaſi
Euphra

Euphrates sensum : qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis. 37. Qui mit-
tit disciplinam sicut lucem ; & assistens quasi Gehon in die vindemiæ. 38. Qui
perficit primus scire ipsam, & infirmior non inuestigabit eam. 39. Amari
enim abundauit cogitatio eius, & consilium illius ab abysso magna 40. Ego sa-
pientia effudi flumina. 41. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego
quasi fluuij Dioryx, & sicut aquæductus exiui de paradiso. 42. dixi : Riga-
bo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. 43. Et ec-
cè factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare!
44. quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo il-
lam vsque ad longinquum. 45. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, &
inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.
46. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam : & non desinam in progenies illorum vsque in æuum sanctum.
47. Videte quoniam non soli mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatem.

COMMENTARII.

1. *Per prosopopœiam Sapientia se laudatam inducit, ab origine, ab officijs, à domo, &c.*



VERS. 1. 2. 3. 4. *Sapientia laudabit animam suam*, siue seipsam, *& in Deo honorabitur*, seu ad Domini Dei gloriam auctoris sui, *& in medio populi sui gloriabitur. Et in Ecclesiis Altissimi*, in fidelium cœtibus *aperiet os suum. & in conspectu virtutis illius gloriabitur. Et in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta*, seu in fideli multitudine Ecclesiæ *admirabitur*, siue sui admirationem conciliabit, dum loquetur. *Et in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos à Deo benedicetur, dicens.*

Vers. 5. Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. Ego ex mente Dei velut verbum mentis prodiui genita ante omnes creaturas, ideóque primogenita.

Vers. 6. Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens, seu lux, quæ initio mundi creata est, & quarta die aucta, cum Sol fuit factus. *Et sicut nebula texi omnem terram.* Hoc est, quod Gen. 1. dicitur. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.*

Vers. 7. Ego in altissimis habitaui, in cœlo videlicet ; *& thronus meus in columna nubis.* Deus nubibus insidere frequenter in Scripturis dicitur, Psal. 103. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* 8. 9. 10. 11. *Gyrum cœli circuiui sola*, Vox *sola* naturas creatas excludit, nam sine illarum ope cœlum diuina Sapientia circuiuit atque formauit. *Et profundum abyssi penetraui*, id est, profundarum aquarum voragines, quæ fundo carere videntur. *In fluctibus maris ambulaui*, qui quidem ex elatione facili, ex ordinato fluxu, ac refluxu, productione ac contractione Sapientiam commendant Conditoris. *Et in omni terra steti*, stabilitatem ei largiendo. *Et in omni populo, & in omni gente primatum habui.* Nam omnis hominum potestas à Deo procedit. *Et omnium excellentium & humilium corda virtute calcaui.* Nam omnes tam magni, quàm parui diuinæ Sapientiæ subiacent potestati. *Et in his omnibus requiem quæsiui*, in his omnibus regionibus, & gentibus, in quibus dixi me dominari, ac principatum tenere, quæsiui locum & populum, in quo propriè requiescerem per amorem, & gratiam, quique mei cultor esset. * Dei enim requies est, cum hominibus per gratiam habitare.] *Et in hæreditate Domini morabor*, siue in populo fideli, qui est peculium, hæreditas, & Ecclesia Domini : *morabor*, inquam, siue gestio morari. Dei requies est, cum hominibus per gratiam habitare.

Vers. 12. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium : & qui Creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Explicat Sapientia, quodnam suum sit munus, & de seipsa Poëticè loquitur quasi de persona distincta à Deo, cum tamen sit Deus ipse. Facit ergò se velut Dei ministram, vt eius iussa exequatur. Qui, inquit, produxit me, & perpetuo meum habitaculo vtitur, hæc mihi dixit. Neque enim habitauit vnquam Deus in aliquo populo, in quo non etiam habitarit Sapientia, quæ nunquam à Deo diuelli potest, cum ipsa quoque sit Deus.

Vers. 13. Et dixit mihi. In Iacob habita, seu in familia Patriarchæ Iacobi, *& in Israël hæreditare*, in populo Israëlitico hæreditatem, ac possessionem accipe, seu sit Israël hæreditas, ac possessio tua. *Et in electis meis mitte radices*, stabili diuturnáque possessione, populum hunc posside, eúmque plurimis beneficiis exorna. * Nam cum Deus stabile apud iustos obtinet domicilium, innumeris cum beneficiis donat reddens aulam tanto Principi dignam.] Cùm Deus stabile apud iustum habet domicilium plurimis id beneficiis exornat.

Vers. 14. Ab initio, & ante sæcula creata sum, ab æterno ante omnia sæcula, & tempora subsisto. Vocitat Scriptura *Initium*, id quod erat ante tempora, hoc autem erat æternitas. *Et vsque ad futurum sæculum non desinam*, sicut æterna sum à parte anteriori, ita & à posteriori æterna subsisto. *Et in habitatione sancta coram ipso ministraui.* In Tabernaculo, & Templo sacra ministeria per Leuitas, & Sacerdotes obiui, Deóque vera sacrificia (sic Græcus) obtuli.

Vers. 15. Et sic in Sion firmata sum, per Tabernaculum, & Templum, quod in monte Sion per Salomonem ædificaui, firmiterque collocari feci, cum prius tantum Tabernaculum mobile haberem. *Et in ciuitate sanctificata* Ierusalem *similiter requieui.* * Græcus, *In Ciuitate dilecta*, quia scilicet cùm prius fuisset impia, *sanctificata est*. Et quidem Deus speciali affectu prosequitur eos, qui à peccatis recedentes per feruentem pœnitudinem emundantur. Plus amat innocentes, sed in filios, qui ad domum reducuntur, videtur speciali teneritudine deferri, vti in prodigi videre est parabola. *Et in Ierusalem potestas mea.* In hac enim Ciuita- Deus speciali amat affectu pœnitudine feruentes affectos.

te. Pontificiam, ac Regiam dignitatem collocaui.

Vers.16. Et radicaui in populo honorificato, seu in populo Israëlitico, multis à me beneficiis ornato. *Et in parte Dei mei hereditas illius,* pars Dei mei, in qua radices egi, est Dei hereditas. *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea,* in pleno, magnóque cœtu Israël Deo sanctificato.

Vers.17.18. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, quasi cedrus procera & speciosa, quæ in Libani monte conspicitur, excreui. * Cedrus eminet altitudine, recta est, enodis, solida, à corruptione immunis, fructifera, odorata, medica prædita virtute: quas quidem proprietates facilè Sapientiæ accommodabis.] *Et quasi cypressus in monte Sion.* Instar cypressi, quæ in Sion virescit, comatæ, virentis semper, comatæ, vim medicam habentis, odoratæ, pulcherrima ostentor. Quasi *palma exaltata sum in Cades.* In morem palmæ Cades, vel Sion excellentis robore, comarum pulchritudine, duratione, nisu in superna, æqualitate, ac fructu mirificè exaltor. *Et quasi plantatio rosa in Iericho.* Velut rosa Ierichuntina pulchrior reliquis, quæ in Iudea nascuntur, regina florum, veris purpura, odore suauissima, ad medicamina vtilis, appareo.

Sapientia Cedro comparatur, cypresso, palmæ, &c.

Vers. 19. 20. Quasi oliua speciosa in campis, fronde semper virens, diues fructu vtillimo hominibus & necessario, eminens appareo. * *In campis,* scilicet, non solùm in hortis clausis, vt facilior ad me pateat accessus.] * Nec solùm in vrbibus habitat Regiis, sed ad campos pergit, vt à pauperibus ineatur agricolis, quibuscum plerumque diurius ac lætius commoratur.] *Et quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Velut platanus iuxta aquas nascens, & crescens, vt ramorum pompam enutrire possit foliis & ramis lata, vmbram gratissimam in æstu offerens, pulcherrima obiicior, *in plateis.* Vt in vrbium plateis obumbrandi in æstu geram officium, quod iuxta aquas platanus exercit. Qui enim æstu libidinis angitur, vnicum in Deo inuenit refrigerium. Vnde aiebat Salomon: *scio, quod non possum esse continens, nisi Deus dederit mihi. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi.* Aromaticum odorem exhalo, instar cinnamomi, seu canna amomi inter præstantissima aromata numeratæ: & instar balsami aromatizantis seu suauissimè olentis. Et *quasi myrrha electa,* (cuius cortex bis in anno inciditur,) indéque eius liquor emanat: & antequam incidatur cortex exudat stacte. (sic Græcè dicitur) quæ est pars nobilior, purior, & sincerior myrrhæ.) *dedi* suauitatem odoris. * Eligit Sapientia stacti, seu liquori myrrhæ vltrò profluenti comparari, vt innuat obsequia ex prompta ac libera voluntate oblata Deo esse gratissima.]

Diuina Sapientia in cāpis inuenietur inuentu facilis.

Sapientia, seu Deus cum agricolis habitare gestit sinceris.

Obsequia ex libera volūtate oblata Deo gratissima.

Vers.21. Et quasi storax, seu lacryma odorata arboris eiusdem nominis: *& galbanus,* siue resina odorata fruticis, quæ in Syria nascitur: *& vngula,* quæ reperitur in Iudææ paludibus, & odorem suauissimum efflat nardo similis: *& gutta,* seu stacte: *& quasi Libanus non incisus,* siue thus indiuisum, non sectum, cum scilicet sæpius ex eadem incisura lacryma fluens iam hærenti & induratæ superuenit, illique agglutinatur, ac simul concrescit, *vapo-rani habitationem meam,* seu populum Hebræum, in quo mihi habitationem elegi, suauissimo doctrinæ legis meæ odore repleui. *Et quasi balsamum non mixtum purum,* merum, sincerum *odor meus.*

Vers.22. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos. Sicut terebinthus arbor procera, quæ in Syria nascitur, & tenuissimam resinam odoratam profundit, ramos produxi. *Et rami mei honoris, & gratia,* quia ipsi pulchri admodum sunt, & latè fusi, & sub vmbra mea requiescere, gratiam afferet, & honorem.

Vers. 23. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Vitem commendant odor cum florescit, & fructus cum maturus pendet ex palmite. Sapientia autem dicit se in flore fructificare suauitatem odoris. Quia odor ille suauis, quasi possessio fructus iam esse videtur. * Florida & odorata virtutibus iuuenta virilitatis probæ, sanctæ senectutis certum solet esse prænuncium.] *Et flores mei fructus honoris, & honestatis.* Flores enim Sapientiæ sequitur fructus honoris & gloriæ.

Odorata virtutibus iuuēta firmat, & prænunciat totius vitæ probitatem.

Vers.24. Ego mater pulchra dilectionis, Græcè, *bona dilectionis,* quod epithetum additur, vt à turpi & inhonesta distinguatur. Sæpè videtis Sapientiæ studiosos osores esse turpium voluptatum.] *Et timoris, & agnitionis.* Dei, à me homines discunt Deum timere, dum edocentur eum agnoscere. Quis enim agnoscens Dei bonitatem illum non timebit offendere?] *Et sanctæ spei,* quâ scilicet bona cœlestia Dei timore nixi homines sperent. * Hæc spes aptè *sancta* vocatur, quæ rectis nititur in operibus: haud sic impiorum spes, qui vacui bonis operibus, putant inanites se æterna fœlicitate potituros.]

Sapientiæ studiosos turpium osor voluptatum solet esse.

Qui Deum agnoscit, eū timet.

Sancta spes salutis operibus nititur.

Vers. 25. In me gratia omnis via, & veritatis, per me omnis gratia obtinetur, quæ in agnitione veritatis, & quæ in via ad illam est sita. *In me omnis spes vita, & virtutis,* roboris, fortitudinis, præsidij ad rectè operandum, quod est sanctæ spei fundamentum.

Vers.26. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Græcè, A fructibus, qui ex me generantur cedro, cypresso, palma, rosa, oliua, platano, cinnamomo, balsamo, myrrha, &c.

Vers. 27. Spiritus enim meus super mel dulcis. Tribuit sibi hîc spiritum, sicut superiùs animam. Significat autem spiritus sapientiæ naturam de se per legis doctrinam & mirabilia opera replentem homines suauitate. *Et hereditas mea super mel, & fauum;* & possessio sapientiæ, quam asseclis communico, faui superat dulcedinem.

Vers. 28. Memoria mea in generationes sæculorum. Græcè, *Memoriale,* seu lex à me fidelibus relicta, idque in perpetuam possessionem. * Quàm aptè lex idem est ac memoria. Memoria enim Dei homines ad legis obseruationem excitantur.]

Memoria Dei, homo ad legis obseruationē excitatur.

Vers.29. Qui edunt me, adhuc esurient, &c. Cibus & potus sum nunquam fastidium afferens, imò potiùs ad comedendum & bibendum adhuc excitans appetitum.

Vers. 30. Qui audit me, non confundetur, aliquid turpe agens, cuius illum pudere debeat. *Et qui operantur in me, non peccabunt,* qui mihi nauant operam, à peccato erunt immunes.

Vers.

Vers. 31. *Qui elucidant me*, Interpretes mei, qui alios ad Sapientiam erudiunt, *vitam æternam habebunt.* * Elucidare enim sacræ Scripturæ libros non ad auram vanitatis captandam, sed ad Dei gloriam, & proximorum vtilitatem promouendam haud vulgare lignum prædestinationis est.]

Elucidare sacram Scripturam ad Dei gloriam & proximorum salutem signum prædestinationis.

Vers. 32. *Hæc omnia liber vitæ, &c.* Liber legis diuinæ & Scriptura sacra hæc omnia continet, seu præstat. Per eam enim veritas agnoscitur, & fœdera à Deo cum hominibus inita, & promissiones factæ Israëli innotescunt.

Vers. 33. *Legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum*, seu in præceptis iustis: *& hereditatem in domo Iacob*, vt lex & præcepta hæc essent quædam quasi hereditas Israëli filio charissimo: *Et Israël promissiones*, & vt eadem lex promitteret Israëli multa bona, eademque præstaret. * Obseruationem enim legis multa bona in præsenti comitantur, & maiora in futurum insequentur.]

Innumerabilia bona legis affert obseruatio.

Vers. 34. *Posuit Dauid puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum.* Lex promisit seruo suo Dauidi Deum excitaturum Israëli Regem Messiam, (qui quidem tempore, quo hæc Siracides scribebat, exspectabatur) fortissimum ac potentissimum, *& in throno honoris sedentem in sempiternum*, alij, *in throno maiestatis*, semper sessurum. Nam *Regni eius non erit finis Luc.* 1.

Vers. 35. *Qui implet quasi Phison Sapientiam.* Quemadmodum enim Phison seu Ganges multorum fluminum aquis augetur, & exuberat: ita Messias plenam continens Sapientiam, homines docendo profundet. *Et sicut Tigris in diebus nouorum.* Et quemadmodum Tigris impletur aquis dum nouæ fruges verè adolescunt, liquore scilicet niuium tabescentium in montibus: ita Messias cœlestis doctrinæ aquis abundabit.

Vers. 36. *Qui adimplet quasi Euphrates sensum*, seu copiosa intelligentia, prudentia, & Sapientia sensum hominum adimplebit, sicut Euphrates terras aquis. *Qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis*, seu copiosissimis gratiæ & Sapientiæ vorticibus exundabit, sicut Geon messis tempore aquis exuberat.

Vers. 37. *Qui mittit disciplinam sicut lucem*, seu Solis in morem spargentis lucem, Sapientiam sparget: *& assistens quasi Geon in die vindemiæ*, & se ostentans doctrinæ cœlestis plenissimum, sicut Geon vel Nilus in diebus vindemiæ, quo tempore suum accipit, vti Tigris, incrementum.

Vers. 38. *Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non inuestigabit eam.* Qui quidem Messias perfectè cognouit, loquitur vt Propheta, diuinam Sapientiam: & creatura infirmior, seu inferior animus, minor scilicet illo, non plenè eam assequetur, vel apprehendet.

Vers. 39. *A mari enim abundabit cogitatio eius, &c.* Præ mari enim, vel plusquàm mare profundior est cogitatio & consilium, id est, arcana Sapientiæ.

Vers. 40. 41. 42. *Ego Sapientia effudi flumina*, tam materialia irrigantia terras, quàm spiritualia Sapientiæ & prudentiæ animos diluentia. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio*, diuinæ Sapientiæ. Ego quasi fluuius Dioryx per alueum manufactum decurrens, *& sicut aquæductus, exiui de paradiso*, siue instar huius fluminis Dioryx de paradiso cœlesti, seu de Deitate processi. *Dixique: Rigabo hortum meum plantationum*, hoc est, hortum fidelium, vel animam iusti: *& inebriabo prati mei fructum.* Græcè, *arbitrum instam.*] Siue arbores fructum ferentes abundanti irrigatione dogmatum salutarium præparabo. * Plantæ rigantur vt fructus parturiant, non postquam fructus protulerint; dicit autem irrigare fructum quia irrigatis, fructus solet esse certa promissio. Cum accuratè à te tuus animus deuotionis affectu, lectione, ac meditatione irrigatur, existima te fructibus iam potiri.]

Accurata animi irrigatio & quasi fructuum matura possessio.

Vers. 43. 44. *Et ecce factus est mihi trames abundans, &c.* Trames ille, siue fluuius Dioryx adeo aquis intumuit, adeo excreuit, vt iam quandam maris exhiberet speciem. *Quoniam doctrinam quasi ante lucanum illumino omnibus, &c.* Quia doctrinam affero tanquam matutinam auroræ lucem, & in longinquas oras, externas scilicet regiones, & in longinquum tempus illam emicaturam profero. Syrus habet, Et relinquam eam in generationes multas. * Hoc habet doctrina semel à fideli Doctore prolata, generationes dilatatur ad plures; audit enim parens, & filio communicat, hoc sæculum edíscit, & futurum edocet sæculum. Vt appareat quanti meriti sit, docta piaque volumina scribere, quorum doctrina semel ab Auctore prolata, vel edita ad plura sæcula producetur.]

M[illegible] [illegible] doctos ac [illegible] Libros [illegible] bere.

Vers. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, &c.* Non modo vniuersum orbem percurram, sed insuper limbum sanctorum Patrum lumine complebo. Ad hunc quamdiù inibi Patres hæserunt, continuò diuina Sapientia penetrauit suo lumine, & aliis donis: & iam incarnata statim à morte penetrauit etiam quoad animam visitaos omnes mortuos, etiam damnatos, vtpotè omnium Dominus ac Iudex & Sanctos sperantes in Domino gloriæ lumine compleuit. Ergò etiam omnes in Purgatorio tunc constitutos æterna Christus beatitudine donauit.

Vers. 46 *Adhuc doctrinam quasi Prophetiam effundam, &c.* Iam Siracides loquitur. Adhuc, inquit, doctrinam, & dogmata quasi oracula, & arcana Sapientiæ profundam, vt eam Sapientiam requirentibus exaratam relinquam. *Et non desinam in progenies illorum vsque in æuum sanctum*, & non cessabo eos, qui Sapientiam quærunt, salutaribus monitis instruere vsque ad sæculum futurum, vbi Deum videntibus instructio hæc Sapientiæ amplius non erit necessaria.

Vers. 47. *Videte* ô filij, *quoniam non soli mihi laboraui, &c.* me & alios Concionator egregius instruxi. * Probus enim Magister se prius curat instruere dogmata tradens executioni, mox aliis verbo, & exemplo salutaris existit.]

Probus Concionator se primum erudiat, dogmata dans executioni, mox aliis verbo & exemplo doceat.

CAPVT XXV.

Ostendit Sapiens tria, quæ placent Sapientiæ; totidem, quæ displicent. Decem beatitudines describit. Mulierum nequitiæ detestationem exprimit.

1. IN tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram
Deo & hominibus: 2. Concordia fratrum,& amor proximo-
rum, & vir & mulier benè sibi consentientes. 3. Tres spe-
cies odiuit anima mea, & aggrauor valdè animæ illorum:
4. Pauperem superbum:diuitem mendacem:senem fatuum
& insensatum. 5. Quæ in iuuentute tua non congregasti,
quomodo in senectute tua inuenies? 6. Quàm speciosum
canitiei iudicium, & presbyteris cognoscere consilium? 7. Quàm speciosa vete-
ranis sapientia, & gloriosis intellectus, & consilium? 8. Corona senum multa
peritia, & gloria illorum timor Dei. 9. Nouem insuspicabilia cordis magnificaui,
& decimum dicam in lingua hominibus. 10. Homo, qui iucundatur in filiis,
viuens & videns subuersionem inimicorum suorum. 11. Beatus qui habitat
cum muliere sensata, & qui lingua sua non est lapsus, & qui non seruiuit indignis
se. 12. Beatus,qui inuenit amicum verum,& qui enarrat iniustitiam auri audienti.
13. Quàm magnus,qui inuenit sapientiam, & scientiam: sed non est super timen-
tem Dominum. 14. timor Dei super omnia superposuit: 15. beatus homo, cui
donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur? 16. Timor
Dei initium dilectionis eius: fidei autem initium agglutinandum est ei. 17. Om-
nis plaga, tristitia cordis est: & omnis malitia, nequitia mulieris. 18. Et omnem
plagam, & non plagam videbit cordis, 19. & omnem nequitiam, & non ne-
quitiam mulieris: 20 & omnem obductum, & non obductum odientium:
21. & omnem vindictam, & non vindictam inimicorum. 22. Non est caput ne-
quius super caput colubri. 23. & non est ira super iram mulieris. Commorari
leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. 24. Nequitia mu-
lieris immutat faciem eius: & obcæcat vultum suum tanquam vrsus: & quasi
saccum ostendit. In medio proximorum eius. 25. Ingemuit vir eius, & audiens
suspirauit modicum. 26. Breuis omnis malitia super malitiam mulieris, sors pec-
catorum cadat super illam. 27. sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic
mulier linguata homini quieto. 28. Ne respicias in mulieris speciem, & non con-
cupiscas mulierem in specie. 29. Mulieris ira, & irreuerentia, & confusio magna.
30. Mulier si primatum habeat contraria est viro suo. 31. Cor humile, & facies
tristis, & plaga cordis, mulier nequam. 32. Manus debiles, & genua dissoluta,
mulier quæ non beatificat virum suum. 33. A muliere initium factum est peccati,
& per illam omnes morimur. 34. Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum; nec
mulieri nequam veniam prodeundi. 35. Si non ambulauerit ad manum tuam, con-
fundet te in conspectu inimicorum. 36. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te
abutatur.

COMMENTARII.

1. *Tria, quæ Sapientiæ placent, enunciat.*



ERS. 1. *In tribus* (Sapientia ait) *placitum est spiritui meo*, tria hominum genera mihi admodùm placent, *quæ quidem sunt probata coram Deo, & hominibus*, seu quæ tam Deus, quàm homines approbant. * Multa enim ab hominibus approbantur, quæ Deo ingrata existunt.] Sunt hæc.

Multa approbant homines, quæ Deo ingrata sūt.

Vers. 2. Concordia fratrum, * Sæpe enim inter eos, quos arctius natura colligauit, malus solet esse dissidium.] *Et amor proximorum*, quos Deus iubet sicut nos ipsos diligere: *& vir & mulier bene sibi consentientes*, vt scilicet fœmina sentiat quæ viro placent: & vir probo vxoris sensui se accommodare curet. * Pax enim coniugij minimè conseruatur si sensuum conformatio non adsit.]

Malus solet esse inter fratres dissidium.

Pax coniugij non conseruatur, si sensuum sit dissidium.

Vers.

2. *Vers.3.4. Tres species* hominum *odiuit anima mea, & aggrauor valdè anima illorum.* Græcè, *& indignor vitæ.* id est, iodignè fero vitam illorum. *Pauperem superbum.* Nec enim tam mirum est, diuitem efferri ob diuitiarum agnatam vanitatem. * Inuenire autem in paupertatis humiliatione vndè efferaris, maximæ superbiæ est documentum.] *Diuitem mendacem.* Diuites, & potentes, qui neminem timent, neç vllius indigent ope, non ita occasionem habeot mentiendi, vt tenuioris fortunæ homines, qui vt se excuseot, aot incommodum aliquod imminens auertant, in mendacio præsidium quæritant. * Vodè diuitis, Principis, aut poteotis communi existimatione magnum dehonestamentum est meodacium. *Senem fatuum, & insensatum*, qui quidem potuisset ex experimentis plurimis didicisse prudentiam. * Existimo Auctorem loqui de vitiorum insipientia, quæ planè in senibus maius odium conciliat.]

Tria quæ displicent Sapientiæ enumerat.

Maximæ superbiæ est indicium, inuenire in paupertate, vnde efferaris.

Viri potentis mendacium cum maximè dehonestat.

Vitia in senibus maius odium conciliant.

Vers.5. Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies? Propterea in senectute multi sunt fatui aut sensu, aut moribus: quia cum essent iuuenes Sapientiæ, & virtutis præsidia, & ornamenta sibi non quæsierunt. * Senectæ prudentia & virtus in iuuentute est ediscenda.]

Senectæ prudentia, & virtus in iuuenta est ediscenda.

Vers.6. Quàm speciosum canitiei iudicium! posse de rebus rectè iudicare, in senibus est valdè speciosum. *Et præsbyteris cognoscere consilium*; posse senes sanum & prudens consilium suggerere, magoum est senectæ ornamentum. * Vndè è contrario senem nec rectè de rebus iudicare, nec salutare consilium suggerere posse, ingens canorum est iudecentia.]

Ingens senis est indecentia, non posse de rebus rectè iudicare, nec consiliũ sanum suggerere.

Vers.7. Quam speciosa veteranis Sapientia: & gloriosis intellectus, Græcè, *honoratis*, qui scilicet propter ætatem, aut publica munera ab aliis honorantur. * Certè senectuti agnatum est esse gloriosam, seu honoratam, vndè taxantur, qui senes, vt senes, noo reuerentur.] *Et consilium*, posse à prudenti sene capi consilium salutare, egregium est decus senectutis.

Senectus ipsa honorabilis cũctis debet esse, vel præcipuè vt senectus.

Vers 8. Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei Græcè, *gloriatio.* Decus & ornamentum senectutis est perdoctam esse: id autem in quo gloriari debent senes, est, virtutis esse cultores.

3. *Vers. 9. Nouem insuspicabilia cordis*, quæ quidem nemo tanti facienda esse suspicatur in corde suo, vt reuera facienda sunt, ego merito *magnificaui*, seu magnifacienda esse, affirmo: *Et decimum dicam in lingua hominibus.* decimum quod commendabile esse scio, voce palam omnibus enunciabo.

Decem hominum beatitudines describit.

Vers. 10. Homo, qui iucundatur in filiis. Hoc est ex decem beatitudioibus propositis prima. Beatus enim est pater qui multos filios bene moratos habet. *Viuens, & videns, & videns subuersionem inimicorum suorum*, ex qua lætetur, sine piaculo. * Nec enim est peccatum gaudere non quidem de inimici clade, aut morte; sed de eo bono, quod inde mihi sequitur, viribus illius, quibus me iniustè diuexabat, attritis.]

Quomodò liceat de inimici clade, vel morte gaudere?

Vers.12. Beatus, qui habitat cum muliere sensata, seu qui cordatam habet vxorem. * Profectò qui requirunt coniugem pulchram aut diuitem, negligentes quod imprudens existat, beatitudinis loco tartarum ambiunt.] * Prædiues, & pulcherrima est mulier, quæ sensata, ac prudens reperitur. Hinc taxantur, qui si prædiuitem ducant vxorem, existimant, eam pulchritudine, & prudentia redundare.] *Et qui lingua sua non est lapsus* in peccatum aliquod, vel periculum. *Et qui non seruiit indignis se*, siue se viliori. * Magna enim fortunæ calamitas est, cogi ex inopia, aut captiuitate nobilem ignobili seruire.]

Tartaream vitam ambiunt qui ducit stultam vxorem.

Vare sensata diues & pulchra est.

Magna fortunæ ærumna, cogi nobilem ignobili seruire.

Vers.12. Beatus, qui inuenit amicum verum. Non ait, *qui reperit casu*, sed qui *inuenit* post adhibitam diligentiam. * Verus enim amicus difficilis inuentu est.] *Et qui enarrat iustitiam auri audienti*, seu qui discipulos dociles, & obsequentes sortitur. * Doctor Euangelicus non beatus, quod plurimos auditores alliciat suo acumine, & eloquentia; sed quod iustitiæ dogmata ita proferat, vt ab illis aure cordis excipiantur.]

Verus amicus difficilis inuentu.

Doctor Euangelicus non laudatur ex aud[...] multitudine, sed eorum profectu.

Vers.13. Quàm magnus, qui inuenit Sapientiam, & scientiam, &c. Magnus est vir doctrina eximius, sed maior est illo, idiota, qui sanctitudine decoratur. Nam.

Vers.14.15. Timor Dei super omnia superposuit se, super omnia eminet quantumuis illustria. *Beatus* igitur *homo, cui donatum est habere timorem Dei. Qui tenet illum, cui assimilabitur.* * Nulla est tàm pulchra in creatis similitudo, quà possit hominis timentis Deum beatitudo designari.]

Nulla est tam pulchra similitudo, quæ beatitudinem timẽtis Deũ valeat declarare.

Vers. 16. Timor Dei initium dilectionis eius. Timore enim paulatim homo ad amorem progreditur. *Fides autem initium agglutinandum est ei.* Græcè, *Fides autem initium est agglutinationis eius*, principium scilicet adhærendi Deo. Timori ergo & charitati fides tanquam initium & fundamentum omnium bonorum ac donorum præiungi debet.

Vers.17. Omnis plaga, tristitia cordis est, summa calamitas est cordis mœror. *Et omnis malitia, nequitia mulieris*, omne genus malorum in nequitia mulieris continetur. * Propone menti fœminam turpi amore sauciam, eam videbis auaram, gulosam, inuidam, iracundam, desidem ad præcepta: vndè nequitia mulierculæ huiusmodi omnium vitiorum epilogum agit.] 4.

Mulierum nequitiam ponderat.

Mulier libidini addicta omnium vitiorum agit epilogum.

Vers. 18.19.20.21. Et omnem plagam, & non plagam videbit cordis. Videbit, & feret homo omnem plagam, dummodò cordis tristitia non afficiatur: *Et omnem nequitiam*, seu vexam sufferet, & *non* poterit tolerare, *nequitiam mulieris. Et omnem obductum*, Græcè, *omnem obductionem*, seu calamitatem sibi inductam æquanimiter feret, *& non* tolerabit *obductum odientium*, seu calamitatem ex inimicorum malitia profectam. *Et omnem vindictam*, parum grauem esse ducet, *& non* indicabit tolerabilem esse posse, *vindictam inimicorum*, ex qua ipsi iactabundi persistant. Audi Tigurini versionem: *Cedo quamuis plagam, modo non plagam animi, &c.* * Plaga igitur animi, mulieris malitia, impetus odientis, vindicta inimici intolerabilis omnino est.]

Plaga animi malitia mulieris, impetus aut vindicta inimici intolerabilis omnino.

Vers. 22.23. Non est caput nequius super caput colubri, serpentes enim venenum in capite habent, vnde eorum lethifer morsus. *Et non est ira super iram mulieris.* Nam animo fouet odium, venenatis lædit verbis conuitiando, iurgando, lacerando contumeliis, & non semel

Mulier serpenti assimilatur, quia venenum gestat in ore.

vitæ insidiando. * At præcipuè eam serpenti assimilari dixero quia venenum gestat in ore.] *Commorari leoni, & draconi placebit magis*, seu minus nocens erit cum leone, aut dracone commorari, *quam habitare cum muliere nequam.*

Mulier non potest cordis affectus continere, ne prodeant.

Vers. 24. *Nequitia mulieris immutat faciem eius.* Qualis est cordis eius malitia, talis in vultu cernitur. * Nec enim potest suos affectus continere, ne in publicum producantur.] *Et*, si iracundia afficitur, *obcæcat vultum suum tanquam vrsus.* Græcè, *obscurat*, id est, toruum, & horridum vultum ostentat, in morem vrsi: *& quasi saccum ostendit*, seu veluti saccum corrugatum, sordidum, nigritantem obiicit. * Ediscant fœminæ non irasci, saltem ne pulchritudo earum, quam tanti faciunt, non deformetur.]

Pulchræ fœminæ iratæ fœdissimæ apparent.

Vers. 25. *In medio proximorum eius ingemuit vir eius: & audiens suspirauit modicum.* Maritus audita vxoris asperitate coram familiaribus ingemit corde, & suspirium emittit, modicum tamen seu demissum, & quasi in silentio, quia grauiter non audet præ pudore. * Magna quidem ærumna coniux irata, quæ cogit virum ingemiscere.]

Magna ærũna cõiux iracunda, quæ virum cogit ingemiscere.

Vers. 26. *Breuis omnis malitia super malitiam mulieris, &c.* Peccatores, scelerati pro sua portione mulierem nequam sortiantur, & habebunt abundè pœnæ, ac supplicij. * Magnum enim supplicium hîc scelerati mariti est coniugem nequam habere.].

Scelerati mariti magnũ supplicium est, cõiugem nequã habere.

Vers. 27. *Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, &c.* Quemadmodum senem fatigat cliuus aliquis arenosus, si per illum sit ascendendum: ita maritum sedatum, & grauem mulieris fureoris intemperantia linguæ fatigabit.

Vers. 28. *Ne respicias in mulieris speciem, &c.* Si vxorem sis ducturus, ne attendas ad corporis pulchritudinem, putans, eam esse argumentum probitatis. Viridi, & pulchra latet anguis in herba.

Vers. 29. *Mulieris ira, & irreuerentia, & confusio magna*: ingens est fœminæ iracundia in quoslibet, irreuerentia etiam in maritum, ex quo confusio seu dedecus oritur.

Vers. 30. *Mulier si primatum habeat*, vel viri inertia, qui quodammodo videtur vxori suæ nupsisse, vel quia ipsa nobilior, & amplè fuerit dotata: *contraria est viro suo*, molesta, grauis, ius voluntati, ac iussis, repugnans. * Vndè prudens est, qui vxorem & nobilitate, & opibus quærit æqualem; etsi æqualis non inueniatur, satiùs illi erit inferiorem, quàm superiorem sortiri.]

Prudens, qui curat vxorẽ nobilitate, & opibus æqualem inuenire.

Vers. 31. 32. *Cor humile, & facies tristis, &c.* Mulier nequam marito causat cor humile, abiectum, & vile, vultum tristem ex interno mœrore, vulnus in corde sæpè lethale. Deniquè *manus debiles, & genua dissoluta.* Verbo vno, facit illum tùm animo, tùm corpore succumbere. En denique talis est, & talia gerit mulier, *quæ non beatificat virum suum*, seu beatum non facit, vt deberet, sed potius illum miserum, & infelicem reddit.

Vers. 33. *A muliere Eua initium factum est peccati, & per eam omnes morimur.* Ipsa enim marito pomum porrexit, & edendi acuit appetitum, mater viuentium vocitata, sed quæ conuenientius morientium parens possit compellari.

Vers. 34. *Non des aquæ tuæ exitum, &c.* Ne per minimam quidem rimam aquæ, quam retinere vis, exitum præbeas, si non velis totam efflui. Sic si vel leuiter mulieri nequam indulgeas, vt liberè prodeat, quò volet, & quod placitum erit illi, agat: ipsa te dominum excutiet, & domum tuam, & familiæ tuæ honorem euertet. * Edoceris: ex parua indulgentia in leuibus, grauem prouenire transgressionem. * Vnde vxori parum morigeratæ nec leuiter indulgendum in iis, quæ puritati obesse possint.]

Ex parua indulgentia in leui periculo, grauis transgressio prouenire potest.

Vxori immorigeratæ nihil indulgendum.

Vers. 35. *Si non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum.* Nisi illam custodieris, & apud te habueris quasi ad manum, te dedecore afficiet, & ab inimicis tuis irrideberis.

Vers. 36. *A carnibus tuis*, seu à corpore tuo, à te *abscinde illam*, per diuortium (olim per libellum repudij) Græcè additur, *& da*, scilicet libellum repudij, quod tunc licitum erat. * Huiusmodi tanto malo nullum aliud remedium, quàm resectio.] Separa ergo illam à te, *ne semper te*, seu tua patientia & moderatione animi tui *abutatur.*

Sunt mala, quibus nullum remediũ nisi resectio.

CAPVT XXVI.

Mulierem prudentem commendat, zelotypam vituperat. Et alia quædam vitia Sapiens reprehendit.



1. MVLIERIS bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. 2. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. 3. Pars bona mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis: 4. diuitis autem & pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris. 5. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea meruit: 6. Delaturam ciuitatis, & collectionem populi, 7. calumniam mendacem, super mortem omnia grauia: 8. dolor cordis & luctus, mulier zelotypa. 9. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. 10. Sicut boum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam:

quam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. 11. Mulier ebriosa, ira magna: & contumelia, & turpitudo illius non tegetur. 12. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur. 13. In filia non auertente se, firma custodiam: ne inuenta occasione vtatur se. 14. Ab omni irreuerentia oculorum eius caue, & ne mireris si te neglexerit. 15. sicut viator sitiens, ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat. 16. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit. 17. Disciplina illius, datum Dei est. 18. Mulier sensata & tacita, non est immutatio eruditæ animæ. 19. Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata. 20. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. 21. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius. 22. lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem. 23. Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. 24. Fundamenta æterna supra petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ. 25. In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. 26. Vir bellator deficiens per inopiam: & vir sensatus contemptus: 27. & qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad rhomphæam. 28. Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt, difficilè exuitur negotians à negligentia: & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.

COMMENTARII.

1.

Mulierem prudentem commendat.



ERS. 1. *Mulieris bonæ beatus vir*, beatū hoc in sæculo se existimet, qui vxorem probam fuerit sortitus. *Numerus enim annorum illius duplex*, duplo diutiùs viuet, & lætius. * Qui enim non probam coniugem ducit vitam agens tristem, ex annorum numero detrahit.]

Qui coniugem prauam ducit ex annorum numero detrahit.

Vers. 2. *Mulier fortis* strenua, prudens *oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit*, seu efficit, vt vir quietum, & tranquillum æuum agat, seu in senectute bona moriatur.

Vers. 3. *Pars bona, mulier bona*, sortem bonam adeptus est, qui probam mulierem sibi coniugio aptauit. *In parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Tanquam pars & sors debita timentibus Deum, dabitur viro iusto tanquam rectè factorum præmium. * Sicut enim praua vxor peccatori in supplicium aptatur: ita proba coniux à Domino datur viro iusto, vt vel hîc præmium virtuti debitum incipiat accipere. Nam fortis vxor in causa est, vt maritus vel in hoc sæculo gloria quodammodo potiatur.

Proba vxor datur iusto in partem præmij virtutis, per eā enim, vel hic vir quasi in gloria viuit.

2.

Zelotypam fœminam taxat.

Vers. 4. *Diuitis autem & pauperis cor bonum, &c.* Maritus vel diues sit, vel pauper si probam duxit vxorem æquè hîc potitur beatitudine; cor enim eius lætitia afficitur omni tempore, cuius in vultu exprimit documenta. * Dixit notanter. *Diuitis, & pauperis*, vt innuat, non esse molestam paupertatem, si grata sit vxor.]

Non erit molesta marito paupertas, si grata sit vxor.

Vers. 5. *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit.* Tria cor meum timore afficiunt, sed alia additur quarta quidem timoris occasio adeo dira, vt cogat me cordis timorem ad faciem producere, quasi eum non potuerim dissimulare. Quæ sunt hæc?

Vers. 6. 7. *Delaturam ciuitatis*, cum scilicet quis in ciuitate male audit, & passim omnium linguis configitur. *Et collectionem populi*, tumultum, & seditionem vulgi, in qua viget audacia, & omnis exulat reuerentia. *Calumniam mendacem*, cum falso hominibus crimen adscribitur, quod minimè perpetrarunt. *Super mortem hæc tria omnia grauia sunt.* Attamen.

Vers. 8. 9. *Dolor cordis, & luctus mulier zelotypa*, non solùm est timor, sed & vulnus, & mors cordis vxorem zelotypam habere. *In muliere zelotypa flagellum linguæ*, querelis enim, ex postulationibus, &c. maritum suum flagellat, *omnibus communicans.* Hoc mulierum zelotyparum ingenium, vt de suis suspicionibus passim cum omnibus loquantur. * Igitur coniugem zelotypam tolerare vincit longo interuallo molestiam, quæ ex mala fama, & vulgi tumultu, ex calumnia mendaci, assolet hominibus excitari.]

Grauior molestia ex coniuge zelotypa accipitur, quā ex mala fama tumultu vulgari, & calumnia.

Vers. 10. *Sicut boum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam.* Græcè *sicut iugum boum, quod concutitur*, ac proinde inæqualiter procedit: adeóque & boues turbat, & opus: ita & mulier nequam, seu zelotypa, inquieta, non est solatio viro suo, sed impedimento, ac detrimento. *Qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.* * Qui huiusmodi fœminæ manum dat in coniugio, existimet se scorpionem exitialem duxisse.]

Qui vxori zelotypæ dat manū, scorpionem in coniugem duxit.

Vers. 11. *Mulier ebriosa, ira magna*, ad magnam iram concitat maritum ipsaque vino æstuans est iracunda. *Et contumelia, & turpitudo illius non tegetur*, quia ipsa vociferans, & stulta garriens suam prodit intemperantiam. * Aptè contumeliam hanc ebrietatis cum turpitudine Auctor colligauit. *Contumelia, & turpitudo.* Quia scilicet mulier vino indulgens plerumque turpis ostentatur ex Venere.]

3.

Ebriosam reprehendit, & salacem.

Plerumque mulier vino indulgens, turpis ex Venere, ostentatur.

Vers. 12. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum.* Mores inhonesti, seu vitæ turpitudo in oculorum inuerecundia apparet: *& in palpebris illius agnoscitur.* * Certè ex oculis vagis, & nutibus indecentibus animus impudicus facilè deprehenditur.]

Immodesta oculorum diuagatio animum impudicum manifestat.

Vers. 13. *In filia non auertente se*, Græcè *In filia inuerecunda*, quæ non se auertit à virorum aspectu,

aspectu,sed cum eis init sermonem, *firma custodiam*, id est, specialissimam cautelam adhibe circa custodiam illius ; *ne inuenta occasione vtatur se*, seu corpore suo impudicè abutatur.

Filia, quæ se à colloquiis virorum non auertit, signū dat,se ad delictum occasionem quærere.

* Nam qui se non auertit à virorum colloquiis, indicamentum dat,se ad delictum captare occasionem.]

Vers. 14.15. *Ab omni irreuerentia oculorum eius caue.* Omnes aspectus illius parum modestos, aut inuerecundos suspectos habe : *& ne mireris,si te neglexerit.* Si cum ea fueris remissus & indulgens,non miteris,si ad peccandum audentior extiterit. *Sicut viator sitiens ad fontem, os aperiet,& ab omni aqua proxima bibet.* Vt viator valdè sitiens ab aqua etiam cœno infecta non abstinet : ità salax adolescentula, quacumque oblata occasione, libidini suæ obsequeretur,

Multæ filiæ nobilium ex incuria parētum vili Veneri paruerunt.

* Plures vidisti adolescentulas nobilium filias ex incuria parentum vili admodum Veneri paruisse. *Et contra omnem palum sedebit, &c.* Et quemadmodum viator fessus de via quicumque arbore inuenta, sedet, illique hærescit : & sicut pharetra excipit sagittas quasuis, donec rumpatur : Ita filia inuerecunda sitim libidinis explere tentabit ex obuio quocumque,prostituet se ad omnem angulum,& quosuis amasios excipiet, donec omnino lassata succumbat.

Redit ad mulieris probæ commendationem.

4. *Vers.* 16. *Gratia mulieris sedula*, seu bonum, quod in muliere sedula reperitur, *delectabit virum suum : & ossa illius impinguabit*, hilarem virum faciet. Vt enim animi mœror corpus emaciat, ita mens hilaris floridam facit ætatem, ac corpus impinguat.

Vers 17. *Disciplina illius datum est Dei.* Græcè, *scientia* huius mulieris, prudentia, solertia est munificentissimi manus Dei munus.

Vers. 18. *Mulier sensata, & tacita, non est immutatio erudita anima* Si nactus sis vxorem prudentem, & quæ commissa sibi arcana tacita apud se celare valeat, nulla res erit, cuius pretium cum sorte tua sit conferendum. Porrò vò *immutatio* Græcè significat id,quod quis loco pretij dat,vt aliquid aliud accipiat.

Vers. 19. *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata.* Cumulus gratiarum continetur in muliere sancta, Græcè *fideli*, & verecunda.

Vxor fidelis marito,se sāctam manifestat.

* *Sancta* itaque idem est ac *fidelis*. Vxor enim quæ fidelitatem seruat obediens marito, thorum reuerens,secreta custodiens se sanctam esse manifestat.]

Vers. 20. *Omnis autem ponderatio non est digna continentis anima.* Quantumuis magnum pondus auri & argenti non est dignum pretium, quo coniux casta, verecunda, prudens valeat comparari. Nam

Vers. 21. *Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, &c.* Quemadmodum enim Sol, dum in montium verticibus nascitur mundum illustrat : sic mulieris bonæ pulchritudo lux quædam est & ornamentum domus.

Vers. 22. *Lucerna splendens super candelabrum sanctum, &c.* Sicut candelabrum aureum, quod erat in tabernaculo ante sancta sanctorum continuò fulgorem emittebat: sic pulchritudo corporis & moderatio animi diu in domo perseuerat, vt scilicet eam regere,marito adesse, & liberos educare valeat.

Vers. 23. *Columna aurea super bases argenteas. &c.* Et sicut pretiosæ & omnibus caræ sunt columnæ aureæ basium argentearum firmamento nitentes : sic pretiosi,ac cari sunt pedes prudentes mulieris super plantas firmas ac stabiles. Vt scilicet tam pedum,quàm plantarum motus, siue incessus non sit vagus,& leuis; sed grauis,rarus, nec nisi necessarius.

Vers. 24. *Fundamenta aterna supra petram solidam,&c.* Quemadmodum fundamenta, quæ viuo lapidi imponuntur propemodum æterna sunt : ita diuina lex in corde mulieris sanctæ firmiter sedet tanquam in solido fundamento.

Vers. 25.26.27. *In duobus contristatum est cor meum,&c.* E duobus fortunæ euentibus, qui se 5.

Alia vitia carpit.

mihi non semel offerunt, tristitia afficior : at ex tertio alio casu iracundiam concipio. *Vir bellator deficiens per inopiam.* Primus est,cum vitio quidem Principis video strenuum militem inopia premi.

Taxantur Reges, qui milites finūt inopia premi.

* Quis non mœrore tabescat,dū aspicit tot ciues diuitiis affluentes sine vitæ, ac commoditatis dispendio:& simul videt milites vulneribus plenos,vacuos opibus. Annon incuria Principis, qui deberet vbertim dona conferre in eos,qui illius obsequio vitam litare minimè dubitarunt?] *Et vir sensatus contemptus.* Deinde concipio tristitiam,si quando mihi obiicitur vir sapiens traditus obliuioni, quod fauore magnatum caruerit, dum inferioris admodum meriti multi sedes præcelsas occupant. *Et qui transgreditur à iustitia ad peccatum.* Me denique tertium hoc iracundia succendit : nempe cum quis à virtute deficit ad nequitiam. *Deus parauit eum ad rompheam.* De huiusmodi hominis salute iam est actum, cædi est destinatus æternæ.

Nequitia intolerabilis digna tartaro deflectere à virtute in peccatum.

* Iustè quidem Siracides irascitur. Intolerabilis enim nequitia est, statum felicissimum virtutis, cum infelicissima peccati sorte commutare : & post experimentum dulcedinis, quam proba conscientia suo ministrat in epulo, ad diram peccati, & dæmonis vltro descendere seruitutem.]

Vers. 28. *Dua species difficiles, & periculosa mihi apparuerunt*, seu duo hominum genera. *Difficilè exuitur negotians à negligentia*, legis diuinæ; nam in Græco est dictio, quæ peccatum significat.

Nimia lucri cupiditas efficit, mercatorē illicita admittere.

* Magna cupiditas lucri efficit, vt mercatores diuina aliquando negligant.] *Et non iustificabitur caupo à peccatis labiorum*, seu institor, & mercator non erit immunis à mendaciis, & periuriis.

Mendacia,& periuria familiaria mercatori, & artifici.

* Quæ quidem mercatoribus, & artificibus valde sunt familiaria.]

CAPVT

CAPVT XXVII.

Ostendit Siracides, auaritiam multorum malorum esse causam. Linguam regendam, amicorum arcana non reuelanda docet.

1. PROPTER inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locuple-
tari, auertit oculum suum. 2. Sicut in medio compaginis la-
pidum palus figitur, sic & inter medium venditionis, & em-
ptionis angustiabitur peccatum. 3. Conteretur cum de-
linquente delictum. 4. Si non in timore Domini tenueris
te instanter, citò subuertetur domus tua. 5. Sicut in per-
cussura cribri remanebit puluis, sic aporia hominis in cogi-
tatu illius. 6. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribu-
lationis. 7. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex
cogitatu cordis hominis. 8. Ante sermonem non laudes virum: hæc enim
tentatio est hominum. 9. Si sequaris iustitiam, apprehendes illam: & indues
quasi poderem honoris, & inhabitabis cum ea, & proteget te in sempiternum,
& in die agnitionis inuenies firmamentum. 10. Volatilia ad sibi similia con-
ueniunt: & veritas ad eos, qui operantur illam, reuertetur. 11. Leo venationi
insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitates. 12. Homo sanctus in sa-
pientia manet sicut Sol: nam stultus sicut Luna mutatur. 13. In medio insensato-
rum serua verbum tempori: in medio autem cogitantium assiduus esto. 14. Nar-
ratio peccantium odiosa, & risus illorum in deliciis peccati. 15. Loquela mul-
tum iurans, horripilationem capiti statuet: & irreuerentia ipsius obturatio aurium.
16. Effusio sanguinis in rixa superborum: & maledictio illorum auditus grauis.
17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum
suum, 18. Dilige proximum, & coniungere fide cum illo. 19. Quòd si denu-
daueris absconsa illius, non persequeris post eum. 20. Sicut enim homo, qui
perdit amicum suum, sic & qui perdit amicitiam proximi sui. 21. Et sicut qui
dimittit auem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, & non eum capies.
22. non illum sequaris, quoniam longè abest: effugit enim quasi caprea de laqueo:
quoniam vulnerata est anima eius. 23. vltrà eum non poteris colligare. Et male-
dicti est concordatio: 24. denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ
infelicis. 25. Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abiiciet: 26. in con-
spectu oculorum tuorum condulcabit os suum, & super sermones tuos admi-
rabitur: nouissimè autem peruertet os suum, & in verbis tuis dabit scandalum.
27. Multa odiui, & non coæquaui ei, & Dominus odiet illum. 28. Qui in altum
mittit lapidem, super caput eius cadet, & plaga dolosa, dolosi diuidet vulnera.
29. Et qui foueam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offen-
det in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. 30. Facienti nequissimum
consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet vnde adueniat illi. 31. Illu-
sio, & improperium superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi. 32. Laqueo
peribunt qui oblectantur casu iustorum: dolor autem consumet illos antequam
moriantur: 33. Ira & furor, vtraque execrabilia sunt, & vir peccato continens
erit illorum.

COMMENTARII.

1. *Auaritiam reprehendit.* ERS. 1. *Propter inopiam multi deliquerunt.* Multi peccant, vt inopiam præsentem, vel imminentem fugiant, mendaciis, furtis, fraudibus: fœminæ etiam vulgando corpus, &c. *Et qui quærit locupletari, R. P. Ant. de Escob. & Mend. SS. Scriptura tom. V. auertit oculum suum*, à diuina lege & præscripto virtutis.

Vers. 2. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, &c. Quemadmodum stipes, circa quem paries ædificatur, omni ex parte lapidibus premitur; ita inter vendentes & ementes quoddam certamen est, quo decipere se inuicem contrahentes conantur, & ad se vtilitatem trahere, etiamsi cum peccato coniuncta sit: quod

est ad seipsum peccatum trahere, & illud quodammodo premere, illique adhærescere.

Vers. 3. Conteretur cum delinquente delictum. Delictum ita sibi adhærentes peccatores secum trahet in ruinam & in præsenti & in futuro. * In præsenti quidem, quia quod iniustè acquiritur in causa est, quod & benè parta bona perdantur cum ipso: vnde qui acquisiuit, miserabili inopia premitur.]

Opes iniustè acquisitę perdūt bona iustè possessa, & ipsæ simul perduntur.

Vers. 4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. Si quæ dolis, ac furto acquisiisti, illicò non restituas, *citò* quæcumque possides destruentur. * Ne vel modico tempore male partis opibus perfruaris: & dicere possis vel modicam vtilitatem, aut augmentum ex furata pecunia percepisse.]

2.

Iustitiam suadet.

Nullam potes percipere ex furatis opibus vtilitatem.

Vers. 5. Sicut in percussura cribi remanebit puluis, &c. Puluis hic idem est ac *furfur*, in Græco, *aporia* significat *tristitiam*. Quemadmodum igitur cum cribro farina à furfuribus separatur, tennior ac melior pars per foramina defluit, in cribi verò dorso furfures remanent; ita cum quis mente perturbatus animo voluit, quæ illi contra voluntatem acciderunt: lætæ cogitationes auolant, quas oportuisset retinere; remanent verò tristes, & animum *aporia*, id est, angustia fatigantes.

Vers. 6. Vasa figuli probat fornax, &c. Quemadmodum vasa testea fragilia cum sint, ignitæ fornacis possunt vim sustinere, & inde magis roborantur: ita homines fragilitate terrea pressi tribulationum ignem sustinent, ac fortiores euadunt.

Vers. 7. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, &c. Quemadmodum cultura arboris fructus indicat: ita verbum quasi fructus & partus cordis, quale sit cor, & quomodo cultum fuerit, ostendit. * Operæ pretium est, prudentiæ verborum studere, quæ quidem totam cordis propalant essentiam.]

Verba cordis declarant cōditionem, siue essentiam.

Vers. 8. Ante sermonem non laudes virum, &c. Antequam viri sermonem audias, ne illum laude efferas. Verba enim hominis sunt probatio, id est, verba probant, an homo laudari debeat, an reprehendi?

Vers. 9. Si sequaris iustitiam, apprehendes illam. Facilius enim, quàm homines putant, virtus apprehenditur ab iis, qui eam diligenter sectantur: *Et indues quasi poderem honoris*, seu vestem vsque ad pedes demissam, vestem, inquam, talarem, quæ te honestet, & omni ex parte foueat, & tegat. *Et inhabitabis cum ea, & proteget te in sempiternum: & in die agnitionis, inuenies firmamentum.* Siue in die iudicij, cum Dominus de cuiuscumque bene aut malefactis cognoscet Sapientiæ firmamento inconcussus insistas, & innitaris.

Vers. 10. Volatilia ad sibi similia conueniunt, &c. Sicut aues ad eas quæ sunt generis eiusdem se conferunt; ita veritas (practica & moralis, quæ est virtus, & iustitia) eos fugit, qui iusti, ac virtute præditi non sunt, tanquam sibi dissimiles, & ad eos se confert, qui illam colunt, & cum illis commoratur.

Vers. 11. Leo venationi insidiatur semper, &c. Quemadmodum leo semper infirmioribus animantibus insidias collocat, & quæ capit, ac deuorat: ita peccatorum suorum dentibus homines comminuuntur. * Peccatum, quod dulcedinem parare videtur, leo equidem truculentissimus est animam & corpus hominis voraturus.]

Peccatum leo est homines comminuens.

Vers. 12. Homo sanctus in Sapientia manet sicut Sol, constantiam seruans & sibi semper similis, instar solis quotidie nascentis eundemque spargentis fulgorem. *Nam stultus sicut luna mutatur*, varius est, inconstans, modò hilaris, modò tristis: iam iracundia affectus, iam pacatus, &c. * Impium semper videris cunctis in rebus inconstantem, solùm in delinquendo sibi constat.

Impius in omnibus inconstans ostenditur.

Vers. 13. In medio insensatorum serua verbum tempori, id est, ad aliud tempus opportunum: importunè enim & inutiliter profertur sermo audientibus insensatis, qui ex illo non proficiunt. *In medio autem cogitantium assiduus esto*, colloqui frequenter cura cum illis, qui sunt meditabundi, id est, qui quod loquuturi sunt, prius meditantur, vt in loquendo prudentiam, & circumspectionem edificas. * Meditanda enim verba, prius, quàm proferantur.]

3.

Linguam frænandam monet.

Meditanda verba prius, quam proferantur.

Vers. 14. Narratio peccantium odiosa, seu odio digna, quia aut peccatum, aut peccati adducit periculum. Quare in Græco est, *offendiculum*. * Dum enim impij suas narrant, & non semel mentiuntur, libidines, audientium prauum excitant ad similes voluptates affectum.] *Et risus illorum in delitiis peccati.* Sibi enim peccatores placent in criminibus, & in eorum narratione deliciantur.

Impii, qui suas narrant libidines, audientibus offendiculum apponunt.

Vers. 15. Loquela multum iurans horripilationem capiti statuet, horrorem incutit, adeo vt capilli erigantur, quod iis accidit, qui subito pauore cohorruere. * Et quidem impius est Dei ac Christi nominis osor, qui exaudiens passim multum iurantes homunciones non exhorret.] *Et irreuerentia ipsius, obturatio aurium.* Piæ enim aures irreuerentiam iurantis ferre non possunt. Iudæi olim blasphemiam audientes manus auribus admouebant. Sic audientes Stephanum, quem blasphemasse putabant, *continuerunt aures suas, Act. 7. 57.*

Impius est, qui audiens homines multum iurantes non exhorret, non aures obturat.

Vers. 16. Effusio sanguinis in rixa superborum, &c. Rixæ eorum, qui elato sunt animo, & quolibet in composito verba ad iracundiam excitantur, plerumque terminatur in vulnere: & graue est præsentibus audire maledicta, & conuitia, quæ inuicem iaciuntur.

Vers. 17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, &c. Infidelis amicus est, qui secretum amici reserat aliis: & nunquam verum inueniet sibi amicum. * Nullus enim audebit fidere illi animum suum quem erga alium amicum infidelem esse conspiciunt.]

4.

Arcana seruanda docet.

Qui secretū amici reuelat, nullum verum habebit amicum.

Vers. 18. Dilige proximum, & coniungere fide cum illo. Qui diligit verè alium, fidem illi seruat. Ergo si amicum te diligere profiteris, tibimet contradicis, si eius tibi commissa arcana non seruas.

Vers. 19. Quod si denudaueris absconsa illius, non persequeris post eum. Si non seruaueris eius arcana fugiet à te, & frustra eum ad te redire procurabis, vt resarcias amicitiam, quam reuelatione secreti violasti. * Imprudens enim esset admodum, qui secretum rursus traderet ei, quem expertus est, semel illud aperuisse.]

Imprudens valde est, qui secretum fidit ei, quem scit semel id violasse.

Vers. 20. Sicut enim homo, qui perdit amicum suum, morte sublatum: sic qui perdit amicitiam

proximi.

proximi sui, secreti violatione. Vt enim mortuus non reuiuiscit: ita qui animo est abalienato propter secretum violatum, reconciliari verè non potest.

Vers. 21. *Et sicut qui dimittit auem de manu sua, &c.* Passerem, quem è manu misisti volitans aufugit minimè reuersurus ad manum rursum aucupare satagentem: sic cum manu mittis amicum tuum eius arcana reuelans, fugiet à te, nec adbibita diligentia iterum à te capietur. * Nam sicut auis rursum capta ad exitium rediret: ita amicus agnoscens amici falsi infidelitatem prudenter existimat, amicitiam reconciliatam sibi fore in exitium.]

Prudens ad amicum semel infidelē non redit, iudicans reditum exitio sibi futurum.

Vers. 22. *Non illum sequaris, quoniam longè abest: effugit enim quasi caprea de laqueo*, quem rursum illi præparas; *quoniam vulnerata est anima eius.* Semel vulnus à te accepit, vnde prudenter fugit altero vulnere cruentari.

Vers. 23. *Vltra eum non poteris colligare: & maledicti est concordatio*, id est, condonatio culpæ facilius obtineretur ob maledictum, siue ob conuitium, qua illum affecisses, quàm ob arcani reuelationem. * Maledictum enim oritur ex irato tunc corde, reuelatio verò secreti ex animo semper infideli.]

Facilius obtinetur ab amico venia ob conuitiú, quàm ob secreti reuelationem.

Vers. 24. *Denudare autem amici mysteria*, seu secreta, *desperatio est animæ infelicis*, vnde infelici illi, qui secretum amici reserauit, desperata omninò est amicitiæ reconciliatio, quæ post conuitia, ac iurgia adhuc locum haberet. * Quàm aptè *infelix*, vocitatur, qui verùm à se fugauit amicum; sine amico enim nulla subsistit vera felicitas.]

Sine amico nulla felicitas.

Vers. 25. *Annuens oculo, fabricat iniqua.* Simulatus, fictus amicus præ se ferens magnum erga te affectum, coquit tibi malum: *& nemo eum abiiciet*, & nemo ignorantium eius hypocrisim abiget à se: vnde miselli à versipelli, dum non cauent decipiuntur.

Vers. 26. *In conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum*, cum tibi præsens adest, dulcia verba proferet: *& super sermones tuos admirabitur*, laudibus efferet à te dicta, quasi sapienter & mirabiliter sis loquutus: *nouissimè autem peruertet os suum, & in verbis tuis dabit scandalum*, postmodum vero à te seiunctus contraria dictis abit, ex verbisque tuis tibi perniciem struet.

Vers. 27. *Multa odiui, & non coæquaui ei.* Multa peccata mihi odiosa obiiciuntur, sed nullum æquè sum auersatus, atque hoc: *& Dominus odiet illum*, imò etiam Dominus huiusmodi homines detestatur.

Vers. 28. 29. *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet, &c.* Quemadmodum qui in altum lapidem immittit nonnunquam excidente supra caput eius lapide, vulneratur: ità plaga aut iniuria dolo ac fraude inflicta feriet, vulnerabit, perdet ipsummet dolosum. * Dolum, quem proximo præparas, existima tibimetipsi struere.] *Et qui foueam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem* seu offendiculum *proximo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo.*

Dolum quē proximo pręparas, tibi struis.

Vers. 30. *Facienti nequissimum consilium*, quo scilicet alicui malum machinatur, *super ipsum deuoluetur*, siue in eius perniciem cedet: *Et non agnoscet, vnde adueniat illi.* Deus enim illius peccatum vlciscetur ea ratione ac via, quam ille fuerat suspicatus. * Caue ne contra proximum consilium des, huiusmodi enim consiliarium Deus punit, dum efficit consilium ipsum in eorum recurrere exitium.]

Consilium datum contra alium, in cōsiliatij caput recurrit.


Vers. 31. *Illusio, & improperium superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi.* Iis, superbis, seu impiis, qui aliis illudunt, vel afficiunt improperiis, cœlestis vindicta quasi leo insidias collocans animantibus, insidiatur, vt in eos faciat reflectere incommodum, quo proximum terere contendebant.

Vers. 32. *Laqueo*, quem aliis capiendis ipsi statuerant, *peribunt, qui oblectantur casu iustorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur.* Magno dolore conficientur, animaduertentes, quàm male iis doli successerint, & quàm graues pœnas propterea luent.

Vers. 33. *Ira & furor vtraque execrabilia sunt: & vir peccator continens erit illorum.* Græcè, *compos.* particeps. Peccatores namque, seu mali in iram ac furorem (cunctis detestabilem) sunt procliues.

CAPVT XXVIII.

Monet Sapiens, non esse expetendam vindictam, sed iniuriam remittendam: linguam frænandam, aures sepiendas.



1. QVi vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata
illius seruans seruabit. 2. Relinque proximo tuo nocenti
te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. 3. Ho-
mo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?
4. In hominem similem sibi non habet misericordiam, &
de peccatis suis deprecatur? 5. Ipse cùm caro sit, reseruat
iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro
delictis illius? 6. Memento nouissimorum, & desine inimicari: 7. tabitudo
enim & mors imminent in mandatis eius. 8. Memorare timorem Dei, & non
irascaris proximo. 9. Memorare testamentum Altissimi, & despice ignoran-
tiam proximi. 19. Abstine te à lite, & minues peccata: homo enim iracundus

incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. 11. Secundùm enim ligna siluæ sic ignis exardescit: 12. & secundùm virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundùm substantiam suam exaltabit iram suam. 13. Certamen festinatum incendit ignem: & lis festinans effundit sanguinem: & lingua testificans adducit mortem. 14. Si sufflaueris in scintillam, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur: vtraque ex ore proficiscuntur. 15. Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. 16. Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem. 17. Ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit. 18. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit. 19. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. 20. qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. 21. Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa. 22. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. 23. Beatus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus: 24. iugum enim illius, iugum ferreum est: & vinculum illius, vinculum æreum est 25. Mors illius, mors nequissima: & vtilis potiùs infernus quàm illa. 26. Perseuerantia illius non permanebit, sed obtinebit vias iniustorum: & in flamma sua non comburet iustos. 27. Qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos. 28. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras. 29. Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos: 30. & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.

COMMENTARII.

1. *Iniuriam remittendam suadet.*



ERS. 1. *Qui vindicari vult*, seu quærit vindictam, vicissim à *Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit*, seu accuratissimè seruabit, vt suo tempore puniat. * *Qua enim mensura mensus fueris, remetietur tibi. Mat. 6. 14.* Quasi vindicta ab homine patrata sit vindictæ diuinæ in exemplum.]

Vindicta ab homine patrata est vindictæ diuinæ in exemplum.

Vers. 2. Relinque proximo tuo nocenti te. Græcè, *dimitte proximo nocenti tibi* (est constructio Græca) iniuriam: *& tunc deprecanti tibi peccata soluentur*, seu cum petieris à Domino peccatorum tuorum veniam, tua tibi peccata dimittet. * Petis in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris.* Ergo conditione hac posita, nisi dimiseris proximo debita, tua à Deo debita non dimittentur.]

Nisi dimittas proximo iniuriá, Deus tibi debita non dimittet.

Vers. 3. Homo homini reseruat iram: & à Deo quærit medelam? Frustra salutem à Domino quærit, aut à morbis spiritualibus, *curationem* (sic Græcus) qui contra proximum seruat animo iracundiam.

Vers. 4. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? * Habet emphasim. Æquum enim est, vt nos fragilitatis nostræ conscij aliis æquè fragilibus condonare errata.] Nam si nos fragiles ad errandum, proximo erranti non parcimus: quomodo audebimus Deum precari impeccabilem, vt nostris delictis ignoscat?

Fragilis fragili errata condona.

Vers. 5. Ipse cum caro sit, reseruat iram, seu cum vilis, fragilis, mortalis sit, tenax iræ est, *& propitiationem petis à Deo?* & audet à Deo altissimo, fortissimo, immortali petere veniam peccatorum? *Quis* ergo *exorabit pro delictis illius?* Nam pertinaci ira, se indignum reddit, cui Deus, (etiamsi Diuos intercessores haberet) propitietur? * Iuuat multum Sanctorum intercessio, sed non totam rem præstat: debet enim peccator se iouare recedendo ab iniquitate, si vult Diuorum orationem sibi existere vtilem.]

Sanctorum intercessio multum iuuat, sed non omnem rem præstat.

Vers. 6. 7. Memento nouissimorum, & desine inimicari. Memor mortis, & iudicij desines inimicitias fouere; *tabitudo enim* Græcè, *corruptio corporis*, post mortem putrescentis, *& mors imminens: in mandatis eius.* Græcus addit, *perseuera.* Ac si diceret, Persistes in mandatorum Dei obseruatione parcens iniuriam tibi inferenti, si ad memoriam afferas putridam tui corporis imminentem dissolutionem. * Quomodo enim animus efferetur ad iram fouendam tantæ humanæ memor humiliationis?]

Humiliationis humanæ, seu mortis memor animus non efferetur ad iram fouendam.

Vers. 8. 9. Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo: memorare testamentum Altissimi, seu Dei legem, *& despice ignorantiam proximi*, parui pende, dissimula, remitte iniuriam, quam fortè ignoranter proximus gessit: & si malitiosè intulit, omnis peccans procul dubio est ignorans. * Vnde ex hoc capite omnia crimina sunt ignorantia.]

Omnia crimina sunt ignorantia.

Vers. 10. 11. Abstine à lite, & minues peccata, iracundiam contine rixarum & litium occasionem, & multa peccata vitabis. *Homo enim iracundus incendit litem* (Græcè, *contentionem*,) & vir peccator, scelestus, ac nominatim susurro, *turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam*, referens aliis quod ab aliis audiuit,

audiuit. * Quàm aptè *susurro* per antonomasiam *Peccator* appellatur, vitium enim susurrationis plurimorum peccatorum est origo, vnde generico omnia crimina complectente peccati nomine designatur.]

Susurratio vocatur per antonomasiam *peccatum.*

Vers. 12. *Secundum enim ligna silua sic ignis exardescit, &c.* Sicut in magna lignorum strue magnum excitatur incendium: ita pro modo virtutis, seu potentiæ maior, vel minor ira exardescit. *Et secundum substantiam suam exaltabit iram suam,* & iuxta opum magnitudinem erit animi ad iram elatio. * Diuitiæ enim ampliores magis superbum faciunt hominem & magis iracundum; vt enim superbiæ, ita iracundiæ fomentum existunt.]

Diuitiæ sunt superbiæ & iracundiç fomentum.

Vers. 13. *Certamen festinatum incendit ignem, &c.* Contentio & rixa præcipitanter ab iracundis concitata bilem incendit, choleram exacuit, vnde strictis hinc inde gladiis, sanguis sæpè profunditur: *& lingua testificans adducit mortem.* Si autem vnus è concertantibus occidatur, adesse assolent qui apud Iudicem testes sint homicidij, vnde alteri nex ex sententia infligatur. * Vnde ob iracundiam non frænatam ambo morti addicentur.]

Duorum ira occidit vtrũque.

Vers. 14. *Si sufflaueris in scintillam, quasi ignis exardebit, &c.* Sæpè accidit, vt praua contentionis scintilla in magnum crescat incendium, si pertinax aliquis, aut linguæ sit impotens: sicut è contra rixarum semina vel vno verbo sapienter, & in tempore prolato eliduntur, ad eum modum, quo ignis scintilla vel sputo potest extingui. * Magna vis linguæ, quæ facillimè potest magnæ iræ vel ignem addere, vel extinguere.]

Lingua facilè potest iræ ignem addere, vel extinguere.

2\.
De susurrone, & bilingues.

Vers. 15. *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Vnde qui tot turbationum, contentionum, rixarum est causa, dignus Dei erit, hominumque maledictione.

Vers. 16. 17. *Lingua tertia multos commouit.* Lingua, quæ inter duos amicos tertiam se infert, & inter illos serit discordias, multos turbauit, *& dispersit illos de gente in gentem,* proprios lares deserere coëgit, & alias alibi sedes quæritare: *Ciuitates muratas diuitum destruxit,* ipsas integras ciuitates euertit: *& domos magnatorum effodit,* & principum familias obruit.

Vers. 18. *Virtutes populorum concidit,* seu vires, quibus populi roborabantur, *& gentes fortes dissoluit,* ipsos exercitus comminuit.

Vers. 19. *Lingua tertia mulieres viratas* (Græcè, *fortes*) *eiecit* è domo maritorum suorum, *& priuauit illas laboribus suis,* seu opibus labore, & industria sua acquisitis.

Vers. 20. *Qui respicit illam,* qui linguæ susurronum aures & animum accommodat, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. * Vetus enim amicus laborantis, & afflicti animi requies est, à qua priuatur, qui susurronis obloquiis plerumque mendacibus præbet auditum.]

* Vetus amicus animi afflicti requies.

Vers. 21. *Flagelli plaga liuorem facit,* percussio rigida flagelli vulnus efficit: *plaga autem linguæ comminuet ossa.* Ac si diceret plaga flagelli quamtumuis rigida carnem solummodo vulneratam, relinquit: lingua verò susurronis ossa penetrat vulnerare, seu robur animi atterere.

Vers. 22. *Multi ceciderunt in ore gladij, &c.* Multos gladius occidit, vt tot bella, tot Dei antiqua Hebræis idololatris inflicta testantur: sed plures lingua procul dubio homines obloquentes prauè interemit. O crudele membriculum tot gladiorum, tot bellicorum tormentorum, imò tot fulminum colligatio!]

Lingua est omnium gladiorum & instrumentorũ mortis collectio.

Vers. 23. *Beatus, qui tectus est à lingua nequam, &c.* Beatum, felicem illum hominem dixerim, qui se potuit à lingua nequam protegere, qui iugum illius crudelis Dominæ non subiit, nec illius vinculis irretitus est.

Vers. 24. *Iugum enim illius, iugum ferreum est, &c.* Iugum, ac vinculum linguæ nequam durum, graue, animum excrucians, & quod patienter vix ferri potest. * Vnde qui patienter sustinet prauæ linguæ iniuriam, existimet se in tyranni rabiem incidisse, carceri, & vinculis esse irretitum, martyrij quodammodo corona redimitum.]

Qui linguæ nequam patienter tolerat iniuriam, quasi martyr est.

Vers. 25. *Mors illius, mors nequissima, &c.* Mors, quam calumniator affert, aut susurro, peior est quauis morte naturali. * Quia sæpè infamis est, & acerba: vt cum quis calumnia traductus tanquam reus à Iudice diuexatur. Diuturnior est, quia passo iniuriam infamia adhærescit, quam per totam vitam non possit eluere: cum interim mors naturalis breuiori spatio, faciliusque morientem conficiat.]

Peior est mors, quam lingua infert, quam naturalis mors.

Vers. 26. *Perseuerantia illius non permanebit, &c.* Calumniatrix lingua, aut maledica non diu persistet, Deo, aut hominibus calumniatorem ipsum perdentibus: sed eum sortietur finem, quem tandem impij nanciscuntur, vt scilicet male depereant. *Et in flamma sua non comburet iustos.* Non nocebit iustis, quos Deus ab incendio illius tutos præstabit.

Vers. 27. *Qui relinquunt Deum, incident in illam, &c.* Illi, qui Deo relicto, se sceleribus maculant, obnoxij sunt linguis maledicorum; quia in prauis hominibus inueniunt amplum maledicentiæ suæ argumentum. Hos ergo maledici sicuti leo, & pardus lacerabunt.

Vers. 28. *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, &c.* Metaphora sepis, ostij, & seræ edocet, ei linguæ, quam nequam vocitat, aures non esse præbendas: & linguam nostram diligenter custodiendam esse, ne obloquutori, aut detractori, verbum aliquod respondeamus, è quo ansam arripiat vlterius progrediendi. * Igitur murmurandi aut detrahenti surdi simus & muti.]

Murmuranti, aut detrahenti sis surdus, & mutus.

Vers. 29. 30. *Aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.* Si prudentiæ ac timoris Dei statera, ac frænum posset opibus comparari: aptè aurum & argentum tuum siue omnes diuitias insumeres, vt ex eis faceres, seu acquireres stateram, qua librares & expenderes verba tua, & ori tuo frænum perficeres. *Frænos ait rectos,* seu fræna recta. * Certè frænum tunc est rectum, cum nec nimium silemus, nec nimium loquimur; sed quantum, & quando recta ratio præscribit. *Et attende, ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum tuorum insidiantium tibi, &c.* Caue, ne inimicis audientibus aliquid improuidè loquaris, ex quo tibi periculum, aut damnum crees, quod nequeas reparare, quodque te in mortis discrimen abducat.

Frænum rectum tibi oris accommoda, nec semper silẽs, nec semper loquens.

CAPVT XXIX.

Agit Sapiens de mutuo, de eleemosyna, de fideiussione, de peregrinis, & hospitibus.

1. QVI facit misericordiam, fœneratur proximo suo, & qui præualet
manu, mandata seruat. 2. Fœnerare proximo tuo in tempore
necessitatis illius,& iterum redde proximo in tempore tuo.3. Con-
firma verbum, & fideliter age cum illo : & in omni tempore
inuenies quod tibi necessarium est. 4. Multi quasi inuentionem
æstimauerunt fœnus,& præstiterunt molestiam his qui se adiuuerunt 5. Donec ac-
cipiant,osculantur manus dantis,& in promissionibus humiliant vocem suã : 6. & in
tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædij & murmurationem,
& tempus causabitur: 7. si autem potuerit reddere,aduersabitur, solidi vix reddet
dimidium, & computabit illud quasi inuentionem: 8. sin autem, fraudabit
illum pecunia sua, & possidebit illum inimicum gratis: 9. & conuitia & male-
dicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam. 10. Multi
non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. 11. Verum-
tamen super humilem animo fortior esto, & pro eleemosyna non trahas illum.
12. Propter mandatum assume pauperem: & propter inopiam eius ne dimittas
eum vacuum, 13. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum: & non ab-
scondas illam sub lapide in perditionem. 14. Pone thesaurum tuum in præceptis
Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum. 15. Conclude eleemosynam in
corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo, 16. Super scutum poten-
tis, & super lanceam, 17. aduersus inimicum tuum pugnabit. 18. Vir bonus
fidem facit pro proximo suo: 19. & qui perdiderit confusionem, derelinquet
sibi. 20. Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: dedit enim pro te animam suam.
21. Repromissorem fugit peccator & immundus. 22. Bona repromissoris sibi
ascribit peccator: & ingratus sensu derelinquet liberantem se. 23. Vir repromit-
tit de proximo suo: & cùm perdiderit reuerentiam, derelinquetur ab eo. 24. Re-
promissio nequissima multos perdidit dirigentes, & commouit illos quasi fluctus
maris 25. Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in gentibus alienis.
26. Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam:
& qui conatur multa agere, incidet in iudicium. 27. Recupera proximum secun-
dùm virtutem tuam, & attende tibi ne incidas. 28. Initium vitæ hominis, aqua &
panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudine. 29. Melior est victus
pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ in peregrè sine domicilio.
30. Minimum pro magno placeat tibi,& improperium peregrinationis non audies.
31. Vita nequam hospitandi de domo in domum: & vbi hospitabitur,non fiducia-
liter aget, nec aperiet os. 32. Hospitabitur, & pascet, & potabit ingratos, & ad
hæc amara audiet. 33. Transi hospes, & orna mensam: & quæ in manu habes,
ciba cæteros. 34. Exi à facie honoris amicorum meorum: necessitudine domus
meæ hospitio mihi factus est frater. 35. Grauia hæc homini habenti sensum: Cor-
reptio domus, & improperium fœneratoris.

COMMENTARII.

1. *Commendatur eleemosyna mutua.*



ERS. 1. *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo*, seu mutuum dat, (sic Græcus:) nec enim hîc vsura commendatur materialis, spiritualis autem innuitur. * Nam qui eleemosynam egenti impertit, lucrum magnum certum est à Domino percipere.] *Et qui præualet manu*, seu qui liberali ac munifica manu tribuit proximo egenti, *mandata seruat*, de proximo diligendo. * Non dixit Mandatum seruat, sed *Mandata*, innuens, eum, qui in pauperem est misericors, mandatorum omnium se ostendere obseruatorem. Vnde Dominus in iudicio de sola eleemosyna gerit mentionem, quasi reliqua mandata fuerint obseruata ab eo, qui benignus in pauperes extitit.] Seruat ergo

Lucrum magnum accipit, qui eleemosynã gerit.

Qui implet mandatũ circa eleemosynam, videtur omnia impleuisse mãdata.

mandata,

mandata, tam id, quod est de eleemosyna danda, quàm cætera. * Magnum enim est argumentum legem totam seruare illum, qui eximia est charitate in indigentes.]

Magnum est argumentum, totam legem seruare, qui eximia est in pauperes charitate.

Vers.2. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius. Mutuum da proximo egenti: *& iterum redde*, qui mutuum accepisti, *proximo in tempore suo.* Primum hemistichium mutuantes instruit; secundum autem eos, qui mutuo accipiunt, vt meminerint reddere in tempore, quod debent. * Qui enim accipit beneficium mutui, ingratum se, imò aliquando iniustum exhibet, si tempore statuto non soluat.]

Qui mutuũ accipit, & tempore statuto non soluit, se ostendit ingratum.

Vers. 3. Confirma verbum, & fideliter age cum illo. Factis præsta quod ore pollicitus es ei, à quo mutuum accepisti: *& in omni tempore inuenies, quod tibi necessarium est.* * Nam ei, qui quod mutuo accipiunt, tempore promisso soluunt, facilè inueniunt, qui eis mutuo dent scientes fideliter pecunias statuto tempore reddituros.]

Qui fideliter soluit, quod mutuo accipit, semper habet, qui eum mutuo det, cũ eguerit.

Vers.4. Multi quasi inuentionem æstimauerunt fœnus, seu putarunt mutuum acceptum esse quasi rem inuentam, quam vulgus non existimat obnoxiam esse restitutioni: *& præstiterunt molestiam his, qui se adiuuerunt*, dum grauatè restituunt, aut negant, se debere, aut repetentibus minantur.

Vers.5.6. Donec accipiant, osculantur manus, &c. vt quod expetunt obtineant, submissâ agunt voce, gestu corporis *& in tempore redditionis* postulabit tempus, cum est restituendum, prorogari sibi tempus petet: *& loquetur verba tædij*, quibus ostendat, se ægrè ferre, quod debitum repetatur, & addet *murmurationem*, eum accusans importunitatis, & inhumanitatis: *& tempus causabitur*, quod fuerit sterile, pluuium, bellis impeditum, quod agri, & vites malignè responderint.

Vers.7.8.9. Si autem potuerit reddere, aduersabitur, etiamsi soluendo sit, tamen hoc ipsum negabit *solidi*, seu integri debiti *vix reddet dimidium: & computabit illud quasi inuentionem*, quasi pecuniam quam mutuo acceperat, humi, non comparente Domino, inuenisset. *Sin autem fraudabit illum pecunia sua*, si verò soluendo non sit seu propter inopiam, seu propter aliud impedimentum, non solùm illum sua pecunia fraudabit non soluens debitum; sed *& possidebit illum inimicum gratis*, seu nulla re ab ipso læsus ex amico inimicum habebit. * Vndè plerumquè qui mutuo dat pecuniam, tot sibi comparat inimicos, quot sunt illi, quibus benefecit. Vulgariter expendam, *Compra enemigos con sus dineros.*] *Et conuitia, & maledicta reddet illi: & pro honore, & beneficio accepto, reddet illi* quasi iam inimico *contumeliam.*

Qui mutuum dat, comparat suâ pecuniâ inimicum.

Vers.10. Multi non causa nequitia, non fœnerati sunt, sed fraudari gratis, timuerunt. Multi dare mutuum noluerunt, non causa auaritiæ, odij, vel alterius malitiæ: sed quia sæpè ab accipientibus mutuum gratis, seu immeritò decepti sunt, timuerunt rursum eodem modo fraudari. * Mutuum dare durum quidem est, quia durissimum est soluere.]

Mutuum dare durum est, quia soluere, durissimum.

Vers.11. Verumtamen super humilem animo fortior esto. Græcè, *longanimis.* Licet hæc vera sint, tamen cum paupere, qui verè reddere tunc non potest, quod debet, & humiliter precatur inducias, esto longanimis, & quamuis non statim soluat, illum nimium non vrgeas. *& pro eleemosyna non trahas illum.* pro tali eleemosyna innuit, quod petit, vel dilatione temporis solutionis ne protrahas illum, ne illum ludifices.

Vers 12. Propter mandatum assume pauperem: Idque si non ob alium motiuum, certè propter mandatum diuinum de mutuo dando *Deut.* 15. 7. pauperem id petentem assume fouendum. *Et propter inopiam eius non dimittas eum vacuum.* Imò quamuis diuinum mandatum non vrgeret, sufficeret, illum inopia pressum aspicere, ne eum vacuum permittas abire. * Profectò quamuis de eleemosyna præcepta non adessent, ipsa hominis egestas debet hominem te allicere vt egenti succurras fortasse aliquando eadem ærumna afficiendus.]

Licet de eleemosyna facienda præceptum non vrgeret, ipsa hominis egestas hominem ad dandum persuadet.

Vers.13. Perde pecuniam propter fratrem, &c. Etiamsi ea pecunia perdenda esset, gratum tibi deberet esse pro amici leuamine perdidisse: attamen non perditur, sed optimè collocatur. Non abscondas pecuniam more auarorum, qui illas deffodiunt, vt verè perdant eam. * Nam perditur pecunia, cum eo vsu planè careat, ad quem fuit instituta.]

Pecunia quæ ab auaro reconditur, verè perditur.

Vers 14. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi. Thesaurus tuus sit diuinæ legis obseruatio, & præsertim præcepti de subleuanda pauperis egestate: *& proderit tibi magis quàm aurum.* Si erogaueris thesaurum tuum in præcepto de eleemosyna danda seruando, vtilior tibi erit eleemosyna, quàm auri possessio.

Vers.15. Conclude eleemosynam in corde pauperis, siue in sinu: *& hæc pro te exorabit ab omni malo.* eleemosyna ad cœlum ascendet, & Deum exorabit, vt te ab omni malo liberet. * Notanter dixit, *Et hæc* eleemosyna, *pro te exorabit.* Nam licet pauper, qui accipit, non exoret, nec dignus sit si peccator est, vt exaudiatur: ipsa tua eleemosyna preces profundet, nunquam non exaudienda.]

Licet pauper non oret, vel dignus non sit, qui audiatur: pia eleemosyna pro conferente exorat, & semper auditur.

Vers.16.17. Super scutum potentis, &c. Potentior erit eleemosyna ad te defendendum ab hostibus tuis, quam scuta fortium; & ad hostes profligandos, quàm eorundem hastæ, & cuiusuis generis tela.

Vers.18.19. Vir bonus fidem facit pro proximo 2.
suo, seu spondet, fideiubet, cum occasio se offert. *Et qui perdiderit confusionem, derelinquet sibi.* Græcè, *& qui pudorem amisit, derelinquet ipsum.* Hoc est, Qui pudore non tangitur, amicum indigentem relinquet, nec illi opem feret. * Profectò genus quoddam inuerecundiæ est, egentem non fouere: vndè aptè dicitur pudorem amisisse, qui derelinquit eum.]

De fideiussione facienda prudenter.

Genus quoddam inuerecundiæ est, egenti non succurrere.

Vers. 20. Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: ne obliuioni tradas beneficium à fideiussore acceptum. *dedit enim pro te animam suam*, vt accidit in obsidibus: nam fidem fallente eo, qui dedit obsides, hi capitis periculum subeunt. Vel dedit, *animam suam*, siue seipsum tui iuuandi causa periculo exposuit tùm bonorum, tùm cæteris. * Certè spondere pro aliis tot periculis, tot calamitatibus est addictum plerumque, vt spondere, quodammodò sit mori, seu occidi.]

Spõdere pro aliis idem est quod amittere, ac occidi.

Vers. 21. Repromissionem fugit peccator, & immundus. Ignarus, & infidelis, cum repromissorem, hoc est, fideiussorem suum venientem aspicit,

aſpicit, ſubducit ſe, ne eum fideiuſſione liberet, nec cogatur, quod debet euoluere.

Verſ. 22. Bona repromiſſoris ſibi aſcribit peccator : ſibi ſcilicet vſurpat bona fideiuſſoris, cum permittat, eum eò adigi, vt per ſe ſoluat : *& ingratus ſenſu derelinquet liberantem ſe*, & animo ingratus liberatorem ſuum derelinquit aut carcere detentum, aut cum creditoribus, & Iudicibus confligantem. * Nihil iniquius quàm in liberatorem tui delinquere pro te ſcilicet ſpondentem. Ergo delinquere in Chriſtum Dominum qui pro nobis ſpopondit, & fideiuſſorem egit, ingratiſſimi, & nequiſſimi animi eſt.]

Delinquere in Chriſtum, qui pro nobis fideiuſſorem egit, ingratiſſimi, & nequiſſimi animi eſt.

Verſ. 23. Vir repromitit de proximo ſuo, &c. Spondet quis pro debitore proximo, & eum is, in cuius commodum facta eſt fideiuſſio, pudorem amittit, relinquit benefactorem ſuum diris illis calamitatibus addictum. * Preme illud. *Cum perdiderit reuerentiam*, ſeu pudorem. Animi enim impudentiſſimi eſt, pro beneficio iniuriam irrogare. Liceat vulgari idiomate exponere, *Es deſuerguenza, ſer ingrato al fiador.*]

Impudens eſt, qui ingratum ſe fideiuſſori oſtendit.

Verſ. 24. Repromiſſio nequiſſima multos perdidit dirigentes, &c. Sponſio temeraria infido facta, ideoque implexa & noxia multos perdidit *dirigentes*, ſeu qui direxerant feliciter vſque ad illud tempus negotia ſua, ſuaſque domos. Sed poſt fideiuſſionem factam tempeſtatem, priſtina terminata tranquillitate, ſubiere; foro enim cedere, & iactationibus iudiciorum obiici coguntur. * Cum fideiuſſeris exiſtima, ditam te tranquillitati tuæ induxiſſe procellam.]

Qui fideiubet, exiſtimet duam tranquillitati ſuæ induxiſſe procellam.

Verſ. 25. Viros potentes gyrans migrare fecit: & vagati ſunt in gentibus alienis. Vis oſtendam fideiuſſores veluti fluctus pelagi commoueri? Certè fideiuſſio viros diuites aliàs conſtantes in gyrum quodammodò egit, vt modò in hanc, modò in illam ciuitatem fugientes exactionem Iudicum ſe conferrent.

Verſ. 26. Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promiſſionem nequam. Quem Deus propter peccata punire vult, eum permittet, pro ingrato & infido fideiubere. * Magna admodùm eſt ærumna, fideiuſſionem facere, cum Deus peccatoribus id inferat in ſupplicium.] *Et qui conatur multa agere, incidet in iudicium.* Græcè, *ſectans redemptiones.* Qui conducit, vel in ſe ſuſcipit opera facienda, v. gr. publica vectigalia, &c. vt faciunt redemptores & publicani: ſe litibus implicat, & forenſibus iudicibus ſe addicit.

Fideiuſſionem facere, aliquãdo eſt peccatoris ſupplicium.

Verſ. 27. Recupera proximum, iuua, ſubleua *ſecundum virtutem tuam*, iuxta vires, opes, facultates : *& attende tibi, ne incidas.* Ne ſcilicet, dum aliis cõſulis, & eos malis accipere conaris, in eaſdem tu cadas ærumnas, eadem damna rei familiaris, litium, carceris patiaris.

Verſ. 28. Initium vitæ hominis aqua, & panis, &c. Græcè loco illius particulæ *Initium*, eſt, præcipuum *caput & ſumma.* Ac ſi diceret : caput requiſitorum ad vitam hominis, & ſumma, eſt cibus & potus, veſtimentum, & domus neceſſaria quidem tegens ea, quorum nos pudet apud alios. Vndè Lyranus de actu coniugali id interpretatur, aſt ego ad omnes alias humanæ miſeriæ neceſſitates locum expono.

Verſ. 29. Melior eſt victus pauperis ſub tegmine aſſerum, ſeu in caſa paupere, ſed propria : *quam epula ſplendida in peregrè ſine domicilio*, quàm menſa abundans apud alienos, ſiue extra proprium domicilium, vbi non ſis tui, ſed alieni iuris. 3.

3\. Peregrinandi labores expendit.

Verſ. 30. Minimum pro magno placeat tibi, paruis æque ac magnis ſis contentus : *& improperium peregrinationis non audies*, nullus tibi improperabit, quod peregrinus ſis, vt ferè vſu venit, vt qui externi ſunt, barbari, & inculti vocantur. Ne igitur cogaris peregrinationem inſtituere, vt abundantius valeas victitare, minimo victu contentus eſto præ delicato epulo: & caſa tua vili præ ſplendido palatio, quod foris apud alienos poſſis habere. * Improperium hominis eſt, quod peregrinus ſit, & de alieno victitet.]

Improperium hominis eſt, de alieno victitare.

Verſ. 31. Vita nequam hoſpitandi de domo in domum, vita quidem laborioſa & miſera : *& vbi hoſpitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os*, aget timidè, & aliquid ſibi præ pudore deeſſe patietur, quod neceſſarium eſt : nec audebit illud petere. * Nihil enim ſic faciem viri rubore perfundit, quàm cum petere cogitur.]

Cum petere vir cogitur, rubore perfunditur.

Verſ. 32. Hoſpitabitur, & paſcet, &c. Græcè, *hoſpitio* alios *excipiet*, quibus cibum, & potum largieris, ingratis quidem : nam cum viciſſim ab ipſis fortè fueris exceptus, non benignè tractaberis, ſed contemneris. Dictitabunt enim.

Verſ. 33. Tranſi hoſpes, & orna menſam, &c. Sorge (ait hoſpitij Dominus) peregrine, menſam ſterne, & ſi quid eſt in mantica tua (ſic Græcus) viatoria eſculenti, prome, & mecum, & reliquis domus meæ communica.

Verſ. 34. Exi à facie honoris amicorum meorum. Cubiculum cede, aut lectum amico meo, qui superuenit, quem honorificè debeo excipere : aut etiam in alia domo tibi hoſpitium quære. *Neceſſitudine domus meæ hoſpitio mihi factus eſt frater.* Neceſſitas excipiendi domi meæ amicos ſuperuenientes, cogit me in te aliquantulum eſſe inofficioſum : propinquus enim eſt iſte qui acceſſit.

Verſ. 35. Grauia hæc homini habenti ſenſum, ſeu non planè ſtupido. *Correptio domus, & improperium fœneratoris.* ſcilicet cum audit dura ab hero domus, apud quem hoſpitatur qui illum domi ſuæ olim benignè acceperat & quando ei, qui mutuum dedit alteri, pro gratia conuitium, & improperium rependitur.

CAPVT

CAPVT XXX.

Agit Sapiens de filiorum correptione, de bono sanitatis, de bono Lætitiæ, & de tristitiæ malo.

1. QVi diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in no-
uissimo suo, & non palpet proximorum ostia. 2. Qui docet
filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum
in illo gloriabitur. 3. Qui docet filium suum, in zelum
mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.
4. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: simi-
lem enim reliquit sibi post se. 5. In vita sua vidit, & læta-
tus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis.
6. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gra-
tiam. 7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem
turbabuntur viscera eius. 8. Equus indomitus euadit durus, & filius remis-
sus euadet præceps. 9. Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, &
contristabit te. 10. Non corrideas illi, ne doleas, & in nouissimo obstupescent
dentes tui. 11. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus il-
lius. 12 Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans
est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. 13. Doce fi-
lium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. 14. Melior
est pauper sanus, & fortis viribus, quam diues imbecillis & flagellatus malitia.
15. Salus animæ in sanctitate iustitiæ, melior est omni auro & argento, &
corpus validum, quàm census immensus. 16. Non est census super censum sa-
lutis corporis: & non est oblectamentum super cordis gaudium. 17. Melior est
mors quàm vita amara; & requies æterna quàm languor perseuerans. 18. Bo-
na abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro.
19. Quid proderit libatio idolo; nec enim manducabit, nec odorabit: 20. sic qui
effugatur à Domino, portans mercedes iniquitatis: 21. videns oculis, & inge-
miscens, sicut spado complectens virginem, & suspirans. 22. Tristitiam non
des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo. 23. Iucunditas cor-
dis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis: & exultatio viri
est longæuitas. 24. Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine: congrega cor
tuum in sanctitate eius, & tristitiam longè repelle à te. 25. Multos enim occidit
tristitia, & non est vtilitas in illa. 26. zelus & iracundia minuunt dies, & ante tem-
pus senectam adducet cogitatus. 27. Splendidum cor, & bonum in epulis est: epulæ
enim illius diligenter fiunt.

COMMENTARII.

1. *Agit de filiorum correptione.*

VERS. 1. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella*, assiduè illum corripiat, *vt lætetur in nouissimo suo*, vt postmodum ipse filius vir, & senex lætitiam capiat correptionis fructum percipiens: *& non palpet proximorum ostia*, ostiatim mendicando, eo quòd malè educatus viuendo luxuriosè sua bona prodegerit. * Vt parentes edoceantur, vtilius esse ad ditandos filios, eos rectè educare, quam ingentes opes eis acquirere, quas non benè educati profundent.]

Ad filios ditandos vtilius est, eos benè educare, quàm ingentes opes eis acquirere.

Vers. 2. *Qui docet filium suum, laudabitur in illo*, seu propter illum. * Quicumque enim filium benè moratum videt, parentis curæ id tribuit, eúmque commendat.] *Et in medio domesticorum in illo gloriabitur*, videns filium vel à famulis, & seruis diligi, eo quòd nulli molestiam inferat, sicut assolent filij, qui parentem non timentes totius sunt familiæ turbatio.

Ob benè moratum filium parens laudatur.

Vers. 3. *Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum*, seu inuidentia quadam, & zelotypia eum stimulabit: *& in medio amicorum gloriabitur in illo.* Dum inimicos afficit inuidia, inter amicos acquirit congratulationem, ex qua capiat ipse voluptatem.

Vers. 4. *Mortuus est pater eius, &c.* Huiusmodi filij parens etiam post obitum manet superstes. * Quia rectè à se educato viuit in filio.]

Parens post mortem benè à se educato viuit in filio.

Vers. 5. 6. *In vita sua vidit, & lætatus est in illo: & in obitu suo non est contristatus*, quia quodam-

modo non moriebatur, filium relinquens, qui domum defendendo, fouendo familiares, &c. vices suas implebit, faciens vt nullus mortui parentis desiderio afficiatur: *nec confusus est coram inimicis*, quasi domus præsidio destituta relinqueretur. *Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam*, pro beneficiis, quæ ab eis parens acceperat. * Probus enim filius debet se gratum semper præbere illis, qui aliquod in parentes suos beneficium contulere.]

Probus filius debet se gratum præbere illis, qui in parentes beneficia contulerunt.

Vers. 7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua. Tantus est parentum amor in filios, vt pro eorum protectione vulneribus se exponere non dubitent, vndè colligabit vulnera, siuè in vulnera ruet, vt filios defendat: *Et super omnem vocem turbabuntur viscera eius.* Quælibet infortunij fama, quælibet rixantium vox eius cor afficiet turbatione, dum ignorat, an eius filius illud incommodum patiatur?

Vers. 8 Equus indomitus euadit durus, equus à domitore non educatus fræna contemnit: & filius remissus (Græcè *sibi relictus*) *euadet præceps*, in cuncta vitia, in omne dedecus sese aget præcipitem.

Vers. 9. Lacta filium, & pauentem te faciet. Molliter filium educa, & adeò scelestus fiet, vt qui te timere debuerat, vice versa tibi incutiat timorem. *Lude cum eo, & contristabit te.* Si indulges illi, tuos canos minime reuerebitur, sed ludus ille tibi cedet in mœrorem.

Vers. 10. Non corrideas illi, ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui. Vt enim stupor in dentibus relictus, est effectus præcedentis cibi dentibus mansi, verbi gratia, vuæ acerbæ: ita dolor animum excrucians & lacerans, effectus est mollis & indulgentis filij educationis. * Qui ergò illum stuporem pati non vult, ab hac indulgenti educatione abstineat.]

Mollis educatio filij dolorem parenti parit effectum.

Vers. 11 Non des illi potestatem in iuuentute, &c. Non solum iuuenis filij adime ad noxias actiones potestatem eius opera obseruans: sed vestigare satage, quæ animo destinat, vult, optat, molitur. * Vt edoceare, probum parentem non solùm prauas filij actiones, sed & inordinata desideria debere corripere.]

Probus parens non solùm actiones filij, sed & cogitationes prauas debet corripere.

Vers. 12. Curua ceruicem eius in iuuentute. Sic enim teneriores arbusculæ deflectuntur in quam partem voluerit agricola, antequam temporis processu duratæ inflexibiles reddantur. *Et tunde latera eius* flagello, virga, *ne fortè induret, & non credat tibi*, siue *non obediat*, vt est in Græco. *Et erit tibi* eius inobedientia *dolor animi.*

Vers. 13. Doce filium tuum, & operare in illo, seu operibus illum exerce: *ne in turpitudinem illius offendas*, siue ne ignominia illius tibi sit offensioni, afferens etiam tibi dedecus, & incommoda. * Pondera illud: *Operare in illo*, pater enim in operante filio operatur. Praua enim opera, aut proba filij, bonæ aut malæ patris educationi meritò tribuuntur.]

Opera proba aut improba filij patri tribuuntur.

Vers. 14. Melior est pauper sanus, & fortis viribus: quàm diues imbecillis, & flagellatus malitia, quàm diues, qui imbecillitate afficitur eo quòd peccatorum subeat effectus fœdis ægritudinibus diuexatus: a quibus plerumque pauper est liber. * Opum namque abundantia assolet turpitudinis luxuriæ esse fomes.]

Opum abundantia luxuriei fomes.

Vers. 15. 16. Salus animæ in sanctitate iustitiæ, 2.
vitæ seu viuentis valetudo solet cum sanctitate esse coniuncta. Qui enim piè viuunt ab intemperatis moribus abstinent. *Melior est*, huiusmodi valetudo, *auro & argento, & corpus validum, quàm census immensus*, prouentus ampli, multæ diuitiæ. * Testor diuites qui podagræ doloribus conficiuntur, qui quidem pro valetudine cunctas traderent opes.] *Non est census super censum salutis corporis.* * Valetudinem *censum* appellat, quia huius census redditus sunt gaudium, lætitia, vires, à medicis abstractio, liberatio à molestiis curationis, vitæ longitudo, &c.] Vndè addit: *& non est oblectamentum super cordis gaudium*, quod ex sanitate corporis procedit.

Bonum sanitatis, sanitasque commendat.

Melior est valetudo corporis, quam diuitiæ.

Valetudo census est, cuius redditus iucundi.

Vers. 17. Melior est mors, quàm vita amara, &c. Si ergo quis eligeret mori, & diu non cruciari, quantò libentius opes traderet, vt valetudinem, à doloribus liber, acquireret?

Vers. 18. Bona abscondita in ore clauso. Bona seu diuitiæ multæ repositæ in diuitum penu nihil eos iuuant, si os clausum sit ob ægritudinem, aut stomachi nauseam, quæ illis vesci prohibet, sunt enim cibi delicati huiusmodi diuitibus appositi, *quasi appositiones epularum circumposita sepulchro.* Hebræi sepulchris cibos imponebant, vt cederent in vsum pauperum, quorum orationes pro defunctis expetebant. Igitur vt epulis in sepulchro impositis mortui non vescuntur; sic nec malè valentes oblatis cibis, à quibus stomachus abhorret.

Vers. 19 Quid proderit libatio idolo? vinum, aut alius liquor in idoli fusus honorem aut cibus appositus ei erit inutilis; quia nec bibere potest, nec comedere: *nec enim manducabit*, imò *nec odorabit.* Tales ægrotos diuites esse considera.

Vers. 20. 21. Sic qui effugatur à Domino, portat mercedem iniquitatis. Hoc accidit iis, quos Dominus ob scelera immissis ægritudinibus insectatur: (sic Græcus) *videns oculis, & ingemiscens sicut spado complectens virginem, & suspirans.* Id est, cupiens ciborum voluptate frui, sed à medico prohibetur, vel à morbo, suspiria edit, similis quidem spadoni, seu eunucho, qui videns virginem, aut eam complectens dolet, quod ea frui nequeat.

Vers. 22. Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas teipsum in consilio tuo, siue in consiliis tuis, cum tecum ipse anxius deliberas, quid in rebus agere oporteat.

Vers. 23. Iucunditas cordis hæc est vita hominis, est hominis salutaris, & causa, cur diutius viuat: *& thesaurus sine defectione sanctitatis*, & etiam iucunditas cordis est thesaurus sanctitatis indeficiens. * Quia lætitia sanctitatem fouet, vt etiam sanctitas lætitiam: quæ non contingit iis, qui peccati alicuius sibi sunt conscij. Lætitia & sanctitas: peccatum & tristitia simul incedunt.] *Et exultatio viri est longæuitas*, id est, lætitia cordis longitudinem vitæ conciliat.

Lætitia & sãctitas: peccatum & tristitia simul incedunt.

Vers. 24. Miserere animæ tuæ, placens Deo, & contine. Parce tibiipsi, nec te nimium affligas anxia solicitudine, aut aliis rebus, quæ mœrorem inducunt. Memineris tamen, te Deum offendere non debere gaudio immoderato, sed illi placere: ideò continens esto, vt à recta

Ex lætitia, ſi nō adſit moderamē poſſumus ad piacula flecti.

ratione ſtatutos terminos non tranſilias.* Cum ergo nos ad captandam lętitiam allicit, particulam illam, *Placens Deo*, adiecit, vt doceat, faciè ex lætitia, ſi moderatio, & cautela non adſit, poſſe nos in piacula deuiare.] *Congrega cor tuum in ſanctitate eius, &c.* Græcè, *conſolare cor tuum*, quod tamen ſemper gerendum eſt in ſanctitate eius, hoc eſt, Dei legem ſeruando.

Verſ. 25. Multos enim occidit triſtitia : & non eſt vtilitas in illa, imò multum eſt noxia, niſi ex peccati commiſſi dolore procedat.

Verſ. 26. Zelus & iracundia minuunt dies, inuidia, & ira ita animum ſauciant, vt vitæ tempus imminuatur : *& ante tempus ſenectam adducet cogitatus*, anxiæ curæ, & ſolicitudines te adoleſcentem, aut virum ſenem efficient ante canorum tempus.

Verſ. 27. Splendidum cor, & bonum in epulis eſt, homo liberalis & hilaris benè ſe in cibis tractat, non ſtrictè, vt auari parentes potiùs pecuniæ, quàm ſibi : *epuæ enim illius diligenter fiunt.* Volunt enim homines liberales & hilares, epulas diligenter apparari, vt ſanitati conferant, & moleſtiæ excutiendæ, de qua hîc agitur.

CAPVT XXXI.

Tradit Siracides de diuitiarum contemptu, de vera honeſtate, de temperantia, & diſcretione ſalutaria admodùm documenta.



1. IGILIA honeſtatis rabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet ſomnium. 2. Cogitatus præſcientiæ auertit ſenſum, &
infirmitas grauis ſobriam facit animam. 3. Laborauit diues
in congregatione ſubſtantiæ, & in requie ſua replebitur bonis
ſuis. 4. Laborauit pauper in diminutione victus, & in fine
inops fit. 5. Qui aurum diligit, non iuſtificabitur : & qui
inſequitur conſumptionem, replebitur ex ea. 6. Multi dati
ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum. 7. Lignum offen-
ſionis eſt aurum ſacrificantium : væ illis qui ſectantur illud, & omnis imprudens
deperiet in illo. 8. Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula : & qui poſt au-
rum non abiit, nec ſperauit in pecunia & theſauris. 9. Quis eſt hic, & laudabi-
mus eum ? fecit enim mirabilia in vita ſua. 10. Qui probatus eſt in illo, & perfe-
ctus eſt, erit illi gloria æterna : qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus ; facere
mala, & non fecit : 11. ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas
illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum. 12. Supra menſam magnam ſediſti ?
non aperias ſuper illam faucem tuam prior. 13. Non dicas ſic : Multa ſunt, quæ
ſuper illam ſunt : 14. memento quoniam malus eſt oculus nequam. 15. Nequ-
ius oculo quid creatum eſt ? ideò ab omni facie ſua lacrymabitur, cùm viderit : 16. ne
extendas manum tuam prior, & inuidia contaminatus erubeſcas. 17. Ne com-
primatis in conuiuio. 18. Intellige quæ ſunt proximi tui ex teipſo : 19. vtere
quaſi homo frugi his, quæ tibi apponuntur ne, cùm manducas multum, odio ha-
beatis. 20. Ceſſa prior cauſa diſciplinæ : & noli nimius eſſe, ne fortè offendas.
21. Et ſi in medio multorum ſediſti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior
poſcas bibere. 22. Quàm ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum, & in
dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorem. 23. Vigilia, cholera, &
tortura viro infrunito : 24. ſomnus ſanitatis in homine parco, dormiet vſque ma-
nè, & anima illius cum ipſo delectabitur. 25. Et ſi coactus fueris in edendo mul-
tum, ſurge è medio, euome : & refrigerabit te, & non adduces corpori tui infirmi-
tatem. 26. Audi me fili, & ne ſpernas me : & in nouiſſimo inuenies verba mea.
27. In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.
29. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium verita-
tis illius fidele. 29. Nequiſſimo in pane murmurabit ciuitas, & teſtimonium
nequitiæ illius verum eſt. 30. Diligentes in vino noli prouocare : multos enim
exterminauit vinum. 31. Ignis probat ferrum durum : ſic vinum corda ſuperborum
arguet in ebrietate potatum. 32. Æqua vita hominibus, vinum in ſobrietate : ſi
bibas illud moderatè, eris ſobrius. 33. Quæ vita eſt ei, qui minuitur vino ? 34. Quid
defraudat vitam ? Mors. 35. Vinum in iucunditatem creatum eſt, & non in ebrie-
tatem, ab initio. 36. Exultatio animæ, & cordis, vinum moderatè potatum. 37. Sa-

nitas est animæ & corpori sobrius potus. 38. Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit. 39. Amaritudo animæ vinum multum potatum. 40. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulneta. 42. In conuiuio vini non arguas proximum: & non despicias eum in iucunditate illius: 42. verba improperij non dicas illi: & non premas illum in repetendo.

COMMENTARII.

1. Diuitiarum contemptum docet.



ERS. 1. *Vigilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum.* Græcè pro *honestatis*, est *opum.* Studium & cura colligendarum opum absumit vires, & robur corporis exedit: cogitatio enim nimium intenta harum acquisitioni somnum impedit, ex quo corporis valetudo maximè pendet. * Mortales stulti honestatem ex opibus metiuntur. Vndè diuitias *honestatem* appellant.]

Quàm stultè homines diuitias appellant honestatem.

Vers. 2. Cogitatus præscientia auertit sensum: solicitudo & anxietas prouidendi sibi in posterum de superfluis opibus aduersus varios casus, quos vel præscit, vel metuit obuenturos non rarò mentem aufert à Deo, à recto, ab studio salutis; inebriat enim, & sopit animam. *Et* è contra *infirmitas grauis sobriam facit animam*, vigilem, somnique expertem. Græcè, *& infirmitatem grauem digeret, vel moderatam faciet somnus.* Solicitudines enim animi nocentiores sunt morbis, nam hæ somno minuuntur, aut tolluntur; solicitudo verò somnum excutit.

Vers. 3.4. Laborauit diues in congregatione substantiæ, &c. Diues laborat, vt augeat opes, sed bonis partis frui non poterit, cum voluerit. Quia diues licet, *Laborauit pauper in diminutione victus, &c.* Quasi pauper esset, laborauit in, seu cum diminutione victus fraudans os, & genium suum victu necessario, vt opes augeat: tamen in fine, animo necdum saturo est, sed nouis opibus corradendis perindè inhiat, ac si nullas acquisiisset, & quasi omnibus egeret. * Profectò auaro tàm deest quod habet, quàm quod non habet.]

Auaro tàm deest quod habet, quàm quod non habet.

Vers. 5. Qui aurum diligit, non iustificabitur, &c. Qui diuitias amat, iniustus erit; & qui corruptibilia bona insectatur, (Græcè enim est, *corruptionem*) corruptione replebitur. Consequetur forsan ea corruptilia bona. Sed non implebitur bonis veris, sed corruptione. * Nam qui amat corruptibilia, corruptionem nanciscitur. Vndè qui magis est diues, vberiori est plenus corruptione.]

Qui corruptibilia amat, corruptioné nanciscitur.

Vers. 6. Multi dati sunt in auri casus, seu in casus & ruinas propter aurum inciderunt. * *Auri casus*, appositè vocat. Quasi casus agnati sint auro seu diuitiis.] *Et facta est in specie ipsius perditio illorum*, & species, ac fulgor auri eos perdidit. * *In specie ipsius*, ait, non in ipso auro. Auarus enim sola diuitiarum specie, non ipsis diuitiis potitur. Misertimum planè ob solam speciei, vel nominis fruitionem damnari.]

Casus agnatus est diuitiis.

Auarus sola diuitiarũ specie fruitur, non ipsis diuitiis.

Vers. 7. Lignum offensionis est aurum sacrificantium, offendiculum, scandalum (seu lignum in quod impingens aliquis cadit) est aurum, cui auari tanquam suo idolo sacrificant. *Væ illis, qui sectantur illud: & omnis imprudens deperiet in illo*, & omnis stultus qui tanti æstimat, quod floci facere deberet, in eo diuitiarum amore peribit.

Vers. 8. Beatus diues, qui inuentus est sine macula, seu qui diuitiis affluens à Deo acceptis animi puritatem asseruauit: *& qui post aurum non abijt*, seu qui plurium opum acquisitioni non dedit operam: *nec sperauit in pecunia, & thesauris*, non apposuit cor suum in diuitiis, sed beatitudinis spiritus particeps, licet diues sit censu, est pauper affectu.

Vers. 9. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Mirabile enim est vel virum aliquem ea spernere, quæ plerique admirantur, ac quærunt. * Vndè si inter diuitias diues aliquis earum non flagrat amore, sed eas contemnit: plura profert miracula, ob quæ vt beatum eum meritò commendare possumus.]

Qui inter diuitias pauper est spiritu, beatificetur, quia miracula gessit.

Vers. 10. Qui probatus est in illo, & perfectus est. Qui cum fulgoris auri tentatione probaretur, inuentus est perfectus. * Magnum enim sanctitatis experimentum est, virum auri fulgore tentatum, tentationi non succubuisse.] *Erit illi gloria æterna. Qui potuit transgredi* legem fruens libertate arbitrij, *& non est transgressus: facere mala, & non fecit.*

Magnum sãctitatis documentum est auri fulgore tentari, & non vinci.

Vers. 11. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, bona scilicet temporalia, quæ stabilit virtus possidentis: æterna, quæ post hanc vitam illum manent. * Felix diues iustus, qui hìc opibus stabilibus fruitur, & æternas consequitur.] *Et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum*, seu vniuersus fidelium cœtus. Ideò diues iustus stabiles in cœlo diuitias acquirit, quia in hoc sæculo diuitias expendit in pauperes. * Diues enim iustus si existat, quasi ipsa iustitia impellente, munificus fertur in pauperes.]

Felix diues iustus qui hìc opibus stabilibus fruitur, & æternas consequitur.

Diues iustus, quasi iustitia impellente, munific' fertur in pauperes.

Vers. 12. Super mensam magnam sedisti, &c. Si ad mensam epulis splendide instructam inuitatus accesseris, non prior ad cibos feraris, ne videaris gulæ studere.

2. Sobrietatem in conuiuio commendat.

Vers. 13.14. Non dicas sic: Multa sunt, quæ super illam sunt, ideoque prior, & largiùs possum epulari. *Memento, quoniam malus est oculus nequam*, oculus scilicet conuiuatoris inuidi ægrè ferentis, conuiuas multa absumere.

Vers. 15. Nequius oculo inuido, *quid creatum est? ideò ab omni facie sua lacrymabitur*, seu lacrymas profundet, quæ totam irrigent faciem, *cum viderit*, conuiuas multum comedentes.

Vers. 16. Ne extendas manum tuam prior ad epulas appositas: *& inuidiâ contaminatus erubescas.* Ne scilicet contingat, conuiuatorem inuidum te oculis diuerberare, aut sugillare verbis quasi belluonem, & parùm verecundum: sicque notatus & quasi macula contaminatus, erubesces.

Vers.

Vers. 17. *Ne comprimaris in conuiuio.* Græcè, *Ne comprimaris cum eo in catino.* Quod accidit, cum quis ex eadem lance cibos sumit, & celerius, quàm par est, comedit, socij vices non expectans.

Vers. 18. 19. *Intellige, quæ sunt proximi tui ex teipso.* Sicut displicet tibi, si quis sit inurbanus, & nimium audax dum mensæ tuæ assidet: ità eandem vrbanitatem adhibe inuitatus, quam inuitans requiris. *Vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, ne cum manducas multum, odio habearis.*

Vers. 20. *Cessa prior* à comedendo *causa disciplinæ,* siuè vt appareat, quam benè sis moratus, & sobrius: *& noli nimius esse* in poculi vsu, *ne forte offendas,* ne impingas cum è mensa surrexeris.

Vers. 21. 22. *Et si in medio multorum sedisti, prior illis nè extendas manum tuam, nec prior poscas bibere,* vt pluribus meri vicibus potiaris. *Quàm sufficiens est homini erudito.* seu bonis instructo moribus *vinum exiguum: & in dormiendo non laborabis ab illo,* non grauabit stomachum, & somnum vel auferet, vel molestum admodum reddet: *& non senties dolorem,* capitis, vel stomachi dolore non afficieris vino immodico agnato.

Vers. 23. 24. *Vigilia, cholera, & tortura viro infruniso.* Græcè, *inexplebili viro.* Id est, vir nimius in cibi, ac potus vsu vigiliæ, choleræ, ac torturæ molestiis afficitur. Vigiliæ quidem, quia qui nimio cibo aut potu se farciunt, somnum capere nequeunt: choleræ, aliqui enim cibi præsertim dulces in bilem vertuntur: torturæ, quia dolores stomachi patit saturitas. *Somnus* verò *sanitatis,* seu somnus sanitatem afferens, *in homine parco,* sobrio: *dormiet vsque mane: & anima illius cum ipso delectabitur,* quietè ac placidè dormiet; qui verò nimium comedunt, si dormiant, absurdis in somniis, & molestiis abundant.

Vers. 25. *Et si coactus fueris in edendo multum,* aliis conuiuis te inuitantibus & vrgentibus ad comedendum, & bibendum: *surge è medio.* Græcè, *per medium,* aliorum conuiuantium, alij legunt, *in medio domorum,* siue in fine mensæ, cum poma bellariaque apponuntur, *euome* potiùs quàm infirmeris. Sic medici suadent: *& refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* * Collige ex præfatis, quàm exitiale sit & animo & corpori, in conuiuiis sobrietatis fræna laxari.]

Exitialis est animo ac corpori cibi saturitas.

Vers. 26. 27. *Audi me fili, & ne spernas me,* tibi salutaria dogmata dictantem: *& in nouissimo inuenies verba mea,* seu aliquando experieris, vera esse quæ dico. *In omnibus operibus tuis esto velox,* strenuus, acer, solers, circumspectus, industrius, & acutus. Omnia hæc Græcum vocabulum signat: *& omnis infirmitas non occurret tibi.* * Si verbum *velox* pro corporis exercitatione accipias, sensus erit, sanum viuere, qui corporis frequenti exercitio, seu motu prauos discutit humores.] * Si verò vox Græca ἐντρεχὴς solertem, & circumspectum significet, sensus erit, eos qui solerter cauent, ne nimio distendantur cibo, benè suæ consulere valetudini.]

Corporis exercitatione conseruatur valetudo.
Et ciborum parcimonia.

Vers. 28. *Splendidum in panibus,* seu in cibis, aum scilicet, qui domesticos quotidie, & cum opus est externos splendidè in cibo, vel in conuiuio tractat: *benedicent labia multorum.* * Liberalitati enim & munificentiæ semper est agnata laudatio, quia nihil iucundius quàm ex alieno penu splendidè victitare.] *Et testimonium veritatis illius fidele,* & testimonium, quod sit egregiè magnificus fidele est, & verum. * Græcè, *testimonium pulchritudinis,* seu nobilitatis illius verum est. Nam liberalitas & munificentia nobilium hominum est propria virtus.]

Liberali, & munifico agnata omnium laudatio.

Munificentia nobilium est propria virtus.

Vers. 29. *Nequissimo in pane murmurabit ciuitas.* Auaro in pane distribuendo, seu contra auarum tota ciuitas murmurabit. * Aptè autem auarum appellauit *nequissimum,* quia auarus nullum non perpetrabit vitium, vt opes acquirat.] *Nequissimus,* itaque est auari nomen. *Et testimonium nequitiæ illius verum est.* Merito murmurat populus de eiusmodi hominis auaritia.

Auarus aptè Nequissimus appellatur.

Vers. 30. *Diligentes in vino noli prouocare.* Strenuos potatores, quos Isaias *cap.* 5. 22. *potentes ad bibendum vinum vocitat,* noli crebro ad bibendum prouocare; *multos enim exterminauit vinum,* cum ebrietas morbos graues conciliet, & alia mala adducat, imò & mortem aliquandò, vt videre est in ebrio Holopherne gladio Iudith hæ iugulato. 3.

Carpit ebrietatem.

Vers. 31. *Ignis probat ferrum durum, &c.* Quemadmodùm ignis probat, & facit ferri temperaturam, cum illud partim igni immittitur, partim aqua immergitur; sic corda potatorum madidorum mero, & simul vini calore æstuantium cuius temperaturæ sint, apparet.

Vers. 32. *Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate:* vinum sobriè sumptum æquabilem & commodam vitam affert. *Si bibat illud moderatè, eris sobrius,* seu ebrietatem cauebis. Tigurina sic: *Vinum vitæ humanæ accommodatum est, cum temperatè bibitur.* * Vini vsus non est absolutè noxius, sed cum immoderatus: vitæ enim conseruandæ, imò producendæ est vinum appositum, cum temperatè hauritur.]

Vini vsus têperatè hausti valetudini est aptus.

Vers. 33. 34. *Quæ vita est ei, qui minuitur vino,* siue qui vino omnino caret? Breuis, & ægritudinibus plerumque obnoxia. *Quid defraudat vitam? Mors.* Ac si diceret, carere vino, aut illo non vti, vt faciunt abstemij, mors quidem est. * Quia corpori non ita salubris, vitam imminuit aquæ potus.

Vitam imminuit frequens aquæ potus.

Vers. 35. 36. 37. *Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio.* Non creauit Deus vires vini patentes, vt homines ebrietate afficerentur, sed vt animus eorum hilaris redderetur? nam vinum lætificat cor hominis. *Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè potatum, &c.*

Vers. 38. 39. *Vinum multum potatum,* seu vinum haustum immoderatè, *irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Vino enim calentes alij alios verbis prouocant ad iram, ex qua rixæ procedunt, & vulnera. *Amaritudo animæ* est *vinum multum potatum,* intemperanter namque sumptum crassis, crudis, & biliosis humoribus stomachum, & caput infestat, queis amaritudo, seu tristitia animi ingeneratur.

Plura ebrietatis incommoda recensentur.

Vers. 40. *Ebrietatis animositas imprudentis offensio.* Audacia & ira, quæ ex vino, ebrio addicitur, animositas verè non est, sed potius offendiculum ebrio imprudenter agenti, cum

ſui non ſit compos; *eſt enim minorans virtutem*, ſeu robur languidum reddens; *faciens vulnera*, ſeu irritans ad vulnera, & cædes.

Verſ. 41. *In conuiuio vini non arguas proximum*, In conuiuio, in quo multum vini bibitur, ne cum compotatore contendas; facilè enim vino calentes iram concipiunt, & in alios profundunt: *& non deſpicias eum in iucunditate illius.* Nec tu, ſi fortè te immoderatè potioni non dediſti, deſpicias, vel irrideas alium qui factus hilarior inepta loquitur.

Verſ. 42. *Verba improperij ne dicas illi*; ne fortè iraſcatur: *& non premas illum in repetendo*, debitum æqualis hauſtus, propinationibus illum vrgendo; nam id eſſet iniquum. Ex Græco, Ne illum *vrgeas*, vel *impellas.* Hoc enim eſſet inhumanum, cum potius deberes vacillantes illius greſſus regere, ne impingat, & incommodum aliquod patiatur. Hinc infamis ebrietatis damna conſidera.]

CAPVT XXXII.

Quinque conditiones conuiuij ad eius decentiam Sapiens recenſet.

1. RECTOREM te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis. 2. Curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua explicita recumbe: 3. vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem conſequaris corrogationis. 4. Loquere maior natu: decet enim te. 5. primum verbum diligenti ſcientia, & non impedias muſicam. 6. Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem, & importunè noli extolli in ſapientia tua. 7. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio muſicorum in conuiuio vini. 8. Sicut in fabricatione auri ſignum eſt ſmaragdi, ſic numerus muſicorum in iucundo & moderato vino. 9. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. 10. Adoleſcens loquere in tua cauſa vix. 11. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. 12. In multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens. 13. In medio magnatorum non præſumas: & vbi ſunt ſenes, non multum loquaris. 14. Ante grandinem præibit coruſcatio: & ante verecundiam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. 15. Et hora ſurgendi non te trices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude, 16. & age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo ſuperbo. 17. Et ſuper his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis. 18. Qui timet Dominum, excipiet doctrinam eius: & qui vigilauerint ad illum, inuenient benedictionem. 19. Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui inſidioſè agit, ſcandalizabitur in ea. 20. Qui timent Dominum, inuenient iudicium iuſtum, & iuſtitias quaſi lumen accendent. 21. Peccator homo vitabit correptionem, & ſecundùm voluntatem ſuam inueniet comparationem. 22. Vir conſilij non diſperdet intelligentiam, alienus & ſuperbus non pertimeſcet timorem: 23. etiam poſtquam fecit cum eo ſine conſilio, & ſuis inſectationibus arguetur. 24. Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. 25. In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum: 26. & à filiis tuis caue, & à domeſticis tuis attende. 27. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ: hoc eſt enim conſeruatio mandatorum. 28. Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur.

COMMENTARII.

1. *Prima conditio, ſympoſiarcha commis ſit, & humilis.*



ERS. 1. *Rectorem te conuiuij poſuerunt?* Sermo eſt de ſympoſiarcha, qui olim ſolebat vel ſuffragio, vel ſorte deligi, vt ordini in conuiuiis ſeruando præeſſet. Vndè à variis auctoribus. *Modimperator, Rex conuiuij, Dictator, ſtrategus Arbiter & Pater cœna,* appellatur. *Noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis*, ne præ cæteris te efferas, ſed potius te aliis exæqua, licet conuiuali ea ſuperior ſis poteſtate.

Verſ. 21. *Curam illorum habe*, venientes humaniter excipiens, ſuis locis collocans, & curans, vt nihil deſideretur. *Et ſic conſide, & omni cura tua explicita, recumbe.* Cum ea omnia, quæ munus tuum requirit, expleueris, poteris conſidere, ſeu recumbere. * Dedecet Rectorem, ſeu Præſidem quieſcere, donec circà

Rector non quieſcat, donec, circa ſubditorum commoda, neceſſaria prouideat.

ſubdi

subditorum commoditatem necessaria prouideat]

Vers.3. Vt lateris propter illos. videns omnibus esse satisfactum, eosque ideo hilariter mensæ assidere : *& ornamentum gratiæ accipias coronam,* & coronæ instar, sit tibi ad ornamentum gratiæ vel pulchritudinis, aut decentiæ tuæ, quod videant omnes, te benè, & ordinatè cuncta disposuisse. * Profectò subditis aptè esse prouisum, Rectoris est corona] *& dignationem consequaris corrogationis*, id est, collectionem Symbolorum, & ferculorum, quam faciebant conuiuæ, vt eam quasi tributum suo Moderatori offerrent. Vocatur ergo, *dignatio corrogationis*, hoc est, corrogatio, qua conuiuæ dignantur conuiuio Præfectum.

Rectoris corona est, subditis aptè esse prouisum.

2.
Secunda conditio : senes cordatè instituant colloquia.

Vers.4. 5. Loquere maior natu. Hoc præceptum non spectat ad Symposiarcham, sed ad alios conuiuas. *Decet enim te primum verbum diligenti scientia.* Decet ante alios locuturus, diligenti & exacta prudentia, quæ dicenda sunt, præmeditari, vt scilicet loco, & tempori sermo conueniat. *Et non impedias musicam,* qua conuiuiæ exhilarantur, & magnum est conuiuij condimentum.

Vers.6 Vbi auditus non est, non effundas sermonem. Quia nisi adsint auditores, qui sermonem calleant, nec scientia æstimatur, nec dogma salutare admittitur. * Non autem dicit, vbi non sunt auditus, sed *auditus non est*, vt innuat, vnum sufficere adesse auditorem, vt vtiliter, seu decenter sermo valeat proferri. Vnde taxantur Concionatores, qui indecenter & inutiliter se profundere sermonem iudicant, cum exiguus auditorum cœtus adest.] *Et importunè noli extolli in Sapientia tua*, noli sapientem intempestiuè agere. Vel ne importunè producas sermonem plusquam oportet. * Longiores enim sermones auditoribus pariunt fastidium, & vtilitati minimè prosunt]

Sufficit vnus auditor, vt Concionatos possit vtiliter sermonem agere.

Concio longior, quàm oportet auditoribus parit fastidium.

3.
Tertia conditio : Adsit musica.

Vers.7. Gemmula carbunculi in ornamento auri, &c. Vt carbunculus auro illigatus hilarius splendet : ita musicorum concentus lætius efficit conuiuium. *Comparatio* est Græcè vocum compositio. Dicit autem *In conuiuio vini.* id est, in conuiuio, in quo largius merum propinatur.

Vers.8. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, &c. Quemadmodum smaragdinum sigillum auro diligenter elaborato insertum fulget augustius : sic in conuiuio iucundo, vbi temperatè vinum hauritur harmonia ex multis canoribus conflata delectat.* Dixit appositè *In iucundo & moderato vino.* Vini enim immoderatio iucundos nō reddit homines, sed stupidos, & ad musicam percipiendam ineptos.

Vt iucunditatem ex vino percipias, eo vtere moderatè.

4.
Quarta conditio : Adolescentes parcè loquantur, & modestè se gerant.

Vers.9. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia Si numeros musicæ tacens audieris, pro vrbanitate, quam senioribus loquentibus opportunè, & cantoribus exhibes, gratior illis existes.

Vers.10.11. Adolescens loquere in tua causa vix. Etiam cum tua interest, paucis admodum loquere. *si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Cum loquuturus es, expecta semel ac iterum interrogari, nè repentè respondens ineptam proferas sententiam : & responsum tuum ad capita, (ex Græco) & summam breuem redige, seu summatim verbis paucis multa complectere.

Vers.12. In multis esto quasi inscius, quasi nesciens, & non intelligens, ac proinde parum loquens : *audi tacens, simul & quærens.* vt plurimum tacens, interdum tamen, interrogans edocearis.

Vers.13. In medio magnatorum non præsumas. si coram proceribus agis, te non illis exæques. *Et vbi sunt senes, ne multum loquaris.* Vtilius enim tibi erit eos audire, quàm loqui. * Plerumque namque sermo seniorum hallat Sapientiam.]

Senum sermo plerumque hallat Sapientiam.

Vers.14. Ante grandinem præibit coruscatio, &c. Quemadmodum grandinem (Græcè *tonitruum*) coruscatio comitatur : ita verecundiam gratia apud eos qui verecundum adolescentem aspectant. * Aptè autem verecundia tonitruo comparatur, quia sine timore non est, & hominem vt tonitru percellit.] Coruscationi vero confertur gratia ob fulgoris iucunditatem. *Et pro reuerentia accedet tibi bona gratia*, & pro vrbanitate à te expressa, gratus aderis omnibus assidentibus.

Verecundia tonitruo comparatur.

Vers.15 16. Et hora surgendi non te trices. Cum tempus est è conuiuio surgendi, ne moras nectas : *præcurre autem prior in domum tuam*, domum tuam quamprimùm repete. *& illic auocare*, seu euocamentem à seriis, & animum tuum recrea : *& illic lude* cum familiaribus : *& age conceptiones tuas.* id est, animo, & arbitrio tuo morem gere, fac quidquid collibitum fuerit. *&* (vel sed) *non in delictis & verbo superbo.* Operam da animi laxationi, dummodo non pecces, non tumultueris, quemquam non lædas. * Licita quidem est, & necessaria corporis recreatio, imò aderit meritoria, si nullum in ludo v. gr. piaculum admisceatur, & laxatio illa dirigatur ad colligendas vires, quas Dei lites obsequio]

Corporis recreatio poterit esse non solùm licita, sed & meritoria.

Vers. 17. Et super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te : & inebriantem te ab omnibus bonis suis. Dominum lauda, illi exhibe gratias largissimè te suis bonis ditantem. * Actionem gratiarum post materiale prandium gerendam edocemur.] * Vndè instruimur efficacius ad gratias Deo reddendas, cum è sacerrimo Eucharistico epulo surgimus, in quo nos munificentissimus ille Rex nos cunctis suis bonis inebriauit.]

5.
Quinta conditio : Gratiæ Deo agantur.
Gratiæ agendæ post epulum.
Gratiæ gerendæ post conuiuium Eucharisticum.

Vers.18. Qui timet Dominum, excipiet doctrinam eius; & qui vigilauerit ad illum, solicitè orando, & in eius lege meditando, *inueniet benedictionem.* * Matutina hinc commendatur oratio Deo admodum grata, vndè speciali eius benedictione donata.]

6.
Plura vtilia adquirit documenta.
Oratio matutina commendatur.

Vers.19. Qui quærit legem, replebitur ab ea : seu bonis illius locupletabitur : *& qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea.* Et qui hypocrita est, (sic Græcus) & alium se simulat ab eo, qui est, v. gr. pium & legis studiosum, cum irreligiosus sit & impius, offendet in lege, quia ob hypocrisim, & violatam legem pœnas luet.

Vers. 20. Qui timent Dominum, inuenient iudicium iustum, id est, facilè ex lumine naturali rationis, vel supernaturali fidei, aut ex Doctorum instructione, id quod iustum est, dignoscet : *& iustitias quasi lumen accendet*, seu iustitiæ opera exercebit, quæ aliis boni exempli splendore præluceant. * Vir enim iustus tacens prædicat, & alios edocet, cum bene operatur.]

Iustus alios docet, cum bene operatur.

Verſ. 21. *Peccator homo vitabit correptionem, & ſecundum voluntatem ſuam inueniet comparationem.* Græcè, *interpretationem.* Peccator correptionem non admittit, ſed quærit prætextus, excuſationes, & interpretationes legis, quas ad ſua deſideria accommodat, vt in ſuis peccatis poſſit hæreſcere. Lectio vulgatæ eundem ſenſum reddit, ſi dicas, peccatorem comparationem facere, cum verbi gr. dicat: Hoc alij faciunt, cur ego iubeor abſtinere? * Peccatoris profectò eſt, non mitiores licitè, ſed laxas omninò in lege interpretationes & opiniones à Doctoribus reprobatas requirere.] * Peccatoris eſt, præcepi o Prælati tibi iniucundo comparationes obiicere: cur hoc mihi, & non illi præcipitur?]

Peccatoris eſt, laxas legis quærere interpretationes.

Peccatoris eſt comparationes obiicere Prælato: cur hoc mihi, & non illi præcipitur.

Verſ. 22. 23. *Vir conſilij non diſperdet intelligentiam.* Vir prudens qui res ſuas conſilio regit, non negliget conſiderationem, & deliberationem; omnia enim circumſpiciet, & timebit. *Alienus, & ſuperbus non pertimeſcet timorem,* Qui alienus à conſilio eſt, ibi non timebit, vbi prudenter timendum fuiſſet. *Etiam poſtquam fecit cum eo ſine conſilio: & ſuis inſectationibus arguetur.* Etiam poſtquam cum eo, hoc eſt, cum timore aliquo, temere & ſine conſilio operatus eſt, & ſuboriente etiam ſcrupulo, ne fortè illud eſſet peccatum: adhuc poſt factum non timet, ſed ſcrupulum deuorat, & ſibi omnia tuta fingit. Hic quidem arguetur temeritatis, cum inciderit in anguſtias propter ſuas inſectationes, ſeu propter ea, quæ audè ſectatus eſt, & quorum cauſa diuinum timorem neglexit.

Verſ. 24. *Fili, ſine conſilio nihil facias: & poſt factum non pœnitebis.* * Quia vel proſperè ſuccedet euentus, re ex conſilio prudentum directa: vel ſi contra ſpem recurrat aduerſus, ea aderit conſolatio, re tuo ſolùm arbitrio non proceſſiſſe. Aptè quidem vulgariter dictitabis: *No lo erre por mi.*]

Nulla res ſine conſilio peragenda.

Verſ. 25. *In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides.* A via, in qua facilè eſt cadere, & in præceps ruere, recede, ne offendicula te impellant ad lapſum. *Nec credas te,* viæ laborioſæ, qualis eſt illa, quæ lapidibus, & offendiculis abundat; *ne ponas animæ,* ſeu vitæ *tuæ ſcandalum,* ſeu offendiculum. * Per allegoriam hìc Sapiens ſignificat, negotia difficilia periculo, ac ruinæ proxima non eſſe capeſſenda.] * Si ſpiritum autem reſpicere lubeat, edoceris, à iuſto omninò fugiendas eſſe delinquendi occaſiones.]

Negotia periculis ruinæ proxima capeſſenda non ſunt.

Fugiendæ occaſiones delinquendi.

Verſ. 26. *Et à filijs tuis caue: & à domeſticis tuis attende.* Monet etiam, ibi cauenda pericula, vbi omnia tuta eſſe videntur. Vnde etiam domi, & inter filios, & familiares vigilandum. * Si enim filij, aut famuli delinquant, obſtacula ſunt, quibus excidat pater, & herus, qui pro illis rationem Domino eſt redditurus.]

Ob filiorum, aut famulorum peccatū pater, vel herus ſupplicio afficitur.

Verſ. 27. *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ.* Sequere credulitatem animæ tuæ, id eſt, tuæ conſcientiæ dictamen: *Hoc eſt enim conſeruatio mandatorum,* ſic enim mandata, & diuinam legem ſeruabis.

Verſ. 28. *Qui credit Deo, attendit mandatis* implendis. Vnde ſuſpectum quodammodo in fide dixerim, eum, qui Dei contemnit legis obſeruationem. * Profectò aliquos vidi tam impudenter Dei mandata violare, vt atheiſmo laborare videantur.] *Et qui confidit in illo, non minorabitur,* ſeu detrimentum non accipiet.

Qui impudenter Dei mādata violat atheiſmo laborare videtur.

CAPVT XXXIII.

Deſcribit Siracides diuinam Sapientiam prouidè ſeparantem bonos à malis, & ſuum cuique rei contrarium tribuentem, ad plenitudinem, & ornatum vniuerſi. Monet, prudentis non eſſe, ſeſe ante obitum exheredare; nec ſeruis facilè indulgendum.



1. TIMENTI Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione
Deus illum conſeruabit, & liberabit à malis. 2. Sapiens non
odit mandata & iuſtitias, & non illidetur quaſi in procella
nauis. 3. Homo ſenſatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.
4. Qui interrogationem manifeſtat, parabit verbum, & ſic
deprecatus exaudietur, & conſeruabit diſciplinam, & tunc
reſpondebit. 5. Præcordia fatui quaſi rota carri, & quaſi
axis verſatilis cogitatus illius. 6. Equus emiſſarius, ſic & amicus ſubſannator,
ſub omni ſupraſedente hinnit. 7. Quare dies diem ſuperat, & iterùm lux lucem,
& annus annum à Sole? 8. A Domini ſcientia ſeparati ſunt, facto Sole, & præ-
ceptum cuſtodiente. 9. Et immutauit tempora, & dies feſtos ipſorum, & in illis
dies feſtos celebrauerunt ad horam. 10. Ex ipſis exaltauit & magnificauit Deus,
& ex ipſis poſuit in numerum dierum. Et omnes homines de ſolo, & ex terra, vn-
de creatus eſt Adam. 11. In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparauit eos, &
immutauit vias eorum. 12. Ex ipſis benedixit, & exaltauit: & ex ipſis ſanctifica-
uit, & ad ſe ſupplicauit: & ex ipſis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à
ſeparatione ipſorum. 13. Quaſi lutum figuli in manu ipſius, plaſmare illud & diſ-
ponere.

ponere. 14. Omnes viæ eius secundùm dispositionem eius: sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundùm iudicium suum. 15. Contra malum bonum est; & contra mortem vita: sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Duo & duo, & vnum contra vnum. 16. Et ego nouissimus euigilaui, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores. 17. In benedictione Dei & ipse speraui: & quasi qui vindemiat, repleui torcular. 18. Respicite quoniam non mihi soli laboraui, sed omnibus exquirentibus disciplinam. 19. Audite me magnates, & omnes populi, & rectores Ecclesiæ auribus percipite. 20. Filio & mulieri, fratri & amico, non des potestatem super te in vita tua: & non dederis alij possessionem tuam: ne fortè pœniteat te, & deprecaris pro illis. 21. Dum adhuc superes & aspiras, non immutabit te omnis caro. 22. Melius est enim vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum. 23. In omnibus operibus tuis præcellens esto. 24. Ne dederis maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hereditatem tuam. 25. Cibaria, & virga & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo. 26. Operatur in disciplina, & quærit requiescere: laxa manus illi, & quærit libertatem. 27. Iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ. 28. Seruo maleuolo tortura & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet: 29. multam enim malitiam docuit otiositas. 30. In opera constitue eum: sic enim condecet illum. Quòd si non obaudierit, curua illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem: verum sine iudicio nihil facias graue. 31. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem, sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illum. 32. Si læseris eum iniustè, in fugam conuertetur: 33. & si extollens discesserit, quem quæras, & in qua via quæras illum, nescit.

COMMENTARII.

1.

Diuina Sapientia facit bonorum, & malorum diuisionem.

VERS. 1. *Timenti Dominum non occurrent mala, &c.* Nullis malis, nullis incommodis iustus afficietur, quia si diaboli tentationes irruant, eum tutabitur Dominus, ne vincatur. * Reliqua autem mala, seu ærumnæ, quæ ei possunt occurrere, verè mala non sunt, sed bona omninò, siquidem iusto patienter sustinenti ea proficiunt ad meritum. Vndè veraciter potest affirmari Iusto *non occurrent mala.*]

Mala, & ærumnæ quæ torquent iustú, verè mala non sunt, eum deseruiant ad meritum.

Vers. 2. Sapiens non odit mandata, & iustitias. Idest, diligit ea (ex Miosi, qua minus dicitur, quàm significatur) *& non illidetur, quasi in procella nauis*, quia amans, & seruans legem, non faciet æternæ salutis naufragium.

Vers. 3. Homo sensatus, seu qui intellectu, prudentia pollet, *credit legi Dei fideliter* (sic Græcus) versatur in lege; vel fidelis est legi, se totum ei gubernandum permittit: *& lex illi fidelis*, vt ab eo mala auertat cuncta, & bona omnia conciliet. * Si fidelis custos legis extiteris, ipsa lex tui fidelis custos erit.]

Lex fidelis custos erit eius, qui illam fideliter custodit.

Vers. 4. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum. Qui interrogationem sibi factam per aptam responsionem manifestare cupit, præmeditabitur, quid sit dicturus, nec statim ad respondendum prosilict: *& sic deprecatus exaudietur*, præmissa scilicet, oratione, fusis precibus, vt consentanea loco, tempori, & interrogationi valeat respondere. * Nullum piaculum in sermone committet, qui prius orat, quàm loquatur.] *Et conseruabit disciplinam, & tunc respondebit.* In Græco est. *Colligabit disciplinam*, methodum, ordinem & connexionem dicendorum exprimet, vnde opportunè semper respondebit.

Antequam loquaris, orationem præmitte.

Vers. 5. Præcordia fatui quasi rota carri, mens fatui instabilis est instar rotæ currus, quæ semper circumagitur: *& quasi axis versatilis cogitatus illius*: & cogitationes illius assimilantur modiolo rotæ, cui illius radij sunt infixi versatili quidem, vt cogitationum fatui instabilitatem exprimat.

Vers. 6. Equus emissarius, &c. Equus emissarius est, qui ad equas emittitur, vt eas grauidas reddat. Quemadmodùm equus huiusmodi sessoris directioni patet, & fræno obedit interim dum ab armento equarum longè abest: cum verò illas videt, sessorem arripit, quo non vult, aut illum dorso excutit; ita fictus amicus cum vtilitas aut voluptas effulget, blanditur, amico consentit, voluntati illius se accommodat: alioqui leges violat & perrumpit amicitiæ, vt suis commodis deseruiat.

Vers. 7. Quare dies diem superat, &c. Quid causæ est, quod vna dies, & lux aliam præcellat, dies scilicet festus diem profestum; cum omnis lux dierum anni à Sole profluat, ac proinde secundum naturam dies omnes eiusdem sint rationis?

Vers. 8. A Domini scientia separati sunt, facto Sole, & præceptum custodiente. Non casu sed diuina prouidentia inducta est huiusmodi varietas dierum festorum, & profanorum, post Solem iam factum, & cursum suum tenentem, illoque naturales dies efformantem. Diuina enim positiua lege Sabbati quies & festa Paschæ, Pentecostes, &c. iussi sunt Hebræi in lege Mosis celebrare.

Vers. 9. Et immutauit tempora, &c. Variè disposuit Deus tempora, vt colerent dies festos ab hora & ad horam constitutam iuxta illud

Leuit.23.32. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*, & sic de aliis festis, quæ certo anni tempore recurrebant, & certa quadam hora incipiebant, & terminabantur.

Vers.10. Ex ipsis exaltauit, & magnificauit Deus. Ex ipsis naturalibus diebus aliquos præstantiores fecit Deus vt scilicet celebritate festorum essent insignes: *& ex ipsis posuit in numerum dierum*, & reliquos dies nullo speciali honore affecit, sed tantum sunt numerus ad perficiendos menses, & annos. *Et omnes homines de solo, & ex terra, vnde creatus est Adam.* Est apodosis similitudinis hoc sensu: sic omnes homines ex terra ex solo sumpta facti sunt: ex ipsis tamen hominibus aliquos elegit Dominus, aliquos verò non elegit.

Vers.11. In multitudine disciplinæ Dominus separauit eos, id est, sua infinita Sapientia Deus hanc hominum electorum & non electorum disposuit varietatem: *& immutauit vias eorum.* Quia fecit, vt alij aliam vitæ rationem sequerentur, & varios amplecterentur status. Et quia alios effecit sapientes, & sanctos: alios verò in sua insipientia, ac peccatis dereliquit. * Si intellectu polles, si a peccatorum via longè abes, scito te hoc maximo Dei beneficio accepisse, vt ei gratias semper referas.]

Qui intellectu pollet, & à via peccatorum recedit, sciat, se id magno Dei beneficio accepisse.

Vers.12. Ex ipsis benedixit, & exaltauit: & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit, ad se ex hominibus plures applicuit, vt essent populus Dei, eiusque familia & Ecclesia: & ex hisce fidelibus aliquos speciatim ob egregiam sanctitudinem suos effecit. *Et ex ipsis maledixit, & humiliauit*, &c. Plurimos ex hominibus maledixit, relinquens eos in sua vilitate & abiectione, & subuertit eos à stationibus, siue sedibus eorum. Quod de Chananæis intellexerim, quibus eiectis, Israëlitæ in eorum regionem fuerunt inducti.

* *Vers.13. Quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud, & disponere.* Quemadmodum figulus ex eodem luto vasa efficit alia in honorem, alia in contumeliam (vti ait Paulus *Rom.* 9.21.) ita ex hominibus luteis quidem alios elegit, alios non elegit.

Vers.14. Omnes viæ eius secundùm dispositionem eius. Omnes figuli actiones & plasmationes sunt secundùm eius dispositionem, ac beneplacitum. *Sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundùm iudicium suum.* Ita Deus pro arbitratu suo alios elegit, non elegit alios, quod rectum quidem est, & malo vitio suo peccantes punit, vt meriti sunt.

Vers.15. Contra malum bonum est, &c. Caussam reddit, cur hæc bonorum & malorum, iustorum & peccatorum distinctio fit in mundo, asserens, in aliis quoque rerum generibus hanc oppositionem apparere. Nam res malæ bonis opponuntur, v.gr. vitæ mors: haud aliter peccator iusto opponitur. * Profectò maiorem inuenio inter iustum & peccatorem differentiam, quàm inter vitam & mortem, quia mors vna corporis est, alia animi: illa animum à corpore separat, hæc totum hominem à Deo seiungit.] *Et sic intuere in omnia opera Altissimi: Duo & duo, & vnum contra vnum.* Recole Dei opera, & videbis, multa esse oppositorum paria, quorum alterum contra alterum pugnat: sic calor frigori est contrarius, humiditati siccitas, &c.

Maior differentia est inter peccatorem & iustum quàm inter vitam & mortem.

2.

Vers.16. Et ego nouissimus euigilaui, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores. Græcè, vt calamos vel spicas post messem colligens. Modestè Siracides se cum spicilegis comparat, reliquos autem Scriptores sacros cum messoribus aut vindemiatoribus, quorum messis copiosa est, seu vber & multiplex doctrina. Nouissimum autem se euigilasse dicit, quia omnes sacri Libri veteris testamenti, exceptis Machabæorum voluminibus, ante Ecclesiasticum scripti fuere. * Nullus Auctor se existimet messem, aut vindemiam doctrinæ facere: tot enim scripti sunt pleni eruditione, ac doctrina libri, vt diligentior & acutior Scriptor spicilegus iam fit, non messor: & post vindemiam vberrimam acinorum collector.]

Doctrinam salutarẽ traditurus, captat auditorũ attentionem.

Omnes huius temporis scriptores spicilegi sunt, non messores: & post vindemiam accinos colligunt.

Vers.17. In benedictione Dei & ipse speraui: diuina ope & fauore ego nitor. *Et quasi qui vindemiat, repleui torcular*, racemationem meam Deus suo beneficio in iustam vindemiam conuertit. Meritò qui se modestè deiecit cum colligentibus acinos post vindemiam, fit à Domino vindemiator, vberrimam faciens torcularis affluentiam. Quia hoc est humilitatis ingenium deiectione exaltari.]

Humilitas deiectione exaltatur.

Vers.18. Respicite, quoniam non soli mihi laboraui, sicut qui acinos colligit, soli sibi laborat: *Sed omnibus requirentibus disciplinam*, torcularis in morem, omnibus disciplinæ sacræ succum effundo. Ergò.

Vers.19. Audite me magnates, &c. Superiorum enim ac populi Rectorum est quod rectum est cognoscere, & alios erudire * Quomodo subditus callebit, quod Superior ignorat? Vndè Sapiens Rectores instruere curat, vt ab eis subditi erudiantur.]

Si nescit superior, subditus ignorabit.

3.

Vers.20. Filio & mulieri: fratri & amico non des potestatem super te in vita tua, filio, vxori, fratri, amico haud tradas super te dominium, eis committendo domus gubernationem: *Et non dederis aliis possessionem tuam.* & multo minus donatione bona tua, dum viuis in eos transferas. *Nè fortè pœniteat te, & depreceris pro illis.* Pœnitebit te postea, & necessarium tibi fortasse erit te fieri supplicem, & quæ necessaria habebis ad victum aut cultum vix precibus obtinere. * Insipiens proculdubio est, qui hominibus viuens sua bona cedit. Hominibus, inquam. Solus enim Deus quæ ab homine viuenti accipit cum quæstu vel hîc in sem eius conuertit.]

Monet, prudentis nõ esse se ante mortem exhæredare.

Soli Deo potest quis dũ viuit sua bona cedere, qui cũ quæstu restituit.

Vers.21. Dum adhuc superes & aspiras, non immutabit te omnis caro. Dum viuis, & spiritum, aurámque vitalem hauris, non alienes, (sic Græcus) aut vendas te, vel libertatem tuam cuicumque etiam coniunctissimo, licet tibi blandiatur, & multa promittat.

Vers.22. Melius enim est, vt filij tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum. Melius est, vt filij tui pendeant à te rerum tuarum dominium & administrationem retinente: quàm in manus filiorum anxiè respicere, quomodo catelli assolent, quibus aliquid cibi, quo alantur, proiicitur. * Multi enim filij postquam parentum bona ab eis donata possident, tanquam canes eos tractant, stricta manu eis necessaria exhibentes.]

Taxantur filij, qui parentibus, à quibus bona acceperunt strictim necessaria præstant.

Vers.23. In omnibus tuis præcellens esto. Græcè, *excellens*, eximius, superans, vt scilicet ex aliis non dependeas, sed omnia domi tuæ à te

pendere,

& tuæ dispositioni parere satagas.

Vers.24. Ne dederis maculam in gloria tua, teipsum dehonestando animo degeneri, & filiis, vxori, aut famulis permittendo, vt pro te dominentur. * Se procul dubio dehonestat, qui cum à Deo factus sit sui, ac suæ substantiæ dominus, se, & substantiam ab aliis regi, ac disponi permittit.] *In die consummationis vitæ tuæ,* seu mortis, *& in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam*, domui tuæ dispone, & hæredem quem debes, aut libuerit, constitue.

Se dehonestat, qui Dominus cum sit, se & res suas aliis regendas committit.

4. *Vers.25. Cibaria & virga & onus asino: & disciplina & opus seruo.* Sicut iumento dandum est fœni pabulum, vt onus valeat apportare, & ipsi desidi virgæ percussio est addicenda: haud aliter cibus conueniens dandus est seruis, sed onus imponendum, ne otio torpeant: & si deliquerint, flagris excipiendi. * Loquitur de mancipiis, non de famulis mercenariis. Quos quidem libertate fruentes turpe esset ab hero vulnerari.]

Quonammodo te cum seruo fideli, & infideli gerere debeas, docet.

Turpe est herum famulum, vt mancipium tractare, cum sit liber.

Vers.26. Operatur in disciplina, & quærit requiescere. Serui, qui animo vere seruili sunt, verberum solummodò timore operantur: agnatum enim est illis requiem, & otium procurare. *Laxa manus illi, & quæret libertatem.* Remitte aliquid de custodia, & disciplina, vel laxa compedes, & catenas, quibus adstringitur, statim non tibi gratus erit, quòd humaniter illum tractes, sed de fuga cogitabit, qua se in libertatem asserat. * Nam qui animo seruili est, ex accepto beneficio ansam arripit ad iniuriam.]

Qui animo seruili est, ex accepto beneficio, ansam arripit ad iniuriam.

Vers.27. Iugum, & lorum curuant collum durum, &c. Quemadmodum boues, asini, iugo iniecto, & loris, quibus constringuntur, aut verberantur domiti submittuntur: haud aliter seruum contumacem assiduus operis labor domat, & frangit.

Vers.28.29. Seruo maleuolo. seruus malus, verbi gratia, fur, ebriosus, &c. torquendus est, vel in pœnam delicti, vel ad veritatem eliciendam, & compedibus, ac carcere coërcendus. *Mitte illum in operationem ne vacet*, iniunge illi operum laborem, ne otio torpeat; *multam enim malitiam docuit otiositas.* * Otium quippè est omnium malitiarum ac criminum machinator.]

Otium est omnis malitiæ machinator.

Vers. 30. In opera constitue eum, coge illum operari, fodere v. gr. aut aliud huiusmodi laboriosum opus exercere; *sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit, curua illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem.* Græcè, *non abundes in omni carnem.* Ne sis nimius vrgendo ad opus laboriosum, & continuum omnem carnem, scilicet seruorum, ac brutorum corpora, quæ quidem nimio labore deficiunt. * In onere imponendo seruis, recordetur herus se ex fragili carne coalescere, seruumque suum ex eadem esse efformatum.] *Verùm sine iudicio nihil facies graue.* Ne in seruum quidem grauiter animaduertas sine iudicio, illo scilicet, non audito, ac re maturè non examinata.

In onere imponẽdo seruis, aut famulis, recordetur herus se & seruum, ex eadẽ carne esse formatos.

Vers. 31. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta, &c. Seruum fidelem æstima quasi fratrem, imò sicut teipsum, comparasti enim eum tibi *in sanguine*, hoc est, ad sanguinem animæ tuæ, vt scilicet, sanguinem, & vitam tuam foueret, & tueretur, famulando tibi, & pro te, cum opus fuerit, vitam, & sanguinem in discrimen obiiciendo. * Ergo si fidelis seruus tuam tuetur vitam, eum vt propriam vitam debes æstimare.]

Seruus fidelis, vt propria vita æstimandus ab hero est.

Vers. 32.33. Si læseris eum iniustè, in fugam conuertetur, fugam arripiet: non verò si iustè lædatur. Ille enim, quem conscientia accusat, reluctari non audet: iniuria verò vel mancipia excitat ad insolita.] *Et si extollens discesserit, &c.* Si se extollens & efferens, fugam arripuerit, eum reducere non poteris, quia latebras quæret, vt lateat fuga, & quamprimùm se proripiet, ne illum assequi valeas.

Iniuria, vel mancipia afficit.

CAPVT XXXIV.

Agit Sapiens de vanitate somniorum, de tentationum vtilitate, de spe in Deo figenda, de mercede pauperum non fraudanda.

1. VANA spes, & mendacium viro insensato: & somnia extol-
lunt imprudentes. 2. Quasi qui apprehendit vmbram, &
persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia.
3. hoc secundùm hoc visio somniorum: ante faciem homi-
nis similitudo hominis. 4. Ab immundo quid mundabitur?
& à mendace quid verum dicetur? 5. Diuinatio erroris, &
auguria mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est.
6. Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur. nisi ab Altissimo fuerit emis-
sa visitatio, ne dederis in illis cor tuum: 7. multos enim errare fecerunt somnia, &
exciderunt sperantes in illis. 8. Sine mendacio consummabitur verbum legis, &
Sapientia in ore fidelis complanabitur. 9. Qui non est tentatus, quid scit? Vir
in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum.
10. Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, mul-
tiplicat malitiam. 11. Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abun-
dabit nequitia. 12. Multa vidi errando, & plurimas verborum consuetudines.

13. Aliquoties vſque ad mortem periclitatus ſum horum cauſa, & liberatus ſum
gratia Dei. 14. Spiritus timentium Deum quæritur, & in reſpectu illius benedice-
tur. 15. Spes enim illorum in ſaluantem illos, & oculi Dei in diligentes ſe.
16. Qui timet Dominum, nihil trepidabit: & non pauebit: quoniam ipſe eſt ſpes
eius. 17. Timentis Dominum beata eſt anima eius. 18. Ad quem reſpiciс, & quis
eſt fortitudo eius? 19. Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ,
firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, 20. depreca-
tio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans
ſanitatem, & vitam, & benedictionem. 21. Immolantis ex iniquo oblatio eſt ma-
culata, & non ſunt, beneplacitæ ſubſannationes iniuſtorum. 22. Dominus ſolus
ſuſtinentibus ſe in via veritatis & iuſtitiæ. 23. Dona iniquorum non probat Altiſ-
ſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine ſacrificiorum eo-
rum propitiabitur peccatis. 24. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum,
quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. 25. Panis egentium vita paupe-
rum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. 26. Qui aufert in ſudore pa-
nem, quaſi qui occidit proximum ſuum. 27. Qui effundit ſanguinem, & qui frau-
dem facit mercenario, fratres ſunt. 28. Vnus ædificans, & vnus deſtruens:
quid prodeſt illis niſi labor? 29. Vnus orans, & vnus maledicens: cuius
vocem exaudiet Deus? 30. Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum,
quid proficit lauatio illius? 31. ſic homo qui ieiunat in peccatis ſuis, &
iterùm eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis
exaudiet?

COMMENTARII.

1. *De vanitate ſomniorum agit.*



ERS. 1. *Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato.* Spes quas ſibi ſtultus fingit, vanæ ſunt, & fallaces. *Et ſomnia extollunt imprudentes.* Vndè ſibi illudi patitur adeò, vt etiam ſomniis ſuis confidat, ac ex eis ſuperbè extollatur. * Et quidnam eſt, ex quo ſuperbi efferuntur niſi ſomnium? Verè enim non habent, vnde efferri valeant.]

Superbi non habent, vnde verè efferri poſſint, cuncta ſunt ſomnia.

Verſ. 2. Quaſi qui apprehendit vmbram, &c. Non minus illuduntur ij, qui ſomniis fidem dedunt, quàm illi, qui ventum, vel vmbram apprehendere procurant.

Verſ. 3. Hoc ſecundùm hoc viſio ſomniorum. Viſio ſomniorum non eſt aliud, quàm repræſentatio quædam, qua *hoc eſt ſecundùm hoc*, id eſt, hoc huic apparet ſimile. *Ante faciem hominis ſimilitudo hominis*, id eſt, ſicut cum ante faciem hominis collocatur ſpeculum, in quo facies hominis apparet. Somnium itaque non eſt res ipſa, vel rei veritas, ſed ſolùm inanis imago, vel vmbra rei, vti imago in aqua, vel in ſpeculo, quam pueri rem veram eſſe exiſtimant.

Verſ. 4. Ab immundo quid mundabitur, &c. Quemadmodum immundus res alias mundare nequit, cum potius ſit aptus illas inquinare; ita ſomnia cum ſint mendacia, verum non poſſunt edocere, nec coniectores qui illa interpretantur vera valent præfari, cum mendacio nitantur.

Verſ. 5. Diuinatio erroris & auguria mendacia, & ſomnia malefacientium vanitas eſt. Diuinatio erronea, quæ ab errore proficiſcitur, putà à dæmone, mago, ſagis: falſa auguria ex auium volatu, garritu, &c. queis res futuræ ſignificari creduntur: ſomnis hominum iniquorum, qui contrà Dei legem ſomniis ſuis attendunt ideoque in mendacium induci ſe ſinunt: vanitas procul dubio eſt.

Verſ. 6. 7. Et ſicut parturientis cor tuum phantaſias patitur, &c. Si ſomnis mendacibus credas, multos tibi ingerent timores, & perturbationes, quæ pectus tuum excrucient ad eum modum, quo partui proximæ mulieres aſſolent excruciari, niſi Dei ope protegaris. *Multos enim errare fecerunt ſomnia, &c.* * Miror ſapientem dixiſſe *Multos* maſculino in genere. Credebam namque ſolas mulieres ſomniis fidem adhibere.

Mulierum eſt ſomniis adhibere fidem.

Verſ. 8. Sine mendacio conſummabitur verbum legis, &c. In tota lege nullum adeſt mendacium, quia à Deo ſumma veritate habet ortum: & quamuis doctrina, quæ in lege diuina & in ſacris litteris continetur, obſcura aliquando, & perplexa eſſe videatur: tamen ſi quis illam frequenter verſet, corde fideli meditando, facilem illam inueniet, & ad illius arcana callenda admittetur. Faciliùs, qui non intelligit, fidelem adeat Magiſtrum, & planum ſenſum legis, illius accipiet ex ore. * Edocemur, à fidelibus & doctis viris, ſiue à libris Sapientum difficilium Sacræ Scripturæ locorum intelligentiam capiendam.]

Edocemur à doctis viris vel libris. Difficilium Scripturæ locorum intelligentiam perquire.

Verſ. 9. Qui non eſt tentatus, quid ſcit? Qui nullis caſuum variorum tentationibus iactatus non eſt, non poteſt rerum experientiam habere. * Experientia enim plùs, quàm Doctrinæ theorica prodeſt.] *Vir in multis expertus cogitabit multa.* Ex Græco, qui multùm peregrinatus eſt, & multa loca peruagatus, multa præuidebit, quæ cauenda ſint, & varios modos ſe expediendi facilè inueniet. *Et qui multa didicit, enarrabit intellectum*, de rebus ſapienter pronunciabit. Vtilius tib. ad litem, & ad valetudinem expertum litibus Aduocatum, & ægritudinibus Medicum adire, quàm peritos in Academiis Doctores.]

2. *De tentationum vtilitate agit.*

Experientia plùs docet, quàm doctrina.

Aduocatum in litibus, & Medicum in ægritudinib. expertum elige potiùs quam in theorica perdoctum.

Verſ. 10. Qui non eſt expertus, pauca recognoſcit, &c. Qui variis caſibus tentatus non

eſt

est; rerum experientiam non habet, pauca callere potest: qui verò in multis casibus factus est expertus, auget prudentiam ad rerum aptam expeditionem. Hîc *malitiam* in bonam partem sumit, vt *astutia* passim in sacris vsurpatur.

Vers. 11. *Qui tentatus non est, qualia scit, &c.* Sicut qui nullis casibus iactatus est, experientia caret: sic qui *implanatus* sæpè fuit, aut *deceptus* (Græcus sic) ab aliis, *nequitiâ*, seu prudentiâ, astutiâ abundabit ad huiusmodi aliorum nequitiam agnoscendam, ne rursum decipiatur, & alios possit à similibus periculis docendo amouere. Operæ pretium est, Magistrum theoricè malitiam, & iniquitatem callere, vt opportunè doceat alios ab illa recedere: nimia enim sinceritas in Magistro ei prodesse potest, sed nocet discipulis.]

Oportet Magistrũ callere malitiã vt ab ea alios auertat.

Vers. 12. *Multa vidi errando*, hûc & illûc discurrendo, multa experimento attigi, *& plurimas verborum*, id est, rerum hominumque *consuetudines*, & mores sum expertus.

Vers. 13. *Aliquoties vsque ad mortem periclitatus sum horum causa, &c.* Propter peregrinationum discrimina latronum, naufragiorum, calumniarum, quibus peregrini in alieno solo solent circumueniri, non semel lethale subij periculum; à quo quidem fui Dei protectione ereptus.

Vers. 14. *Spiritus timentium Deum quæritur, &c.* A Deo quæritur, seu requiritur in homine spiritus timoris, seu sibi fidentes quærit vt seruet, & à periculis eripiat: & cum cœperit illum Deus benignis oculis respicere, benedicetur, & omni bonorum genere abundabit. Ideò à Domino à tot periculis liberatus fui. * Cùm iter instituis, præcipua præparatio sit peccatorum confessio, aut contritionis actus; hoc enim præsidio munitus à cunctis periculis erueris.]

Cum iter velis instituere, conscientiam purga vt à periculis viæ eruaris.

Vers. 15. *Spes enim illorum in saluantem illos: & oculi Dei in diligentes se.* Quemadmodum

3. De spe in Deo figenda.

enim qui suam spem locauerunt in Domino, ad illum respiciunt, & ab eo opem implorant: ita vicissim Deus illos respicit, & bonorum copiam in illos immittit.

Vers. 16. 17. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, &c.* Qui Deum timet, non solùm aderit ab irruentibus malis securus, verùm & ab ipso incommodi metu liber erit. * Timor enim Dei alium quemcumque timorem expellit.] *Timentis enim Dominum beata est anima eius.* * Animá timentis Deum quasi in beatitudinis degit statu, quem nulla possunt tentare pericula, nulla terrere incommoda.]

Timor Dei alium quemcũque timorem expellit.

Qui timet Deũ hîc quasi in statu beatitudinis degit.

Vers. 18. 19. 20. *Ad quem respicit, & quis est fortitudo eius?* quem spectat, quo nititur? Certè Deo. Vndè *Oculi Domini super timentes eum, &c.* Deus respicit respicientem se, vt sit ei protector potentissimus, vires roborans, in malorum ardore tegumentum, ne adurentibus tentationibus succumbamus; est enim nobis quasi vmbraculum in meridiano æstu. * Cùm luxuriei æstu molestè afficeris, ad quem respicis, & quis est fortitudo tua? Si refrigerium, si victoriam ambis respice in faciem Christi tui, cuius respectus te illicò à tentatione liberabit. Respice, vt respiciatis.] Deus quidem erit *Deprecatio* (Græcè, *einatio*) *offensionis, & adiutorium casus*, seu auxilium, ne cadas; *exaltans animam*, seu erigens, eum in malum aliquod siue culpæ, siue pœnæ prolabitur: *& illuminans oculos*, ignorantiam pellendo, & cœleste lumen, quo dirigaris immittendo: *dans sanitatem, & vitam*, mentis, & corporis: *& benedictionem*, seu omne bonorum genus tribuens.

Cum luxuriei æstu afficeris, Christũ aspice, & ipse te respiciens à tentatione liberabit.

Vers. 21. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Qui ex raptis, vel alioqui ex malè partis curat sacrificium offerre, errat; nam huiusmodi victima quasi polluta Deo admodum displicet. * Docemur res iniustè partas proprio domino restituendas esse, nec satisfacere, qui pauperibus, distribuit, aut animarum purgatorij suffragio eas litat, nisi casu, quo proprius Dominus post factam diligentiam ignoretur.] *Et non sunt beneplacita subsannationes iniustorum.* Deum enim irridet, & paruipendit, qui rem illi offert ingratam.

Non satisfacit debito, qui rem iniquè partam pauperibus distribuit, si proprius adest Dominus.

Vers. 22. *Dominus solus sustinentibus se*, seu expectantibus, & illi seruientibus *in via veritatis, & iustitia*, id est, iustè partis, & non rapinis. Ac si diceret, solùm Deo placent, quæ illi offeruntur iustè acquisita. Deus à te vult propria accipere, non aliena.

Vers. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus, &c.* Non solùm respuit Deus victimam ex partis iniquè, verum nec dona ex proprio penu præparata recipit, si manu offerantur iniqua. Vnde ob huiusmodi oblationes non redderetur propitior vt peccata condonet.* Opera enim alias recta, & ex se laudabilia manu peccatoris oblata non proficiunt ad meritum de condigno.]

4. De mercede pauperum nõ defraudanda.

Opera bona aliàs, à peccatore gesta ad meritum non proficiunt.

Vers. 24. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, &c.* Qui ex bonis, quæ eripuit à paupere, superstite paupere, aut eius hærede, cui possit illa restituere, victimam Deo parat: Deo tàm inuisus ostenditur, & ingratus: quàm se ostenderet patri, qui in eius conspectu filium traderet iugulo, quod adeò patri placere non potest, vt etiam ei summum dolorem afferret. * Si Deus quasi de filio occiso dolet, cum ei quis offert bona à paupere sublata: quid quæso, cum eiusmodi bonis vtitur ad patranda crimina? Profectò cum Christus Dominus se idem esse cum paupere affirmet pauperi inflictum Christũ coram æterno Patre sauciare videtur.]

Qui de substantia pauperis offeret munera Christum Dominum coram æterno Patre exitialiter percutit.

Vers. 25. *Panis egentium vita pauperis est, &c.* Cum exigua illa ac tenuis substantia, qua pauper victitat, illius vitam alat: qui eam à paupere eripit, procul dubio erit homicida.

Vers. 26. *Qui aufert in sudore panem*, seu panem in sudore partum, victum scilicet pauperum, quem sibi illi sudoribus ac laboribus suis parant: *quasi qui occidit proximum suum*, credat perindè se habere, ac ille qui hominem aliquem interemit. * Hinc subtaxantur Iudices, aut Magistratus, qui exactores ad pauperes immittunt agricolas eos omninò misero victu fraudaturos. Meritò hi possunt æterni Iudicis timere vindictam qui tot homicidia commiserunt, quot eorum causa pauperes fame afficiuntur.]

Iudices, qui exactores ad miseros mittunt agricolas tot perpetrant homicidia, quot pauperes eorũ causa fame afficiuntur.

Vers. 17. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*, similes sunt, & penè pares.

Vers. 28. *Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis nisi labor?* Quemadmodùm si vnus ædificet domum, & ædificatam diruat alius, nihil proficiunt: ita qui ex raptis elee-

 mosynam

mosynam facit, aut Deo sacrificium offert, licet opus de se bonum agat, illud tamen vitiat adeò, vt nullum ex eo fructum percipiat.

Vers. 29. Vnus orans, & vnus maledicens: cuius vocem exaudiet Deus? Pone, pauperem, cui impius alienorum raptor benefecit, à Deo suo benefactori bona deprecari: & impium interim maledicere dum dicit intra se: pauperes Deum propitium reddunt: ipsum verò Deum sibi inimicum facere, dum restituere negligit. Quæsierim, quemnam Deus exaudiet? pauperemne orantem, aut impium in se vindicem Dei prouocantem iram? Nullius profectò audiet vocem: non impij impœnitentis, non pauperis pro impœnitente deprecantis. * Opus est, vt tibi prosit iustorum oratio, te ex tuo aliquid adhibere. Scilicet pœnitentiam.]

Vt tibi profit aliorum oratio, pœnitentiam adhibe.

Vers. 30. 31. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? Qui purificat se à legali immundiria quam ex contactu cadaueris contraxit, si post lotionem rursus id tangit: nihil ei proderit prima lotio. *Sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, &c.* Nihil ei proficiet humiliatio ieiunij, nullus pro eo fructuosè orabit Deum minimè exauditurum, quia licet opus bonum ex se gerat, illius gratiam aliis superadditis flagitiis corrumpit.

CAPVT XXXV.

Circa Religionis virtutem, sacrificium Deo gratum viduas, pupillos, pauperésque non opprimendos Siracides salutaria documenta tradit.



1. QVI conseruat legem, multiplicat oblationem. 2. Sacrifi-
cium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni
iniquitate. 3. Et propitiationem litare sacrificij super in-
iustitias, & deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia.
4. Retribuet gratiam, qui offert similaginem: & qui facit
misericordiam, offert sacrificium. 5. Beneplacitum est Do-
mino recedere ab iniquitate: & deprecatio pro peccatis re-
cedere ab iniustitia. 6. Non apparebis ante conspectum Domini vacuus. 7. Hæc
enim omnia propter mandatum Dei fiunt. 8. Oblatio iusti impinguat altare, &
odor suauitatis est in conspectu Altissimi. 9. Sacrificium iusti acceptum est, & me-
moriam eius non obliuiscetur Dominus. 10. Bono animo gloriam redde Deo: &
non minuas primitias manuum tuarum. 11. In omni dato hilarem fac vultum
tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. 12. Da Altissimo secundùm da-
tum eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum: 13. quo-
niam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. 14. Noli offerre mu-
nera praua, non enim suscipiet illa. 15. Et noli inspicere sacrificium iniustum,
quoniam Dominus iudex est, & non est apud illum gloria personæ. 16. Non ac-
cipiet Dominus personam in pauperem, & deprecationem læsi exaudiet. 17. Non
despiciet preces pupilli: nec viduam, si effundat loquelam gemitus. 18. Nónne
lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem
eas? 19. A maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exauditor
non delectabitur in illis. 20. Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur, &
deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit. 21. Oratio humiliantis se, nubes
penetrabit: & donec propinquet non consolabitur: & non discedet donec Al-
tissimus aspiciat. 22. Et Dominus non elongabit, sed iudicabit iustos, & fa-
ciet iudicium: & Fortissimus non habebit in illis patientiam, vt contribulet dor-
sum ipsorum: 23. & Gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem su-
perborum, & sceptra iniquorum contribulet: 24. donec reddat hominibus secun-
dùm actus suos, & secundùm opera Adæ, & secundùm præsumptionem illius:
25. donec iudicet iudicium plebis suæ, & oblectabit iustos misericordia sua.
26. Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tem-
pore siccitatis.

COMMEN

COMMENTARII.

1\. De Religiositate.

ERS. 1. *Qui conseruat legem* seu qui legi diuinæ implendæ studet, *multiplicat oblationem*, siue perinde facit, ac si multa Deo sacrificia offerret.

Vers. 2. *Sacrificium salutare est, &c.* Sacrificium enim ad salutem animi & corporis obtinendam appositum operam dare mandatis implendis, & ab omni actione iniqua longè abesse.

Vers. 3. *Et propitiationem litare sacrificij super iniustitias.* Et recedere ab iniustitiis, est sacrificare, ad propitiationem peccatorum obtinendam. *Et deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia*, & illud ipsum à peccatis discedere, & deprecatio ad Deum facta, vt peccata prælapsa dimittat. * Profectò pœnitentia peccatoris feruens oratio est, quâ Deum ad misericordiam gratum adducit.]

Pœnitentia peccatoris est deprecatio pro peccatis.

Vers. 4. *Retribuet gratiam, qui offert similaginem, &c.* Quemadmodum qui offert similaginem in sacrificium, Deo pro acceptis beneficiis gratias reddit: ita qui in proximos est misericors, quoddam quasi sacrificium Deo gratissimum offert.

Vers. 5. 6. 7. Beneplacitum, *est Domino*, hominem *recedere ab iniquitate*: & est *deprecatio pro peccatis* commissis, *recedere ab iniustitia. Non apparebis ante conspectum Domini vacuus* Est legis præceptum *Exo* 23. 15. & alibi. Si pœnitens ad Dei conspectum accedis, plenus muneribus, quæ Deo offeras, appares, *Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt.* Ita enim Dominus imperauit. *Exo.* 34. 20. *Deut.* 16. 16.

2\. De sacrificio Deo grato.

Vers. 8. *Oblatio iusti impinguat altare, &c.* Altare profectò impinguat, quia pinguia offert iustus sacrificia, & victimas selectas, easque cum magna pietate offert: quod maximè Deus expetit, suauissimum in conspectu eius halans odorem. * Certè animi pietas præstans sacrificium efficit pingue, non multitudo victimatum.]

Animi pietas præstans pingue efficit sacrificium.

Vers. 9. *Sacrificium iusti acceptum est: & memoriam eius non obliuiscetur Dominus*, seu sacrificij à iusto oblati, pinguis quidem Dominus semper memoriam retinebit, vt aliquando muneret obsequium. * Non dixit, *Non obliuiscetur sacrificium*, sed *memoriam eius non obliuiscetur*: vt ostendat, longissimè esse Deum ab obliuione sacrificij, siquidem & memoriam eius semper memoriæ retinet.]

Longissimè Deus abest à memoriis sacrificij sibi à te oblati obliuione.

Vers. 10. *Bono animo gloriam redde Deo*, oblationes & sacrificia animo alacri, liberali Deo redde. * Non *da*, sed *redde*. Nihil enim Deo litamus, quod ab eius munificentissima manu non acceperimus.] *Et non minuas primitias manuum tuarum*, diminutè illas offerendo. * Animi sordidi est, & cum Deo illiberaliter agentis, ex primitiis, vel decimis Ecclesiæ debitis aliquid imminuere: & maximè se ostendit ingratum ei, à quo id ipsum quod litat, diminutum, integrum accepit.]

Deo non das, sed reddis ab ipso accepta.

Sordidi est animi, aliquid de primitiis, seu decimis imminuere.

Vers. 11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Quid Deo litas, hilariter tribue: *& in exultatione sanctifica decimas tuas.* Multùm enim gratiæ accidit sacrificio, vel decimarum, ac primitiarum oblationi, si hilariter & animo volente tribuantur. * Quod tristi vultu datur, magis videtur exactione exquiri, quàm oblatione offerri.]

Quod tristi vultu datur, magis videtur exactione exquiri, quàm offerri.

Vers. 12. *De Altissimo secundùm datum eius*, siue iuxta opes quas à Deo accepisti, fac oblationem. *Et in bono oculo ad inuentionem facito manuum tuam*, & lætis oculis hilari vultu fac oblationem secundùm quod manus tua ex agro, ex torculari, ex grege, ex armento lucri inuenit.

Vers. 13. *Quoniam Dominus retribuens est: & septies tantum reddet tibi.* * Ergò qui stultus est qui vt auaritiæ indulgeat, aliquid ex debitis decimis detrahit, si pro vno, quod retinet, septem amittit.]

Pro vno, quod ex decimis retines, septem amittis.

Vers. 14. *Noli offerre munera praua*, seu vitio aliquo laborantia, qualia sunt animalia cæca, clauda, scabiosa, quæ offerri vetantur *Leu.* 22. 22. *Deut.* 15. 20. *Malach.* 1. 8. *Non enim Deus suscipiet illa.* * Subtaxantur hinc, qui triticum ærumnosum, moribundum agnum in decimam soluunt à Deo in retributionem minimè accipiendum, imò nec in debiti solutionem.]

Taxantur, qui triticum ærumnosum pro decima reddunt.

Vers. 15. *Et noli inspicere sacrificium iniustum.* Græcè, *ne attendas sacrificio iniusto*, id est, ne iniquum sacrificium instituas. *Quoniam Dominus Iudex est, & non est apud illum gloria personæ*, non est quasi homo, qui personæ dignitate commoueatur, vt illam reuereatur, aut timeat.

Vers. 16. *Non accipiet Dominus personam in pauperem*, seu contra pauperem, personam scilicet lædentem, aut violantem pauperis iura. *Et deprecationem læsi inopis exaudiet*, vt lædentem puniat, & læsi iura defendat. 3.

Pauper, pupillus, vidua non opprimendi.

Vers. 17. *Non despiciet preces populi grauati tributis*, & exactionibus: *nec viduam si effundat loquelam gemitus*, vocem gemitus, vocem gementem. * *Loquelam gemitus* appositè dixit, ploratio enim afflicti diserta est loquela, efficax deprecatio, quam Deus exaudit, & eius efficacia persuadetur.

Lacrymæ voces habent, disertè loquuntur.

Vers. 18. *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, &c.* Cum viduæ lacrymæ profluunt ad Dominum clamorem emittunt contra illos, qui deduxere eiusmodi lacrymas, seu lacrymis illis, & gemitibus causam dedére. * O altissimam lacrymarum vocem.]

Altissima lacrymarum vox.

Vers. 19. *A maxilla enim ascendunt vsque ad cælum: & Dominus exauditor non delectabitur in illis*, imò valdè ei displicebunt, & irascetur, & excandescet contra eos, qui suâ iniustitiâ, illas eliciunt.

Vers. 20. *Qui adorat Deum in oblectatione*, bona voluntate, animo hilari, liberali oblationes exhibens, *suscipietur* à Domino; *& deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit*, preces illius ad superos ascendentes exaudientur.

Vers. 21. *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur*, non admittet consolationem, nec cessabit, donec ad Deum euadat, ac penetret: *& non discedet, donec Altissimus aspiciat*, & exaudiat. * Dicitur oratio primum ad nubes ascendere, mox è nubibus cœlos penetrare, vt innuatur orationis instantia. Iusta opportunè, importunè ora, obsecra semel & iterum clama,

Orationi instandum semel & iterum eadem petendo vt tandem exaudiaris.

ma, ſi vis, tuas preces à Domino exaudiri.]

Verſ. 22. *Et Dominus non elongabit, &c.* Dominus quidem non in longum ptottrahet, non tardabit in fauorem iuſtorum, qui iniuria affecti ſunt, ſententiam fetre contra impios iniuriatores. *Et fortiſſimus non habebit in illis patientiam, vt contribulet dorſum ipſorum* non patietur, qui fortiſſimus eſt ad vindictam ſumendam, ſe diutius à iuſtis orari, ſed ſtatim io eorum oppreſſores iram profundet, donec *conterat* (ſic Græcos) *oſſa immiſericordium.* * Qui tam patienter ſuffert iniquorum in ſe delinquentium pertinaciam, ſi pauper, ſi iuſtus ab eis lædatur, non habet patientiam ad differendam vindictam, ſed incunctanter eos dirè punit.]

Deus non habet patiētiam ad differendā vindictam, cum læditus ab impio iuſtus.

Verſ. 23. *Et Gentibus reddes vindictam, &c.* Peccantes populos puniet, donec multitudinem iniquorum conterat, & in nihilum redigat, Regeſque impios omninò comminuat.

Verſ. 24. 25. *Donec reddat hominibus ſecundum actus ſuos: & ſecundum opera Adæ, &c.* Adam aliquandò nomen proprium eſt protoplaſti, aliquando omnibus hominibus commune, quomodo in præſenti accipitur. Deus itaquè hominibus pœnas rependet iuxta eorum opera iniqua. *Et ſecundum præſumptionem illius.* Græcè, *ſecundùm cogitationes & vota*, & deſideria eorum. Aptè autem *præſumptiones* vocantur, quia ante opus malum mente præſumuntur, & præcipiuntur. *Donec iudicet iudicium plebis ſuæ, & oblectabit iuſtos miſericordia ſua*, plebi ſcilicet ſeu populo ſuo cauſam adiudicando, & illum à malis eripiendo magna eorum oblectatione, ac voluptate.

Verſ. 26. *Specioſa miſericordia Dei in tempore tribulationis quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis.* Quemadmodum pluuia grata ſæpè, poſt ſiccitatem ſuccos gratior apparet: ita Dei miſericordia gratior tribulationis inſtantia oſtentatur. O miſericors Domine, tempora hæc tot ſunt plena tribulationibus, vt miſericordia tua nobis ſuccurrens ſpecioſiſſima ſemper appareat.

Specioſam admodū faciūt Dei miſericordiam noſtræ tribulationes.

CAPVT XXXVI.

Orat Sapiens pro Iudæis, vt à Domino protegantur: pro Gentilibus vt conuertantur ad Dominum. Monet, nè in credendo cuique nimis faciles ſimus. Bonas vxores commendat.

1. MISERERE noſtri Deus omnium, & reſpice nos, & oſtende
nobis lucem miſerationum tuarum: 2. & immitte timo-
rem tuum ſuper Gentes, quæ non exquiſierunt te, vt cogno-
ſcant quia non eſt Deus niſi tu, & enarrent magnalia tua.
3. Alleua manum tuam ſuper Gentes alienas, vt videant
potentiam tuam. 4. Sicut enim in conſpectu eorum ſan-
ctificatus es in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis
in eis, 5. vt cognoſcant te, ſicut & nos cognouimus quoniam non eſt Deus præ-
ter te Domine. 6. Innoua ſigna, & immuta mirabilia. 7. Glorifica manum, &
brachium dextrum. 8. Excita furorem, & effunde iram. 9. Tolle aduerſarium,
& affiige inimicum. 10. Feſtina tempus, & memento finis, vt enarrent mirabilia
tua. 11. In ira flammæ deuoretur qui ſaluatur: & qui peſſimant plebem tuam,
inueniant perditionem. 12. Contere caput principum inimicorum dicentium:
Non eſt alius præter nos. 13. Congrega omnes Tribus Iacob: vt cognoſcant
quia non eſt Deus niſi tu, & enarrent magnalia tua: & hereditabis eos, ſicut
ab initio. 14. Miſerere plebi tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum, &
Iſraël, quem coæquaſti primogenito tuo. 15. Miſerere ciuitati ſanctificationis
tuæ Ieruſalem, ciuitati requiei tuæ. 16. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, &
gloria tua populum tuum. 17. Da teſtimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ
ſunt, & ſuſcita prædicationes, quas locuti ſunt in nomine tuo prophetæ priores.
18. Da mercedem ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur: & exaudi
orationes ſeruorum tuorum. 19. ſecundùm benedictionem Aaron de populo
tuo, & dirige nos in viam iuſtitiæ, & ſciant omnes qui habitant terram, quia tu es
Deus conſpector ſæculorum. 20. Omnem eſcam manducabit venter, & eſt cibus
cibo melior. 21. Fauces contingunt cibum feræ, & cor ſenſatum verba mendacia.
22. Cor prauum dabit triſtitiam, & homo peritus reſiſtet illi. 23. Omnem maſcu-
lum excipiet mulier, & eſt filia melior filia. 24. Species mulieris exhilarat faciem
viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium. 25 Si
eſt lingua curationis, eſt & mitigationis & miſericordiæ: non eſt vir illius ſecundùm
filios

filios hominum. 26. Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adiutorium secundùm illum est, & columna vt requies. 27. Vbi non est sepes, diripietur possessio: & vbi non est mulier, ingemiscit egens. 28. Quis credit ei, qui non habet nídum, & deflectens vbicumque obscurauerit, quasi succinctus latro exiliens de ciuitate in ciuitatem?

COMMENTARII.

Orat Siracides pro Iudæis, vt à Domino protegantur.

I. ERS. 1. 2. *Miserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum*: seu eâ nos misericordiâ protege, quæ sit quasi omnium tuarum miserationum colligatio. Orat, vt Hebræos à Rege Ægypti Ptolomæo captos, dispersos, & afflictos liberet.

Necessaria est quodammodò omnium Dei miserationum confluxio, vt à Rege tyranno populus liberetur.

* Adeò enim vrget Regis impij tyrannis, vt ad afflicti populi liberationem quodammodò necessaria sit omnium Dei miserationum, queis homines sigillatim protexit, in vnum confluere.] *Et immitte timorem tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te, &c.* Incute Gentilibus timorem flagellis immissis, vt recurrentes ad simulachra sua diuinitate, & fortitudine vacua, & non recipientes ab eis auxilium, euidenter agnoscant te solùm esse Deum, & ipsi cogantur tua magnalia proclamare.

Vers. 3. Alleua manum tuam super Gentes alienas, &c. Erige brachium tuum ad percutiendum, & ad immittendum plagas in tui populi hostes idolorum cultores, vt te potentissimum esse cognoscant.

Vers. 4. 5. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, &c. Quemadmodùm in conspectu illarum Gentium ostendisti sanctitatem, potentiam, & misericordiam tuam, qua nos ex multis malis liberasti: sic à nobis aspectantibus & laudantibus magnificaberis tuam potentiam contra illos exercendo & vindice dexterâ tuâ flagellis vulnerando, *vt cognoscant te, sicut & nos cognouimus, quoniam non est Deus præter te.* Fructus flagellorum erit, te solùm Deum esse dignoscere, & in hac fide nobis similes esse.

Qui nec pudore, nec monitis corrigitur, sæpè verberibus melior redditur.

* Homo impius, qui nec pudore, non monitis corrigitur, sæpè verberibus redditur melior.]

Vers. 6. 7. Innoua signa, & immuta mirabilia. Adde ó Domine noua signa, alia noua excita miracula, vetera immuta in noua, patra similia, sed diuersa ab illis, quæ manu Mosis, & Iosue Ducum populi patrasti. *Glorifica manum, & brachium dextrum.* Soperbi hostes nostri robur suum prædicant *Deut. 32. 27. Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Contrà verò tu Domine, gloriam tuam tibi assere, manu tua & brachio tuo illos conterens.

Adeò tardus Deus ad vindictã, vt eius iracũdia dormire videatur.

Vers. 8. Excita furorem, & effunde iram. Dormitne furor seu iracundia tua? Eam excita. Profectò Deus adeò tardus solet esse ad vindictam sumendam, vt quodammodò ira eius dormire videatur.]

Tam grauis somnus iræ Dei, vt solus ipse eam excitare valeat.

* Imò adeo graue esse somnum vt ad eam excitandam non sufficiant hominum clamores, sed Deus solus eam suscitare valeat. *Excita furorem.*]

Vers. 9. 10. Tolle aduersarium de medio: & affige inimicum Ptolomæum Lagi. *Festina tempus*, seu tempus fac festinare, *& memento finis*, quem destinasti malis nostris: *vt fideles tui Iudæi enarrent mirabilia tua.*

Quodammodò Deus videtur obliuioni tradidisse numerũ permittẽdorum criminũ, dum adeò se tardum ad vindictam ostendit.

* Cunctis impiis Deus statuit numerum peccatorum, quæ permissurus est, & perfecto numero, mox ad vindictam sumendam procedit. Deus autem tam segnem sese ad puniendum ostendit, vt quodammodo dubitare quis possit, an fuerit permittendorum criminum numerum oblitus. Ideò ait sapiens: *Memento finis.*]

Vers. 11. In ira flammæ deuoretur, qui saluatur, Græcè, *qui saluus euasit*, seu qui ex vna clade euasit incolumis, incidat in iram flammæ furoris tui, ita vt exitium non valeat effugere.

Cum peccator hîc non agitur ærumnis, timeat flammam æternam.

* Cum peccator sese à præsentibus ærumnis liberum aspicit, timeat horribile flammæ interminabilis incendium esse à Domino præparatum.] *Et qui pessimant plebem suam, inueniant perditionem*, qui pessimè tractant populum tuum Israëliticum, perditioni æternæ addicantur.

Vers. 12. Contere caput Principum inimicorum dicentium: Non est alius præter nos. Superbiam contere Regum Gentilium, populi tui hostium, qui Deum non agnoscunt te, sed seipsos deos esse proclamant.

Vers. 13. Congrega omnes Tribus Iacob, eas ab exitio liberans reuoca in Terram sanctam: *vt cognoscant* Principes illi, *quia non est Deus nisi tu*: & Israëlitæ *enarrent magnalia tua: & hereditabis eos sicut ab initio*, & mittes eos in hereditatem, & possessionem sanctæ Terræ olim promissæ Patribus, & postea filiis traditæ.

Vers. 14. Miserere plebi tuæ, super quam inuocatum est nomen tuum, seu populo succurre, qui tuo nomine insignitur, & vocatur plebs Dei Israel: *quem coæquasti primogenito tuo*, seu dilexisti vt primogenitum. Quare *Exo. 4. 22.* Pharaoni renunciari iussisti. *Hæc dicit Dominus, Filius meus primogenitus Israël, &c.*

Vers. 15. Miserere Ciuitati sanctificationis tuæ Ierusalem, in qua religiosè coleris, & sanctificaris: *Ciuitati requiei tuæ*, in qua Templum habes, quasi propriam domum, in qua requiescas.

In Templo Deus quasi in requiei suæ loco inueniendus.

* Quare si cum sponsa requiras, vbi habitet Deus, vbi cubet, seu requiescat, in Templo eum quiescentem inuenies.]

Vers. 16. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis. Templum, quod in monte Sion situm est imple oraculis tuis, & responsis, quibus populus ad tuæ voluntatis executionem dirigatur. Vocantur inenarrabilia huiusmodi verba, seu oracula, quia nunquam plenè, & pro dignitate explicantur.

Omnia sacræ Scripturæ verba inenarrabilia sunt.

* Omnia sacræ Scripturæ verba inenarrabilia esse non dubites, quia pro dignitate nunquam ea poteris explicare.] *Et gloriâ tuâ* imple *populum tuum.* Ingens enim Israëlis est gloria, quod solus ex omnibus gentibus domesticum Dei haberet oraculum, veritatis præconem.

Concionatores sũt Dei oracula, ideó q; debent coram omnibus veritatis esse præcones.

* Dei apud Christicolas oracula sunt Concionatores, si veritatem vel in Principum conspectu non annunciant, potiùs diaboli, quàm Dei præcones debent appellari.]

Vers. 17. Da testimonium his, qui ab initio creatura tua sunt. Testare obsecro, ò Domine signi-

ficationibus exhibitis tuæ ſpecialis beneficentiæ, nos peculiares creaturas, aut clientes tuos eſſe. Sic Hiſpanè dicimus: *Fulano es mi criatura. Et ſuſcita prædicationes, quas locuti ſunt in nomine tuo Prophetæ priores*, effecta da antiquorum Prophetarum promiſſa, quæ illi prædicantes populo nomine tuo polliciti ſunt. * Idem poſſent hodiè viri iuſti Dominum deprecari: ſuſcita prædicationes quas locuti ſunt antiqui Concionatores. Roborantur vitia, quia Concionatorum marceſcit oratio. O quàm pauci ſunt Prædicatores prioribus ſimiles!]

Vigent vitia, quia pauci ſunt Concionatores prioribus ſimiles.

Verſ. 18. 19. *Da mercedem ſuſtinentibus te.* Tuis Hebræis, qui patienter & longanimiter expectant, confer expectationis ſuæ fructum, hoc eſt, libertatem. *Vt Prophetæ tui fideles inueniantur*, ſeu veraces eſſe in promiſſionibus. *Et exaudi orationes ſeruorum tuorum ſecundum benedictionem Aaron de populo tuo*, ſeu iuxta benedictionem, qua ſummus Sacerdos Aaron populum tuum olim donauit. (*Num.* 6. 24.) *Et dirige nos in viam iuſtitiæ: & ſciant omnes, qui habitant terram, quia tu es Deus conſpector ſæculorum*, ſeu cui omnia ſæcula ſunt perſpecta. Vndè recolens Abrahæ Iſaaci, & Iacobi fidelitatem filiis delinquentibus nunc propitius oſtenderis, & eorum pœnitudine placaris. * O quoties Deus prælapſi ſæculi, in quo tot Diui floruêre, memor, ſæculi nequam miſeretur.]

Sæpè Deus memor ſæculi ſancti, ſæculi nequam miſeretur.

2.

Non cuique credendum facilè.

Verſ. 20. *Omnem eſcam manducabit venter, & eſt cibus cibo melior.* Venter quemuis cibum capit, ſeu cuiuſlibet cibi capax eſt: non tamen omnes cibi æquè ſuaues ſunt, aut ſalutares.

Verſ. 21. *Fauces contingunt cibum feræ: & cor ſenſatum verba mendacia.* Vt guſtus diſcernit ſaporem ferinæ carnis à carnibus altilium, & domeſticorum animalium, agni, hædi, cuniculi: ita ſenſati homines mendacia à veris diſtinguunt.

Verſ. 22. *Cor prauum dabit triſtitiam*, homo fraudulentus, verſutus, fallax triſtitia afficiet & moleſtia eos, quibuſcum agit: *& homo peritus reſiſtet illi.* Sed ſapiens vir, & prudens illi ſe opponens, reſiſtet, illius fallacias diſſoluendo, vel in caput, & pernitiem eius conuertendo.

Verſ. 23. *Omnem maſculum excipiet mulier.* Filiæ nubiles parentum voluntatem plerumque ſequuntur, & eum in maritum accipiunt, quem illis pater elegerit, ſiue ſit pulcher, & ſapiens; ſiue deformis, & inſipiens. *Et eſt filia melior filia*, pulchrior ſcilicet, & magis cordata, quare viro perpendendum diligenter eſt, quam ducat. * Tanta eſt propenſio fœminarum ad nuptias, vt nullum virum, quiſquis vel qualis ille ſit, ſuo à coniugio repellat. Vnde facillimè circa quemlibet coniugem patris voluntati obſequitur.] Scio tamen eſſe filiam meliorem filia, id eſt, plures eſſe fœminas, quæ prudentem exerunt electionem.

Agnata eſt fœminæ ad nuptias propenſio.

Verſ. 24. *Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, &c.* Vir vxoris pulchritudine lætatur, & præ omni obiecto concupiſcibili hæc elegans forma incitat viri deſiderium.

3.

Proba vxoris præfert commendationem.

Verſ. 25. *Si eſt lingua curationis, eſt & mitigationis, & miſericordiæ.* ſi in vxore præter pulchritudinem adſit lingua blanda, & prudens, quæ norit curare mariti, & domeſticorum moleſtias: ſi eſt in ea ſermo, qui dolorem lenire valeat, & animi viri mœrorem abſtergere: ſi ſermone miſericordi vtatur ad conſolandos miſeros, afflictos, ægrotantes: *non eſt vir illius ſecundum filios hominum*, illius maritus humanam felicitatem tranſcendit.

Verſ. 26. *Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem domus*, ſeu familiæ fundamenta iacit: *adiutorium ſecundum illum eſt*, iuxta illud: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Gen.* 2. 18. *Et eſt columna vt requies.* Ex Græco, eſt columna domum fulciens, cui maritus quieto animo poſſit inniti, illi fidens, & domeſtica negotia perficienda relinquens. Quis forti columnæ non fidat? * Stultum illum duxerim virum, qui huiuſmodi vxorem poſſidens non ei fidit, & domeſticam adminiſtrationem ei committere detractat, ſibi reſeruans ſumptuum vilium diſtributionem]

Taxantur mariti, qui probæ vxori negat domus circa ſumptus quotidianos adminiſtrationem.

Verſ. 27. *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio, &c.* Quemadmodùm vineæ ſepe carentis fructus diripiuntur: ita res familiaris dilabitur vbi mulier non eſt, quæ illam curet: vndè vir ſolatio, & auxilio indigebit. * Teſtor ægrotum, qui quidem, vbi mulier non adeſt fœmina ſolicito ſuo miniſterio illi aſſiſtens, gemitus edit.]

Ægrotus ingemiſcit, vbi mulier non adeſt.

Verſ. 28. *Quis credit ei, qui non habet nidum.* Nemo fidit in contractibus, aut pactis illi, qui ab vxore ſolutus eſt, nec domum habet ſtabilem: *& deflectens vbicumque obſcurauerit, quaſi ſuccinctus latro exiliens de ciuitate in ciuitatem.* Qui enim caret vxore, facilè hûc illuc diuagatur, & vbi illum nox deprehenderit, ibi moratur, cum proprios lares non habeat, ad quos feſtinet, & ad quos ſe recipiat: in hoc ſimilis latroni, qui ſuccinctus ſeu expeditus ad pugnam, vel ad inſultum de ciuitate in ciuitatem fugitans agitur.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

Docet Sapiens non cum fictis amicis, sed cum sinceris viris nobis agendum, vt salubre consilium in rebus agendis ineamus.

1. OMNIS amicus dicet: Et ego amicitiam copulaui, sed est
amicus solo nomine amicus. Nónne tristitia inest vsque ad
mortem? 2. Sodalis autem & amicus ad inimicitiam con-
uertentur. 3. O præsumptio nequissima, vnde creata es
cooperire aridam malitia, & dolositate illius? 4. Sodalis
amico coniucundatur in oblectationibus, & in tempore tribu-
lationis aduersarius erit. 5. Sodalis amico condolet causa
ventris, & contra hostem accipiet scutum. 6. Non obliuiscaris amici tui in animo
tuo, & non immemor sis illius in opibus tuis. 7. Noli consiliari cum eo qui tibi
insidiatur, & à zelantibus te absconde consilium. 8. Omnis consiliarius prodit
consilium, sed est consiliarius in semetipso. 9. A consiliario serua animam tuam.
priùs scito quæ sit illius necessitas: & ipse enim animo suo cogitabit: 10. ne fortè
mittat sudem in terram, & dicat tibi: 11. Bona est via tua, & stet è contrario vi-
dere quid tibi eueniat. 12. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniu-
sto de iustitia, & cum muliere de ea quæ æmulatur, cum timido de bello, cum ne-
gotiatore de traiectione, cum emptore de venditione, cum viro liuido de gratiis
agendis, 13. cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario
agrario de omni opere, 14. cum operario annuali de consummatione anni, cum
seruo pigro de multa operatione: non attendas his in omni consilio. 15. Sed cum
viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoueris obseruantem timorem Dei,
16. cuius anima est secundùm animam tuam: & qui cum titubaueris in tenebris,
condolebit tibi. 17. Cor boni consilij statue tecum: non est enim tibi aliud pluris
illo. 18. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores
sedentes in excelso ad speculandum. 19. Et in his omnibus deprecare Altissi-
mum, vt dirigat in veritate viam tuam. 20. Ante omnia opera verbum verax præ-
cedat te, & ante omnem actum consilium stabile. 21. Verbum nequam immuta-
bit cor: ex quo partes quatuor oriuntur, bonum & malum, vita & mors: & domi-
natrix illorum est assidua lingua. Est vir astutus multorum eruditor, & animæ suæ
inutilis est. 22. Vir peritus multos erudiuit, & animæ suæ suauis est. 23. Qui so-
phisticè loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur. 24. non est illi data à Do-
mino gratia: omni enim Sapientia defraudatus est. 25. Est sapiens, animæ suæ
sapiens: & fructus sensus illius laudabilis. 26. Vir sapiens plebem suam erudit, &
fructus sensus illius fideles sunt. 27. Vir sapiens implebitur benedictionibus, &
videntes illum laudabunt. 28. Vita viri in numero dierum: dies autem Israël in-
numerabiles sunt. 29. Sapiens in populo hereditabit honorem, & nomen illius
erit viuens in æternum, 30. Fili in vita tua tenta animam tuam: & si fuerit nequam,
non des illi potestatem: 31. non enim omnia omnibus expediunt, & non omni ani-
mæ omne genus placet. 32. Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas
super omnem escam: 33. in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropin-
quabit vsque ad choleram. 34. Propter crapulam multi obierunt: qui autem absti-
nens est, adiiciet vitam.

COMMENTARII.



1. *Cautela adhibenda circa Consiliarios eligendos.*

VERS. 1. *Omnis amicus*, seu qui se amicum profitetur, *dicet: Et ego amicitiam copulaui*, seu sum fidus tuus amicus. *Sed est amicus solo nomine amicus, &c.* Nonne cum quis agnoscit, illum fictum amicum extitisse, *R.P. Ant. de Escob. & Mend. SS. Scriptura tom. V.* tanto mœrore afficitur, quod ei fidetet, vt vel mortem ei afferat, vel vsque ad mortem in corde perseueret? * Nihil sic cor sauciat, quàm secreta aperuisse ei, qui falsus postmodum amicus deprehenditur.]

Cor sauciat fidisse illi, qui falsus amicus fuisse deprehenditur.

Vers. 2. Sodalis autem, & amicus ad inimicitiam conuertentur. Hic autem, qui amicitiam violauit, deprehensus, quod amicus non sit palam, conuertitur ad inimicitiam, & socius, qui eum existimabat amicum esse, iam se vt illius ini-

micum

micum exerit. Græcus sic : *Nónne dolor est ad mortem vsque, cum socius & amicus vsque ad inimicitiam conuertitur?*

Verſ. 3. 4. *O præſumptio nequiſſima*, (Græcè, *ſcelerata cogitatio*) vnde creata es, cooperire aridam malitia, & doloſitate illius ? Ah rem detestandam, vnde produsti? quis te ex inferis in orbem inuexit vt tàm perfidi veneni malitia terram inficeres ? *Sodalis amico coniucundatur in oblectationibus, &c.* Cum res feliciter eueniunt, falſus amicus tuus tecum collætatur, tuæ proſperæ fortunæ percipiens effectus; cum verò ſiniſter eſt rerum euentus, tribulatione afficeris, longè ille recedit, & fit aduerſarius.

Verſ. 5. *Sodalis amico condolet cauſa ventris. &c.* Si autem aliquando fictus amicus à te acto tribulatione non recedit, & condolere ſimulet : id efficit, non amicitiæ cauſa, ſed ne à tua menſa excludatur, ideoque arma arripiet, non vt te protegat, ſed vt menſam defendat.

Verſ. 6. *Non obliuiſcaris amici tui in animo tuo, &c.* Si verò verum amicum nactus es, eius dilectionem animo foue, & cum diues, ac opulentus fueris, ne illius pauperis licet, obliuiſcaris. * Verus enim amicus ager eſt theſaurum abſcondens cunctis diuitiis expoſitis dignus acquiri.]

Verus amicus cunctis diuitiis eſt comparandus.

Verſ. 7. 8. *Noli conſiliari cum eo, qui tibi inſidiatur, &c.* Inſidianti, vel inuidenti te non des conſilium, nec ab illo accipias. * Tibi enim ille proferet exitiale, vt corruas : & à te ſalubriter datum ille contemnet : & ſi acceptet, & cedat in bonum, negabit a te illud accepiſſe. *Omnis conſiliarius prodit conſilium, &c.* Qualiſcumque ſit ille, à quo conſilium petis, non vult videri deeſſe partibus ſuis, ſed profert conſilium. Attamen caue, nè omni conſilio credas, nam aliquis erit, qui non tibi, ſed ſibiipſi, ſuæque ſolius vtilitati & commodis ſtudebit, & conſulet.

Ab inuidente te ne petas cōſilium, nec illi des.

Verſ. 9. 10. 11. *A conſiliario* igitur huiuſmodi *ſerua animam tuam*, ſeu caue tibi. Et vt non erres, *prius ſcito, quæ ſit illius neceſſitas*, eo enim fere conſilium diriget, quod tibi dat, vt ſuis neceſſitatibus conſulat; *& ipſe enim animo ſuo cogitabit*, quæ ſit neceſſitas, quâ laborat, & cui velit proſpicere : *Nè fortè mittat ſudem in terram*, ſeu paret tibi offendiculum, quo impingas, *& dicat tibi : Bona eſt via tua : & ſtet è contrario videre, quid tibi eueniat*, ſeu cupidè obſeruet, ac incidas in aliquod incommodum, ex quo ipſe emolumentum capiat.

Verſ. 12. *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia* : Aiunt Doctores, ab hoc verſu vſque ad 14. eſſe perpetuam ironiam. Ego autem cunctas clauſulas haſce ſine ironia expono. Docet enim Sapiens petendum eſſe conſilium ab iis, qui vtiliter id poſſint exhibere, imprudenterque peti ab iis, quia ſua commoda curaturi ſunt in conſilio præbendo. Vndè ait : ſi vis toto cœlo aberrare, *cum viro irreligioſo, &c.* ſeu virum irreligioſum conſule circà ſanctitatis perfectionem, & iniuſtum circa iuſtitiam ſectandam : & illi te ſeducent, conſilium exhibentes, quod in malitiæ eorum excuſationem, imò commendationem cedat. *Et cum muliere*, id eſt, vxore *tracta de ea, quæ ipſi æmulatur*, id eſt, de pellice. Oleum perdes, & operam. *Cum timido de bello, cum negotiatore tracta de traiectione*, ſeu commutatione mercium. Conſulent tibi non quæ in commodum tuum, ſed quæ in lucrum ſuum cedent. Cum emptore de venditione, & ſuadebit, vt vili vendas, quod ipſe ſibi comparare ſtudet. *cum liuido* ſeu inuido *de gratiis agendis*, to ingratum oſtendi eis, à quo beneficia accepiſti perſuadebit, quia ipſe gratiarum actionem inuidet tum ei, qui beneficium accepit, nè per gratiarum actionem gratiam dantis ſibi conciliet, pluraque impetret, quæ ſibi præcipiat : tum ei, qui beneficium contulit, quia inuidet eius honori & laudi.

Verſ. 13. 14. *Cum impio de pietate, cum inhoneſto de* honeſtate, *cum operario agrario de omni opere. cum operario annuali* ſeu ad vnum annum conducto *de conſummatione anni.* Dicet enim, eſſe opera hæc in alium annum reiicienda, & iam perfecta eſſe omnia, quæ hoc anno gerenda ſunt, vt labori ſe ſubtrahat, & mercedem priùs accipiat, quàm illam fuerit meritus. *Cum ſeruo pigro de multa operatione* : reſpondebit hic ea, quæ ſuam conferant ad pigritiam. *Non attendas his in omni conſilio.* Huiuſmodi homines minimè à te ſunt conſulendi. * Docemur itaque, petendum eſſe ſalutare conſilium circa res cunctas ab iis, qui perfectè eas ad ſalutem propriam exercent.] Ideò adiicit,

Petendum cōſilium ſalutare ab iis, qui rectè operantur.

Verſ. 15. 16. *Sed cum viro ſancto aſſiduus eſto, &c.* Virum iuſtum ini conſiliatorem, quem amas, & à quo amaris, qui eiuſdem ſpiritus eſt, qui eiuſdem tecum eſt genij, & profeſſionis virtutis. Vt cum non ſatis certus fueris, quodnam ſequaris conſilium in ſpiritualibus, in temporariis, in proſperis, in aduerſis : condolens tuæ moleſtiæ ſalutare conſilium exhibere poſſit. * Sanctus enim Conſiliarius propriæ vtilitati nunquam ſtudet, ſed petentis conſilium commodo ſe ſolùm accommodat. Vtinam Reges huiuſmodi Conſiliarios adeant!]

Iuſti Conſiliarij non ſuæ ſtudent vtilitati in conſilio ferendo.

Verſ. 17. *Cor boni conſilij ſtatue tecum.* Non cum aliis tantùm conſulta, quæ agenda ſint, ſed tecum ipſe rationes in vtramque partem diligenter examina. Eſt hypallage *Cor boni conſilij* id eſt, *bonum conſilium cordis. Non eſt enim tibi aliud plurus illo.* Cor enim fidelius tibi conſilium dabit, quàm quiuis alius. * Frequentius quiſque res ſuas melius nouit, & attentius conſiderat, quàm alienas. Vnde ſi prudens ſit, aptior, quàm alij ſibi aderit conſiliarius.]

Prudens ſibi ſæpè aptior, quàm alij, eſt Conſiliarius.

Verſ. 18. *Anima viri ſancti enunciat aliquando vera, &c.* Reddit rationem eius, quod verſ. præcedenti dixit, quam ex Græco expendam, *Animus enim hominis* iuſti & prudentis *plura quandoque renunciare*, præuidere, & præmonere *ſolet, quam ſeptem ſpeculatores ſedentes in excelſo ſpecula.*

Verſ. 19. *Et in his omnibus deprecare Altiſſimum, &c.* Quamuis ſis Sapiens, quamuis aliorum conſilium ineas : diuino indiges lumine, vt melius conſilium eligere ſcias. * Monentur conſiliarij, conſilia, aut vota minimè exhibenda niſi oratione præmiſſa.]

Conſiliarij ante præmiſſam orationem conſilia non proferant.

Verſ. 20. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, &c.* Omnis operis initio ſit veritas & ratio : & ante omne opus conſilium prudens ſolidum, & benè fundatum præcedat.

Verſ.

Vers. 21. *Verbum nequam immutabit cor*, malum consilium cor hominis id petentis è bono in malum commutabit: *ex quo partes quatuor oriuntur*, seu quatuor differentiæ oppositæ: *bonum* scilicet, *& malum: vita, & mors.* * Ex probo enim consilio bonum, & vitam, hauries: ex prauo autem malum, & mortem procul dubio incurres.] Probum consilium te adducet ad bona seu recta agenda, quo vitam æternam assequaris: prauum verò ad peccatum, & damnationem alliciet æternam.] *Et dominatrix illorum est assidua lingua.* Lingua enim vim persuadendi habens, bonum & vitam affert, si sana consilia suggerat: malum autem & mortem si prauorum sit consiliorum auctor. * Vndè in manu linguæ Consiliarij vita, & mors.] *Est vir astutus*, prudens, & boni consilij auctor *multorum eruditor: & animæ suæ inutilis est*, quia quæ aliis suadet, ipse in causa sua eadem facere, aut nescit, aut negligit.

Ex probo Consilio bonum, & vita: ex prauo autem malum, & mors.

In manu linguæ Consiliarij vita, & mors.

Vers. 22. *Vir peritus multos erudiuit, & animæ suæ suauis est.* Multi sunt viri docti quidem, qui aliis salutaria circa vitæ perfectionem documenta tradunt, sed sibi omnium indulgent, nec exequuntur quæ eis facienda docent. * Bonus consiliarius aut Concionatur priùs debet ad suos mores componendos salutare consilium, aut sermonem dirigere, quàm alios erudire procedat.]

Consiliarius, vel Concionator ad se priùs quàm ad alios cōsilium, aut sermonem dirigat.

Vers. 23. 24. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* qui captioso sermone vtitur, vt alios decipiat, cunctis est odiosus: *in omni re defraudabitur*, successibus in omni re, quam sic persuadere intenderit, carebit. Quia *non est illi data à Domino gratia*, seu non est illi à Domino datum, vt gratiam in oculis hominum, queis loquitur, inueniat. * Cordatis equidem non placet Concionator, qui sophisticis clausulis prorsùs inutilibus vtitur. Quia licet sermonis initio gratiam petiuit, ad id à Domino meritò consecutus non est.] *Omni Sapientia defraudatus est.* Omnes enim illum quasi insipientem comœdum exaudiunt.

Non placet cordatis Cōcionator inutilibus clausulis vtens.

Vers. 25. *Est Sapiens animæ suæ sapiens.* Sapiens solùm est ille, qui sapit animi sui profectui efficaciter consulere. *Et fructus sensus illius laudabilis:* & tunc laudabitur, vel merebitur laudari à cunctis, cum Sapientiæ & prudentiæ eius fructus apparuerint.

Vers. 26. *Vir Sapiens plebem suam erudit, &c.* Veros namque & solidos fructus illius Sapientia parit, non fucatos, & inanes, quales Sophistarum, qui populum non erudiunt, sed decipiunt. Veræ Sapientiæ documentum est doctrina fructificans. * Cum auditores compunguntur, cum melıora sectantur, crede Concionatorem vera Sapientia esse præditum, cum autem nullus in auditoribus fructus aspicitur, scito, Concionatorem Sophistam quidem, non sapientem esse.]

Ex fructu auditorum documentum cape, an Cōcionator verè sit Sapiens.

Vers. 27. *Vir Sapiens replebitur benedictionibus, &c.* Cum enim vtiliter est loquutus, omnes ferè auditores aut acclamant voce expressa laudantes, aut animo versant clausulam illius piæ mulieris: *Beatus venter, qui te portauit, &c.*

Vers. 28. 29. *Vita viri in numero dierum, &c.* Vita cuiuslibet hominis certo quodam, ac definito dierum numero circumscribitur: at populi Dei fidelis dies sunt innumeri: idque circò Sapientis memoria, quæ in Israël perpetua est, nunquam excidet. * Commendantur hinc, qui libros sacros interpretantur, aut de vtilibus materiis scribunt, quorum memoria sequetur catholicæ Ecclesiæ, & ipsorum dogmatum æternam durationem.] *Sapiens in populo hæreditabit honorem. &c.* Repetitur id, quod præcedenti versu affirmatur.

Eorum, qui dogmata sacra, & vtilia scribunt æterna erit memoria.

Vers. 30. 31. *Fili, in vita tua tenta animam tuam*, dum viuis, explora, examina quinam sint animæ tuæ affectus, quænam propensiones: *& si fuerit nequam, non des illi potestatem*, si affectus animæ tuæ ad malum te rapiant, coërce fræna, comprime huiusmodi affectus, ne in malum prosiliant. *Non enim omnia omnibus expediunt: & non omni animæ omne genus placet*, seu placere debet. * Explorande propensio animi nostri, vt vitæ statum prudenter eligamus; quâ in re alij studia & occupationes aliis placent; quinam ad otium litterarum sunt apti, alij ad bellicas prosiliunt, alij Regularis vitæ amant abstractionem à sæculo, sed horum aliqui contemplationem ambiunt cum Maria, aliqui cum Martha ad proximorum salutem promouendam inclinantur. Certè vitæ status magna præmissa diligentia, & examine est eligendus.]

Vitæ status magna præmissa diligētia, & examinare est eligendus.

Vers. 32. 33. *Noli auidus esse in omni epulatione*, id est, in nullo epulo te auidum ad capiendos cibos ostendas. *Et non te effundas super omnem escam*, quasi omnes solus cibos velis absumere, parsimonia, ac sobrietate adhibita, comede: *in multis enim escis erit infirmitas, &c.* Immoderata namque escarum sumptio gignit ægritudines, & saturitas nimia cruditatem, & bilem, aliosque vitiosos creat humores.

2. Fugienda in epulo saturitas.

Vers. 34. *Propter crapulam multi obierunt*, immaturi: *qui autem abstinens est, adijciet vitam*, siue diutiùs viuet.

CAPVT XXXVIII.

Sapiens Medicos, ac medicinam commendat, moderatum luctum in funere amicorum ostentandum suadet. De arte fabrili, figulina, & alijs agit.

1. HONORA medicum propter necessitatem: etenim illum creauit Altissimus. 2. A Deo est enim omnis medela, & à rege accipiet donationem. 3. Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur. 4. Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. 5. Nónne à ligno indulcata est aqua amara? 6. Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. 7. In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera eius. 8. Pax enim Dei super faciem terræ. 9. Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. 10. Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. 11. Da suauitatem & memoriam similaginis, & impingua oblationem, & da locum medico: 12. Etenim illum Dominus creauit: & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria. 13. Est enim tempus quando in manus illorum incurras: 14. Ipsi verò Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, & sanitatem, propter conuersationem illorum. 15. Qui delinquit in conspectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici. 16. Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. 17. Propter delaturam autem amarè fer luctum illius vno die, & consolare propter tristitiam, 18. & fac luctum secundùm meritum eius vno die, vel duobus propter detractionem. 19. A tristitia enim festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicem. 20. In abductione permanet tristitia: & substantia inopis secundùm cor eius. 21. Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te: & memento nouissimorum. 22. Noli obliuisci: neque enim est conuersio, & huic nihil proderis, & teipsum pessimabis. 23. Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie. 24. In requie mortui requiescere, fac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus sui. 25. Sapientia scribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, Sapientiam percipiet: qua Sapientia replebitur. 26. Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, stimulo boues agitat, & conuersatur in operibus eorum, & enarratio eius in filiis taurorum. 27. Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia eius in sagina vaccarum. 28. Sic omnis faber & architectus, qui noctem tanquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas eius variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficit opus. 29. Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem, & considerans opus ferri: Vapor ignis vret carnes eius, & in calore fornacis concertatur: 30. Vox mallei innouat aurem eius, & contra similitudinem vasis oculus eius: 31. Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem. 32. Sic figulus sedens ad opus suum, conuertens pedibus suis rotam, qui in solicitudine positus est semper propter opus suum, & in numero est omnis operatio eius. 33. In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curuabit virtutem suam 34. Cor suum dabit vt consummet liuitionem, & vigilia sua mundabit fornacem. 35. Omnes hi in manibus suis sperauerunt, & vnusquisque in arte sua sapiens est. 36. Sine his omnibus non ædificatur ciuitas. 37. Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in Ecclesiam non transilient. 38. Super sellam iudicis non sedebunt, & testamentum iudicij non intelligent, neque palàm facient disciplinam & iudicium, & in parabolis non inuenientur: 39. sed creaturam æui confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi.

COMMEN

COMMENTARII.

1.
Medici, & medicina commendantur.

VERS. 1. *Honora Medicum*, reuerentia exhibita, & mercede præstita, *propter necessitatem*, quia illius indiges ope. *Etenim illum creauit Altissimus*, Deus enim auctor est medicæ artis.

Honor Medico, verus pecunia est.

Ex Græco pro *honora*, dicitur *munerare*, munus ei præsta. Medicus enim nummos verum esse putat honorem.] Dicitur autem Deus creasse Medicum, quia à principio medica gramina, & radices fecit terram producere in ægritudinum hominis remedium, præscius scilicet Adæ præuaricationis. Vt laudes tam

Misericors Dei prouidẽtia ante ęgritudines medicamina præparantis.

misericordem Domini prouidentiam ante ægritudines medicamina tibi præparantis.]

Vers. 2. *A Deo est enim omnis medela*, tum quia à Deo creatæ sunt vires herbarum, & aliorum medicaminum: tùm quia earum cognitio, & scientia à Deo Adæ fuit indita, ac posteris, à quibus Medici hauserunt. *Et a Rege accipiet donationem*, seu largam remunerationem. * Quia etiam Reges humana fragilitate

Reges etiam humana fragilitate afficiuntur.

afficiuntur, & cum hominibus ægritudinibus flagellantur.]

Vers. 3. *Disciplina Medici exaltabit caput illius*, ad magnas opes & honores euehet. *Et in conspectu Magnatorum collaudabitur*, & egregiis laudibus coram Principibus afficietur. *Cur in conspectu Magnatorum?* Quia Magnates ægrotantes specialissima diligentia curandos suscipiunt, vnde assistentia ægritudinis causam agnoscunt, & apposita medicamina felici adhibent effectu, ideoque à cunctis Medici peritia commendatur impensiùs, quia Principis vita

Taxantur Medici, qui per transennam ad pauperes infirmos accedunt.

pluris æstimatur. Subtaxantur hinc Medici, qui cum ad vulgares accedunt ægrotos, cum Hospitalia visitant, plùs videntur fugere ægroti infectionem, quàm ad eius curationem accedere, vnde non ineptè vocitabitur homicida, si enim gladio non vulnerat, desidia interimit.]

Vers. 4. *Altissimus creauit de terra medicamenta: & vir prudens non abhorrebit illa* Nam licet amara sint gustui, salùs dulcis potionis amaritudine comparatur. Vndè imprudentem se ostendit, qui vt fugiat affici amaritudine, satiùs ducit, obire, aut perlonga infirmitate perimi.

Vers. 5. *Nónne a ligno indulcata est aqua amara*, (*Exo.* 15. 25.) seu dulcis reddita? Certè ligno illi naturalem fuisse credo vim aquam dulcorandi. Ex huius autem ligni exemplo probari vult Sapiens, quantas vires herbis, ac plantis aliquibus Deus indiderit.

Vers. 6. *Ad agnitionem hominum virtus illorum* medicamentorum, seu vt eam homines cognoscerent, & in suos vsus conuerterent. *Et dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis.* Imò hanc ipsam cognitionem, & scientiam vel indidit, vel suggessit illis Altissimus, vt per hoc honoraretur in mirabilibus, quæ per naturales medicamentorum facultates operatur.

Vers. 7. *In his curans mitigabit dolorem* dolor per hæc medicamenta à Medicis applicata opportunè mitigabitur. *Et pigmentarius faciet pigmenta suauitatis*, pharmacopæus conficiet mixtiones, quæ suauem odorem exhalent, & nares, ac cerebrum ægrotantis recreent, ac reficiant: *& vnctiones conficiet sanitatis*, seu sanitatem afferentes: *& non consummabuntur opera eius*; quia noui morbi existunt, & Medici nouas medicamentorum mixtiones, & compositiones excogitant. * Annoto, nullam de scissione venæ mentionem fieri, sed totum ægritudinum curandarum apparatum ad pigmenta suauitatis, & ad vnctiones sanitatis reduci. Vndenam ergo tot venarum scissiones, tot potiones amaræ, inuentæ fuére ad ægrorum sanitatem? Dubito, an appositè.] * Habes hinc spiritualem Medicum suauibus pharmacis peccatorum ægritudines aptiùs curaturum, quàm amaris, quæ quidem magis supplicium, quam medicamentum appellarim.]

Venæ scissionẽ, & amaræ potionis ad curationẽ ægritudinum sapiens mẽtionem non facit.

Spiritualis Medicus suauibus pharmacis vtatur ad peccatores curãdos.

Vers. 8. *Pax enim Dei super faciem terræ.* Benignitas diuina, in superficie terræ creauit herbas, stirpes, ac alia huiusmodi in vsum medicinæ, pacem ægrotis, non bellum indicens. Cur ergo Medici ferro armati sic iam ad miserum ægrotum accedunt, ac si in hostem impetum facerent? * Aliquos vidi Medicos valdè in arte peritos, qui herbarum vim callentes harum applicatione sine scissione venæ, sine amara potione desperatas vicerunt ægritudines.]

Peritos Medicos vidi, qui herbarũ applicatione sine scissione venæ desperatas vicerũt ægritudines.

Vers. 9. *Fili, in tua infirmitate nè despicias teipsum, &c.* Dum Medici corpori medicamenta applicant, æger debet animo mederi pœnitudine, oratione. A Deo enim sanitas procedit, qui quidem efficiet, vt medicina prosit. * Profectò cum sæpè ægritudines in peccati supplicium irruant, dùm Deus pœnitentia placatur, ægritudo remittitur.] * *Ora*, inquit, *Dominum.* Multum enim confert ad felicem curationis euentum, ægrotum orare, & aliorum orationes auxiliatrices sibi requirere.]

Dum Deus ęgroti pœnitentia placatur, ægritudo minuitur.

Cõfert ad curationis felicem euentũ, orare ęgrotũ.

Vers. 10. *Auerte a delicto* mentem, & voluntatem tuam: *& dirige manus* ad rectam operationem, ad pauperum inopiæ succurrendum: *& ab omni delicto munda cor tuum*, per contritionem tunc, nunc per Sacramentalem Confessionem. * *Dirige*, inquam, *manus* Eleemosyna enim iuuat admodum ad sanitatem assequendam.] * *Munda* autem (ait) *cor tuum.* Ne ægritudinis vi deficiat intellectus, & differens confiteri, minime possis. Ideò correptus infirmitate prius deberes Confessarium, quàm Medicum aduocare.]

Eleemosyna iuuat ad sanitatem assequendam.

Correptus ægritudine priùs confessarium quàm Medicũ aduocet.

Vers. 11. 12. *Da suauitatem, & memoriam similaginis*, seu suauem sacrificiorum odorem, thus, thymiama, quæ sunt grata admodum Domino suffimenta, ad eum placandum: *& impingua oblationem*, pinguem, selectam oblationem offer: *& tunc da locum Medico*, vt suo ministerio operam expediat. * Quasi locus Medico dandus non sit, donec æger animo medeatur.] *Etenim illum Dominus creauit) &c.* Cum Deus medicæ artis author sit, ostendit necessariam esse ad corporis sanitatem pharmacorum applicatio, quæ per Medicum applicanda sunt. * Particula illa, *Et non discedat a te* innuit, Medicum debere continuò assistere ægrotanti, vt possit opportuno tempore medicamina adhibere; vndè per breues Medicorum visitationes reprehenduntur.]

Locus Medico dandus nõ est, donec æger animo medeatur.

Subtaxantur per breues Medicorum visitationes.

Vers.

Verf. 13. *Eſt enim tempus, quando in manus illorum incurras.* Perſuade tibi, futurum eſſe tempus, quando in manus Medici incidas ægritudine aliqua corporis, ſaltem in vitæ termino, ſupertueniente.

Verſ. 14. *Ipſi quoque* Medici *Dominum deprecabuntur* (cum probè ſciant, artis ſuæ ſucceſſum, ægrotorumque valetudinem ab illo pendere) *vt dirigat quietem eorum*, id eſt, quietam ſanitatem ægris reddat, *propter conuerſationem illorum*, ſeu vt poſſint iterùm cùm valentibus conuerſari. Reiicio aliorum expoſitionem, qui per hos deprecatores volunt intelligi *Sacerdotes*, quorum nulla mentio præceſſit.* Fortè noluerunt, id de Medicis intelligi, quos vident magis lucro, quàm deuotioni intendere. Aſt ego id, de Medicis Chriſticolis non præſumpſerim. Debet igitur probus Medicus Dominum precari, vt curatio felicem ſortiatur effectum.]

Bonus Medicus debet orare, vt curatio optimũ ſortiatur effectum.

Verſ. 15. *Qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus Medici.* Medici enim, & morbi ſunt quaſi tortores, quibus propter peccata nos Dominus vult diuexari. * Porrò ægritudines ſæpè ex peccato procedunt.].

Propter peccata ægritudine diuexamur.

2.

Verſ. 16. *Fili, in mortuum produc lacrymas*, lacrymas profunde: compaſſio enim humanæ miſeriæ communi debetur: *& quaſi dira paſſus, incipe plorare*, ſeu vt fit in rebus acerbis, quæ nobis accidunt: *& ſecundum iudicium contege corpus illius*, & cura ſepulturæ cadauer emandari, vt decet, & vt poſtulat recepta conſuetudo: *& non deſpicias ſepulturam illius*, viliorem, quàm oportet, prouidens pompam.

Moderatum luctũ in morte amicorum oſtendendum docet.

Verſ. 17. 18. *Propter delaturam autem*, ſeu oblocutionem ciuium tuorum, qui ſi viderint te propinqui mortem leuiter ferre, exiſtimabunt, te morte illius eſſe lætatum: *amarè fer luctum illius vno die, vel duobus propter* huiuſmodi *detractionem*, vno vel altero die ede ſigna doloris. *Et conſolare propter triſtitiam*: tranſactis autem hiſce duobus diebus, conſolationem admitte, ne tibi triſtitia noceat. * Nimius hinc luctus in obito propinquorum, ſeu amicorum reprehenditur.] *Et fac luctum ſecundum meritum eius vno die, vel duobus propter detractionem*, quam *delaturam dixit verſ.* 17.

Luctus pro defunctis nõ ſit nimius.

Verſ. 19. *A triſtitia enim feſtinat mors*, *&c.* Triſtitia enim ſi diutius perſiſtat, efficit mortem feſtinare, obruens, & opprimens corporis vires, & ſenium inducens, quo ceruix curuatur.

Verſ. 20. *In abductione permanet triſtitia*, ſi te à conuictu aliorum abducas, & ſolitudinem capres, vt ſine teſte plores, triſtitia permanebit: *& ſubſtantia inopis ſecundum cor eius.* Si enim quis corde ſit bono, & hilari operi ſe impendet, & facultates tuebitur, & augebit: ſi vero corde ſit mœſto, & triſtitia obruatur, opus negliget boni ſucceſſus deſperatione, atque ideo res familiaris malè dilabetur, vnde ipſe inopia prematur. * Adeò prauus eſt triſtitiæ affectus, vt hominem faciat paupertatis ærumna premi.]

Triſtitia facit hominem inopia premi.

Verſ. 21. 22. *Ne ergo dederis in triſtitia cor tuum*, ſeu triſtitiæ, & mœrori, *Sed repelle eam à te: & memento nouiſſimorum*, mortis ſcilicet, & ſepulturæ, quæ tibi per triſtitiam acceſſis, & accel[e]ras. * Quod ſi libeat, particulam hanc: *Et memento nouiſſimorum* in medicinam triſtitiæ, à qua nos abducere curat, additam eſſe videbitur, ex nouiſſimorum recordatione potiùs triſtitiam augendam, quàm imminuendam eſſe. At ſi prudẽter ducas diſcurſum, nihil magis nos debet à mœrore reuocare, quàm miſeriæ humanæ diſſolutionis recordatio.] *Noli obliuiſci illorum*, nouiſſimorum, ſeu mortis ſcilicet, ſed proſpice tempori, nec pluſculum indulge dolori. Nam cui id bono? *neque enim eſt conuerſio* defuncto, ſeu reditus ad vitam per lacrymas ac dolores tuos. *Et huic nihil proderis & teipſum peſſimabis*, defuncto non proderis, & intereà peſſimè teipſum læde[s].

Nihil magis debet nos à triſtitia reuocare, quàm mortis quà diſſolutio miſeriæ humanæ ſit, recordatio.

Verſ. 23. *Memor eſto iudicij mei*, ſortis ſcilicet & conditionis, verba ſunt mortui: *ſic erit & tuum*, humana conditio tibi etiam mortem indicit: *mihi heri, tibi hodiè.* * Cur non dixit, Tibi cras, ſed *tibi hodiè?* Quia quotidiè debes tibi perſuadere, illam diem vitæ tuæ eſſe nouiſſimam.]

Quotidiè perſuadere nobis debemus eam diẽ eſſe vitæ noſtræ nouiſſimam.

Verſ. 24. *In requie mortui requieſcere, fac memoriam eius*, cum quieſcente mortuo depone memoriam eius, quæ te plùs æquo cruciat: *& conſolare illum*, (Græcè, *conſolare ſuper illum*) *in exitu ſpiritus ſui*, id eſt, quod felici fine hanc miſeram vitam clauſerit, & ex ea in aliam feliciſſimam demigrarit. * Docemur, ex bona morte filij, propinqui, vel amici potiùs conſolatione nos quàm mœrore affici debere.]

Ex bona morte filij, propinqui, vel amici potiùs conſolatione quàm triſtitiã affici debemus.

Verſ. 25. *Sapientia ſcriba in tempore vacuitatis.* Sapientia quærenda & ſperanda Doctori ac litterato viro *in opportunitate otij*, (vt ait Græcus.) *& qui minoratur actu*, qui actiuæ vitæ functiones à ſe remouet, *Sapientiam percipiet*, ſapiens euadet. * Nam quod ille de carminibus dixit.

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.

Verum eſt de quolibet litterarum genere, Sapiens non erit, qui ſe ab exterois nimiis occupationibus non expedierit.]

Sapiens non erit, qui ſe ab externis nimiis curis non expedierit.

3.

Verſ. 26. *Quâ Sapientiâ replebitur*, *qui tenet aratrum*, *&c.* Græcè, *In quo erit ſapiens*, *&c.* ſeu quomodò acquiret Sapientiam, qui à mane ad veſperam tuti occupatur agricola, vel qui non oblectatur niſi in fuſte, in cuius cuſpide eſt ſtimulus, quo boues agitat: & totum ſtudium eius eſt armenti annumerare vitulos, vnde lucrum acquirat?

Agit de agricultura, ac de arte fabrili, & figulina nõ aptis ad Sapientiæ ſtudium.

Verſ. 27. *Cor ſuum ad verſandos ſulcos*, tota agricolæ cura erit terram aratro ſubigere: *& vigilia eius in ſagina vaccarum* & omnis cogitatio illius fugans ſomnium, eſt, vndenam armento poterit de abundanti paſtu prouidere.

Verſ. 28. *Sic omnis faber, & architectus, qui noctem tanquam diem tranſigit*, *&c.* Qui ſculpit cælaturas ſigillorum (ſic Græcè) quibus vtimur ad epiſtolas, & alia huiuſmodi obſignanda; & pictor totus eſt in varietate colorum tabulis per artem picturæ inducenda, vt pictura exprimat, & imitetur, quod artifex intendit. Hæc eſt vnica horum cura, hoc manus vigilans, hoc animus ſomnians ſculpit, aut depingit.

Verſ. 29. *Sic faber ferrarius*, *&c.* Hæc etiam eſt vnica fabri ferrarij cura. *Vapor ignis vret carnes eius, &c.* Licet autem ei moleſtus ſit calor

lot qui ex fornace procedit,& cum igne teterrimo nostræ naturæ hoste confligetur assiduè, non deserit opus.

Vers. 30. *Vox mallei innouat aurem eius*, seu nouis, ac repetitis ictibus pulsat, & ferit eius aures: *& contra similitudinem vasis oculus eius*, artifices enim crebrò ad exemplar & typum propositum reflectunt oculos, ne errare contingat.

Vers. 31. *Cor suum dabit in consummationem operum, &c.* Animum ad opus absoluendum applicat,& diligenter studet in opere perficiendo summo mane euigilans.

Vers. 32. *Sic figulus sedens ad opus suum, &c.* Quia certum vasorum numerum sibi, aut famulis suis figulus præscribit, quem quotidiè perficiant.

Vers. 33.34. *In brachio suo formabit*, siue subiget *lutum: & ante pedes suos curuabit virtutem suam.* Curuat enim se figulus in anteriorem partem, & vires suas exerit ad subigendam seu formandam argillam. *Cor suum dabit, vt consummet linitionem*, quâ scilicet vasa intus, & foris liniunt figuli, & vitrea illis crustra inducunt: *& vigilia sua*, seu de nocte surgens, *mundabit fornacem*, quo induranda sunt, igne apposito, vasa.

Vers. 35. *Omnes hi in manibus suis sperauerunt*, seu in labore manuum suarum statuunt spem parandi victus: *& vnusquisque in arte sua Sapiens*, seu peritus est.

Vers. 36. 37. *Sine his omnibus non ædificatur ciuitas*, siue non subsistit, quia ad ciuium vsum harum artium subsidium est necessarium. *Et non inhabitabunt, nec inambulabunt*, & Græcè pro *non inhabitabunt* est, *non habitabunt iuxta.* Templum scilicet, aut curiam, aut prætorium; ne strepitu machinarum suarum aliis molestiam creent: sed suos vicos seorsim habebunt, in quibus officinas aperiant: *& in Ecclesiam non transilient*, sed illis artibus ad congregationem Sapientium non accedent, seu inter Sapientes non annumerabuntur.

Vers. 38. *Super sellam Iudicis non sedebunt, & testamentum iudicij non intelligent*, id est, ritus, conditiones, & decreta iudicialia non callebunt: *neque palam facient disciplinam, & iudicium, & in parabolis non inuenientur*, alios non docebunt, quod professores bonarum artium faciunt aut in scholis, aut priuatim: & non accedent ad cœtum Doctorum virorum, vt de grauibus & eruditis quæstionibus cum eis disserant.


Vers. 39 *Sed creaturam æui confirmabunt*, id est, res necessarias ad vitam in hoc sæculo fouendam subministrabunt suo opificio, & arte manuali. *Et deprecatio illorum in operatione artis*, id est, oratio ad Deum, votum, ac desiderium omne eorum versatur in arte cuiusque, nempè vt feliciter succedat, & fructum optatum proferat. * Quàm aptè artifex dicitur deprecari, *& omnis deprecatio illorum.* Quia ad cuiusuis operis perfectionem mirum in modum confert oratio.] *Accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi.* Ita tamen vacare debent suo opificio, vt simul sese legi Dei cognoscendæ accommodent, saltem quatenùs illos concernit, & eius obseruationi diligenter studeant. Artifices itaque non omne tempus manuum operi impendant, sed aliquam particulam animi rectæ operationi reseruent.]

Ad cuiuslibet operis perfectionem oratio proficit.

Artifices non omne tempus operæ manuum dedant, sed partem reseruẽt animi operationi.

CAPVT XXXIX.

Describit Sapiens studiosi viri officium. Docet Deum semper laudandum siue munera benignus largiatur, siue iratus supplicia inferat.

1. 
APIENTIAM omnium antiquorum exquiret sapiens, & in
prophetis vacabit. 2. Narrationem virorum nominatorum
conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit.
3. Occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabo-
larum conuersabitur. 4. In medio magnatorum ministrabit,
& in conspectu præsidis apparebit. 5. In terram alienigena-
rum gentium pertransiet: bona enim & mala in hominibus
tentabit. 6. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit il-
lum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. 7. Aperiet os suum in oratione, &
pro delictis suis deprecabitur. 8. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu in-
telligentiæ replebit illum: 9. & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ
suæ, & in oratione confitebitur Domino: 10. & ipse diriget consilium eius, &
disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur. 11. Ipse palàm faciet discipli-
nam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur. 12. Collauda-
bunt multi sapientiam eius, & vsque in sæculum non delebitur. 13. Non recedet
memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. 14. Sa-
pientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enuntiabit Ecclesia. 15. Si per-
manserit, nomen derelinquet plus quàm mille: & si requieuerit, proderit illi:

16. Adhuc consiliabor, vt enarrem : vt furore enim repletus sum. 17. In voce
dicit : Obaudite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fru-
ctificate. 18. Quasi Libanus odorem suauitatis habete. 19. Florete flores, quasi
lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & bene-
dicite Dominum in operibus suis. 20. Date nomini eius magnificentiam, &
confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & citharis;
& sic diceris in confessione. 21. Opera Domini vniuersa bona valdè. 22. In
verbo eius stetit aqua sicut congeries : & in sermone oris illius sicut exceptoria
aquarum : 23. quoniam in præcepto ipsius placor fit, & non est minoratio in sa-
lute ipsius. 24. Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum
ab oculis eius. 25. A sæculo vsque in sæculum respicit, & nihil est mirabile
in conspectu eius. 26. Non est dicere : Quid est hoc, aut quid est istud? omnia
enim in tempore suo quærentur. 27. Benedictio illius quasi fluuius inundauit.
28. Quomodo cataclysmus aridam inebriauit? sic ira ipsius gentes, quæ non ex-
quisierunt eum, hereditabit. 29. Quomodo conuertit aquas in siccitatem, & sic-
cata est terra : & viæ illius viis illorum directæ sunt : sic peccatoribus offensiones in
ira eius. 30. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala.
31. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis
similagineus, & mel, & botrus vuæ, & oleum, & vestimentum. 32. Hæc omnia san-
ctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala conuertentur. 33. Sunt spiritus,
qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua. 34. in
tempore consummationis effundent virtutem : & furorem eius, qui fecit illos, placa-
bunt. 35. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt?
36. bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & rhomphæa vindicans in extermi-
nium impios. 37. In mandatis eius epulabuntur, & super terram in necessitatem
præparabuntur, & in temporibus suis non præterient verbum. 38. Propterea ab
initio confirmatus sum, & consiliatus sum, & cogitaui, & scripta dimisi. 39. Omnia
opera Domini bona, & omne opus hora sua subministrabit. 40. Non est dicere:
Hoc illo nequius est : omnia enim in tempore suo comprobabuntur. 41. Et nunc in
omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.

COMMENTARII.

1\. Sapientem virum describit.

ERS. 1. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens*, seu leget scripta, quæ olim viri docti edidere : *& in Prophetis vacabit*. Græcè, *in prophetijs*, totam sacram Scripturam per Synecdochen intelligit. Antiquorum Patrum scripta maximè conferunt ad viri Sapientis eruditionem. * Vndè subtaxantur Concionatores, qui libellos vulgari idiomate à modernis transcriptoribus editos memoriæ mandant, vt auditoribus sicut comœdi recitent, Patrum scripta negligentes. Vndè se Sapientes non esse testantur, cum Sapiens Sapientiam antiquorum exquirat.]

Taxantur Concionatores, qui libellos vulgari idiomate à modernis editos legũt, Patrum Scripta negligẽtes.

Vers. 2. 3. *Narrationem virorum nominatorum conseruabit*. Græcè, *explicationem*, seu vt sacræ Scripturæ mysteria calleat, celebres inibit Interpretes : *& in versutias parabolarum simul introibit*, & assequi curabit argutias inuolucra per parabolas tradita, quæ documenta sunt, & præcepta vitæ instituendæ. *Occulta prouerbiorum exquiret. & in absconditis parabolarum* ænigmaticè quidem *conuersabitur*, seu versabitur.

Vers. 4. *In medio Magnatorum ministrabit*, electus à Principibus publica munia obibit. Aptus modus acquirendæ Sapientiæ indicatur, scilicet per experientiam, in aulis Principum versando, in quibus viri prudentia & vsu rerum spectati agunt, & negotia grauia & implicata expediunt. * Experientia enim est peritior Sapientiæ Magistra.] *Et in conspectu Præsidis apparebit*, apud gubernatorem Reipublicæ publica negotia versabit.

Experientia est peritior Sapiẽtiæ Magistra.

Vers. 5. *In terram alienigenarum gentium pertransiet*, vt specialium rituum rationem ediscat: *bona enim, & mala in hominibus tentabit*, prospera, & aduersa experietur. * Homines enim per omnia tentati prudentiam colligunt.]

Homines per omnia tẽtati prudẽtiam colligunt.

Vers. 6. *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum*. Magno cordis sui affectu diluculo surget ad preces Domino creatori profundendas, vndè veram Sapientiam concipiet : *& in conspectu Altissimi deprecabitur*, & ab omnibus externis curis expeditus soli ei negotio intentus exorabit : hoc enim est in conspectu Domini deprecari. * In conspectu Dei non orat, qui ad externas curas mentem abducit.]

In conspectu Dei orat, qui ab aliis curis externis mẽtem abducit.

Vers. 7. *Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur*, vt scilicet Sapientiæ impedimenta auertat. Mens enim peccatis infecta haud potest Sapientiæ assequi puritatem.]

Bona conscientia necessaria ad profectum in litteris.

Vers. 8. 9. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum*. Cum autem à Dei voluntate pendeat huiusmodi intelligentia, quomodò peccatorem suum planè inimicum eadonabit? *Et ipse tanquam imbres emittet eloquia sua*, dante autem Domino intelligentiam, largè ille, ac copiosè Sapientiam suam in aliorum promet vtilitatem : *& in oratione*

conf

Ex orationis fonte Concionator proximorũ fructum exhaurit.

confitebitur Domino, laudabit Deum. * Aptè indicitur orationis exercitium ei Sapienti, qui aliorum studet vtilitati. Magister enim Euangelicus fructum, quem cupit à proximis colligere, ex orationis fonte haurire conatur.]

Vers. 10. *Et ipse diriget consilium eius, & disciplinam* : & ipse Sapiens oratione edoctus diriget motes suos ad normam diuinæ legis, quam in omnibus consulit. Si Concionator viam non dirigit, quomodò cum Ioanne Baptista clamabit, *Dirigite viam Domini? Ioan.* 1.23.] *Et in absconditis suis*, alij in *absconditis eius*, id est, Dei, in rebus obscuris, & dubiis *consiliabitur*, quid faciendum sit ediscet oratione magistra. Græcè *meditabitur*, attenta consideratione dum orationi incumbit, rimari curabit, quæ sit Dei voluntas. * Profectò Sapientissimus D. Thomas & alij Diui ex orationis libro difficillimarum quæstionum hauriebant solutionem.]

Concionator vias suas dirigat, vt clamet, Dirigite viam Domini.

Viri Sapientissimi ex orationis libro hauriunt difficilium quæstionum solutiones.

Vers. 11. *Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, &c.* Ipse exeret, promet doctrinam, quã institurus est : & diuinæ legis scientia, & exercitatione gaudebit.

Vers. 12 13. *Collaudabunt multi Sapientiam eius, & vsque in sæculum memoria illius non delebitur. Non recedit memoria eius* a mente doctiorum, *& nomen eius requiretur*, Græcè, *viuet* à generatione in generationem, vna enim generatio ab alia requiret Sapientis huius notitiam. * Quod quidem patet in Sapientibus, qui sua scripta typis tradidere, quorum memoria æternùm viuit, & eorum nomen ab aliis Doctoribus requiritur, dum citatur.]

Memoria Auctorum, qui scripsere, æternùm viuit.

Vers. 14. *Sapientiam eius enarrabunt gentes*, seu gentiles, vt Regina Saba celebrauit Salomonis Sapientiam : *& laudem eius enunciabit Ecclesia*, Synagoga, siue fidelium cœtus.

Vers. 15. *Si permanserit*, si diu superstes fuerit, *nomen*, famam & gloriã *derelinquet plus quam mille*, ex equitibus, ex diuitibus vulgi imperitorum, quorum memoria in sepulchro cum cadauere perpetuò recluditur : *& si requieuerit, proderit illi*, etiamsi alios erudire non possit recisso vitæ termino, non tamen ideò laborum ad Dei gloriam susceptorum, & promptè ad alios iuuandos voluntaris præmio frustrabitur. * Nisi velis verba illa, *si requieuerit, proderit illi*, referri ad vtilitatem, quam quis ex Sapientia percipit ad mortis periculum. Etenim homo Sapientiã præditus se aptiùs disponit ad obitum, fortior ad pericula superanda Dei ope exsurgit.]

Homo Sapiens aptius se ad mortem disponit.

Vers. 16. *Adhuc consiliabor, vt enarrem*, alia monita, ac consilia suggeram, enarrando, quæ mihi spiritus dictat : *vt furore enim repletus sum*, æstuat animus, plenus sum sermonibus, quos in audientium vtilitatem profundere gestio eo impetu, quo furiosi assolent proferre clamores.

Vers. 17. *In voce dicit*, alij, *in voce dicam*, clamabo : *Obaudite me diuini fructus*, filij Dei Israëlitæ, vitis diuinæ opimi botri : & quasi rosa plantata super riuos aquarum, *fructificate*, germinate.

Vers. 18.19 *Quasi Libanus odorem suauitatis habete* (Græcè, *quasi thus*) *Florete flores, quasi lilium, & date odorem : & frondete in gratiam*, seu pulchrè proferte frondes : *& collaudate canticum*, canticis laudate, *& benedicite Dominum in operibus suis.*

Vers. 20.21. *Date nomini eius magnificentiam*, nomen Dei magnificate, *& confitemini illi in voce labiorum vestrorum & in canticis labiorum, & citharis* eum laudate. *Et sic dicetis in confessione*, seu in cantico laudis. *Opera Domini vniuersa bona* sunt *valdè*. Vultis ostendam? Audite.

Vers. 22. 23. *In verbo eius stetit aqua sicut congeries*. Græcè, *sicut aceruus*, id est, diuino iussũ congregatæ fuére aquæ, vt arida appareret. Vel in mari Rubro, ac Iordane, vt Hebræi pedè sicco transirent : *& in sermone oris illius sicut exceptaria*, seu conceptacula, *aquarum*, id est, steterunt aquæ non secus ac si in suis finibus, & conceptaculis quiescerent. *Quoniam in præcepto ipsius placor fit*, Græcè, *complacentia*. Omnia fiunt, vt complacitum est Deo : *& non est minoratio in salute ipsius*, nihil deest perfectioni, seu integritati eius rei, quam ipse fieri iusserit. Dei enim perfecta sunt opera. Preme verbum *in salute ipsius*, id est, *in opere*. Omnia enim Dei opera ita ad hominum salutem diriguntur, vt idem sit opus Dei, ac hominum salus.]

Idem est opus Dei, ac hominum salus.

Vers. 24. 25. *Opera omnis carnis coram illo*. Omnium hominum opera videt : *& non est quidquam absconditum ab oculis eius. A sæculo vsque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius*, nihil est illi nouum, aut quod ignoret.

Vers. 26. *Non est dicere. Quid est hoc? aut quid est istud?* Quisnam est huius rei vsus, aut finis? *Omnia enim in tempore suo quærentur*. Græcè, *omnia enim in vsus suos creata sunt*, omnia habent vsum suum requisitum, & eorum naturæ consentaneum.

Vers. 27.28. *Benedictio illius quasi fluuius inundauit*, multiplex, & copiosa est Dei benedictio, quæ instar fluminis terram fœcundam reddit. *Quomodò cataclysmus aridam inebriauit*, quemadmodùm diluuium aquarum terram operuit, hominum genus obruit, Noë cum paucis superstite : *Sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum, hereditabit*, ita gentes ei per crimina inuisæ diuinæ iræ, ac furoris præda pabulum, possessio, & quasi hereditas fient. Itaque Dei benedictio seu misericordia, & eiusdem ira aut seueritas inundationi comparantur. Nam beneficiorum inundationem iræ sequitur inundatio si beneficiorum vndæ irrigauerunt ingratos.]

Beneficiorum inundationẽ sequitur iræ indignatio, vt obruat ingratos.

Vers. 29. *Quomodò conuertit aquas in siccitatem, & siccata est terra*, cum filij Israel per maris fundum sicco vestigio transmearunt : *& viæ illius viis illorum directa sunt*, & quomodò semitæ quas Deus Israëlitis aperuit, itineri illorum præparatæ sunt directæ, complanatæ, exsiccatæ; *Sic peccatoribus offensiones in ira eius*, ita è contrario difficultares, & obstacula Deus peccatoribus obiicit, in quas offendunt, & ruunt, vt Pharaoni, eiusque assectis accidit.

Vers. 30. *Bona bonis creata sunt ab initio : Sic nequissimis bona & mala*. Ab initio Deus iustis bona præparauit, qui quidem quamuis cum aliquibus malis, seu laboribus confligentur, bona absolutè dici debent, cum ei cooperentur in bonum. * Vndè mala, seu labores iustorum in bonorum numerum sunt computandi, & dicere verè possumus : Bona a malis abstracta,

Labores iustorum inter bona data eis a Deo annumerantur.

ſtracta, ſeu bona ſine malis iuſto creata ſunt.] Peccatoribus autem creata ſunt, ſeu præparara *bona & mala*, quia mali bonorum quorundam ſunt participes; nam facit Deus *Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos*: illos tamen mala manent æterna. * Vnde ipſa bona, ipſa Dei beneficia poſſunt *mala* eis appellari, quia illorum damnationi (eorum ingratitudine) ignem pœnæ addiderunt.]

Peccatorum bona, inter mala data eis à Deo valent computari.

Verſ. 31. Initium neceſſariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, ſal, lac, & panis ſimilagineus, ſeu ex ſimila, puriore ſcilicet tritici farina (triticeus enim panis maximè idoneus hominum cibus. Hæc itaque præcipuè neceſſaria ſunt vitæ ac victui hominum, & etiam *mel, & botrus vuæ, & oleum, & veſtimentum*.

Verſ. 32. Hæc omnia ſanctis in bona, &c. Hæc omnia, quæ hominibus ad vitam vtilia ſunt in bona ſpiritualia cedunt iuſtis, quia eis ad ſeruiendum Deo vtuntur: ad pernitiem verò conuertuntur peccatoribus, qui Dei beneficiis abutuntur ad crimina.

Verſ. 33. 34. Sunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt. Angeli ſiue boni, ſiue mali, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus, & cum Deus iubet, mortales ſupplicij flagello percutiunt: *& in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua*, conſtanter inferunt flagella, & tormenta, prout à Domino imperantur. *In tempore conſummationis effundent virtutem*, in tempore finis, interitus, necis, cum ſcilicet Deus malos perdere decreuit, exerent vim, & potentiam ſuam ad dirè percutiendum: *& furorem eius, qui fecit illos, placabunt.* Nam cum vindicta de peccatis ſumitur, tunc Dei ſedatur ira.

Verſ. 35. 36. 37. Ignis, grando, fames, & mors: omnia hæc ad vindictam creata ſunt, beſtiarum dentes, & ſcorpij, & ſerpentes, & rhomphea, ſeu gladius, *vindicans in exterminium impios*, occidens, & perdens. *In mandatis eius epulabuntur*, beſtiæ, ſcorpij, ſerpentes, gladius, ſi Deus iubeat, promptè irruent ad vindictam: imò adeò auidè ac ſolet guloſus, ad epulum ſeu conuiuium accurrere: *& ſuper terram in neceſſitatem præparabuntur*, mala hæc, & noxia parata ſunt, & cum vſus, & neceſſitas tulerit, ad manum haberi poſſint: *& in temporibus ſuis non præterient verbum*, ad vnguem effectum dabunt, vt iuſſa fuerint. * Quomodò delinquere non timeat impius ſciens, ad manum eſſe ſupplicij executores?]

Quomodò audet delinquere, qui ſcit, ad manum eſſe ſupplicij executores.

Verſ. 38. Propterea ab initio confirmatus ſum, in hac ſententia: *& conſiliatus ſum*. Græcè, *cogitaui*, cum animo ſtatui, *& cogitaui, & ſcripta dimiſi*, ſeu reliqui animi mei decreta, quæ ſequuntur.

Verſ. 39. Omnia opera Domini bona, &c. ſuo tempore, cum opus fuerit, dabit illis, vt opera ſua exerant, ad quæ inſtituta ſunt.

Verſ. 40. Non eſt dicere: Hoc illo nequius eſt. Deus enim nihil fecit nequam, ſeu malum, & reprehenſibile: ſed omnia bona, & vtilia. *Omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur.* Bona eſſe, & vtilia omnia Dei opera tempus docebit, cum ſcilicet eorum vſus erit, vel neceſſitas ea requiret.

Verſ. 41. Et nunc in omni corde, & ore collaudate, & benedicite nomen Domini. Nunc igitur tot creaturis vtilibus neceſſariis à Deo donati, gratitudinis ergò toto ex corde Dominum benedicite.



CAPVT XL.

Deſcribit Sapiens huius vitæ miſerias, quæ peccatum ſunt conſequutæ, &c.

1. OCCVPATIO magna creata eſt omnibus hominibus, & iu-
gum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris
eorum, vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium. 2. Co-
gitationes eorum, & timores cordis, adinuentio exſpectatio-
nis, & dies finitionis: 3. à reſidente ſuper ſedem glorioſam,
vſque ad humiliatum in terra & cinere: 4. ab eo qui vtitur
hyacintho, & portat coronam, vſque ad eum qui operitur li-
no crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perſe-
uerans, & contentio, 5. & in tempore refectionis in cubili ſomnus noctis im-
mutat ſcientiam eius. 6. Modicum tanquam nihil in requie, & ab eo in ſom-
nis, quaſi in die reſpectus. 7. Conturbatus eſt in viſu cordis ſui, tanquam qui
euaſerit in die belli. In tempore ſalutis ſuæ exurrexit, & admirans ad nullum timo-
rem: 8. cum omni carne, ab homine vſque ad pecus, & ſuper peccatores ſeptu-
plum. 9. Ad hæc mors, ſanguis, contentio, & rhomphæa, oppreſſiones, fames, &
contritio, & flagella: 10. ſuper iniquos creata ſunt hæc omnia, & propter illos fa-
ctus eſt cataclyſmus. 11. Omnia, quæ de terra ſunt, in terram conuertentur, & om-
nes aquæ in mare reuertentur. 12. Omne munus, & iniquitas delebitur, & fides
in ſæculum ſtabit. 13. Subſtantiæ iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur, & ſicut
tonitruum magnum in pluuia perſonabunt. 14. In aperiendo manus ſuas lætabi-
tur:

tur: sic præuaricatores in consummatione tabescent. 15. Nepotes impiorum non
multiplicabunt ramos, & radices immundæ super cacumen petræ sonant. 16. Su-
per omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum euelletur.
17. Gratia sicut paradisus in benedictionibus, & misericordia in sæculum perma-
net. 18. Vita sibi sufficientis operatij condulcabitur, & in ea inuenies thesaurum.
19. Filij, & ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & super hæc mulier immacu-
lata computabitur. 20. Vinum & musica lætificant cor: & super vtraque dilectio
sapientiæ. 21. Tibiæ & psalterium suauem faciunt melodiam, & super vtraque
lingua suauis. 22. Gratiam & speciem desiderabit oculus tuus, & super hæc viri-
des sationes. 23. Amicus & sodalis in tempore conuenientes, & super vtrosque
mulier cum viro. 24. Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, & super eos
misericordia liberabit. 25. Aurum & argentum est constitutio pedum: & super
vtrumque consilium beneplacitum. 26. Facultates & virtutes exaltant cor, & su-
per hæc timor Domini. 27. Non est in timore Domini minoratio, & non est in
eo inquirere adiutorium. 28. Timor Domini sicut paradisus benedictionis, & su-
per omnem gloriam operuerunt illum. 29. Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas:
melius est enim mori, quàm indigere. 30. Vir respiciens in mensam alienam, non
est vita eius in cogitatione victus: alit enim animam suam cibis alienis. 31. Vir
autem disciplinatus & eruditus custodiet se. 32. In ore imprudentis condulcabi-
tur inopia, & in ventre eius ignis ardebit.

COMMENTARII.

I. *Huius vitæ miseriæ describuntur.*



VERS. 1. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus.* Cuncti homines nati sunt ad sustinendum magnam admodùm ærumnarum molestiam: *& iugum graue super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium*, id est, terram, ex qua formati fuimus, & in cuius sinu omnes tandem recondimur. * Si agnatum est filiis amare parentes, cur sepulchrum omnium matrem tam intestino odio multi prosequuntur, vt vel de illo recordari, sit illis inuisum?]

Sepulchrum debemus vt matrem diligere, & honorare.

Vers. 2. 3. Cogitationes eorum, & timores cordis, curæ, & anxietates, *adinuentio exspectationis*, seu excogitatio remedij aduersus imminentia mala, quæ obuentura exspectantur, *& dies finitionis*, seu obitus. Hæc inquam & similia sunt iugum graue, quod filiorum Adæ humeris est impositum.

Vers. 4. 5. A residente super sedem gloriosam vsque ad humiliatum in terra, & cinere, à maximo vsque ad minimum nemo liber ab eiusmodi molestiis humanis existit. Ab eo, qui vtitur hyacintho, & portat coronam, vsque ad eum qui operitur lino crudo, seu à Rege, vsque ad agricolam qui veste rudi ex lino nondum excocto nec lotione purgato vtitur: *furor, zelus, tumultus, fluctuatio & timor mortis, &c.* Omnibus hisce affectibus animi homo miser adeò comprimi assolet, vt cum in mensa, & in lecto ad refectionem, & quietem compositis, reficiendæ erant vires, ipsa refectio, & somnus animum lacerat, alternat, & modo in hanc sententiam impellunt, modo ab illa reuocant.

Vers. 6. Modicum tanquam nihil in requie, modica & quasi nulla est requies. *Et ab eo*, seu post illud modicum quietis quod percepit *in somnis*, mox excubare cogitur, *quasi in die respectus*, Græcè, *in die specula*, quia instar speculatoris, prospicit vndiquè, & vertit se in omnes partes, vt malis occurrat, quæ sibi obuentura vel metuit, vel somniat, vel fingit.

Vers. 7. 8. Conturbatus est in visu cordis sui, somnia, quæ inter dormiendum se videre apprehendit, illum conturbant, nam pugnam cum hoste somniat, vitæ discrimen, fugam difficilem, *tanquam qui effugerit in die belli. In tempore salutis suæ exurrexit*, cum somniauit, se hostem euasisse arrepta fuga, tunc euigilat: *& admirans ad nullum timorem*, miratur, se adeò timuisse, cum nulla adesset timoris occasio. *Cum omni carne, ab homine vsque ad pecus*, id accidit omnibus hominibus, imò etiam pecudibus, nam etiam bruta animalia somniant: *& super peccatores septuplum*, maior multò est peccatorum timor, qui conscientiæ stimulis fodiuntur, cum sibi commissorum scelerum sint conscij. * Cunctis quidem humanis ærumnis plùs peccatores, quam iusti sauciantur, quia conscientia nequam communibus malis addit agnatam peccato tristitiam, & timorem.]

Peccatores humanis ærumnis magis, quàm iustos sauciantur.

Vers. 9. 10. Ad hæc mors, sanguis, contentio, &c. & propter illos factus est cataclysmus, seu diluuium tempore Noë totum obruit Orbem. * Certè ex peccato, & ad peccatum puniendum, mors, vulnera, gladius, reliquaque flagella hominum prodiere.]

Cuncta hominum incommoda ex peccato ortum habent.

Vers. 11. Omnia, quæ de terra sunt, in terram conuertentur, &c. Quemadmodùm aquarum perpetuus quidam est e pelago fluxus, & aquæ, quæ ex ipso profluunt in ipsum perpetuo quodam defluxu properant: ita homines, & cuncta animalia quæ è terra prodierunt, soluentur in terram.

Vers. 12. Omne munus, acceptum vel datum ad iustitiam violandam, *& iniquitas omnis delebitur*, seu iniustus cum sua iniustitia & muneribus acceptis interibit. * Caueant Iudices à munere in peruersionem iustitiæ recipiendo: quod quidem non solùm perit, sed facit suum receptorem miseriùs deperire.] *Et fides in sæculum stabit*, iustitia, æquitas, sinceritas, fides in pactis, &c. æternùm permanet.

Donum à Iudice acceptum perit, & facit acceptorem perire.

Verſ. 13. *Subſtantia iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur*, ſeu ſicut torrens, qui perennes aquas non fouet: *& ſicut tonitruum magnum in pluuia perſonabunt*, erunt ſicuti vox tonitrui, cuius vita & mors in inſtanti procedit eodem.

Verſ. 14. *In aperiendo manus ſuas lætabitur, &c.* Cum manus aperiet ad accipiendum, afficietur lætitiâ, ſed ad modicum tempus; at verò tabeſcet, *in conſummationem* (ſic Græcus) conſummatè & perfectè, id eſt, in æternum peribit. * Momentanea erit muneris accepti pro iniuſtitia duratio, æternùm ſupplicij retributio.]

Muneris pro iniuſtitia accepti duratio breuis, æterna ſupplicij retributio.

Verſ. 15. *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos*, id eſt, filios: *& radices immundæ ſuper cacumen petræ ſonant*, peccatores, qui cum arboribus conferuntur, aut fruticibus in præruptis locis vento expoſitis, & facile exareſcentibus, *ſonant tanquam*, ſeu areſcunt, folia enim arida ſonum maiorem edunt, cum flant venti, quàm viridia. * Cum videris impios altiùs faſtu intonare, crede id ex eorum ariditate exitio proxima prouenire.]

Impij faſtu hic altiùs intonant ex ariditate proxima exitio.

Verſ. 16. *Super omnem aquam viriditas, &c.* Sicut viridantia gramina in margine ripæ iuxta aquas faciliùs naſcuntur, & adoleſcunt, & citius falci ſubijciuntur; haud aliter euenit impijs, qui bonis temporari ſancti citò creſcunt, ſed etiam citò pereunt. * Igitur impij diuites ſunt gramina iuxta fluminis ripam, quæ citiùs creſcunt, & citiùs falcis diſtitati traduntur.]

Impij diuites citiùs creſcût vti gramina ripæ, & citius falci traduntur.

Verſ. 17. *Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus, &c.* Benignitas, ac beneficentia ſicut paradiſus germinibus affluens, multos & opimos fructus profert: & miſericordia immortales producit effectus, Pſalm. 111. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.*

Verſ. 18. *Vita ſibi ſufficientis operarij*, ſeu ſua ſorte contenti *condulcabitur*, dulcis eſt, & iucunda: *& in ea inuenies theſaurum quietis*, lætitiæ, bonæ pacatæque conſcientiæ. Quia vti Paulus inquit 1. *Tim.* 6. *Quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia.* Pauper operarius ſi iuſtus ſit, quæſtum faciens neceſſitatibus parem viuit ſua ſorte contentus, ac ſi theſaurorum poſſeſſor exiſteret. Nec enim beatum efficit abundantia diuitiarum, ſed animi lætitia.]

Pauper ſua ſorte contentus diues omninò eſt.

Verſ. 19. *Filij, & ædificatio ciuitatis confirmabit nomen.* Duo hæc nomen æternant, filios habere, & Vrbem ædificare: *& ſuper hæc mulier immaculata computabitur.* Græcè, *mulier boni nominis*, de qua nullus obloquitur. * Præfert meritò vxorem inculpatam quia parum prodeſt fuerit, multos reliquiſſe filios, aut ſtructæ vrbi nomen dediſſe, ſi ei viro vxor impudica contingat, aut parum ſecundæ famæ; maius enim ex hoc dedecus, quàm ex illis gloriam conſequetur.]

Magis nobilitat mariti nomen vxor pudica, quam Vrbem ædificaſſe.

3\. *Verſ.* 20. *Vinum & muſica lætificant cor, &c.* Superat enim voluptas, quæ ex rebus ſpiritualibus percipitur, voluptates, quæ externis ſenſibus capiuntur. * Quàm ſtulti voluptatum amatores, qui tot ſumptibus ſenſuum oblectationem comparant, cum gratis poſſent ſpiritualium voluptatum præſtantiorem fruitionem acquirere.]

Iuſtorum oblectamenta.

Stultè difficiles corporis voluptates quæris, qui præſtantiores ſpiritus potes facilè acquirere.

Verſ. 21. *Tibia & pſalterium ſuauem faciunt melodiam, &c.* Sermo enim ſuauis magis mentem delectat, tùm quia viuus ac vitalis eſt: tùm quia humano ſermoni ſubeſt ſententia & ſignificatio, quæ animum afficit, & aliquid poſt ſe relinquit, etiam cum exterior vocis ſonus quieuit. * Vel ſermo muſicæ comparatur, vt conſtet, quàm concors, quàm æqualis eſſe debet, vt placeat. Nam ſi vel verbum vnum diſſonans proferatur, torquet auditum.]

Vt placeat ſermo, muſicam debet imitari æqualitatem.

Verſ. 22. *Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus tuus, &c.* Oblectatis rebus pulchris, & concinnè fabricatis, v.gr. Regia aula, Templo: ſed vir Sapiens pluris æſtimat ad viſus oblectationem plantas, quæ tanquam pulcherrimi tapetes ornant agros, oculos venuſtate, & animos multiplici fructu recreant.

Verſ. 23. *Amicus, & ſodalis in tempore conuenientes. & ſuper vtroſque mulier cum viro.* Magnum commodum afferunt amicus, & ſodalis, qui adſunt ſibi mutuò, cum difficilia incidunt tempora, quibus alieno indigent auxilio. At plura, & diuturniora commoda refert maritus ex ſociali vita cum vxore, quàm ex amici, aut ſodalis auxilio ad tempus exhibito.

Verſ. 24. *Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, &c.* Multum ſperari poteſt in fratrum auxilio: attamen plùs in eleemoſynæ vtilitate. * Plùs fidendum bonis operibus noſtris, quàm in propinquorum aut amicorum quantumuis coniunctorum auxilio: imò in his nihil fidendum eſt, ſolùm enim bona opera noſtra poſſunt nos ab æterno interitu liberare.] 4.

Miſericordia & timor Domini laudatur.

Nè fidas amicis, aut fratribus ad ſalutem auxilium quod ſolum à tuis bonis operibus recipies.

Verſ. 25. *Aurum & argentum eſt conſtitutio pedum*, ſeu faciunt vt quis firmiter conſiſtat: *& ſuper vtrumque conſilium beneplacitum*, at prudens conſilium argento & auro eſt præſtabilius.

Verſ. 26. *Facultates, & virtutes exaltant cor:* Græcè, *diuitiæ, & opes.* Opes enim apud ſæculi huius filios in tanta æſtimatione habentur, in quanta deberent virtutes haberi. * O infelicia tempora, quando diues vt diuus adoratur!] *Et ſuper hæc timor Domini.* Totum verſum expendo. *Facultates*, diuitiæ *& virtutes*, ſeu robur corporis erigunt hominis cor: magis autem id erigit Domini timor, qui non vt humanus contrahit, ſed illud dilatat, & extollit.

Diues vt diuus adoratur.

Verſ. 27. *Non eſt in timore Domini minoratio*, diminutio, defectus, inopia, nullum enim bonum deeſt timori Dei: *& non eſt in eo inquirere adiutorium*, eſt enim ſibi ſufficiens timor Dei, nec alieno indiget auxilio. * Vnde qui diuino timore afficitur, liber omninò eſt ab humano; humana enim terriculamenta non audent coram diuino timore apparere.]

Qui diuino timore afficitur, liber eſt ab humano.

Verſ. 28. *Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis*, in quo non habet ingreſſum maledictio. * Vnde ſecurius quis in Dei timore degit, quàm Adamus in paradiſo voluptatis ad quem ſerpens aditum inuenit.] *Et ſuper omnem gloriam operuerunt illum.* Quemadmodùm Deus paradiſum floribus & fructibus omne genus ornauit: ita timorem ſanctum omnium bonorum genere quamlibet humanam gloriam ſuperante diuinæ manus ornauerunt.

Timor Dei eſt paradiſus ad quem ſerpens non inuenit aditum.

Verſ. 29. *Fili, in omni tempore vitæ tuæ ne indigeas*: Græcè, *caue, ne viuas mendicato.* An in manu hominis eſt, non egere? Ita plane. * Plerumque enim, imò fere ſemper homines deſidia,

desidis, & otio sese ad mendicitatem redigunt.] *Melius est enim mori, quam indigere*, siue quam
Vita victu indigens non est vita. mendicare. * Aptè Græcus Poëta, *Vita victu indigens non est vita.*]

Vers. 30. Vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione victus. Ex Græco, *computari non potest in vita.* Hispanè diceres, *No puede contarse entre los viuos: alit enim animam suam cibis alienis.* Ex mensa enim aliena expectat frustũ panis ad sedandam famen, & id accipiens, & comedens cibo alieno se reficere cu-
Mendicare est idē quòd fame interire. rat, sed non reficit. * Quia suus non est ille cibus, quemadmodum si boui, aut quo carnes edendas apponeres. Ideò pauperes mendicos semper macie confectos aspicies, cibo enim victitant alieno.] Vndè mendicare illis est quodammodò fame mori.]

Vers. 31. Vir autem disciplinatus, & eruditus custodiet se. Vir Sapiens ab inopia se custodiet. Græcè, *cauebit turpem hanc egestatem* saltem manuum operatione.

Vers. 32. In ore imprudentis indulcabitur inopia. Græcè *impudentis*, dulciserit vita mendica: *Et in ventre eius ignis ardebit*, ignis quidem fame viscera depascentis, cum à diuitibus mendicus reiicitur inanis, quod ei non vnquam necessum est accidere.

CAPVT XLI.

Exprimit Sapiens queisnam mors grata excidat, queisnam ingrata. Asserit, bonam famam opibus præferendam: dona Dei non occultanda: scelera cauenda.

1. O Mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti
in substanriis suis; 2. viro quieto, & cuius viæ directæ sunt
in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum! 3. O mors,
bonom est iudicium tuum homini indigenti, & qui minora-
tur viribus, 4. defecto ætate, & cui de omnibus cura est, &
incredibili, qui perdit patientiam! 5. Noli metuere iudicium
mortis. Memento quæ ante te fuerunt, & quæ superuentura
sunt tibi: hoc iudicium à Domino omni carni. 6. & quid superueniet tibi in
beneplacito Altissimi? siue decem, siue centum, siue mille anni. 7. Non est enim
in inferno accusatio vitæ. 8. Filij abominationum fiunt filij peccatorum, & qui
conuersantur secus domos impiorum. 9. Filiorum peccatorum periet hereditas,
& cum semine illorum assiduitas opprobrij. 10. De patre impio queruntur filij:
quoniam propter illum sunt in opprobrio. 11. Væ vobis viri impij, qui dereli-
quistis legem Domini Altissimi. 12. Et si nati fueritis, In maledictione nascemi-
ni: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. 13. Omnia, quæ de terra
sunt, in terram conuertentur; sic impij à maledicto in perditionem. 14. Luctus ho-
minum in corpore ipsorum, nomen antem impiorum delebitur. 15. Curam habe
de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi &
magni. 16. Bonæ vitæ numerus diernm: bonum autem nomen permanebit in
æuum. 17. Disciplinam in pace conseruare filij, sapientia enim abscondita, & the-
saurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? 18. Melior est homo qui abscondit stulti-
tiam snam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam. 19. Verumtamen reuere-
mini in his, quæ procedunt de ore meo. 20. Non est enim bonum omnem reue-
rentiam obseruare: & non omnia omnibus benè placent in fide. 21. Erubescite à
patre & à matre de fornicatione: & à præsidente & à potente de mendacio, 22. à
principe & iudice de delicto: à Synagoga & plebe de iniquitate: 23. à socio & ami-
co de iniustitia: & de loco in quo habitas, 24. de furto, de veritate Dei, & testamen-
to: de discubitu in panibus, & ab obfuscatione dati & accepti: 25. à salutantibus
de silentio: à respectu mulieris fornicariæ: & ab auersione vultus cognati.
26. Ne auertas faciem à proximo tuo, & ab auferendo partem & non restituen-
do. 27. Ne respicias mulierem alieni viri, & ne scruteris ancillam eius, neque ste-
teris ad lectum eius. 28. Ab amicis de sermonibus improperij, & cùm dederis, ne
improperes.

COMMENTARII.

1\. *Quisnam mors grata excitat, quenam ingrata, exponit.*



VERS. 12. *O mors, quàm amara est memoria*, vel sola *tua*, vel nomen tuum solum, *homini pacem habenti in substantiis suis*, seu pacificè viuenti in opum abundantia: *viro*, inquam, *quieto*, seu à curis libero: *& cuius viæ directæ sunt in omnibus*, seu cuius negotia & vota prosperè accidunt: *& adhuc valenti accipere cibum* cum voluptate, non afflicto morbis, sed valenti, & vegeto. * Senectutem enim morbis afflictam nec diuitiæ possunt exhilarare.]

Senectutem morbis afflictam nec diuitiæ exhilarare possunt.

Vers. 3. 4. O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti, sententia moriendi à te prolata gratissima accidit homini egeno, *& qui minoratur viribus*, seu destituitur, *defectâ ætate*, id est, decrepito: *& cui de omnibus cura est*, seu cui omnia ad vitam fouendam necessaria magno sunt labore quærenda: *& incredibili, qui perdit patientiam.* Græcè, *& non credenti*, seu diffidenti de meliori fortuna: & qui animo succumbit, nec par est malis, & aduersis diutius ferendis. * Hoc ex capite hominum ærumnæ mitiores sunt, quod mortis memoriam (diuitibus, & vigore fruentibus) tam amaram indulcant.

Ærumnæ hominũ hoc ex capite mitiùs torquent quod memoriam mortis indulcant.

Vers. 5. 6. Noli metuere iudicium mortis, siue sententiam moriendi. *Memento, quæ ante te fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi.* Mente reputa, te, & omnes homines in hanc lucem hac conditione editos esse, vt moriantur. Vnde & qui præcessere nos interierunt, & nos posterique nostri extinguemur. * Æquum planè est, vt mortis diritatem conditionis omnium gentium æqualitate mitigemus.] *Hoc iudicium à Domino omni carni.* Nullus ab hac sententia à Domino prolata eximitur. * Planè subditus iniustè queritur de præcepti rigore, quod omnibus indicitur, & ab omnibus obseruatur.] *Et quid superueniet tibi in beneplacito Altissimi?* Græcè, *quid recusas*, aut *renuis*. Quare non acquiescis diuinæ voluntati siue decem tantùm, siue centum annos viuere te velit. Vel (Vulgatæ hærere si velis,) acquiesce diuinæ voluntati, neque enim tua solicitudine tibi adiicietur vita longior vltra Altissimi beneplacitum. *Siue ergo decem, siue, centum, siue mille anni*, vitæ sint tibi à Domino designati, nec citius morieris, nec diutiùs viues.

Diritas mortis mitigatur ex eo quod sit æqualis omnium cõditio.
Iniustè queritur subditus de præcepti rigore, quod omnibus indicitur.

Vers. 7. Non est enim in inferno accusatio vitæ, post mortem non dolebis, quod parum, sed quod iniquè vixeris.

2\. *Vers. 8. Filij abominationum, fiunt filij peccatorum*, seu impiorum parentum defectu probæ institutionis, & correptionis debitæ: fiunt extremè abominabiles Deo, & hominibus: *& qui conuersantur secùs domos impiorum*, nempè socij furum, & latronum. * Nam dum secus eorum domos habitant, ostendunt, se eorum mores imitari ex vi societatis, seu vicinitatis.] Adeò est efficax prauæ societatis pestis, vt non solùm domesticos, verùm etiam vicinos inficiat.]

De filijs malis, & bonis.
Tanta vis pestis prauæ societatis, vt non solùm domesticos, sed & vicinos inficiat.

Vers. 9. Filiorum peccatorum peribit hereditas, diuitiæ, quas filij nequam à maioribus acceperunt, malè pereunt, si vitia sectentur. * Vnde videris multos in parentum obitu diuites, qui instar prodigi adolescentis viuendo luxuriosè mox incipiunt egere.] *Et cum semine illorum assiduitas opprobrij*, seu perpetuo dedecore horum filij, & nepotes afficiuntur. * Ex parentum enim nequitia filiorum oritur infelicitas.] Vndè.

Opes luxuria perdit.
Ex nequitia parentum filiorum sæpè prodit infelicitas.

Vers. 10. De patre impio queruntur filij, & meritò, quia se & genus suum dehonestauit. *Quoniam propter illum sunt in opprobrio.*

Vers. 11. Væ vobis, viri impij, qui dereliquistis legem Domini Altissimi. * Certè nec pauperi, nec doloribus afflicto, nec infamiâ dehonestato væ adeò conuenit sicut impio, qui omnium ærumnarum est colligatio. Vnde aptè loquit Sapiens, *Væ vobis impij.*]

Væ propria cõuenit peccatori.

Vers. 12. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini maledicta est natiuitas vestra ob fructus maledictos, quos profertis: *Et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.* Seu pro hæreditaria portione perpetuam maledictionem possidebitis. Quasi diceret: Sinè viuatis, siuè mortui sitis, perpetuò maledicti eritis, & odio ac execrationi Deo, & hominibus.

Vers. 13. Omnia, quæ de terra sunt, in terram conuertentur: sic impij à maledicto in perditionem. Græcè, *ab execratione*. Impij ab execratione, quam homines illis precantur, vt Deus illos perdat, venient in exitium: seu à perditione in voto ad perditionem in re. * Imprecationes enim, quæ contra impios proferuntur, suum assolent sortiri effectum.]

Imprecationes prolatæ contra impios, suum assoleot effectum sortiri.

Vers. 14. Luctus hominum in corpore ipsorum, &c. Quamuis homines ad mortuorum propinquorum celebrandam memoriam eis iusta persoluant, & epitaphia corporum conditoriis adscribant: tamen memoria eorum delebitur, si iniustè vixerint.

Vers. 15. Curam habe de bono nomine, &c. 3.
* Nobilius enim bonum est fama, quàm diuitiæ, fante Salomone *Prou.* 21. 1. Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.]

De bono nomine tuendo.
Nobilius bonum fama, quàm diuitiæ.

Vers. 16. Bonæ vitæ numerus dierum, &c. Felicis & iucundæ vitæ exigua & breuis est duratio: fama verò æternùm permanet. Ergò de hac potius satagendum.

Vers. 17. Disciplinam in pace conseruate filij, instructionem, quam vobis iam trado cum animi tranquillitate excipite, & custodite. *Sapientia enim abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Sicut enim nulla est vtilitas in thesauro, qui ad vsum non profertur, ita inutilis prorsus est Sapientia abscondita.

Vers. 18. Melior est homo, qui abscondit stultitiam suam, &c. * Nam qui abscondit stultitiam, Sapiens habebitur: qui verò Sapientiam, habebitur inuidus, & auarus, qui thesaurum illum, aliis non vult communicare. Ergò insipiens prudentiorem se quàm Sapiens ostendit.]

Prudentiorem se insipiens ostendit cum insipientiam abscõdit, quàm sapiens cum Sapientiam occultat.

Vers. 19. Verumtamen reueremini in his, quæ procedunt de ore meo. Igitur, quæ mox sum dicturus pudeat vos patrare.

Vers. 10. Non est enim bonum, omnem reuerentiam obseruare, &c. Est aliquis pudor vitiosus, quem contemnere debemus: aliquis verò bonus, quo nos commoueri par est, cum in quæisdam delinquimus. Sunt autem nonnulla, quæ non placent aliquibus, quia non sunt *in fide*, seu integrè,

integrè, & perfectè secundùm rationis præscriptum facta. Hæc inquam ex vitioso pudore aliquibus aliquandò non placent.

4. *Vers.21. Erubescite à patre, & à matre de fornicatione.* Pudeat eos, qui filios habent, quos castè debent instituere, si fornicentur, & malo sint illis exemplo, matura præsertim ætate, quam ab huiusmodi turpitudine maximè par est esse remotam. * Maximè quidem parentum libidinis malitia crescit ex eo quod filiis luxuriei dogmata tradidere.] *Et à præsidente, & à potente de mendacio.* Pudeat vos cum Principes, aut Iudices, mentiri. * Mendacium enim vilium hominum est.]

De multis de quibus debent erubescere.

Crescit luxuriæ parentum malitia ex prauo exemplo, quod filiis exhibent.

Vilium hominum est mendacium.

Vers.22.23.24. A Principe, & à Iudice de delicto. Pudeat vos, qui Principes estis aut Iudices vindices delictorum, ea quæ in aliis plectitis, admittere: *a Synagoga & plebe de iniquitate.* Vos, qui consilij partes estis, pudere debet, si sitis in alios iniusti, cum penes vos iustitiæ sit administratio. *A socio & amico de iniustitia.* Pudeat profiteri vos alicuius amicos, & tamen amicitiam iniustitia violare: *& de loco, in quo habitas, de furto.* Pudeat te in domo, in qua habitas, furari. * Cum enim par sit omnes domesticos in bonum familiæ conspirare: pudendum sanè aliquem furto rei domesticæ nocere.] *De veritate Dei, & testamento.* Pudeat te in pactis, & contractibus diuinum testimonium verax per iuramentum inuocasse, & quæ iuraueris, non impleuisse. *De discubitu in panibus.* Græcè, *De cubitis super mensam, aut super ipsos panes fixis, cum cibum capis.* * Hæc enim magna est inurbanitas.] *Et ab obfuscatione dati, & accepti,* cum scilicet aliquid acceperis, & illud te accepisse negaueris, & veritati rationum tenebras offundere curaueris. Item

Vile facinus furari in domo, in qua habitas.

Inurbanitas est cubitos super mēsam apponere.

Vers.25, A salutationibus de silentio. Pudeat te non resalutare salutantem. *A respectu mulieris fornicariæ.* Pudeat oculos figere in impudicam fœminam. * Signum enim est propensi animi in turpitudinem.] *Et ab auersione vultus cognati.* Pudeat te, cum aliquis propinquus tuus à te aliquid honestum postulat, vultum illius confundere, & auertere tuum te negata, quam præstare haud difficilè possis. * Abiectum planè indicat animum se petenti propinquo auarum ostendere.]

Aspicere fœminam impudicam, signū est animi in turpitudinem propensi.

Abiecti animi est, se propinquo petenti auarum ostendere.

Vers.26 Ne auertas faciem à proximo tuo, quasi illum parui faciens, vel dissimulans cogitationem, idque quia humilis est, aut pauper. *Et ab auferendo partem, & non restituendo.* Pudeat te, partem alij debitam habuisse, aut sustulisse: nec tamen reddidisse; hoc enim rapacis, & auari nomen tibi conciliabit.

Vers.27. Ne respicias mulierem alieni viri: & ne scruteris ancillam eius Græcè, *Cave à curiositate circa ancillam eius.* Nam qui curiosè aspicit, & interrogat, facit intemperantis animi suspicionem: *neque steteris ad lectum eius,* nam cum inhonestum sit ancillam adire, & curiosè illam de domina interrogare; magis inhonestum, ac indecens erit, eam cum lecto cubat inuisere.

Vers. 28. Ab amicis de sermonibus improperij. Turpe est cum amico benefeceris, odiosè beneficia in eum collata memorare, quasi ille non satis recordetur, aut sit ingratus. * Huius ergo lapsus prudentem hominem pudere debet. *Et cum dederis, ne improperes.* Magis enim eligeret amicus nihil à te accepisse, quàm illud circa obliuionem vel ingratitudinem opprobrium sustinere.]

Turpe est cōmemorare amico beneficia, quæ à te accepit.

CAPVT XLII.

Sapiens docet, secreta non reuelanda, sectandam omnem iustitiam, inuigilandum virginum custodiæ, à mulierum consortio recedendum, & omni scientiam Dei maximis esse laudibus efferendam.

1. NOn duplices sermonem auditus de reuelatione sermonis abs-
conditi, & eris verè sine confusione, & inuenies gratiam in
conspectu omnium hominum: ne pro his omnibus con-
fundaris, & ne accipias personam vt delinquas. 2. De lege
Altissimi, & testamento, & de iudicio iustificare impium.
3. de verbo sociorum & viatorum, & de datione hereditatis
amicorum. 4. de æqualitate stateræ & ponderum, de acqui-
sitione multorum & paucorum. 5. de corruptione emptionis & negotiatorum,
& de multa disciplina filiorum, & seruo pessimo latus sanguinare. 6. Super mu-
lierem nequam bonum est signum. 7. Vbi manus multæ sunt, claude? & quod-
cumque trades, numera, & appende: datum verò, & acceptum omne describe.
8. De disciplina insensati & fatui, & de senioribus, qui iudicantur ab adolescenti-
bus: & eris eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu omnium viuorum.
9. Filia patris abscondita est vigilia, & sollicitudo eius aufert somnum, ne fortè in
adolescentia sua adulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat: 10. ne
quando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis grauida inueniatur: ne
fortè cum viro commorata transgrediatur, aut certè sterilis efficiatur. 11. Su-
per filiam luxuriosam confirma custodiam; ne quando faciat te in opprobrium veni-

re inimicis, à detractione in ciuitate, & obiectione plebis, & confundat te in multi-
tudine populi. 12. Omni homini noli intendere in specie: & in medio mulie-
rum noli commorari: 13. de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniqui-
tas viri. 14. Melior est enim iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & mulier
confundens in opprobrium, 15. Memor ero igitur operum Domini, & quæ vidi
annuntiabo. In sermonibus Domini opera eius. 16. Sol illuminans per omnia
respexit, & gloria Domini plenum est opus eius. 17. Nónne Dominus fecit san-
ctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmauit Dominus omnipotens sta-
biliri in gloria sua? 18. Abyssum, & cor hominum inuestigauit: & in astutia
eorum excogitauit. 19. Cognouit enim Dominus omnem scientiam, & inspe-
xit in signum æui, annuntians quæ præterierunt, & quæ superuentura sunt, reue-
lans vestigia occultorum. 20. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abscon-
dit se ab eo vllus sermo. 21. Magnalia Sapientiæ suæ decorauit: qui est ante sæcu-
lum & vsque in sæculum, neque adiectum est, 22. neque minuitur, & non eget
alicuius consilio. 23. Quàm desiderabilia omnia opera eius, & tanquam scintilla,
quæ est considerare! 24. Omnia hæc viuunt, & manent in sæculum, & in omni ne-
cessitate omnia obaudiunt ei. 25. Omnia duplicia, vnum contra vnum, & non fecit
quidquam deesse. 26. Vniuscuiusque confirmauit bona. Et quis satiabitur videns
gloriam eius?

COMMENTARII.

1. *Secreta non reuelanda docet.*



ERS. 1. *Non duplices sermonem auditus*, sermonem, quem audisti ex eo qui primo tibi reuelauit, *de reuelatione sermonis absconditi*, id est, aperiendo tibi aliquid quod absconditum, seu secretum erat, *non duplices*, seu non rursus iteres, vt alteri referas. *Et eris vero sine confusione, &c.* Pergit Sapiens enumerare ea, quorum nos pudere debet, & sententia est. Pudeat te creditum tibi arcanum reuelasse: quod si celaueris, non erit, quod te pudeat. Nihil viro indignius, quàm amici reserare secretum.] *Ne pro his omnibus confundaris*, ne te pudeat eorum, quæ mox exponam. *Et ne accipias personam, vt delinquas.* Neque personæ alicuius auctoritate, aut amore ita commouearis, vt contra eam pecces, quæ iam subiungo.

Indignum viro, amici reuelare secretum.

2. *Vers.* 2. *De lege Altissimi, & testamento.* Ne te pudeat profiteri Dei legem, quam pacto olim per maiores tuos cum Deo initio seruaturum promisisti. *Et de iudicio iustificare impium.* Ne vitioso pudore adeò ducaris, vt in iudicio impium iustum esse pronuncies.

Sectandam iustitiam monet in multis.

Vers. 3. 4. 5. *De verbo sociorum, & viatorum.* Si inter peregrinum & socium aliquem tuum controuersia inciderit, caue, ne vitioso victus pudore iustitiam violes, & pro socio pronuncies, & peregrinum offendas. Sed iustus esto arbiter, vt etiam incognito peregrino causam adiudices, si ratio illius potior exstiterit. *Et de datione hereditatis amicorum.* Alij, *Ne des locum pudori in hereditate consortium partienda.* Debes enim diuidere æqualiter & fideliter hereditatem inter coheredes, nec ex pudore vni plùs fauere, aut dare, quàm alteri. *De æqualitate statera, & ponderum.* Non te pudeat exactum esse in seruanda mensurarum & ponderum æqualitate, etiamsi alios cernas passim fraudibus vti, & te quasi simplicem, aut nimis anxium rideri animaduertas. * O infelix tempus, quando pudet mercatores in ponderibus & mensuris vti æqualitate.] *De acquisitione multorum, & paucorum.* Non te pudeat, si pauca acquiras aliis ad magnas diuitias peruenientibus, nec propterea iustitiam violare procures. *De corruptione emptionis, & negotiatorum.* Ex Græco, Non te pudeat, diuerso pretio, & quidem mitiori, magisque iusto res vendere, etiamsi alij mercatores secus faciant. *Et de multa disciplina filiorum.* Non te pudeat, nimium esse in filiorum institutione correptione, castigatione, timens ne immitis, & crudelis habearis. Maior enim crudelitas erit ob defectum castigationis filium miserè deperire.] *Et seruo pessimo latus sanguinare.* Non te pudeat serui mali, v.gr. furis, ebriosi, scortatoris corpus cruentare verberibus. * *Latus* inquit, non totum corpus, vt innuat, in castigatione serui adhibendam esse moderationem. Nec enim vulnerandus ad necem, sed ad correptionem salutarem.]

Infelix tempus quandò pudet homines, in pondere, & mensura vti æqualitate.

Crudelis est pater, qui filium non castigat.

Castigatio serui non sit immoderata.

Vers. 6. *Super mulierem nequam bonum est signum.* Græcè, *sigillum*, clausura. Si noueris, vxorem impudicam esse, non te pudeat eam clausam habere, timens, ne Zelotypus appelleris. Si igitur impudicam esse vxorem certò scias, cum Deus vetet eam à te neci priuata sententia tradere, eam reclude, ne delinquendi occasionem nanciscatur. Reclusionem autem hanc metaphoricè accipe, hoc est, cautelæ tuæ addicatur custodiæ, non carcere aut vinculis detineatur.]

Vxor impudica custodiæ tradenda.

Vers. 7. *Vbi manus multa sunt, claude*, quæ furari quis possit, nec te huius diligentiæ pudeat, ne te eam non adhibuisse pœniteat. *Et quodcumque trades numera, & appende.* Non te pudeat, cum alteri pecuniam tribuis, aut accipis, eam numerare, aut appendere, timens ne propterea parum credere videaris amici fidelitati. * Nullus enim iustè conqueri potest, quod qui fideliter acceptam pecuniam est redditurus, quantum accipit velit dignoscere.] *Datum verò, & acceptum omne describe*, facilis enim est memoriæ lapsus.

Nullus queri potest, quòd pecuniã quã accipis, numeres.

Vers. 8. *De disciplina insensati, & fatui.* Non te pudeat erudire, & castigare stultum, quasi otium malè colloces, & te alium ridendum exhibeas,

Scoltur assidua eruditione, & castigatione scit aliquando.

hibeas. * Assidua enim eruditio, & castigatio dare assolet intellectum.] *Et de senioribus, qui iudicantur ab adolescentibus.* Græcè, *de decrepitis.* Hi frequenter à iunioribus irridentur quasi delirent. Te ergo pudere non debet, eorum sumere patrocinium. *Et eris eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu omnium virorum,* bene moratus & institutus apparebis, & omnibus gratus existes. * Omnibus enim placet eam te ætatem reuereri, ad quam desiderant peruenire.]

Omnibus placet, senes ab irrisionibus iuuenum defendi.

3.

De filiarum custodia.

Vers. 9. 10. *Filia patris abscondita est vigilia,* facit enim vt noctu, cum dormire creditur, vigilet, vndè eius vigilia abscondita aliis est: & solicitudo eius aufert somnium. *Ne fortè in adolescentia sua adulta efficiatur.* Ex Græco, ne florem ætatis innupta pertranseat, seu ne domi senescat antequam nuptui tradatur: *& cum viro commorata odibilis fiat:* & posteà iam prouecta ætate fortassè nacta virum, ob languentem formam ab eo despiciatur. * Docentur parentes haud esse differendas filiarum nuptias.] Vel *ne quando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis grauida inueniatur,* id est, ne corruptionem admittat dum est in virginali statu ante nuptias, & in paterna domo sua grauida inuenta parentibus pariat opprobrium. Vel *ne fortè cum viro commorata, transgrediatur,* seu ne viro tradita in matrimonium transgrediatur per adulterium matrimonij iura. * Quæ enim mulier virginalem statum ausa est violare, nuptialem thalamum inficere audebit.] *Aut certe sterilis efficiatur,* seu ne fortè si nubat in ætate illa prouecta, sterilis remaneat, ideoque minùs à viro diligatur.

Filiarum nuptiæ haud nimium differendæ.

Quæ virginitatis statũ violauit nuptialem thalamum inficere audebit.

Vers. 11. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam,* seu eam diligentissimè custodi: *ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis,* seu ne inimici tui dedecus aliquod filiæ tibi opprobrare meritò possint. Græcè, *in lætitiam,* id est, ne lætitiæ occasionem inimicis exhibeas *à detractione* in ciuitate, (Græcè, *à fabula,*) *& obiectione plebis & confundat te in multitudine populi.* Custodiam ejusmodi adhibere debes, ne filia impudens aliquid agat, quod te plebis fabulam esse efficiat, obloquentibus ciuibus de domestico illo improperio, ex quo coram omnibus pudore afficiaris.

Vers. 12. 13. *Omni homini noli intendere in specie,* seu propter speciem de illo iudicare; sæpè enim sub pulchra forma cor latitat fœdum: & sub fœdo corpore pulchra anima absconditur. * Externa sæpè fallit species.] *Et in medio mulierum noli commorari,* si vis puritatem tueri. * Hæc enim fugam consetuatur.] *De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Quemadmodùm ex vestimentis tinea nascitur, ita à mulieris pulchræ aspectu tinea amoris, quæ cor aspicientis rodere aggreditur.

Non iudicãdus animus ob formæ pulchritudinem, aut fœditatem.

Castitas fugâ conseruatur.

Vers. 14. *Melior est enim iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Melius est virum tibi iniquum esse, infestum, & contrarium, quàm mulierem erga te benignam, aut blandam se ostendere: in hoc enim maius inest periculum. * Satiùs igitur in crudelis viri manus, quàm in fœminæ benignitatem incides.] *Et mulier confundens in opprobrium,* mulier enim dedecorat te, cum ad turpem consuetudinem trahit.

Satiùs in viri crudelis manus, quàm in fœminæ benignitatem incides.

Vers. 15. *Memor ero igitur operum Domini, & quæ vidi, annunciabo.* Commemorabo Dei opera, & quæ oculis aspexi, vel mente contemplatus sum, exponam. *In sermonibus Domini opera eius,* verbo iussuque Domini omnia eius opera creata sunt, conseruantur, & gubernantur. *Ipse dixit, & facta sunt.* 4.

Opera Dei perfectissima esse demonstrãtur.

Vers. 16. *Sol illuminans per omnia respexit, &c.* Ministerium solis, qui quasi mundi oculus omnia respicit, & illustrat, in magnam Dei gloriam factoris cedit.

Vers. 17. *Nónne Dominus fecit, sanctos enarrare omnia mirabilia sua, &c.* Dominus non fluxa, sed stabilia, & perdurantia opera sua fecit, vt in his firmaret, & stabiliret gloriam & magnificentiam suam, quam facit sanctos vniuersi toti enarrare. * Stabilis ergo Dominus in operibus suis diligit eos, qui sectantes virtutem, in ea persistunt, nec vt luna mutantur.]

Deus stabilis in operibus suis diligit eos, qui in virtute sunt stabiles.

Vers. 18. *Abyssum, & cor hominum inuestigabit.* Æquè notum habet Deus abyssum, & cor hominis, licet vtrumque profundissimum sit, & inscrutabile existimetur. *Et in astutia eorum excogitauit,* astutias cordis humani assequitur, intelligit, considerat. * Preme verbum *excogitauit.* An necessum sit Deo qui simplici intuitu omnia noscit, excogitare, aut meditari diutius, vt cordis humani astutias agnoscat? Profectò tot tantæque sunt humanæ malitiæ astutiæ, vt quodammodo Deus vt eas calleat, debeat excogitare, & meditari.

Tanta est hominum astutia, vt ad ea callẽdam quodammodo necessum sit, Deum diu meditari.

Vers. 19. *Cognouit enim Dominus omnem scientiam, & inspexit in signum æui,* seu intelligit astra quæ *Gen.* 1. 14. dicuntur posita *in signa, & tempora, & dies, & annos:* & naturales astrorum effectus, & in hæc inferiora influxus: *annuncians* quidem *quæ præterierunt, & quæ superuentura sunt; reuelans vestigia occultorum,* annuncians scilicet præterita & futura, quia omnia illi æquè nota sunt, præterita scilicet, præsentia, ac futura, imò occulta, quorum vestigia obscura persequuntur mortales, sed Deo clarissimè patescunt.

Vers. 20. *Non præterit illum omnis cogitatus,* seu cogitatio: & non abscondit se ab eo vllus sermo, id est res, aut verba hominum non possunt à Dei cognitione occultari.

Vers. 21. 22. *Magnalia Sapientiæ suæ decorauit:* magnifica opera à Sapientia sua edita, eadem Sapientia ornauit, & perfecit, ille, *qui est ante sæculum, & vsque ad sæculum,* siuè qui est æternus. *Neque adiectum est, neque minuitur: & non eget alicuius consilio,* neque ei aliquid venit de nouo, nec mutatur; sed semper idem perseuerat; nec alicuius consilio eget ad opera perficienda.

Vers. 23. *Quàm desiderabilia omnia opera eius;* Quàm pulchra, quàm perfecta sunt cuncta Dei opera, & consequenter quàm desiderabilia! quod enim pulchrum est, desiderabile existit. *Et tanquam scintilla, quæ est considerare.* Græcè, *& vsque ad Scintillam est contemplari.* Scintillæ enim quamuis paruæ consideratione, contemplatione, & admiratione sunt dignæ. * Certè vel musca, vel formica, vel apis opuscula Dei sunt exigua, sed tamen vti admirabilis scintillæ diuinæ potentiæ, ac Sapientiæ fulgurant aspicienti & contemplanti.]

Dei opuscula, scilicet formica, apis &c. scintillæ admirabiles diuinæ potẽtiæ sunt.

Vers. 24. *Omnia hæc viuunt, & manent in sæ-*

tulum. Omnia Dei opera vel in se, vel in sua specie perdurant: *& in omni necessitate omnia obaudiunt ei*, seu ad omnes vsus eius subsunt dispositioni.

Vers. 25. *Omnia duplicia vnum contra vnum.* Omnia bina, vel gemina, quorum tamen vnum alteri est contrarium, vel aduersum. Sic calori oppositum est frigus, humiditati siccitas. *Et non fecit quidquam deesse* à suo pari, vel contrariò: seu non fecit, quidquam habere defectum sui paris, vel antitheti, vt ideo altero quasi pede claudicaret, & deficeret: sed vnicuique suum par apposuit, vel opposuit.

Vers. 26. *Vniuscuiusque confirmauit bona per* oppositum suum. Sic materia per formam perficitur, potentia per actum: sic album ex nigro pulchrius apparet, iuuentus consilio senum regitur, senes iuuenum iuuantur auxilio. Græcum lege. *Vnum vnius*, seu alterum alterius *stabiliuit bona.* Pergit Sapiens, *Et quis satiabitur videns gloriam eius.* Tanta est Dei operum pulchritudo, tantaque in eis diuinæ maiestatis documenta, vt quamuis continuo intuitu videantur, oculi non possint satiari. Vulgariter exponam. *Nunca nos hartamos de mirar la gloria y grandeza de Dios que se descubre en sus obras.*

Non satiamur vnquam Dei opera videntes, seu fastidio non sunt semper aspicientibus.

CAPVT XLIII.

Sapiens diuinam magnificentiam ex ornatu cœlorum, Solis, Lunæ, stellarum, iridis, &c. exque niuibus, grandine, nubibus, fulgure, tonitru, ventis, pruina, glacie, mari, insulis, belluis marinis, &c. commendat.

1. 
LTITVDINIS firmamentum pulchritudo eius est, species
cæli in visione gloriæ. 2. Sol in aspectu annuntians in exi-
tu, vas admirabile opus excelsi. 3. In meridiano exurit ter-
ram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? For-
nacem custodiens in operibus ardoris: 4. tripliciter sol exu-
rens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radiis suis
obcæcat oculos. 5. Magnus Dominus qui fecit illum, & in
sermonibus eius festinauit iter. 6. Et luna in omnibus in tempore suo, osten-
sio temporis, & signum æui. 7. A luna signum diei festi, luminare quod mi-
nuitur in consummatione. 8. Mensis secundùm nomen eius est, crescens mi-
rabiliter in consummatione. 9. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli
resplendens gloriosè. 10. Species cæli gloria stellarum, mundum illuminans
in excelsis Dominus. 11. In verbis sancti stabunt ad iudicium, & non deficient
in vigiliis suis. 12. Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum; valdè speciosus
est in splendore suo. 13. Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi
aperuerunt illum. 14. Imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscatio-
nes emittere iudicij sui. 15. Propterea aperti sunt thesauri, & euolauerunt ne-
bulæ sicut aues. 16. In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides
grandinis. 17. In conspectu eius commouebuntur montes, & in voluntate eius
aspirabit Notus. 18. Vox tonitrui eius verberabit terram, tempestas aquilonis,
& congregatio spiritus: 19. & sicut auis deponens ad sedendum, aspergit niuem,
& sicut locusta demergens descensus eius. 20. Pulchritudinem candoris eius ad-
mirabitur oculus, & super imbrem eius expauescet cor. 21. Gelu sicut salem effun-
det super terram: & dum gelauerit, fiet tanquam cacumina tribuli. 22. Frigidus
ventus aquilo flauit; & gelauit crystallus ab aqua, super omnem congregationem
aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis. 23. Et deuorabit montes: &
exuret desertum, & exstinguet viride, sicut igne. 24. Medicina omnium in festina-
tione nebulæ: & ros obuians ab ardore venienti humilem efficiet eum. 25. In ser-
mone eius siluit ventus, & cogitatione sua placauit abyssum, & plantauit in illa Do-
minus insulas. 26. Qui nauigant mare, enarrent pericula eius: & audientes auribus
nostris admirabuntur. 27. Illic præclara opera, & mirabilia; varia bestiarum gene-
ra; & omnium pecorum, & creatura belluarum. 28. Propter ipsum confirmatus est
itineris finis, & in sermone eius composita sunt omnia. 29. Multa dicemus, & de-
ficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus. 30. Glorian-
tes ad quid valebimus? Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. 31. Terribilis
Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. 32. Glorificantes Do-

minum

minum quantumcumque potueritis, superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. 33. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis, maior enim est omni laude. 34. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis. 35. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio? 36. Multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius. 37. Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit Sapientiam.

COMMENTARII.

1. *Diuina Sapientia ex ornatu coeli, Sole, Luna, stellis, laudatur.*

VERS. 1. *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius est*, altissimum firmamentum pulcherrimum est Dei opus, in quo pulchritudo Artificis, nempè Sapientia ac potentia mirificè elucet: *& species cœli in visione gloriæ*, & forma cœlest id, in quo videre licet gloriam, & magnificentiam Conditoris.

Vers. 2. Sol in aspectu annuncians in exitu, vas admirabile opus Excelsi. Sol cum primum aspicitur in ortu suo causans nobis diem, est instrumentorum admirabile, organum, machina, dignissimum quidem manuum excelsi Numinis opus.

Vers. 3. In meridiano exurit terram, &c. Qui matutino tempore tàm mitis spargebat lucem, vt videretur solummodò diem annunciare; meridiano tam acriter terram incendit, vt vix ardorem quis valeat tolerare. Et quemadmodùm aurifaber suum fornacem succendit ad vasa, quæ igne assolent conflari perficienda: sic Sol terram suis radiis succendit.

Vers. 4. Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos. Profectò licet Sol terram planam exurat, seu radiorum calore succendat: triplò plus montes viciniores sibi succendit igneos radios eiaculans, & aspectantium oculos suo fulgore visusaciem offundit.

Vers. 5. Magnus Dominus, qui fecit illum, &c. Dei magnitudinem Sol sua pulchritudine & efficacia manifestat: sed sua ad obediendum promptitudine dum Dei iussu suum iter cursu celerrimo conficit magis imperantis magnitudinem manifestat. Tanti enim subditi tanta ad obediendum promptitudo ostendit magnum admodum esse imperantem. * Si iusti à Domino soli comparantur. *Fulgebunt iusti sicut Sol*, à Sole materiali edisçant Deo promptè obedire: & pudeat eos si aliquando sicut pigri ad formicam, ipsi desides in obtemperando, velocissimum mittantur ad Solem.]

Subditi instar Solis debent magna promptitudine Dei exequi imperia.

Vers. 6. Et luna in omnibus in tempore suo ostensio temporis. Luna in omnibus mutationibus, quas patitur, tempora ostendit, nam per illam menses fiunt, inducit, & causat temporum, & tempestatum varietatem. *Et est signum æui.* Græcè, *seculi.* Apud Hebræos enim menses, & anni erant lunares.

Vers. 7. A luna signum diei festi desumitur, nempè Paschæ, Pentecostes, Neomeniarum, &c. *Luminare, quod minuitur in consummatione*, id est, consummata, & perfectè plena fuerit, iterùm paulatim imminuetur. * Verè humilitatis typum luna hoc ex capite agit. Sicut enim necessarium est lunæ à puncto plenitudinis in imminutionem deflectere: ita verè humilis cum ad verticem attollitur quasi necessario impetu ad demissionem tendit, nec sistit donec omninò sine fulgore lateat.]

Verè humilis in cõsummatione instar lunæ minuitur.

Vers. 8. Mensis secundum nomen eius est, crescens mirabiliter in consummatione. Mensis sortitur nomen suum à luna. Nam & in genere nomen Hebraicum ירח *iareach* & *lunam*, & *mensem*, significat: & Græcum μὴν seu *mensis* à luna deriuatur. Et in specie menses omnes Hebræorum à luna durationem omnem, & differentiam, & nomen sortiebantur. Crescit inquam, miro spectaculo luna, donec orbem perficiat, & mensem.

Vers. 9. Vas castrorum in excelsis, seu præclarum Dei instrumentum inter astra, quæ scripturæ phrasi militia, & castra cœli vocantur, ob singularem ad Ducem Solem subordinationem, & obedientiam. Vndè nostra Religio *Societas Iesu appellatur*, quia militat sub Sole iustitiæ Iesu, cui specialissimam vouet obedientiam.] *In firmamento cœli resplendens gloriosè*, seu mira pulchritudine stellarum Regina ostentatur.

Societas Iesu ob singularem obedientiam Militia vocatur.

Vers. 10. Species cœli gloria stellarum, stellarum fulgor in nocte est cœli pulchritudo: *mundum illuminans in excelsis Dominus*, quibus Deus è cœlorum vertice, recedente sole, terram illuminat.

Vers. 11. In verbis sancti stabunt ad iudicium, iubente Deo, sistent se ad iussa eius iustissima capessenda, vt obedientes decet milites: *& non deficient in vigiliis suis*, & non defatigantur, dùm suas de more militum excubias obseruant. * Vt subditos doceant, tunc quiete potiri cum promptè iniuncta sibi à Præsule munia exequuntur.]

Quies subditi est, iniunctum sibi à Præsule munus promptè implere.

Vers. 12. Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. Aspice Iridem tot coloribus è reflexione solis in nubibus efformatum, & tam peritum pulcherrimæ imaginis pictorem laudibus effer. *Valdè enim speciosus est in splendore suo.*

2. *Diuina Sapientia commendatur ex Iride, nube, tonitru, grandine, glacie.*

Vers. 13. Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ, seu in semicirculo, quem ostentat. *Manus Excelsi aperierunt illum.* Græcè, *expanderunt*, extenderunt.

Vers. 14. Imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscationes emittere iudicij sui. Deus niues emittit, quæ celeriter & promptè eius iussa exequuntur: & eadem celeritate efficis coruscationes peruolare, quas suo tempore, & Sapientis iudicio excitat.

Vers. 15. Propterea aperti sunt thesauri niuis, pluuiarum. Non quod sint apothecæ, in quibus niues claudantur, & nubes, & suo tempore inde promantur. Sed loquitur Sapiens iuxta vulgatium hominum opinionem, qui

 cuiusmodi

eiusmodi meteora, cum fiunt, aliunde prodire existimant. Eadem metaphora vtitur scriptura. Iob 38. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, & thesauros grandinis aspexisti, quos præparaui in tempus hostis?* Addit Siracides. *Et euolauerunt nebulæ sicut aues.* Græcè, *nubes*, instar volucrum è terræ vaporibus efformatæ auolant supra montes.

Vers. 16. *In magnitudine sua posuit nubes*, magna sua potentia nubes excitat, eas stipat, densat, firmat, Græcè, *roborat.* *Et confracti sunt lapides grandinis.* Loquitur iuxta vulgi opinionem putantis, grandinem esse frustula ex conglaciata nube decisa.

Vers. 17. 18. *In conspectu eius commouebuntur montes: & in voluntate eius aspirabit Notus.* De conspectu qui *respicit terram, & facit eam tremere.* Psal. 103. montes tremore concutientur, & flabit Auster. *Vox tonitrui eius verberabit terram*, strepitus tonitrui aues & corda mortalium horribili fulminum fragore percellet: *tempestas Aquilonis, & congregatio spiritus*, Boreas procellam ciet, & exiguo spatio tantam vim exeret, vt omnes ventus congregatos esse ad irruendum videatur.

Vers. 19. *Et sicut auis deponens ad sedendum, aspergit niuem, &c.* Nix cum de cœlo in terram cadit, similis est auibus turmatim magno numero volantibus, quæ demittunt se ad quiescendum in campo: aut exercitui locustarum, quæ tam immani numero sparguntur in terram, vt illam obruant, & quasi demergant.

Vers. 20. *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus, &c.* seu mirabuntur hominea in copioso niuium delapsu, & in modo specioso plane cadendi: vel expauescent, cum tabescens nix repentè soluitur, aliquando cataclysmum, seu eluuionem efformans.

Vers. 21. *Gelu sicut salem effundet*, nix enim conglaciata salis refert aspectum. Vel sermo est de pruina, vti Græcus innuere videtur: est autem pruina sali persimilis: *& dum gelauerit, fiet tanquam cacumina tribuli.* Græcè, *sudium.* Id est, Nix, quæ in summitate sudium conglatiatur apicem, & quasi cuspidem illis efficit.

Vers. 22. *Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua*, glacies flatu Aquilonis concreuit: *super omnem congregationem aquarum requiescet*, seu glacies omnes lacus, & aquarum conceptacula occupat, & aquis crustam inducit. *Et sicut lorica induet se aquis*, aquas vestiet (Enallage est) quasi lorica.

Vers. 23. *Et deuorabit montes*, montes depascetur, quia omnia gramina, viroremque corrumpit, & quodammodo deuorat: *& exuret desertum, & extinguet viride sicut igne*, deserta arefaciet, & virorem eorum exuret, terraque nuda apparebit, quasi post flammam vorantem herbas tellus ostenditur.

Vers. 24. *Medicina omnium in festinatione nebula.* Remedium omnium incommodorum, quæ affert gelu, & glacies est nebula, nubes scilicet & ros, id est, pluuia flante Austro excitata, tunc enim aër tepet, nix tabescit, ac soluitur: *& ros obuians ab ardore venienti humilem efficiet eum*, ros seu pluuia à calido vento Austro proueniens minuet niuem, aut glaciem, quam crystallum vocitarat.

Vers. 25. *In sermone eius siluit ventus.* Dei iussu ventus quieuit, & cogitatione sua placauit abyssum, *voluntate sua* (Græcus sic) sedauit mare fluctibus æstuans: *& plantauit in illa Dominus Insulas*, quæ quidem circumdatæ pelago eius fluctibus non obruuntur, quia Deus manu gestat maris habenas.

Vers. 26. *Qui nauigant mare, enarrent pericula* 3.
eius. Tot enim, ac tanta sunt, vt solùm experti possint ea dignè referre: *& audientes auribus nostris admirabimur*, quod aliquis sit, cui lubeat tot mala subire. Te pelagi committere diritati, ad maiorem Dei gloriam, vt spirituales getas Indorum profectus, commendabilis admodum est nauigatio. At tot maris pericula inire, vt aurum & argentum acquiras, intolerabilis auaritia est.]

Diuina Sapientia mirabilis apparet in mari, & piscibus.

Maris pericula subire ob Dei gloriam commendabile, ob acquisitionem opū taxabile admodum est.

Vers. 27. *Illic præclara opera, & mirabilia*, adsunt à creatore edita. *Varia* enim *bestiarum genera* ibi in habitant, *& omnium pecorum, & creatura belluarum*, pisces bestias & belluas appellat, nec non *pecora.* Nam & Horatius *lib.* 1. Ode 2. cecinit.

Omne cum Proteus pecus egit altos visere montes.

Creaturam verò belluarum vocat immanea belluas ex genere cetorum, quæ in æquore natant.

Vers. 28. *Propter ipsum* (Græcè, *per ipsum Deum*) *confirmatus est itineris finis*, seu finis creaturarum, ad quem scilicet singulæ suo quasi itinere continuò tendunt: quia hic eis a Deo confirmatus est, seu firmiter stabilitus. * Vt pudeat homines ad finem seruiendi Deo creatos toties ab itinere hoc recto deuiare, dum creaturæ omnes rationis expertes in suo singulæ fine confirmatæ, seu stabiles obiiciantur.] *Et in sermone eius*, seu in Dei voluntate *composita sunt omnia*, seu disposita, & ordinata.

Pudeat hominem à suo fine deficere, dum reliquæ creaturæ in suo fine stabiles persistant.

Vers. 29. *Multa dicemus, & deficiemus in ver-* 4.
bis. Quamuis multa dicamus, sermonem tamen nostrum vincet argumenti magnitudo. * Nec enim valet eloquentia creata tanti conditoris dignè celebrare Sapientiam in creaturarum opificio.] *Consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.* Cum non possimus sermonibus æquare omnia, quæ de Deo dici oporteret, summa verborum, & sermonum sit, quod Deus est in omnibus omnium effectrix causa, & conseruatrix, & ad quem tanquam finem referuntur. Maior enim laudatio, egregium encomium creaturarum est. Deus fuit conditor, Hispanè dixerim, *Dios las hizo*]

Non potest Deus à nobis dignè laudari.

Haud potest eloquentia creata dignè Conditoris Sapientiam celebrare, in creaturarum opificio.

Vberi⁹ creaturarū elogiū est hoc: Deo sunt opera.

Vers. 30. *Glorificantes ad quid valebimus?* Si eum glorificare intendamus, quantulam partem eius laudum poterimus exequi? *Ipse enim omnipotens super omnia opera sua.* Opera cuncta Dei à dextra in infinitum minora sunt ipso Deo, qui potens est alia & alia excellentiora excitare.

Vers. 31. 32. *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, &c.* Tanta est Dei magnitudo, potentia, Sapientia, vt postquam eum pro viribus commendaueritis, maiori admodum laude, & gloria dignus erit. * Decet enim infinitum infinita laudatio.] *Et admirabilis magnificentia eius*, maiestatem & potentiam eius admirari dignè non poteris: quid laudare?

Decet enim infinitum infinita laudatio.

Vers. 33. 34. *Benedicentes Dominum, ex altate illum,*

illum, &c. Quia Deus maior est omni laude, debent homines. non exili commendatione eum afficere, sed pro viribus collaudare. * Et ad impossibiles laudes si non linguam, si non mentem, saltem cordis affectum vertere.] *Exaltantes eum replemini virtute*, colligite vires vestras, & in laudando Deum strenui estote: *non enim comprehendetis*, seu hoc assequi non poteritis, vt quantum est laudabilis ostendatis.

Ad Dei laudes æquandas dum lingua ac mens non possit, vber tendat cordis affectus.

Vers. 35. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio, siue ab æterno? Cum Diuinitas sit à sensibus nostris remota seu supra sensus, nullus homo eum poterit, vti est ab æterno, verbis commendare.

Vers. 36. 37. Multa absondita sunt maiora his; pauca enim vidimus operum eius. Pauca scimus plurima & maxima ex Dei operibus nos latent, *Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit Sapientiam.* Quæ homines de Deo cognoscunt, pauca sunt: piis tamen præ aliis vberior diuinarum rerum cognitio à Domino fuit concessa. * Iustis enim in meditatione multa Dei arcana sæpè reserantur, ex quibus magis eius potentiæ, bonitatis, misericordiæ, iustitiæ præstantiam agnoscunt; sed neque ea poterunt verbis exprimere.]

Qui cõtemplationi vacant, amplius Dei magnalia dignoscunt.

CAPVT XLIV.

Laudat Sapiens in genere Patriarchas, Prophetas, pios Reges. In particulari Henochum, Noëmum, Abrahamum, Isaacum, & Iacobum commendat.

1. LAVDEMVS viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. 2. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo. 3. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua præditi, nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum: 4. & imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba. 5. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum. 6. Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. 7. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. 8. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: 9. & sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: & nati sunt, quasi non nati, & filij ipsorum cum ipsis. 10. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: 11. cum semine eorum permanent bona, 12. hereditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum: 13. & filij eorum propter illos vsque in æternum manent: semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. 14. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generationem & generationem. 15. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia. 16. Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. 17. Noë inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. 18. Ideò dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluuium. 19. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluuio omnis caro. 20. Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria: qui conseruauit legem excelsi, & fuit in testamento cum illo. 21. In carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis. 22. Ideò iureiurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum, 23. & vt stellas exaltare semen eius, & hereditare illos à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ. 24. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem eius. 25. Benedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus, & testamentum confirmauit super caput Iacob. 26. Agnouit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hereditatem, & diuisit illi partem in tribubus duodecim. 27. Et conseruauit illi homines misericordiæ, inuenientes gratiam in oculis omnis carnis.

COMMEN

COMMENTARII.

1\. *Laudat Sapiens in genere Patriarchas, Prophetas, pios Reges.*


ERS.1. *Laudemus viros gloriosos, &c.* Laudibus efferamus viros inclitos, quorum fama celebris est, maiores, inquam nostros, qui in ætate illa, qua vixerunt, illustres extitére.

Vers.2. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo, gloriam multam Dominus per inclytos hosce viros potentia sua à principio mundi sibi pepetit. * Nam qui speciali perfectioni student, mirificè Dei bonitatem ex qua perfectio illa deriuatur, ostentant.]

Qui perfectioni studẽt, Dei bonitatem ostentant.

Vers.3. Dominantes in potestatibus suis, &c. Hi quidem viri, quos laudandos assumo, dominari olim fuerunt in Regnis suis, virtute egregia, ac prudentia donati: *Nunciantes in Prophetis dignitatem Prophetarum*, Græcè, *annunciantes in prophetiis.* Maiores hi nostri nunciabant, seu re ipsa ostendebant, & exhibebant dignitatem prophetiæ, dum eam à Deo excipiebant, conscribebant in libris, ex quibus illa populo legeretur, & contenta in ea nunciarentur arcana.

Vers.4. Et imperantes in præsenti populo nostro Israëlitico: *& virtute prudentia* præditi populo *sanctissima verba*, seu salutaria præcepta tradiderunt.

Vers.5. In patientia sua requirentes modos musicos. Aliqui ex nostris maioribus non solum populum rexére, eumque legem Dei docuerunt: sed sua peritia ac solertia inuenerunt modulos musicos, quibus Deum laudarent. Talis præcipuè fuit Rex Dauid, qui Psalmos condidit, & tradidit musicis concinendos. * Commendans eos, qui spiritualia carmina condunt in Dei diuorumque laudem.] *Et narrantes carmina Scripturarum.* Græcè, *explicantes carmina in Scripturis.* seu interpretantes versus Sacræ Scripturæ, quorum sensus non facilè intelligitur. * Ministerium plane dignum commendatione sacrarum Scripturarum interpretem agere.]

Commendantur qui spiritualia carmina cõdunt.

Ministerium commendatione dignũ Scripturas interpretari.

Vers.6. Homines diuites in virtute. Porrò viri plures ex his præstantissima fortitudine præditi fuerunt: *pulchritudinis studium habentes*, fuerè quidem studiosi pulchritudinis, seu decoris, & ornatus in rebus sacris. Sic de se Dauid: *Dilexi decorem Domus tuæ. Psal.*25.8. Hinc licebit specialissimum nostræ Societatis studium circa altarium ornatum, circa sacrorum vestimentorum pulchram munditiem commendatione efferre.] Vocantur autem clausulæ sacræ Scripturæ *Carmina.* quia carminum stilus obscurioribus phrasibus solet constare.

Speciale Societatis Iesu studium circa Templorum ornatum.

Vers.7. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, seu tempore, quo vixerunt, magni ab omnibus æstimabantur ob Sapientiam, ob sanctitatem, ob egregia facinora: *& in diebus suis habentur in laudibus*, ob quæ merita tunc summam assecuti sunt commendationem. * Laudari autem à suis conciuibus, magni meriti est documentum. Non enim facile quis à suis egregius esse reputatur.]

Laudari à ciuibus, magni meriti est documentum.

Vers.8. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Filij eorum tam probè vixerunt, vt darent materiam laudandi parentes. Filiorum enim virtus assolet tribui bonæ parentum educationi & exemplo à cordatis.]

Virtus filij est parentum laus.

Vers.9. Et sunt, quorum non est memoria, &c. Fateor tamen nonnullos fuisse illis temporibus filios, quorum memoria periit quasi ipsi non fuerint nati: eo quod sanctis parentibus similes non extiterint, sed delictis defœdarentur. Ex his verò non celebratur parentum gloria, verum nec imminuitur, quia proprio vitio egregios parentes non sunt imitati.

Non tamen peccatum filij est semper parentum vituperium.

Vers. 10. 11. 12. 13. Sed illi viri misericordiæ sunt. Porrò viri egregij illi, quos laudo, in alios fuere misericordes, ideoque à Domino misericordiam sunt consecuti, *quorum pietates non defuerunt*, quorum misericordiæ opera in omnium memoria persistit. *Cum semine eorum permanent bona.* In eorum filiis, nepotibus, posteris eorum sanctitas elucet, quam illi imitantur: *Hereditas sancta nepotes eorum*, hanc posteris hereditatem reliquerunt, vt essent sancti, fideles, ac virtutis cultores. * Parentes magis debent esse soliciti de relinquenda filiis spirituali, quam temporali hereditate: temporalis quidem perit hereditas, spiritualis, seu virtutis durat æternùm.] *Et in testamentis stetit semen eorum*, filij eorum seruauerunt fœdus cum Deo pactum, vt ei fideliter seruirent. *Et filij eorum propter illos vsque in æternum manent*, & filij eorum non tam carnales, quàm spirituales, seu fideles ob parentum sanctitatem, & hîc, & in superis perpetuò celebrabuntur: *semen eorum, & gloriam eorum non derelinquetur.* Semper & filiorum & eorum virtutis memoria & laus persistet in cunctis.

Parentes magis debẽt esse soliciti de spirituali quàm de tẽporali hæreditate filiis relinquenda.

Vers. 14. 15. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, eorum cadauera cum patribus in pace requiescunt; *& nomen eorum viuit in generationem & generationem*, mors & sepulchrum potuit ossa condere, famam non potuit, viuit enim, dum vixerint homines: & post sæculi consummationem eorum celebritas & gloria æternùm persistet. *Sapientiam ipsorum narrent populi.* celebretur in populis eorum Sapientia: & laudem eorum nunciet Ecclesia cœtus scilicet, seu Synagoga fidelium.

Vers. 16. Henoch placuit Deo. Si vultis au- 2.
tem nonnullos ex patribus, quos generatim laudaui, in specie commendem: ob oculos obiicite sanctum Henochum, qui in diebus suis placuit Deo (seu *cum Deo ambulauit Gen.* 5. 22.) *& translatus est in paradisum*, terrestrem, *vt det gentibus pœnitentiam*, seu vt pœnitentiam prædicet cunctis gentibus, sub finem mundi vna cum Elia etiam nunc paradisi accola in mundum remigrabit tam longam vitam martyrij lauto coronaturus.

Commẽdat in specie Henoch, Noë, Abrahã, Isaac, & Iacob.

Vers. 17. Noë inuentus est perfectus, iustus: & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Græcè, *factus est redemptionis pretium.* Fuit Noë sanctitas pretium, quo ipse à Deo redemit tum familiam suam, ne communi diluuio mergeretur: tum consequenter spem & propagationem generis humani. Si verò Vulgatæ sensum libeat exprimere, Noë factus fuit reconciliatio, dum hominum genus iratum Deum placando, ipsi reconciliauit. * Tam potens est apud Deum vnius perfecti viri obiectio, vt potuerit impetrare omnium creaturarum regenerationem.]

Potentissima est apud Deũ vel vnius perfecti viri intercessio.

Vers.

Vers. 18. Ideò dimissum est reliquum terra, cum factum est diluuium. Ideò seu ob Noë sanctitatem dimissæ sunt mundo aliquæ hominum, & animantium, & volucrum reliquiæ, è quibus rursum velut efformaretur, tempore quo tota reliqua deperiit generatio.

Vers. 19. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, pacta æterna, & in omne sæculum duratura cum ipso sunt contracta: *ne deleri possit diluuio omnis caro*, seu ne rursum Deus omnem carnem aquarum eluuione deleret.

Vers. 20. Abraham magnus pater multitudinis gentium, hoc enim nomen eius significat, & verè innumerabilium gentium, quæ ex filiis ac nepotibus eius prodiére pater magnus extitit. *Et non est inuentus similis illi in gloria*, tùm ob eximiam eius fidem, & sanctitatem, qua dictus est credentium pater: tum quia Deus cum eo & posteris eius singulare pactum iniit, & promisit, Messiam ex eius genere nasciturum; & nouam circumcisionis ei præscripsit ceremoniam. *Qui conseruauit legem excelsi*, naturalem videlicet: *& fuit in testamento cum illo.* Dignatus enim fuit Deus cum Abraham veluti cum amico, & socio pacisci, & inire fœdus, de Messia, &c.

Vers. 21. In carne eius stare fecit testamentum. In eius carne huius pacti notam constituit, hoc est, circumcisionem, qua illum, omnesque eius posteros consignatos esse disposuit. *Et in tentatione inuentus est fidelis*, cum scilicet Deus illius tentauit obedientiam, imperans, vt ei filium litaret. Inuentus autem est fidelis, quia executioni iussa mandauit gladium stringens, & procul dubio filium interimeret, nisi ab ipso Domino impediretur. Firmiter item credidit, Deum resuscitaturum Isaac vt promissam ex eo posteritatem susciperet. * Nullum enim ex obedientia potest subdito fideli incommodum obuenire, nullum lucrum deperdi.]

Ex obedientia nullum potest prouenire incommodum, nullum lucrum amitti.

Vers. 22. Ideò iureiurando (Respicit illud Geneseos 22. 16. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus.*) *dedit illi gloriam in gente sua*, vt scilicet ex semine eius Christus Dominus nasceretur, & posteri eius in maximam crescerent multitudinem, filij inquam naturales, & magis spirituales, qui sũt fideles. Dedit ergo Deus, *crescere illum quasi terræ cumulum*, magnum arenæ.

Vers. 23. Et vt stellas exaltare semen eius, seu extollere eximij gloria fulgoris ex filiorum opibus, Regnorum victoriis, Templi religione inclyti, Prophetarum oraculis. Parum esset Abrahami filios arenæ ex numero comparari, si ex virtutibus stellarum fulgorem non referrent. * Patens non est commendandus ex filiorum multitudine, sed ex eorundem fidelitate, ac probitate.] *Et hereditare illos à mari vsque ad mare*, à Mediterraneo scilicet, quod est ad Terræ sanctæ occidentem, vsque ad mare Mortuum, quod ad orientem illi adest: *& à flumine vsque ad terminos terræ*, id est, à Rhinocorura fluuio qui terminus est Terræ sanctæ Austrum versus vsque ad terminos terræ Palestinæ, vel peculiariter vsque ad terminum Borealem Libani montis.

Parens non commendandus ex filiorum multitudine, sed ex eorundem probitate.

Vers. 24. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem eius, cum eo instaurans promissiones Abrahæ patri eius factas.

Vers. 25. Benedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus. Deus fecit, vt ex Isaac, non ex Ismaël nasceretur Christus Dominus Abrahæ, ac semini eius promissus, in quo benedicendæ, id est, iustificandæ, ac saluandæ erant omnes Gentes. *Et testamentum confirmauit super caput Iacob*, pactum & promissionem suam constituit in Iacob, non in Esau fratre eius. Sic Hispanè dicimus beneficium aliquod, aut ius primogenituræ in alicuius capite constitui: *Encaneza de fulano.*

Vers. 26. Agnouit eum in benedictionibus suis, elegit eum, fauens & benedicens. * Agnitio enim Dei non est otiosa, sed efficax amorem scilicet, fauorem, bonorumque cumulum secum ferens.] *Et dedit illi hereditatem* in posteris suis: *& diuisit illi partem in Tribubus duodecim*, hereditatem, quam illi dedit, in duodecim Tribus diuisit.

Agnitio Dei non est otiosa, sed plurima bona cognito, vel electo afferens.

Vers. 27. Et conseruauit illi homines misericordiæ inuenientes gratiam in oculis omnis carnis. Hoc Dominus Iacobo tribuit, vt semper essent aliqui pij, & fideles in Populo Israëlitico, licet passim vulgus Principesque peccarent per idololatriam aliaque scelera. Vndè grati non solùm Deo, sed hominibus etiam existerent.

CAPVT XLV.

Commendat Siracides Moysem, Aaronem, ac Phineem.

1. DILECTVS Deo & hominibus Moyses: cuius memoria in be-
nedictione est. 2. Similem illum fecit in gloria sanctorum,
& magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis
monstra placauit. 3. Glorificauit illum in conspectu regum,
& iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam.
4. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum
ex omni carne. 5. Audiuit enim eum, & vocem ipsius, &
induxit illum in nubem. 6. Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & discipli-
næ, docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israël. 7. Excelsum fecit Aa-
ron fratrem eius, & similem sibi de Tribu Leui: 8. statuit ei testamentum æter-
num, & dedit illi sacerdotium gentis: & beatificauit illum in gloria, 9. & cir-

cumcinxit eum zona gloriæ, & Induit eum ſtolam gloriæ, & coronauit eum in vaſis
virtutis. 10. Circumpedes, & femoralia, & humerale poſuit ei, & cinxit illum tin-
tinnabulis aureis plurimis in gyro, 11. dare ſonitum in inceſſu ſuo, auditum fa-
cere ſonitum in templo in memoriam filiis gentis ſuæ. 12. Stolam ſanctam, auro,
& hyacintho, & purpura, opus textile, viri Sapientis, iudicio & veritate præditis
13. torto cocco opus artificis, gemmis pretioſis figuratis in ligatura auri, & opere
lapidarij ſculptis, in memoriam ſecundùm numerum Tribuum Iſraël. 14. Corona
aurea ſuper mitram eius expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris: opus virtutis,
& deſideria oculorum ornata. 15. Sic pulchra ante ipſum non fuerunt talia vſ-
que ad originem. 16. Non eſt Indutus illa allenigena aliquis, ſed tantùm filij ip-
ſius ſoli, & nepotes eius per omne tempus. 17. Sacrificia ipſius conſumpta ſunt
igne quotidie. 18. Compleuit Moyſes manus eius; & vnxit illum oleo ſancto.
19. Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini eius ſicut dies cæli, fungi
ſacerdotio, & habere laudem, & glorificare populum ſuum in nomine eius. 20. Ip-
ſum elegit ab omni viuente, offerre ſacrificium Deo, incenſum, & bonum odorem,
in memoriam placare pro populo ſuo: 21. & dedit illi in præceptis ſuis poteſta-
tem, in teſtamentis iudiciorum, docere Iacob teſtimonia, & In lege ſua lucem dare
Iſraël. 22. Quia contra illum ſteterunt alieni, & propter inuidiam circumdede-
runt illum homines in deſerto, qui erant cum Dathan & Abiron, & congregatio
Core in iracundia. 23. Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & conſumpti
ſunt in impetu iracundiæ. 24. Fecit illis monſtra, & conſumpſit illos in flamma
ignis. 25. Et addidit Aaron gloriam, & dedit illi hereditatem, & primitias frugum
terræ diuiſit illi. 26. Panem ipſis in primis parauit in ſatietatem: nam & ſacrificia
Domini edent, quæ dedit illi & ſemini eius. 27. Cæterùm in terra gentes non he-
reditabit, & pars non eſt illi in gente: ipſe eſt enim pars eius, & hereditas. 28. Phi-
nees filius Eleazari tertius in gloria eſt, imitando eum in timore Domini: 29. &
ſtare in reuerentia gentis: in bonitate & alacritate animæ ſuæ placuit Deo pro Iſraël.
30. Ideò ſtatuit illi teſtamentum pacis, principem ſanctorum & gentis ſuæ, vt ſit
illi & ſemini eius ſacerdotij dignitas in æternum. 31. Et teſtamentum Dauid regi
filio Ieſſæ de Tribu Iuda hereditas ipſi & ſemini eius, vt daret Sapientiam in cor no-
ſtrum iudicare gentem ſuam in iuſtitia, ne abolerentur bona ipſorum, & gloriam
ipſorum in gentem eorum æternam fecit.

COMMENTARII.

1. *Moſes laudatur.*



ERS. 1. *Dilectus Deo, & hominibus Moyſes: cuius ideò memoria in benedictione eſt*, beata videlicet. * Cum enim quis à Deo & hominibus amatur, nulla poteſt patere rimula, per quam ingrata irrumpat obliuio.] *Æterna eſt memoria viri grati Deo, & hominibus.*

Verſ. 2. Similem illum fecit in gloria ſanctorum, fecit illum ſimilem ſanctis Patriarchis Abraham, Iſaac, Iacob, &c. & gloriam, ſeu excellentiam eorum gloriæ æquiparauit; *& magnificauit eum in timore inimicorum*, quia per Moſem tot prodigia in Ægypto, & in deſerto excitantem Deus Pharaoni, Ægyptiis, Amalecitis, Chananæis Hebræorum hoſtibus in gentem terrorem incuſſit: *& in verbis ſuis monſtra placauit*, verbo, ac iuſſu Moyſis monſtroſas & portentoſas plagas Deus ceſſare fecit.

Verſ. 3. Glorificauit illum in conſpectu Regum, Pharaone ſcilicet Rege Ægypti Agag Rege Amalec, Og Rege Baſan, & Seon Amorrhæorum Rege, quos Moſes Regnis pepulit, & occidit, ob quæ magnam gloriam fuit conſequutus. *Iuſſit illi coram populo ſuo*, ſeu illi ad ſuum populum mandata dedit: *& oſtendit illi gloriam ſuam*, cum ſe illi Deus ſpecie glorioſa oſtentauit in monte.

Verſ. 4. In fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, ſeu fecit Deus Moſem virtute fidelitatis, ac lenitatis excellere. Fidelitatem extulit Deus *Num.* 12. *Moyſes in omni domo mea fideliſſimus eſt.* Lenitas autem ipſius illis ibidem verbis commendatur: *Erat Moyſes vir mitiſſimus. Et* Ideò *elegit eum ex omni carne*, ſeu ex omnibus hominibus, vt populi Iſraëlitici Dux eſſet. * Fidelitas enim & lenitas duæ ſunt eximiæ Præſulis proprietates. Debet fidelitate in Deum nitere, vt in cunctis legis præſcripto ſe accommodet: lenitate autem, vt ſubditorum fragilitati morem gerat.] *Fidelitas & lenitas ſunt duæ egregiæ Præſulis proprietates.*

Verſ. 5. Audiuit enim eum, & vocem ipſius, familiares enim cum eo ſermones habuit, & os ad os locutus eſt. Pondera duplex verbum. *Audiuit eum, & vocem ipſius*, quaſi duplex eſſet oratio vna perſonæ, & alia vocis. Cum enim volumus, noſtram orationem eſſe efficacem, debent voces linguæ cum perſonæ operibus colligari.] *Oratio efficax de illa cum ſimul clamant lingua, & opera.* *Et induxit illum in nubem*, ſeu in caliginem tempore datæ legis in monte Sina.

Verſ. 6. Et dedit illi coram, ſeu Deus ipſe immediatè, *præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ*, ſiue præcepta & leges, ad morum compoſitionem: *docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael*, vt Iſraëliticum populum in lege inſtitueret, quam a Deo in monte acceperat.

Verſ. 7. Excelſum fecit Aaron fratrem eius, & ſibi de Tribu Leui. Ad magnam in populo illo digni 2. *Commendatur Aaron.*

dignitatem Sacerdotalem scilicet euexit Deus Aaronem fratrem Mosis de Tribu Leui ortum.

Vers.8.9. Statuit ei testamentũ æternum, pacto & promissione perpetua illi, & posteris Sacerdotium attribuit: *& dedit illi Sacerdotium gentis* Israëliticæ; *& beatificauit illum in gloria*, Sacerdotali ornatu eum gloriosum, & quasi beatum reddidit; *& circumcinxit eum zona gloriæ*, cingulo eleganti, ac pretioso: *& coronauit eum in vasis virtutis*, id est, vestimentis eximiis, quibus eius virtus, seu Pontificia potestas signabatur, ob quam omnes eum reuerebantur. Aliqui vertunt, *Instruxit eum apparatu opulento.* * Verba illa, *Beatificauit illum in gloria, & circumcinxit eum zona gloriæ* innuunt, eum, qui ad Sacerdotalem dignitatem est assumendus, debere præfulgere meritis dignis Sacerdotio: quemadmodum ad gloriam, æternamque beatitudinem necessarium est præcedere merita.] * Vt edoceantur Præsules tam accuratum examen præmittendum de moribus illius, qui initiandus est sacris, imo magis strictum, quàm de scientia.]

Ad gloriam Sacerdotij debent merita præcedere.

Accuratius examen debent agere Præsules circa mores initiandi, quàm circa scientiam.

Vers.10.11. *Circumpedes* seu poderem (vt est in Græco) vestem scilicet ad pedes vsque demissam, seu tunicam hyacinthinam, quæ Pontificis erat propria, *& femoralia, & humerale* ephod, seu superhumerale *posuit ei: & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro.* (Lege *Exo.28.4.* quæ diximus.) *dare sonitum in Templo in memoriam filijs gentis suæ,* seu vt populus hoc tintinnabulorum sonitu diuinæ maiestatis recordaretur, eamque in Pontificis ad Templum ingressu reuereri attenderet. * Idem te monet hodiè tintinnabulum, quod pulsatur in Missa, vt speciali deuotione consecrationi attendas.]

Tintinnabulum, quod pulsatur in Missa, specialem, ad consecrationem, attentionem indicit.

Vers.12.13. *Stolam sanctam auro, & hyacintho, & purpura, &c.* Addidit stolam sanctam, nempè Rationale, quæ erat nobilissima vestis Pontificis miro artificio elaborata, Ibi aderant verba illa *Vrim*, & *Tummin*, hoc est *Iudicium, & veritas.* Lege locum citatum. *In memoriam secundum numerum Tribuum Israël*, vt Deus videns Pontificem Rationali indutum, quasi memor redderetur filiorum Israël, quorum nomina gemmis illis videbat insculpta.

Vers. 14. *Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis.* Corona hæc erat lamina aurea, instar coronæ, cingens frontem Pontificis: aderatque super mitram seu tiaram ornata signo sancto, quia laminæ isti insculptum erat sanctum, ac gloriosum Dei nomen *Iboua*, *erat* Pontifici *gloria honoris*, seu ornamentum summè honorificum: *opus virtutis*, seu eximij artificij, *& desideria oculorum ornata*, sive intuentium oculos mirificè oblectans.

Vers. 15. 16. 17. *Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia vsque ad originem*, à mundi origine tam pulchra vestis non fuit elaborata. *Non est indutus illa alienigena aliquis*, seu vir, qui ex Aaronis filiis non esset; *sed tantùm filij ipsius soli, & nepotes eius per omne tempus. Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidiè*, quod intelligendum de iugi holocaustorum sacrificio, quod mane ac vespere offerebatur. *Num. 28. 3.*

Vers. 18. *Compleuit Moyses manus eius, & vnxit illum oleo sancto.* Moses consecrauit Aaronis manus implendo illas tùm oleo, quo eas consecrando perungebat, tùm muneribus, & victimis, quas ipse initiandus pro sua consecratione, Deo. offerebat. *Leu.8.* habes consecrationem Aaronis. * Profectò cum quis sancto inungitur oleo ad statum Sacerdotalem ineundum, simul debet manus muneribus plenas ostentare, hoc est summas Deo gratias exhibere, qui eum tam augusto donauit statu.]

Qui sacris initiatur, debet summas Deo gratias litare, qui eũ tam augusto donauit statu.

Vers 19. *Factum est illi in testamentum æternum*, siue perpetuum pactum, *& semini eius sicut dies cœli*, perpetuò & quamdiu dies cœli durarint: *fungi Sacerdotio, &c.* Ipse ac filij eius interminabili Sacerdotio potientur, habebuntque officium laudandi Deum per hymnos, Psalmos, & sacrificia, & benedicendi populum. Formam benedictionis habes *Num. 6. 24.* Itaque *glorificare populum* idem in Græco est, *ac populum benedicere.* Vt ad Sacerdotalem benedictionem in fine Missæ accipiendam quotidiè allitiaris, siquidem eum benedictione gloriæ accipis pignus, imò quodammodo gloria donaris.]

In Sacerdotali benedictione quodãmodo accipimus gloriæ possessionem.

Vers.20. 21. *Ipsum elegit ab omni viuente*, ab omnibus hominibus, *offerre*, seu vt offerret *sacrificium Deo, incensum, & bonum odorem, in memoriam*, siue vt memorem quasi faceret Deum populi sui, & eum fortè iratum placatum redderet. *Et dedit illi in præceptis suis potestatem*, non dispensandi in lege diuina, sed authoritatem ad illam docendam, & explicandam, *in testamentis*, scilicet, *iudiciorum.* Nam *si quid ambiguum* (Inquit Deus *Deut.17.8.*) *venies ad Sacerdotes Leuitici generis: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Pergit Siracides, *docere Iacob testimonia*, seu legem diuinam, *& in lege sua lucem dare Israel*, legem diuinam proponendo, eamque explicando.

Vers.22.23.24. *Quia contrà illum steterunt alieni*, seu quidam, ad quos Sacerdotium non pertinebat: *& propter inuidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan & Abiron, & congregatio Core in iracundia*, iracundia affecti, & inuidia tumentes, quòd Sacerdotium illis non contigisset: *Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & consumpti sunt impetu iracundiæ*, terræ scilicet hiatu absorpti. *(Num.16. 31.) Fecit illis monstra*, prodigia, miracula, *& consumpsit illos in flamma ignis.*

Vers.25. *Et addidit Aaron gloriam*, miraculo in virga edito, cum floruit: addicendo Leuitas eius ministerio: *& dedit illi hæreditatem & primitias frugum terræ diuisit illi*, suam hæreditatem, hoc est, suas victimas, primitias, & oblationes ei attribuendo.

Vers.26. 27. *Panem* seu alimenta *ipsis in primis parauit in satietatem, &c.* Tribus enim Leui non fuit vt aliæ Tribus, sortita partem terræ promissæ, nec possessiones agrorum habuit. *Et pars non est illi in gente; ipse est enim pars eius & hæreditas.* ipse Deus, qui eos sacrificiis, oblationibus, & aliis huiusmodi prouentibus alit, est eorum hæreditas. * Hinc subiaxatur Sacerdotum solicitudo in opibus acquirendis. Cum enim Deus sit Sacerdotum pars & hæreditas, si sæculares opes ambiant, indicant Deum exiguam sibi esse, ac inutilem hæreditatem.]

Taxabilis Clericorum solicitudo ad diuitias acquirendas.

Vers.28.29. *Phinees filio Eleazari tertius in gloria est*, fuit enim Phinees tertius summus 3.
Sacerdos, hic post Moysem & Aaronem tertius,

Phinees elogia *ferentur.*

commendandus obiicitur. *imitando eum in timore Domini*, ·ſeu quia imitatus eſt Aaronem auum ſuum in ſanctitate. Ex Græco, *Cum zelatus eſt in timore Domini*, ſe etiam Moſis ſe imitatorem geſſit. Vt enim Moſes idolo latras percuſſit: ità Phinees ſcortatorem interfecit ob Domini timorem, ſeu zelo honoris Dei in fornicatium excandeſcens. *Et ſtare in reuerentia gentis*, id eſt, ſtetit conſtans, manſitque fidelis Deo io pudore & ignominia gentis Iſraëliticæ, cum fornicaretur cum Madianitis, *Num.* 25. Tunc enim Phinees *in bonitate, & alacritate animæ ſuæ*, ſeu propter innocentiam, & promtum, ac generoſum zelum ſuum *placuit Deo pro Iſrael* conſeruando, ſiue vt eius intuitu toti Iſraëli Deus parceret. * Ob eximiam virtutis actionem vnius ſolet Deus contra totam iratus Communitatem, ei gratus ignoſcere.]

Ob eximium virtutis actū vnius ſolet Deus toti nequam Communitati ignoſcere.

Verſ. 30. Ideo ſtatuit illi teſtamentum pacis, ſeu fœdus cum illo iniit de proſperitate continua. *Principem ſanctorum, & gentis ſuæ*, nempe vt eſſet Princeps tum Sacerdotum, tum ſanctuarij, id eſt, vt ſummus Pontifex eſſet: tam ipſe, ac poſteri eius in omnibus rebus ſpiritualibus præſiderent, ſicut in politicis poſtea ſtatuit: *vt ſit illi, & ſemini eius Sacerdotij dignitas in æternum.*

Verſ. 31. Et teſtamentum Dauid Regi filio Ieſſe, de Tribu Iuda. Sicut enim Deus Dauidi Regnum perpetuum promiſit pacto inito: ſic Phinees Sacerdotium æternum promiſit duraturum: *hereditas ipſi, & ſemini eius*, ſeu hereditarium Sacerdotium ſucceſſione ad filios, ac nepotes tranſmittendum: vt etiam Regnum erat hereditarium. *Vt daret Sapientiam in cor noſtrum*, iudicare gentem ſuam in iuſtitia, vt Phinees, & Sacerdotes Sapientiam docerent Iſraëlitas: Dauid verò & poſteri Reges iuſtè iudicarent; *ne abolerentur bona ipſorum*, tam Phinees & Dauidis, quàm populi Iſraëlitici: *& gloriam ipſorum*, ſeu dignitatem & poteſtatem, *in gentem eorum æternam fecit*, vt ſcilicet, ipſis dum viuerent, maneret, & illis extinctis, ad filios, ac poſteros perpetua ſucceſſione tranſiret.

CAPVT XLVI.

Commendantur Ioſuë, Caleb, & Iudices pij vſque ad Samuelem Prophetam.

1. FORTIS in bello Ieſus Naue, ſucceſſor Moyſi in Prophetis,
qui fuit magnus ſecundùm nomen ſuum, 2. maximus in
ſalutem electorum Dei, expugnare inſurgentes hoſtes, vt
conſequeretur hereditatem Iſraël. 3. Quàm gloriam adeptus
eſt in tollendo manus ſuas, & ſectando contra ciuitates
rhomphæas? 4. Quis ante illum ſic reſtitit? Nam hoſtes
ipſe Dominus perduxit. 5. Annon in iracundia eius impe-
ditus eſt ſol, & vna dies facta eſt quaſi duo? 6. Inuocauit Altiſſimum potentem
in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis
grandinis virtutis valdè fortis. 7. Impetum fecit contra gentem hoſtilem, & in
deſcenſu perdidit contrarios, 8. vt cognoſcant Gentes potentiam eius, quia con-
tra Deum pugnare non eſt facile. Et ſecutus eſt à tergo potentis: 9. & in diebus
Moyſi miſericordiam fecit ipſe, & Caleb filius Iephone, ſtare contra hoſtem, & pro-
hibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ. 10. Et ipſi duo conſti-
tuti, à periculo liberati ſunt à numero ſexcentorum millium peditum, inducere il-
los in hereditatem in terram quæ manat lac & mel. 11. Et dedit Dominus ipſi Ca-
leb fortitudinem, & vſque in ſenectutem permanſit illi virtus, vt aſcenderet in ex-
celſum terræ locum, & ſemen ipſius obtinuit hereditatem: 12. vt viderent omnes
filij Iſraël, quia bonum eſt obſequi ſancto Deo. 13. Et iudices ſinguli ſuo nomine,
quorum non eſt corruptum cor: qui non auerſi ſunt à Domino, 14. vt ſit memo-
ria illorum in benedictione, & oſſa eorum pullulent de loco ſuo, 15. & nomen
eorum permaneat in æternum permanens ad filios illorum, ſanctorum virorum glo-
ria. 16. Dilectus à Domino Deo ſuo Samuel propheta Domini, renouauit impe-
rium, & vnxit principes in gente ſua. 17. In lege Domini congregationem iudica-
uit, & vidit Deus Iacob, & in fide ſua probatus eſt propheta 18. Et cognitus eſt in
verbis ſuis fidelis, quia vidit Deum lucis: 19. & inuocauit Dominum omnipoten-
tem, in oppugnando hoſtes circumſtantes vndiquè, in oblatione agni inuiolati.
20. Et intonuit de cælo Dominus, & in ſonitu magno auditam fecit vocem ſuam,
21. & contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Philiſthiim; 22. & ante
tempus finis vitæ ſuæ & ſæculi, teſtimonium præbuit in conſpectu Domini, & Chri-
ſti; pecunias & vſque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſauit
illum homo. 23. Et poſt hoc dormiuit, & notum fecit regi, & oſtendit illi finem
vitæ ſuæ, & exaltauit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis.

COMMEN

COMMENTARII.

1. *Iosuë, & Caleb commendantur.*



ERS. 1. 2. *Fortis in bello*, seu Dux egregius fortitudine *Iesus Naue* laudandus occurrit. Fuit hic *successor Moysi in prophetis*, Græcè, *in prophetys*. Nempè Moysi successor non in solo principatu politico, sed etiam in munere prophetico, quo populum regebat non tàm humana prudentia, quàm diuina, sequens in omnibus reuelationem, ac ductum Dei. * Oportet quidem probum Præsulem esse prophetam ad rectam subditorum gubernationem; ille autem quodammodo prophetiæ spiritu donabitur, qui prudenter cauet, ne subditi eas ineant occasiones, vbi mirum erit, non subesse excidendi periculum. Prudentia itaque nescio quid prophetiæ Prælato ingerit.]

Prudens vigilia facit, vt prophetiæ spiritú quodammodo habeat ad subditorum rectam gubernationem.

Qui fuit magnus secundum nomen suum. Nomen *Iesu Saluatorem* significat. Viri autem huius gesta salutaria Israëli testantur, illum merito IESV nomine fuisse insignitum. *Maximus* enim fuit *in salutem electorum Dei*, potentissimus *expugnare insurgentes hostes, vt consequeretur hereditatem Israel*, seu vt Israël terram Chanaam promissam à Domino consequeretur, pulsis his hostibus, qui eam occupabant.

Vers. 3. Quam gloriam adeptus est, in tollendo manus suas, seu eas ad feriendum eleuando (Alludit ad primam Iosuë expeditionem contrà Hai, quæ habetur *Ios.* 8. vbi legimus, *Iosue verò, non contraxit manum, quam in sublime porrexerat tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.*) *& in iactando contra Ciuitates romphaas*, siuè gladium vibrando. Cur dicit, *In iactando rompheas* seu gladios, si Iosuë vnum gladium vibrabat? * Quia dum strenuus Dux primus est in certamine, & gladium vibrat, facit, omnes simul milites suos gladios vibrare. Dum igitur Dux manus exerit ad pugnam omnium militum manibus vtitur, quia omnes concertantem Principem imitantur.]

Dum dux militat efficit omnium militum exeri manus ad certamina.

Vers. 4. Quis ante illum restitit? Quisnam ex Hebræis Ducibus, qui fuerunt ante Iosuë, ausi sunt sicut ipse contra hostes in acie stare, & manus conferre? * Multi ducunt manus seu exercitum, sed pauci sunt qui conferant proprias cum hoste manus.] *Nam hostes ipse Dominus perduxit in manus Iosuë*, illosque ei tradidit percutiendos, & debellandos.

Multi manus ducunt, sed pauci conferunt proprias cum hoste manus.

Vers. 5. Annon in iracundia eius impeditus est Sol, &c. Annon ille ira succensus, & zelo, vt Dei inimicos comminueret solem præcepto impediuit ne progrederetur? dixit enim. *Sol contra Gabaon ne mouearis:* & dies duplo ferè longior est facta.

Vers. 6. Inuocauit Altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique, Preces fudit ad potentissimum Dominum, vt eius auxilio posset vndique inimicos delere: *& audiuit illum magnus, & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valdè fortis*, misit enim Dominus de cœlo magnos grandinis lapides quorum potenti ac valido impetu & homines & iumenta sternerentur.

Vers. 7. 8. Impetum fecit contra gentem hostilem Dominus grandinem eiaculans: *& in descensu Bethoron perdidit contrarios* Iosuë hostes. *Vt cognoscant Gentes potentiam eius*, Dei scilicet, qui grandine immisso de cœlesti arce dimicabat; *quia contra Deum pugnare, non est facile*, imò omninò est impossibile exercitum, quem Deus protegit, vlla potentia superare. *Et secutus est a tergo potentis*, secutus est Iosuë Dominum potentissimum, eique obediuit.

Vers. 9. Et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse, & Caleb filius Iephone. Porrò Iosuë & Caleb opus egregium pietatis gesserunt in Moysem, & in populum, quem à murmure compescuerunt. *Num.* 4. 6. * Profectò magnæ pietatis opus est murmurantes contra proximum compescere.] *Stare contra hostem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitia.* Illi suaserunt milites Israëlitas, vt contra hostes Chananæos constanter dimicarent, populum à peccato diffidentiæ auerterunt, & malitiosum murmur sedari fecerunt. * Annota particulam, *Murmur malitia*, id est, murmuratio, quæ ex malitia ortum habebat. Plerumque enim nulla alia est ad murmurationem causa, quàm malitia murmurantis.]

Magnæ pietatis opus est, murmurantes compescere.

Plerumque nulla alia est causa murmurationis, quàm murmurãtis malitia.

Vers. 10. Et ipsi duo constituti (Græcè, *cum essent duo tantum*) *à periculo liberati sunt à numero sexcentorum millium peditum inducere illos in hereditatem in terram, quæ manat lac & mel.* Cum soli isti duo essent, qui à partibus Dei & Mosis constantes starent, soli etiam exempti fuére à sententia mortis, qua inuoluti sunt & perierunt tot hominum millia, & hi soli duo inducti sunt in hereditariam populi Dei possessionem, id est, in Chananitidem. * Tanti æstimat Deus viros in fide ac iustitia constantes, vt duobus his ex ingenti populo, qui de Ægypto exierat, in Chananitidem intrantibus, impleuerit promissionem, toti Israëli factam. Quasi vnus vel alter iustus egregius Deo totus ingens populus esset.]

Vnus vel alter iustus eximius Deo est quasi ingens populus.

Vers. 11. 12. Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, &c. A Domino accepit Caleb corporis in senectute virile robur, vt ascenderet in Hebron. (*Ios.* 14. 6.) quam suam fecit, & posteris suis iure hereditario reliquit. * Certè senem vegeta valetudine vti, nec agnata senectuti infirmitate affici, magnum Dei est beneficium.] *Vt Viderent omnes filij Israël, quia bonum est obsequi sancto Deo.* * Qui non solùm in superis iustum præmio donat, sed etiam in terra, illius vitam producens in senectute validam, filios addens & opes, vt omnimoda felicitate fruatur.]

Magnum Dei beneficium est, senem pollere viribus.

Deus iustum non solùm in Cœlo, sed & in terra præmio donat.

Vers. 13. 14. 15. Et Iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, &c. Commendandi accedant omnes illi Iudices, qui Iosuë secuti sunt in regimine populi, qui in libro Iudicum suo nomine recensentur: viri quidem incorrupti, semper addicti Dei fidei & obsequio. *Vt sit memoria illorum in benedictione*, seu vt illorum memores Deum laudemus, qui tanta eos virtute donauit: *& ossa eorũ pullulent de loco suo*, seu de sepulchro; id est vireat, floreat, vigeat memoria, nomen, fama illorum: Heroum tam illustrium gloria, perpetuò conseruetur, & celebretur. *Et nomen eorum permaneat in æternum permanens ad filios illorum*, siue vsque ad eorum posteros, *sanctorum virorum gloria*, permanente in ipsis. * In filiis Iudicis egregiè & incorrupti diuitiæ

2. *Laudantur Iudices Israël.*

Filius Iudicis incorrupti non est opum heres, sed honoris eximij.

non permanent, quas nec pareos acquisiuit, (vnde vulgare illud: *Hijo de Oidor muerto:*) at permanet fama & decus egregiæ filiationis, quam omnes celebrant profecteores: *Hijo de Oidor sancto.*]

3. *Vers. 16. Dilectus à Domino Deo suo Samuel Propheta Domini.* Si vultis autem incorruptorum Iudicum exemplar obiiciam, ad memoriam adducite Prophetam Samuelem, qui ob præcelsas virtutes à Domino specialissimè fuit dilectus. Hic quidem *renouauit Imperium*, Reipublicæ formam mutauit, Rege inducto: *& vnxit Principes in gente sua*, hoc est Saulem, & Dauidem sacto oleo perfudit.

Præcipuè Samuelis sapiés laudes enunciat.

Vers. 17. In lege Domini congregationem indicauit, iuxta diuinam legem populo Israëlitico ius dixit. *Et vidit Deus Iacob, & in fide sua probatus est Propheta.* Græcè; *& visitauit Dominus Iacob*, Id est, opportunè misso Samuële prouidit necessitatibus populi, qui à Philisthæis foris vexabantur, & domi à filiis Heli Deum non timentibus. Samuel autem fidelitate sua erga Deum, & solicita ac prudenti gubernatione ergà populum, ostendit se verum, legitimum, & à Deo immissum fuisse Prophetam. * Minister à Deo immissus ad quodlibet Ecclesiæ munus operibus debet manifestare se verè esse Dei ministrum.]

Minister Ecclesiæ operib. debet manifestare, se verè esse Dei ministrum.

Vers. 18. 19. Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis. Manifestauit verbis piis, & sanctis, in prædictionibus vtilibus, quas exposuit, seu protulit, se fuisse diuina luce à Patre luminum illustratum. Præco Euangelicus se illustratum cœlesti lumine ostendit, cum pios & vtiles sermones ore profert. Nam si inutilia, & futilia verba facit, ostendit se non vidisse Deum lucis, sed diabolum tenebrarum aspectasse.] *Et inuocauit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes, &c.* Deum precibus effusis exorauit, vt gratia donaretur ad hostes circumstantes vndique debellandos, & agnum immaculatum dignè offerendum. 1. *Reg.* 7. 9.

Concionatos, qui vtilia verba profert ostendit se Deum lucis vidisse. seu lucé accepisse à Deo.

Vers. 20. 21. 22. Et intonuit de cælo Dominus, &c. Et contriuit Principes Tyriorum, & omnes Duces Philisthiim. Patent hæc ex eadem historia citata. *Et ante tempus finis vitæ suæ & sæculi testimonium perhibuit in conspectu Domini, &c.* Antequam diem suum obiret, & ex hoc sæculo in alterum transmearet, in conspectu Domini & Saulis in Regem inuncti protestatus est, se nihil à subditis accepisse, & huius rei testes ipsos Israëlitas esse voluit, nec vllus adfuit, qui ei auderet, aut posset contradicere. * Illum egregium Præsulem fuisse crede de quo nullus subditus queritur. Non tamen semper crederem fuisse malum eum, de quo aliqui subditi non benè loquuntur.]

Ille probus fuit Præsul. de quo nullus subditus queritur.

Vers. 23. Et post hæc dormiuit, seu mortuus est, *& notum fecit Regi*, Sauli apparuit, & populi cladem prænunciauit. 1. *Reg.* 28. * Probus Prælatus etiam post mortem est de subditorum salute solicitus.] *Et ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra*, è terra Pythonissæ visus emergere, clarè locutus est, *in prophetia, delere iniquitatem gentium*, seu prædixit bello delendam gentis Israëliticæ impietatem. *Dabit* (inquit Samuel Sauli) *Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthijm.* 1. *Reg.* 28.

Probus Præsul etiá post mortem est de subditorum salute solicitus.

CAPVT XLVII.

Laudat Siracides Nathanum, Dauidem, & priorem Salomonis ætatem: vituperat eiusdem senectutem, Roboami stultitiam, Roboami idololatriam.

1. POST hæc surrexit Nathan propheta in diebus Dauid. 2. Et
quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filiis Israël. 3. Cum
leonibus lusit quasi cum agnis: & in visis similiter fecit sicut
in agnis ouium, in iuuentute sua. 4. Numquid non occidit
gigantem, & abstulit opprobrium de gente? 5. In
tollendo manum, saxo fundæ deiecit exultationem Goliæ:
6. nam inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit
in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis
suæ. 7. Sic in decem millibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus
Domini, in offerendo illi coronam gloriæ: 8. contriuit enim inimicos
vndique, & extirpauit Philisthum contrarios vsque in hodiernum diem, contriuit
cornu ipsorum vsque in æternum. 9. In omni opere dedit confessionem Sancto, &
Excelso in verbo gloriæ. 10. De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit
Deum, qui fecit illum: & dedit illi contra inimicos potentiam: 11. & stare fecit
cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. 12. Et dedit in celebrationibus
decus, & ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ, vt laudarent
nomen Sanctum Domini, & amplificarent manè Dei sanctitatem: 13. Dominus
purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternum cornu eius: & dedit illi testamentum
regni, & sedem gloriæ in Israël. 14. Post ipsum surrexit filius sensatus,

&

& propter illum deiecit omnem potentiam inimicorum. 15. Salomon imperauit
in diebus pacis, cui subiecit Deus omnes hostes, vt conderet domum in nomine
suo, & pararet sanctitatem in sempiternum: quemadmodum eruditus es
in iuuentute tua, 16. & impletus es, quasi flumen, sapientia, & terram rete-
xit anima tua. 17. Et replesti in comparationibus ænigmata: ad insulas longè di-
uulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace tua. 18. In cantilenis, & pro-
uerbiis, & comparationibus, & interpretationibus, miratæ sunt terræ, 19. &
in nomine Domini Dei, cui est cognomen Deus Israël. 20. Collegisti quasi au-
richalcum aurum, & vt plumbum complesti argentum, 21. & inclinasti femora
tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo, 22. dedisti maculam in glo-
ria tua: & profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, &
incitari stultitiam tuam, 23. vt faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim
imperare imperium durum. 24. Deus autem non derelinquet misericordiam
suam; & non corrumpet nec delebit opera sua, neque perdet à stirpe nepo-
tes electi sui: & semen eius, qui diligit Dominum, non corrumpet. 25. Dedit au-
tem reliquum Iacob, & Dauid de ipsa stirpe. 26. Et finem habuit Salomon cum
patribus suis. 27. Et dereliquit post se de semine suo, gentis stultitiam, 28. &
imminutum à prudentia, Roboam, qui auertit gentem consilio suo: 29. & Iero-
boam filium Nabat, qui peccare fecit Israel, & dedit viam peccandi Ephraim, &
plurima redundauerunt peccata ipsorum. 30. Valdè auerterunt illos à terra sua.
31. Et quæsiuit omnes nequitias, vsque dum perueniret ad illos defensio, & ab om-
nibus peccatis liberauit eos.

COMMENTARII.

1\. Laudatur Nathan, & Dauid. ERS 1. *Post hæc surrexit Nathan Propheta in diebus Dauid.* Regis, qui eum peccati somnio indulgentem ouiculæ, parabola prolata excitauit, & ad frugem meliorem adduxit. Parabola quidem, non nudè prolata veritate. * Tam amara enim est Regibus veritatis auditio, vt vel probi Dei ministri, vt eam promant, ambagibus, ac ænigmatibus vtantur.]

Amara est Regibus nuda veritatis auditio.

Vers. 2. Et quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filijs Israel. Quemadmodum adeps subtilior, tenerior, & melior animalis pars: ita Dauid totius mystici corporis Israëlis pars melior extitit, omnes Israëlitas fortitudine & prudentia superauit.

Vers. 3. Cum leonibus enim *lusit quasi cum agnis, &c.* Ipse id sincerè Sauli sine suspicione vanitatis expressit, dum dixit: *Leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus.* 1. *Reg.* 17.35.

Vers. 4. Numquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente Hebræa? Exprobrabat enim Goliath Hebræis ignauiam, quod non ferens Dauid adolescens, ait: *Vadam, & auferam opprobrium populi.* 1. *Reg.* 17.36.

Vers. 5.6. In tollendo manum saxo funda deiecit exultationem Goliæ. Fundam manu egit in rotam, & saxo in fronte gigantis infixo iactantiam & superbiam eius deiecit. *Nam inuocauit Dominum omnipotentem, &c.* Preces profudit, & à Domino exauditus accepit, posse dextera de medio tollere fortissimum hominem certaminibus assuetum: & gloriam, ac potentiam afflicti Dei populi exaltare.

Vers. 7.8. Sic in decem millibus glorificauit eum, Alludit ad puellarum epinitium, quæ cecinere: *Saul percussit mille, & Dauid decem millia.* 1. *Reg.* 18.7. *Et laudauit eum in benedictionibus Domini.* Deus per populum laudauit Dauidem ob egregias animi, ac corporis dotes, quibus ei Dominus benedixit, eas in illum conferens; Quæ quidem magnæ fuere, siquidem *Benedictiones Domini*, idem est, ac *Ingentes benedictiones*, sicut *montes Dei* dicuntur *montes admodum excelsi.* Ostendit autem Deus, Dauidem eximium esse virum, *in offerendo illi coronam gloriæ*, seu Regiam dignitatem, quam ille minimè ambiebat. * Ostenditur, enim, esse virum egregium eum, qui quæritur ad præcelsum officium, dum ipse omninò ab eius desiderio erat abstractus. Dignum quidem esse se ostendit officij præcelsi ille, quem Princeps ob famam scientiæ ac virtutis eius, sine ipsius diligentia requirit.] *Contriuit enim inimicos vndique: & extirpauit Philisthiim contrarios vsque in præsentem diem.* Cum Philisthæis Dauid sæpè pugnauit, & adeò eos tandem afflixit, vt postea nunquam Israëlitis fuerint dominati. *Contriuit cornu ipsorum, vsque in æternum*, eorum potentiam ita comminuit, vt nunquam potuerit reparari. * Docens spirituales milites, ita debere cum noxiis animi passionibus concertare, vt non adsint eis vires rursum insurgendi.]

Dotes Dauidi magnæ admodum extitere.

Cum quis quæritur ad munus egregium, ostenditur eo dignum esse.

Animi passiones sic domandæ, vt rursum non desæuiant.

Vers. 9. In omni opere dedit confessionem sancto, quidquid fecit, in Dei laudem & gloriam retulit, nec sibi tribuit, quod Goliath (v. gr.) vicerit, sed Deo. * Hinc liceat D. Ignatij alumno eius victorias celebrare, qui cuncta facinora quæ vbique terrarum gessit, nonquam non ad maiorem Dei gloriam expressit.] *Et excelso in verbo gloriæ*, ideoque Deum glorificauit, hymnis & Psalmis, quibus variis modis diuinas laudes decantauit.

D. Ignatius quæcumque gessit facinora, ad maiorem Dei gloriam retulit.

Vers. 10. De omni corde suo laudauit Dominum, quidquid ore promebat, ex deuoto corde prodibat: *& dilexit Deum, qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam.* Ideò Dauid ad Deum omnes referebat victorias, quia scie-
bat,

bat, eam fortitudinem, qua hoſtes ſuperabat, ex Deo accepiſſe. * Vnde non datur Deo victoriæ gloria, ſed redditur.]

Non datur Deo victoriæ noſtræ gloria, ſed redditur.

Verſ. 11. *Et ſtare fecit cantores contra altare, &c.* Cantores conſtituit, fecitque, vt dulci vocum & inſtrumentorum melodia Pſalmos canerent, & canendi ſuaues tonos ipſe per ſe, & per ſuos muſicos inuenit, & cantoribus proferendos præſcripſit. * Edocens interim peritiam vulgarem non eſſe poëſim, ſed Regiam quidem, ſi carmina ſacra condantur. Vulgares vocita poëtas illos, qui ad profanos & amatorios verſus peritiam accommodant.]

Regium numen eſt verſus ſacros ad Dei laudem condere: vulgare verò cōponere profanos.

Verſ. 12. *Et dedit in celebrationibus decus*, in feſtis decus muſicæ addidit: *& ornauit tempora vſque ad conſummationem vitæ*, tempora, & dies feſtiuos hilaritate muſicæ decorauit, dum fuit ſuperſtes: *vt laudarent* canentes, & audientes *nomen ſanctum Domini, & magnificarent manè Dei ſanctitatem*, & celebrarent matutino præcipuè tempore, & poſtmodum veſpere ſacrificij inſtantia Domini gloriam. Fecit autem mentionem ſulummodo matutinæ laudis, vt orationem matutinam commendaret, qua præmiſſa, conſequentes erant totius diei laudes. Ex oratione enim matutina totius diei deuotio pendet. Vnde ly *Manè* connotat laudes, quas tempore ſacrificij à muſicis cantari ſolitas eſſe textus ſacer expreſſit 1. *Paral* 23. 30.

Oratio matutina continet totius diei deuotionem.

Verſ. 13. *Dominus purgauit peccata ipſius*, peccatum adulterij & homicidij aboleuit, cum per Nathan ei dixit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum* 2. *Reg.* 12. 13. *Et exaltauit in æternum cornu eius*, ſeu potentiam, gloriam, & Regnum, quod in æternum illi adſcripſit, tùm quia illud poſſedit Dauid in poſteris, quā diu Synagoga, & Reſpublica Iſraël durauit: tùm quia longè excellentius Regnum per Chriſtum Dominum ex ſe prognatum poſſidet. *Et dedit illi teſtamentum Regni*, ſeu pactum iniit cum eo circa Regni poſſeſſionem, & durationem: *& ſedem gloriæ Iſrael*, ſeu glorioſum regium thronum ei addixit.

2\. *Verſ.* 14. *Poſt ipſum ſurrexit filius ſenſatus*, ſiue Sapiens Salomon hæres Regni fuit: *& propter illum deiecit omnem potentiam inimicorum*, ob merita & ſanctitatem Dauidis Deus deiecit omnem hoſtium impetum, vt nemo auderet Salomoni Dauidis filio ſeſe opponere, ſed ille pacificè regnaret, latéque ſuum propagaret imperium.

Laudatur Salomon adoleſcens & vir ſenex vituperatur.

Verſ. 15. 16. *Salomon* ergò *imperauit in diebus pacis* pacificè, *cui ſubiecit Deus omnes hoſtes, vt conderet domum in nomine ſuo, &c.* vt Templum Deo ædificaret, & ſanctuarium erigeret. * Pacem enim Regni tuentur Principes dum erigunt Templa, dum Eccleſiæ promouent pietatem, dum dant Eccleſiæ munera; nondum ab Eccleſia ſubſtantiam auferunt, qua ſacri miniſtri victitant, & Templorum conſeruatur ornatus.] *Quemadmodum eruditus es in iuuentute tua.* Græcè, *O quàm* Sapiens ô Salomon factus es in iuuentute tua! *Et impletus es quaſi flumen Sapientia, & terram retexit anima tua*, tuæ Sapientiæ flumen terram inundauit: retexiſti enim ſeu manifeſtaſti quæ ſunt arcana in terra: diſputauit enim Salomon de naturis ſtirpium, animalium, metallorum, &c.

Pax Regni conſeruatur dum Reges dant munera Eccleſiæ: nō dum ab Eccleſia ſubſtātiam auferunt.

Verſ. 17. *Et repleſti in comparationibus ænigmata.* In parabolis tuis plurima ænigmata congeſſiſti. *Ad Inſulas longè diuulgatum eſt nomen tuum: & dilectus es in pace tua*, diligebant te populi, quia pacem tuo Regno conciliaſti, & ſeruaſti: * Tam magnum enim eſt pacis bonum, vt beneficium præcipuum, quo poſſint ſubditi à Rege donari, ſit pacem tueri.]

Præcipuum beneficium, quo poſſunt ſubditi à Rege donari, eſt pacem tueri.

Verſ. 18. 19. *In cantilenis, & prouerbiis, &c.* Cantico Canticorum, quod nunc extat, libro Prouerbiorum, Eccleſiaſtes, & Sapientiæ omnes terræ Sapientes in admirationem rapuiſti: *& in nomine Domini Dei, cui eſt cognomen: Deus Iſrael*, ideò Sapientia tua mirabilis apparuit, quia Deus, qui te ea donauerat, præſtabat, vt ab omnibus plauſu exciperetur. * Nec enim ſufficit te eſſe Sapientem, vt communis plauſus excitetur, ſed ſpeciale Dei auxilium eſt neceſſarium. Multorum egregia Sapientia latitat, dum infirma aliorum peritia celebratur. Liceat obſecro veritatem hanc vulgatiſſimo apud Hiſpanos axiomate explicare: *Ventura te dè Dios, que el ſaber poco te vale ſin ventura.*]

Non ſufficit te eſſe Sapientem, vt plauſu fruaris.

Verſ. 20. 21. *Collegiſti quaſi aurichalcum aurum, &c.* aurum & argentum multiplicaſti (ſic Græcus) ea facilitate, qua alij poſſent plumbum, & alia deteriora metalla colligere. *Et inclinaſti femora tua mulieribus*, mulierum amoribus & conſuetudine implicatus es. * Aptè poſt abundantiam auri & argenti, qua Rex fruebatur, quaſi ex vi conſequentiæ adiecit cum mulieribus conſuetudinem, quia plerumque diuitibus opes proficiunt ad captandas illicitas voluptates.] *Poteſtatem habuiſti in corpore tuo.* Ex Græco, paſſus es in corpore tuo alienam poteſtatem, nam concubinis corpus tuum miſerè deſeruiit. * Quid enim aliud eſt luxuriei tradi, niſi infamem inire ſeruitutem?]

Diuitiæ plerumque diuitibus proficiunt ad captandas illicitas voluptates.

Deliciis potere, eſt infami opprimi ſeruitute.

Verſ. 22. 23. *Dediſti maculam in gloria tua*, tuam gloriam fœdaſti. Turpitudinis enim vitium apud cordatos libidinoſi, maximè ſi Princeps ſit famam obſcurat.] *Et profanaſti ſemen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos*, contaminaſti filios tuos, cum eos ex mulieribus idololatris procreaſti: eiſque vlterius nocuiſti, nam peccatorum tuorum malum irato Domino, ad illos pertinuit. * Maximè filiis nocet, qui eos procreat in peccato. Nam prætérquam quod eos vrit infamia, parentum ob peccatum aſſolent etiam filij affici pœna. Si enim Deus peccatum parentis vindicat inopia, aut dedecore parentis, neceſſum eſt, dedecus & inopiam filium hereditare.] *Et incitari ſtultitiam tuam.* Deus iuſtè te puniens fecit, vt vſque eo tua ſtultitia incitaretur vt idola fœdiſſima publicè coleres. *Vt faceres Imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum.* Ob quam fœdiſſimam idololatriam Deus ſuſcitauit contra te Ieroboam ſeruum tuum, qui tandem ſub Roboam filio tuo Regnum tuum diuideret, ſeu bipartitum faceret. Dicit autem, *Ex Ephraim imperare, &c.* Quia Ieroboam erat ex Tribu Ephraim. *Durum* verò vocitatur *imperium*, quia contumax, & rebelle Regibus, & à Deo verò per idololatriam deficiens. * Nam cum Rex deficit à pietate & Dei timore tyrannum ſe ſubditis in regimine oſtendit.]

Libidinis vitium famam decerpit.

Maximè filio nocet, qui eū procreat in peccato.

Rex deficiens à Dei timore tyrānum ſe erga ſubditos oſtendit.

Verſ. 24. *Deus autem non derelinquet miſericordiam ſuam, & non corrumpet, nec delebit opera ſua, nec perdet à ſtirpe nepotes electi ſui.* Deus non abſtulit planè Regnum à Dauidis domo,

nec

nec extirpauit radicitus nepotes sui electi Dauidis. * Iustitia enim patris domum fulcit, familiam tuetur, & non solùm ad filios, verum & ad nepotes deriuatur.] *Et semen eius, qui diligit Dominum, non corrumpet*, seu perdet.

Iustitia parentis nepotum domum fulcit.

Vers. 25. Dedit autem reliquum Iacob & Dauid de ipsa stirpe, Græcè, *reliquias Iacob & Dauid*, Deus dedit Iacobo & Dauidi stirpem Regiam, vt fuerat pollicitus ex ipsa stirpe.

3. *Vers. 26. 27. 28. Et finem habuit Salomon cum patribus suis*, dormiuit cum patribus suis (vti sæpè loquitur Scriptura) siue mortuus est. An vere dormierit, vel quieuerit salute donatus, non certò constat. * Vt edoceantur iusti, post multos sanctitatis annos humanam fragilitatem posse excidere in crimina, & baratro addici. Dum viuis, haud te securum esse cogites.] *Et dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam*, Roboamum parenti minime similem in Sapientia, sed vecordem & imprudentem, qui quidem gentis seu iuuenum (Hispanè *gente cilla*) stultitiam secutus est, vnde misere deperiit. *Et imminutum à prudentia*, prudentiæ, & mentis inopem *Roboam*, videlicet, *qui auertit gentem consilio suo*, seu auertit se à decem Tribubus, consultatione illa cum iuuenibus habita, 3. *Reg.* 12.

Taxatur Roboamus Salomonis filius, & Ieroboam.

Dum viuis iustus existimet, se excidere ex iustitia posse, & damnari.

Vers. 29. Et Ieroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israel, & dedit viam peccandi Ephraim, aperuit viam idololatriæ, eamque in suum Regnum induxit: *& plurima redundauerunt peccata ipsorum*, plurima eorum peccata fuerunt, nempe hominum Tribus Ephraïm, in qua Ieroboam sedem Regni habuit, & aliarum etiam Tribuum, quibus imperauit. * Preme verbum, *Plurima redundauerunt peccata*, id est, in ipsum Ieroboamum, qui peccare fecerat Tribus, exundauerunt. Nam qui viam peccandi aperit, qui peccati alicuius magister est, omnium criminum quæ à discipulo perpetrantur, reus esse videtur.]

Qui magister alicuius peccati est, videtur esse reus omnium peccatorum, quæ à discipulo eius causa perpetrantur.

Vers. 30. Valdè auerterunt illos à terra sua. Propter peccata enim sua patrio solo Israëlitæ caruerunt in captiuitatem non semel abducti.

Vers. 31. Et quæsiuit omnes nequitias, sectatus est Israel omne peccati genus. Nam qui à fide deficit in omnia peccati genera dilabitur. * Quod assolet accidere etiam eis, qui vocati à Domino ad Regularem statum, ad relictum sæculum reuertuntur.] *Vsque dum perueniret ad illos defensio*. Græcè, *vltio*. *Iudith* 1. 2. & 2. 1. *defendere* ponitur pro *vlcisci*. * Et quidem magni peccatoris ad delinquendum proni vltima *vltio*, & ad tartarum deturbatio, *defensio* illius est, quia impedit, ne vlterius delinquens, vberiorem contrahat damnationis pœnam.] *Et ab omnibus peccatis liberauit eos*, seu vltione immissa, finem eorum sceleribus imposuit. Fateor tamen, multos per patientiam à peccatis liberatos fuisse ad meliorem mentem afflictione illa reuocatos. * Vexatio enim stultis peccatoribus dat intellectum, vt resipiscant cognoscentes scilicet, afflictionem illam ex peccatis ortum habere.

Qui à Regulari desiit statu, inquò plerumq; degit in sæculo.

Vltio peccatoris diuina, qua ad tartarum deturbatur. Tunc quodammodo est defensio.

Peccatori dat intellectum vexatio, vt resipiscat.

CAPVT XLVIII.

Laudat Sapiens Eliam, Elisæum, Isaïam Prophetas, & Ezechiam Regem.



1. ET surrexit Elias propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi
facula ardebat. 2. Qui induxit in illos famem, & irritantes
illum inuidia sua pauci facti sunt, non enim poterant sustinere
præcepta Domini. 3. Verbo Domini continuit cælum,
& deiecit de cælo ignem ter. 4. sic amplificatus est Elias
in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi?
5. Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo
Domini Dei. 6. Qui deiecisti reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam
ipsorum, & gloriosos de lecto suo. 7. Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb
iudicia defensionis. 8. Qui vngis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis
successores post te. 9. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.
10. Qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini?
conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. 11. Beati sunt, qui
te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. 12. nam nos vita viuimus tantùm,
post mortem autem non erit tale nomen nostrum. 13. Elias quidem in turbine
tectus est, & in Elisæo completus est spiritus eius: in diebus suis non pertimuit
principem, & potentia nemo vicit illum. 14. nec superauit illum verbum
aliquod, & mortuum prophetauit corpus eius. 15. In vita sua fecit monstra, & in
morte mirabilia operatus est. 16. In omnibus istis non pœnituit populus, &
non recesserunt à peccatis suis, vsque dum eiecti sunt de terra sua, & dispersi
sunt in omnem terram: 17. & relicta est gens perpauca, & princeps in domo Dauid.
18. Quidam ipsorum fecerunt quod placeret Deo: alij autem multa commiserunt
peccata. 19. Ezechias muniuit ciuitatem suam, & induxit in medium

ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum. 20. In die-
bus ipsius ascendit Sennacherib, & misit Rabsacen, & sustulit manum suam con-
tra illos, & extulit manum suam in Sion, & superbus factus est potentia sua.
21. Tunc mota sunt corda, & manus ipsorum: & doluerunt quasi parturientes
mulieres. 22. Et inuocauerunt Dominum misericordem, & expendentes manus
suas, extulerunt ad cælum: & sanctus Dominus Deus audiuit citò vocem ipso-
rum. 23. Non est commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis
suis, sed purgauit eos in manu Isaiæ sancti prophetæ. 24. Deiecit castra Assyrio-
rum, & contriuit illos Angelus Domini. 25. nam fecit Ezechias quod placuit
Deo, & fortiter iuit in via Dauid patris sui, quam mandauit illi Isaias prophera ma-
gnus, & fidelis in conspectu Dei. 26. In diebus ipsius retrò rediit Sol, & ad-
didit regi vita. 27. Spiritu magno vidit vltima, & consolatus est lugentes in
Sion. Vsque in sempiternum 28. ostendit futura, & abscondita antequam eue-
nirent.

COMMENTARII.

1. *Elias laudatur.*

In rebus ad diuinum honorem pertinentibus Concionator sit igneus.

VERS. 1. *Et surrexit Elias Propheta, quasi ignis*, diuini honoris zelo æstuans: *& verbum ipsius, quasi facula ardebat.* Vt concionatores edoceret in causis ad diuinum honorem pertinentibus flammas ignis ore spirare, peccata quidem, non peccatores, erematuras.]

Vers. 2. Qui induxit in illos famam, & irritantes illum inuidia sua pauci facti sunt. Qui quidem Propheta eos, qui ex inuidia suis prauis actionibus illius animum offendebant, dum contra Deum peccabant, fame pluuiam suspendens ita corripuit, vt ad paucitatem eos reduceret, multi enim fame perierunt. *Non enim poterant sustinere præcepta Domini.* Causa autem huius famis fuere peccata populi Dei præcepta contemnentis, quibus ab idololatria deterrebantur. * Hoc addidit Siracides, ne videretur Elias propriam iniuriam vindicare: quod tantum virum egregium concionatorem minimè deceret. Vt subtaxentur ij, qui oblocutionem contra ipsos vindicantes suggestum certaminis palestram efficiunt.]

Dedecet Concionatores proprias iniurias ex suggestu vindicare.

Vers. 3. Verbo Domini continuit cælum, ne pluuiam emitteret: *& deiecit de cælo ignem ter*, è cœlo deducit ignem, quo ter quinquagenarij illi cum suis absumerentur. 4. *Reg.* 1. 10.

Vers 4. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Sic Eliam sua miracula magnificauerunt, seu magnum esse Prophetam demonstrarunt. *Et quis ô magne Elia potest similiter sic gloriari tibi?* vel sic gloriari vt tu.

Vers. 5. Qui quidem *sustulisti mortuum ab inferis*, siue defunctum suscitasti, puerum auferens *de sorte* siue de potestate *mortis in verbo Domini Dei.* 3. *Reg.* 17. 22.

Vers. 6. Qui deiecisti Reges ad pernitiem, seu mortem. Primus fuit Achab, & Iezabel, vtrique Elias interitum comminatus fuit, & à Deo suis precibus obtinuit. 3. *Reg.* 21. Secundus fuit Ochozias filius Achab, qui correptus ægritudine, Beelzebub consulit, propter quod scelus ei Elias mortem denunciauit, 4. *Reg.* 1. Tertius fuit Ioran frater Ochoziæ, qui iuxta Eliæ prædictionem à Iehu occisus est, 4 *Reg.* 9. Quartus fuit alter Ioran filius Iosaphath Rex Iuda, cui Elias per litteras morbum, & ex eo mortem prædixit. 2. *Paral.* 21. * In quibus quatuor prædictionibus Elias se egregium Dei ministrum ostendit. Rarò enim inuenitur, qui Regibus audeat tristia annunciare imminentia, aut iam existantia denunciare.] *Et confregisti facilè potentiam ipsorum: & gloriosos de lecto suo.* Quod de Ioran Rege Iuda ægrotante, de quo proximè dixi, intelligo.

Vix inueniuntur viri, qui Regibus audeat tristia denunciare.

Vers. 7. Qui audis in Sina iudicium, Græcè, *increpationem* Qui ex ore Dei in monte Sina correptionem audisti, qua & ipse pusillanimitatis arguebaris: *& in Horeb* (parte montis Sina) *iudicia defensionis* Græcè, *vindicta*, seu sententiam vltionis, quam in varios tyrannos Deus pronunciauit, 3. *Reg.* 19.

Vers. 8. Qui vngis Reges ad pœnitentiam. Hazael, & Iehu seu per te, seu per Elizæum, ad punitionem idololatris infligendam Græcè ad *retributionem* seu scelerum supplicium *Et Prophetas facis successores post te*, puta Elisæum, & tot alios Prophetarum filios.

Vers. 9. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum, receptus inquam, siue assumptus in currum igneum, vt in paradisum transferretur, vt in nouissimis diebus socius Enochi concionatorem agat.

Vers. 10. Qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini. Qui in propheticis libris scriptus es, quod in nouissimorum temporum ostensione leniturus sis iram Domini: vel qui scriptus, & destinatus es ad iram Domini leniendam, cum signa nouissimi temporis manifestabuntur. * Qui iram Domini acuebat ad vindictam peccatorum sumendam, post longam in paradiso meditationem veniet suauis ad iram Domini emolliendam vt doceat iam, spiritum lenitatis aptius plerumque esse ad peccatorum conuersionem. Vnde Dominus igneum Eliæ spiritum Discipulos suos habere noluit.] *Conciliare cor patris ad filium.* Græcè, *conuersurus*, id est, facies. Iudæos filios Patriarcharum, idem circa Messiæ personam aliaque fidei mysteria sentire, quod ipsi Patriarchæ senserunt: *& restituere Tribus Iacob*, & sic restitues pristinæ fidei Ecclesiæ, & gratiæ Tribus omnes Israël, siue Iudæos ex omni Tribu: Quod fiet sub initium Monarchiæ, & tyrannidis Antichristi.

Spiritus leniens in sacro ministro aptius est plerumque ad peccatorum reductionem.

Vers. 11. Beati sunt, qui te viderunt, &c. Græcè, *qui te videbunt*, fruenturque tuo consortio, monitis, & doctrina, & amicitia tua decorabuntur, seu ornabuntur.

Vers.

Vers. 12. *Nam nos vita viuimus tantum*, seu noti sumus & prosumus aliis solum breui hoc tempore, quo iam viuimus. *Post mortem autem non erit tale nomen*, aut priuilegium nobis, quale tibi est concessum. Neque enim redibimus in terram, vt mortalibus veram fidem, & pietatem inculcemus, sicut tu rediturus, & inculcaturus es vna cum Enucho. * Tanta enim est gloria eorum, qui vtiliter concionantur, vt vel sanctissimus Iesus Sirac eam possit inuidere.]

Magna est gloria eorũ, qui vtiliter concionantur.

2. *Vers.* 13. *Elias quidem in turbine tectus est; & in Elisæo completus est spiritus eius*, id est, Eliæ spiritus duplex plenè repleuit Elisæum. *In diebus enim suis non pertimuit Principem.* Quemadmodum Elias minas Iezabelis, ac Regis Achabi non timuit, Elisæus non est veritus idololatras Principes, vt testatur eius ad Regem Ioram responsio. (4. *Reg.* 3. 14.) *Et potentia nemo vicit illum*, Græcè, *Et potentia nemo eum sibi subiugauit.*

Commēdatur Elisæus, Eliæ discipulus.

Vers. 14 *Nec superauit illum verbum aliquod*, nullius verbis fractus est inuictus illius animus, nec mollitus est blanditiis, nec minis territus: *& mortuum prophetauit corpus eius*, id est, miraculum edidit mortuum suscitando. * Aptè verò, si mystica rimeris, suscitare mortuum dicitur *prophetare*, quia agnatum est muneri prophetandi, seu concionandi peccatores è culpa mortuos ad vitam reuocare.]

Agnatum est concionandi ministerio spiritualiter mortuos suscitare.

Vers. 15. *In vita sua fecit monstra*, prodigia, miracula patrauit: *& in morte mirabilia operatus est*, resurgente defuncto, cui accidit sorte felice Elisæi contingere cadauer.

Vers. 16. 17. *In omnibus istis non pœnituit populus, & non recesserunt à peccatis suis*, licet tam eximius Propheta Elisæus esset, & tam illustria miracula patraret: populum ad meliorem frugem non adduxit, *vsque dum eiecti sunt à terra sua*, ducti in captiuitatem, *& dispersi sunt in omnem terram* Assyriorum, & Chaldæorum: *Et relicta est gens perpauca, & Princeps in domo Dauid.* Adductis ab Assyriis decem Tribubus, pauci relicti sunt, Tribus scilicet Iuda, & Tribus Beniamin cum Rege suo de domo Dauidis.

Vers. 18. *Quidam ipsorum fecerunt, quod placeret Deo.* Nonnulli eorum, qui ad captiuitatem abducti fuére vexatione oculos aperuerunt, & meliorem inierunt frugem: *alij autem* supplicio peiores multa commiserunt peccata. * Tribulatio enim prædestinatos angit ad salutem, damnandos verò magis torquet ad exitium.]

Tribulatio prædestinatos angit ad salutem, damnandos magis torquet ad exitium.

Vers. 19. *Ezechias muniuit Ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam*, & fodit
3. ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum, Græcè, *puteos*. ne scilicet populus obsidione pressus aquæ penuria laboraret. Lege historiam, 2. *Paral.* 32. * Prudentis est antequam periculum instet, remedium præparare.]

De Ezechia Regis laudibus.

Prudẽs antequam instet periculũ, remedium præparat.

Vers. 20. 21. *In diebus ipsius ascendit Sennacherib, & misit Rabsacem, & sustulit manum suam, contra illos*, seu contra Ierusalem illi insultans, & minans excidium: *& extulit manum suam in Sion, & superbus factus est in potentia sua. Tunc mota sunt corda, & manus ipsorum*, id est, ciues tremore fuére concussi: *& doluerunt, quasi parturientes mulieres.*

Vers. 22. *Et inuocauerunt Dominum misericordem, & sanctus Dominus Deus audiuit citò vocem ipsorum* * O quam citò audit Deus contritæ, ac deuotæ Communitatis preces!]

Citò audit Deus Communitatis preces.

Vers. 23. *Non est commemoratus peccatorum illorum*: seu recordatus non fuit, illos aliquando peccauisse. * Quia pœnitentia omnino abolet crimina, & quodammodo in Deo inducit peccatorum obliuionem.] *Neque dedit illos inimicis suis, sed purgauit eos in manu Isaiæ sancti Prophetæ*, seu eos à peccatis quæ detestati sunt omninò mundauit, excitante eos Isaia.

Pœnitẽtia inducit in Deo peccatorum obliuionem.

Vers. 24. 25. *Deiecit castra Assyriorum, & contriuit illos Angelus Domini.* (4. *Reg.* 19. 35.) *Nam fecit Ezechias, quod placuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid patris sui*, seu constanter veram religionem, ac pietatem coluit, Dauidem progenitorem suum secutus, *quam mandauit illi Isaias Propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei*, vt illum instituebat, eique suggerebat Isaias magnus planè Propheta, & fidelis voluntatis diuinæ assertator. Tota Regis felicitas pendet ex Ministro, ex confessario fideli erga Deum, qui ei nudam exponat veritatem, nec Principis oculos mendaci adulatione suffundat. Falsò existimant, qui veritatem Regi non aperiunt, se ei fideles exhibere, dum placida exaggerant, tristia contrahunt, & imminuunt; & toto cœlo aberrant, Deo enim, & ipsi Regi se infideles ostentant.]

Vers. 26. *In diebus ipsius retro rediit Sol, & addidit Regi vitam.* (4. *Reg.* 20.) vide ibi annotata.

Vers. 27. *Spiritu magno vidit vltima.* Spiritu prophetico præuidit, quæ vltimis temporibus erant futura, & ad Christum Dominum pertinebant: *& consolatus est lugentes in Sion*, id est, Ezechiam, & Iudæos ob aduentum Sennacherib metu perculsos: viros etiam pios sui temporis ærumnas, & scelera deplorantes, quos prænunciatione aduentus Messiæ erexit ad spem.

Vers. 28. *Vsque in sempiternum ostendit futura, antequam euenirent*, prænunciauit quæ futura erant in Ecclesia vsque ad sæculi finem.

CAPVT XLIX.

Laudat Sapiens Iosiam, Ieremiam, Ezechielem, & duodecim Prophetas, qui Minores vocantur (sub quibus etiam Danielem comprehendit.) Item Zorobabelem, Iesum Sacerdotem, Nehemiam, Henochum, Iosephum, Sethum. Semum, & Adamum.

1. MEMORIA Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij. 2. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini. Ipse est directus diuinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis. 4. Et gubernauit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem. 5. Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt: 6. nam reliquerunt legem Altissimi reges Iuda, & contempserunt timorem Dei. 7. Dederunt enim regnum suum aliis, & gloriam suam alienigenæ genti. 8. Incenderunt electam sanctitatis ciuitatem, & desertas fecerunt vias ipsius in manu Ieremiæ. 9. Nam malè tractauerunt illum, qui à ventre matris consecratus est propheta, euertere, & eruere, & perdere, & iterùm ædificare, & renouare. 10. Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim. 11. Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis qui ostenderunt rectas vias. 12. Et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo: nam corroborauerunt Iacob, & redemerunt se in fide virtutis. 13. Quomodo amplificemus Zorobabel, nam & ipse quasi signum in dextera manu; 14. sic & Iesum filium Iosedec? quia in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam. 15. Et Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras. 16. Nemo natus est in terra qualis Henoch: nam & ipse receptus est à terra. 17. Neque vt Ioseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi: 18. & ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerunt. 19. Seth & Sem apud homines gloriam adepti sunt: & super omnem animam in origine Adam.

COMMENTARII.

1. *Sapiens Iosiam commendat.*



ERS. 1. *Memoria Iosiæ* Regis optimi ac piissimi, *in compositionem odoris facta opus pigmentarij*, est sicut compositio vnguenti, seu odor suauissimus ex mixtione aromatum bene fragrantium, quales mixtiones periti pharmacopœi componere assolent.

Vers. 2. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, vt suauiter ad aures accidit illius recordatio: ità dulcis est in ore res gestas eius commemorantis: *& vt musica in conuiuio vini*, in lauto conuiuio, in qua generosa vina conuiuis propinantur.

Catholicus Princeps cõmendabilis obiici debet ea subditorum diligentia ad iustitiã adductis.

Vers. 3. Ipse est directus diuinitus in pœnitentiam gentis, est vir, quem direxit Deus, illique adfuit, vt idololatriam felici successu exterminaret, & sibi subiectum populum ad scelerum pœnitentiam alliceret. * Pius & Catholicus Princeps non tam debet laudari ex victoriis ab hostibus Imperij partis, quàm ex subditis eius exemplo, & diligentia ad operandam iustitiam adductis.] *Et tulit abominationes impietatis*, seu idolorum cultum abstulit, idola comminuit. * Nec enim idololatriæ impietatem omnino deleret, nisi idololatrandi occasionem, ex idolorum ablatione, remoueret. Inuigilent Principes, vt tot mulierculæ communis impietatis idola ex Vrbibus deturbentur, si velint tantæ Reipublicæ ægritudine mederi.]

Debet Princeps curare, vt mulierculæ impietatis idola è Republica deturbentur.

Vers. 4. Et gubernauit ad Dominum cor ipsius, Græcè, *direxit ad Dominum cor suum.* * Gubernans enim Princeps cor suum ad Dei beneplacitum aptè subditos gubernabit.] *& in diebus peccatorum corroborauit pietatem*, cum impietas, & peccatum dominaretur, pietatem, ac religionem restituit, & stabiliuit. * Non sufficit pio Regi inuigilare, vt Religio seu fides immaculata tuttilet, si non etiam pietatem tueatur in *diebus peccatorum*, cum scilicet tam effrænata vigeat peccandi consuetudo.]

Gubernans Rex cor suũ ad Deum, aptè subditos gubernabit.

Non sufficit pio Regi defendere fidẽ, nisi etiã virtutem, & pietatem tueatur.

Vers. 5. 6. Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt. Hi tres Reges fidem

fidem conseruauerunt veri Numinis, reliqui Reges vel idololatriæ peccatum commisêre; vel illi proximum, & vicinum, quod excelsa non abstulere.* Quid prodest Regi fidem sectari incorruptam, si permittit excelsa, si tot idola libidinis & auaritiæ in Regno permittat?] *Nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorem Dei.*

Quid prodest Regi fidem sectari, si innumera libidinis, & auaritiæ idola in Regno permittat.

Vers. 7. Dederunt enim Regnum suum alijs: & gloriam suam alienigenæ genti. Ex peccato hunc collegerunt fructum, quod Regno & gloria caruerunt, & gentibus alienigenis seruiere in captiuitatem adducti. * Regum impietas ad alienigenas Regna transfert.]

Regum impietas ad alienigenas Regna transfert.

Vers. 8. Incenderunt electam sanctitatis ciuitatem. Incendij causa fuerunt, quo per Chaldæos sancta ciuitas Ierosolyma fuit deuastata. (4. *Reg.* 25. 9.) *& desertas fecerunt vias ipsius in manu Ieremiæ*, seu iuxta Ieremiæ vaticinium.

2. *Vers. 9. Nam male tractauerunt illum, qui à ventre matris consecratus est Propheta*, Iechonias, & Sedecias, & alij populi Proceres Ieremiam in carcerem coniecerunt, demerserunt in foueam ibi moriturum nisi ab Abdemelch eunucho fuisset liberatus, *Ier* 38. 7 Hæc iniuste fuit passus vir eximius ille, qui ab vtero sanctificatus fuit à Deo in Prophetam electus, *euertere, & eruere, & perdere: & iterum ædificare, & renouare.* Siue vt euerteret, erueret, &c. iuxta illud Ier. 1. 10. *Constitui te super gentes, & super Regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, plantes.*

De Ieremia, Ezechiele, & minorum Prophetarum commendatione.

Vers. 10. Ezechiel. qui vidit conspectum gloriæ, (*Ezech.* 1. 4.) *quam ostendit illi Deus in curru Cherubim.* Nota est celebris illa apparitio currus gloriæ Dei à quatuor animantibus homine, aquila, leone, & boue inuecti.

Vers. 11. Nam commemoratus est inimicorum in imbre, sub allegoria imbris Ezechiel inimicis Dei mala prænunciauit. (*Ezech.* 13. 13. & 38. 22.) *Benefacere illis, qui ostenderunt rectas vias.* Alludit ad id, quod *cap* 18. 21. *Ezech.* habetur, conuertentibus enim se à viis suis prauis, & facientibus iudicium, & iustitiam, promittitur, quod viuent, & non morientur.

Vers. 12. Et duodecim Prophetarum (qui Minores dicuntur) *ossa pullulent de loco suo*, floreat, scilicet, & virescat duodecim Prophetarum memoria. * Nam cum iusti in sepulchro conduntur, ossa eorum arida non sunt, instar enim fœcundæ radicis eorum virtutis memoriam æternam vti germen emittunt.] *Nam corroborauerunt Iacob, & redemerunt in fide virtutis.* Ideò hi Prophetæ digni sunt, vt eorum memoria à cunctis celebretur, quia Israëliticum populum reuocauerunt ab impietate, & in vera Religione stabilem reddere studuere: & se immunes præstiterunt ab omni impuri illius sæculi idololatriæ dediti labe fideles Domino, & veræ Religioni addicti. * Eximiæ virtutis est documentum inter impios viuere, & eorum non infici iniquitate.]

Ossa iustorum radicis instar fœcundæ æternam virtutis eorū memoriam pullulant.

Eximia virtus, inter impios degere, & eorum impietate non infici.

Vers. 13. Quomodo amplificemus Zorobabel? quomodo celebremos eximium virum Zorobabelem. *Nam & ipse quasi signum in dextera manu*, seu dilectus fuit Deo, & ab eo custoditus, quasi annulus signatorius. Eadem comparatione vtitur Aggæus in laudando Zorobabele, *capite* 2. 24. Cuius gesta, vti Iesu Pontificis, & Nehemiæ in libris Esdræ habemus descripta.

3. *Vers 14. Sic & Iesum filium Iosedec quomodo digne laudabimus?* Qui quidem *in diebus suis ædificauerunt domum*, hoc est, Zorobabel, & Iesus Pontifex Templum reædificarunt: *& exaltauerunt Templum sanctum Domino*, excitauerunt, fabricati sunt, *paratum in gloriam sempiternam*, cuius gloria & fama erit æterna. * Vndè simul cum Templo æternum viuet reædificantium illud fama.]

Zorobabelem Iesum sacerdotem, & alios viros eximios laudat.

Fama illius, qui Templū erigit æterna cum Templo viuit.

Vers. 15. Et Nehemias in memoriam multi temporis, sit Nehemiæ fama diuturna, *qui erexit nobis muros euersos, &c.* Domus enim ciuium simul cum muris eriguntur, & simul cum dissipatis muris corruunt. Custodia domorum ex ciuitatis custodia pendet: cum murorum reparatio negligitur, quomodo domorum protegetur immunitas?

Custodiá domorū ex murorum reparatione pendet.

Vers. 16. Nemo natus est in terra qualis Henoch, primo sæculo ante diluuium nemo Henocho illustrior. *Nam & ipse receptus est à terra*, in qua degebat, vt esset terreni incola paradisi. Tam sanctum enim virum tàm egregia decebat habitatio.

Vers. 17. Neque vt Ioseph, qui natus est homo, Princeps fratrum, siue natus est, vt Princeps fratrum aliquando apud Ægyptum esset. Aptius dixerim Ioseph qui Princeps fuit, tamen *natus est homo.* * Vt edoceantur Reges operæ pretium esse, vt aliquandò ad memoriam afferant, se homines natos esse, nè ex Principatu superbiant, & cum viderint se super homines subditos esse constitutos, putent se supra homines esse natos.] *Firmamentum* fuit ille *gentis. Rector fratrum, stabilimentum populi.* Ioseph enim fratres suos cum eorum familiis aluit, & totam Ægyptum fame pressam stabiliuit. * Aptè qui *Rector* ac *Princeps* vocitatur, dicitur *firmamentum, & stabilimentum fuisse.* Id enim est Principis ac Rectoris officium subditos alere, firmare, stabilire; non verò eorum alimenta tollere, vt sine panis firmamento corruant, & pereant.]

Recordentur Principes, se homines fuisse natos.

Principis munus subditos alere ac stabilire.

Vers. 18. Et ossa ipsius visitata sunt. Cura habita fuit ossium Ioseph, vt in exitu Israëlis de Ægypto asportarentur in terram promissam, quod à Mose præstitum: *& post mortem prophetauerunt*, quia cum iuxta eius prædictionem & exitus ex Ægypto, & ossium eius elatio facta sit: Ipsa ossa declarauerunt, illum verum fuisse Prophetam. *Seth, & Sem apud homines gloriam adepti sunt*, Sethus & Semus ex pietate eximia adepti fuere magnam gloriam; *Et super omnem animam in origine Adam.* Adamus verò omnes homines excedit in origine, quia origo ac principium est omnium hominum. Græcè, *in creatione*, quia creatus est immediatè à Deo, & ex terra formatus. Quod nulli alteri homini contigit. * Ostendit Sapiens, parentes ex eo solùm capite, quod ab eis originem trahimus, magni à nobis æstimari debere, licet nullæ aliæ rationes adessent, quæ ad eiusmodi reuerentiam nos cogerent.]

Parentes, ex eo quod ex eis originem trahimus, magni à nobis debent æstimari, licet aliæ rationes non subessent.

CAPVT L.

Simon Oniæ primi filius summus Iudæorum Pontifex admodùm commendatur. Samaritani, Philistini, & Sichimitæ reprehenduntur.

1. SIMON Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. 2. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio & excelsi parietes templi. 3. In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. 4. Qui curauit gentem suam, & liberauit eam à perditione. 5. Qui præualuit amplificare ciuitatem, qui adeptus est gloriam in conuersatione gentis: & ingressum domus & atrij amplificauit. 6. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet. 7. Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. 8. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis. 9. Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne. 10. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. 11. Quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum in consummationem virtutis. 12. In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum. 13. In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, & ipse stans iuxta aram. Et circa illum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano, 14. sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filij Aaron in gloria sua. 15. Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagoga Israël: & consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi regis 16. porrexit manum suam in libatione, & libauit de sanguine vuæ. 17. Effudit in fundamento altaris odorem diuinum excelso principi. 18. Tunc exclamauerunt filij Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. 19. Tunc omnis populus simul properauerunt, & ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum, & dare preces omnipotenti Deo excelso. 20. Et amplificauerunt psallentes in vocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suauitatis plenus. 21. Et rogauit populus Dominum excelsum in prece, vsque dum perfectus est honor Domini, & munus suum perfecerunt. 22. Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israël dare gloriam Deo à labiis suis, & in nomine ipsius gloriari: 23. & iterauit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei. 24. Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies nostros à ventre matris nostræ, & fecit nobiscum secundùm suam misericordiam; 25. det nobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israël per dies sempiternos; 26. credere Israël nobiscum esse Dei misericordiam, vt liberet nos in diebus suis. 27. Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens, quam oderim: 28. qui sedent in monte Seir, & Philisthiim, & stultus populus qui habitat in Sichimis. 29. Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto IESVS filius Sirach Ierosolymita, qui renouauit Sapientiam de corde suo. 30. Beatus, qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. 31. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit, qua lux Dei, vestigium eius est.

COMMENTARII.

1. *De Simone Pontifice texuntur elogia.*



VERS. 1. *Simon Oniæ filius Sacerdos magnus.* Duo fuere huius nominis Pontifices, & vterque patrem habuit Oniam nomine. Hic, quem Ecclesiasticus celebrat, est Simon senior, qui cognominatus est Priscus. Summus fuit Pontifex. *Qui in vita sua suffulsit Domum, & in diebus suis corroborauit Templum*, quod post instaurationem factam à Zorobabel collabi cœperat. * Prima huiusce eximij viri commendatio est, Templum fulsisse, ac corroborasse, quam quidem laudem aliæ egregiæ consequuntur. Diligens enim studium circa Templorum ornatum, illustrium virtutum statuit originem.]

Diligens studium circa Templorum ornatum, illustrium virtutum statuit originem.

Vers.

Vers. 2. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, &c. A fundamentis quædam maiora, quam à Zorobabele constructa fuerant, altitudine extruxit: & secundam contignationem, & superius deambulatorium perfecit.

Vers. 3. In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, putei aquis redundarunt, aquæductibus instauratis. Dicit autem, *Emanauerunt putei,* quasi ipse fontes fodisset, & instituisset. * Quia instaurare, seu reficere opus antiquum, est veluti noua ædificatio.] * Vndè (ex. gr.) D. Theresia potest meritò Fundatrix Ordinis Carmeli appellari, quia Eliæ fontis magni sanctitatis aquæductos refecit.] *Et quasi mare adimpleti sunt supra modum.* Ex aquæ ductorum refectione mirum in modum excreuit aquæ profluxio.

Reficere opus antiquū, est veluti noua eius ædificatio.

D. Theresia Ordinis Carmeli potest dici Fundatrix.

Vers. 4. Qui curauit gentem suam, & liberauit eam à perditione, curam gessit populi vti Pontifex, & eum à periculis, & lapsibus arcere curauit. * Egregius planè Præsul, qui ex fontium reparatione temporali subditorum egestati succurrit, vt eos promptiores reddat ad spiritus promotionem. Nec enim tàm liberè potest spiritualia subditis indicere, qui circa temporalia prouidenda se desidem ostendit.]

Præsul, qui de temporalibus subditorum commodis curat, liberius eis Spiritualem indicit obseruationem.

Vers. 5. Qui præualuit amplificare ciuitatem, domorum, ac ciuium numero. *Qui adeptus est gloriam in conuersatione gentis*, inter suos ciues versando, & quæ sui erant muneris perfectè adimplendo. *Et ingressum domus, & atrij amplificauit*, Templi & atrij vestibulum magis amplum fecit. Piissimi Pontificis adhortatione crescebat fidelium ad Templum occursus, hanc crediderim esse ingressus Templi amplificationem: fecit inquam vt fideles ad sacrificia offerenda sæpius Templum & atrium inirent.

Vers. 6. 7. Quasi stella matutina in medio nebulæ, &c Fuit Onias sicut Lucifer inter nebulas translucens; hoc est, inter populi calamitates ad solatium ciuium consilio emicans & solatio: & quemadmodùm luna in diebus suis quibus pleno circulo clarius effulget: sic Pontifex in ærumnarum nocte pleni orbis fulgorem emisit. Parum est fuisse lunam plenam, nam *& quasi Sol refulgens, sic ille refulsit in Templo Dei.*

Vers. 8. 9. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ. fuit velut Iris multicolor inter nubes gloriosas, id est, fulgore eius splendidas, qui spem fouet tempestatis illicò terminandæ. *Et quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ*, continuo rigatu pulchriora: *& quasi thus redolens in diebus æstatis,* tunc enim thuriferæ arbores propter ardorem solis suauiorem odorem exhalant. *Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne,* quod suaueolentiam circumspargit.

Vers. 10. 11. Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, cum scilicet Pontificio indueretur ornatu: *& vestiri eum in consummationem virtutis*, seu cum vestiretur perfecto & consummato illo ornatu, qui Sacerdotalis & Pontificalis virtutis, & authoritatis argumentum erat, & insigne.

Vers. 12. In ascensu altaris, sancti gloriam dedit sanctitatis amictum, Græcè, *glorificauit amictum sanctitatis*, grauitate, & modestia incessus, & vultus. Hispanè dixerim, *Con su modestia honraba el habito Sacerdotal.* Cum enim Sacerdotis incessus grauis est, ac modestus, eius habitus gloriam accipit, & honorem: sicut Sacerdotis immodestia nescio quid fœditatis Sacerdotalis habitus contrahit.)

Modestius & grauis Sacerdotis incessus Sacerdotalem honorat habitum.

Vers. 13. 14. In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum, & ipse stans iuxta aram. Cum ipse acciperet membra animalium immolatorum offerenda, & imponenda holocaustorum altari, ipse erat stans iuxta aram Sacerdos & Pontifex Deo sacrificaturus pro populo. * Nonnulli Sacerdotes cum oblationes à fidelibus accipiunt non stant iuxta aram, sed iuxta propriam domum, cuius profectui, non altaris student.] *Et circa illum corona fratrum*, seu Sacerdotum, ac Leuitarum circumstantium: *quasi plantatio cedri in monte Libano*, perinde ac cedrus procera in Libano circum se habet cedrorum minorum plantas: *Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ: & omnes filij Aaron in gloria sua*, seu Sacerdotes glorioso suo amictu inducti proceræ Oniæ palmæ rami perpulchri ostentabantur.

Plures Sacerdotes cū oblationes accipiunt, suæ domus, non altaris vtilitati student.

Vers. 15. 16. Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, in eorum manibus aderat oblatio in honorem Domini litanda, *coram omni Synagoga* seu cœtu *Israël: & consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi Regis.* Pontifex consummaturus sacrificium, & extremam illi manum impositurus, vt ampliorem gloriam Dei excelsi oblationi addat, extendit manum suam ad phialam vino plenam, quam effundens in pauimentum altaris, ei libat, *Porrexit*, inquit, *manum suam in libatione, & libauit de sanguine vuæ*, vinum.

Vers. 17. Effudit in fundamento altaris odorem diuinum excelso Principi, in pauimento, super quod fundatum est altare, præstantis odoris merum Deo profudit. * Odorem, inquam, *diuinum*, Alij, *Odorem præstantis vini.* Vt moneat, sacrificium altaris vinum decere optimum, subtaxans eos, qui viuum generosum mensæ apponunt, & acidum, & vile ad altare reseruant, quod quidem vix consecrationi valet deseruire.]

Taxantur qui vinum vile, seu acidum altari apponūt vix consecrationi valens deseruire.

Vers. 18. Tunc exclamauerunt filij Aaron, &c. Tunc Sacerdotes & Leuitæ exclamauerunt canentes, ac iubilantes tubarum sonitu ex argento in laminas producto formatarum, vt Deus quasi cantu illo, & sonu exciretur, & memor sit populi. * Aliquando Deus se dormientem simulat, dum optatis nostris non illicò respondet: tunc debemus exclamare, & intensis precibus eum excitare, vt exaudiat, & succurrat.]

Aliquando Deus se dormientem simulat, vt eū clamoribus precibus excitemus.

Vers. 19. Tunc omnis populus simul properauerunt, &c. * Cum Sacerdotes, dum Religiosi, dum iusti pro te orant, tu non debes tacere, sed præferens humilitatem, preces tuas illorum orationi addicere. Preces enim aliorum sine tua cooperatione quid proderunt?]

Oremus & nos, cum pro nobis alij orant.

Vers. 20. Et amplificauerunt psallentes in vocibus suis. Græcè, *laudauerunt*, scilicet Dominum magnificantes, ac celebrantes illum: *& in magna domo auctus est sonus suauitatis plenus*, vocis cantorum multiplicatis concentu suauissimo.

Vers. 21. Et rogauit populus Dominum excel-

ſum in prece, &c. Perſtitit in oratione populus, quo vſque ſacrificium in Dei honorem oblatum abſolueretur, & Sacerdotum munus perficeretur. * Subtaxantur fideles, qui dum incruentum auguſtius admodum Miſſæ ſacrificium peragitur, loco precum vana colloquia miſcent.]

Taxantur, qui dum Miſſa celebratur loco precum vana colloquia miſcent.

Verſ. 22. Tunc deſcendens, manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſrael ſuper omnem populi cœtum, *dare gloriam Deo a labiis ſuis: & in nomine ipſius gloriari.* Sacerdos enim benedicens populum, ſimul dabat gloriam Deo, quem bonorum omnium, quæ populo precabatur, profitebatur authorem.

Verſ. 23. Et iterauit orationem ſuam. ſeu benedictionem, qua populo benè precabatur: *volens oſtendere virtutem Dei,* ſeu vt magis ac magis oſtenderet, & publicè celebraret Dei potentiam bonitatem, ac beneficentiam in populum.

Verſ. 24. 25. Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies noſtros, ab infantia vſque ad hanc ætatem annos annis adiiciens, *à ventre* ſcilicet, *matris noſtra, & fecit nobiſcum ſecundum ſuam miſericordiam: vt det nobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus noſtris in Iſrael per dies ſempiternos.* Vt detur, inquit, pax, dum qui viuimus nunc fuerimus ſuperſtites, ſed qua etiam qui decurſu temporis venturi ad vitam fuerint, etiam fruantur. * Non enim deceret tantum Pontificem propriæ ſuæ, & eorum, qui tunc viuebant vtilitati, ac commoditati ſtudere: cum boni Præſulis prouidentia ad futura etiam tempora profeatur.]

Probi Præſulis prouidentia ad futura tempora proferri debet.

Verſ. 26. Credere Iſraël, nobiſcum eſſe Dei miſericordiam, vt liberet nos in diebus ſuis, vt ſperemus, nobiſque perſuadeamus adeſſe nobis Dei miſericordiam, vt liberet à cunctis periculis & ærumnis nos in diebus Simonis Pontificis.

Verſ. 27. 28. Duas gentes odit anima mea, tertia autem non eſt gens, quam oderim, ſeu non eſt 2.
digna nomine gentis, ſcilicet ſamaritani ex variis gentibus conflati. *Qui ſedent in monte Seir, & Philiſtiim, & ſtultus populus, qui habitat in Sichimis.* Duæ gentes, quas odit, ſunt Idumæi montis Seir incolæ, & Philiſtæi. Tertia autem gens non gens ſunt Samaritani Sichimitæ, apud quos in monte Garizim, qui eſt iuxta eorum ciuitatem, templum Schiſmaticum (vt ſic loquar) Ieroſolymitano ſimile erat conſtructum. Hinc controuerſia de loco, in quo oportebat adorare, quæ inter Iudæos, & Samaritanos diſcutiebatur. *Ioan. 4. 20.*

Sichimitæ, Philiſtiim, & Samaritani taxantur.

Verſ. 29. Doctrinam Sapientia, & diſciplina ſcripſit in codice iſto Ieſus filius Sirach Ieroſolymita: qui renouauit Sapientiam de corde ſuo, quia priſcam veterum Sapientiam penè obſoletam, & obliuioni datam de nouo conſcripſit, & ad mores formandos edidit, ex corde quidem in communem affecto vtilitatem.

Verſ. 30. Beatus qui in iſtis verſatur bonis præceptis virtutum & earum præmiis. *Qui ponit illa in corde ſuo, Sapiens erit ſemper.*

Verſ. 31. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit, ad omnia, quæ agenda illi occurrerint, fiet potens, & validus, *quia lux Dei veſtigium eius eſt,* quia ambulat, & veſtigia greſſuum, actionumque ſuarum figit in luce legis, & Sapientiæ Dei. Sic Dominus *Ioan. 8. 12. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.*

CAPVT LI.

Deum Eccleſiaſticus laudat, qui ipſum è multis, magniſque periculis eripuit. Cæleſtis Sapientiæ ſtudium cunctis commendat.

1. ORATIO IESV filij Sirach: Confitebor tibi Domine rex, & col-
laudabo te Deum ſaluatorem meum. 2. Confitebor nomi-
ni tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, 3. & li-
beraſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, &
à labiis operantium mendacium, & in conſpectu aſtantium
factus es mihi adiutor. 4. Et liberaſti me ſecundùm mul-
titudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus, præpa-
ratis ad eſcam, 5. de manibus quærentium animam meam, & de portis tribu-
lationum quæ circumdederunt me: 6. à preſſura flammæ quæ circumdedit me,
& in medio ignis non ſum æſtuatus: 7. de altitudine ventris inferi, & à lingua
coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo, & à lingua iniuſta: 8. laudabit
vſque ad mortem anima mea Dominum, 9. & vita mea appropinquans erat in in-
ferno deorſum. 10. Circumdederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret.
Reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. 11. Memoratus ſum
miſericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ à ſæculo ſunt: 12. quo-
niam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium. 13. Exal-
taſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus ſum.
14. Inuocaui

14. Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tri-
bulationis meæ, & in tempore superborum sine adiutorio. 15. Laudabo no-
men tuum assiduè, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio
mea. 16. Et liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo.
17. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.
18. Cùm adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, quæsiui sapientiam palàm in
oratione mea. 19. Ante templum postulabam pro illa, & vsque in nouissimis in-
quiram eam. Et effloruit tanquam præcox vua, 20. lætatum est cor meum in ea.
Ambulauit pes meus iter rectum, à iuuentute mea inuestigabam eam. 21. In-
clinaui modicè aurem meam, & excepi illam. 22. Multam inueni in meipso sa-
pientiam, & multum profeci in ea. 23. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.
24. Consiliatus sum enim vt facerem illam: zelatus sum bonum, & non con-
fundar. 25. Colluctata est anima mea in illa, & in faciendo eam confirmatus
sum. 26. Manus meas extendi in altum, & insipientiam eius luxi. 27. Animam
meam direxi ad illam, & in agnitione inueni eam. 28. Possedi cum ipsa cor ab ini-
tio: propter hoc non derelinquar. 29. Venter meus conturbatus est quærendo
illam: propterea bonam possidebo possessionem. 30. Dedit mihi Dominus lin-
guam mercedem meam: & in ipsa laudabo eum. 31 Appropiate ad me indocti,
& congregate vos in domum disciplinæ. 32. quid adhuc retardatis? & quid dicitis
in his? animæ vestræ sitiunt vehementer. 33. Aperui os meum, & locutus sum:
comparate vobis sine argento, 34. & collum vestrum subiicite iugo, & suscipiat
anima vestra disciplinam: in proximo est enim inuenire eam. 35. Videte oculis
vestris, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. 36. Assumite
disciplinam in multo numero argenti, & copiosum aurum possidete in ea. 37. Læ-
tetur anima vestra in misericordia eius, & non confundemini in laude ipsius.
38. Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram in
tempore suo.

COMMENTARII.

1.

Oratio Siracidis, & gratiarum actio.

Oratio, qua à Deo petis secundũ beneficium est actio gratiarum pro prima receptione.



ERS. 1. 2. *Oratio Iesu filij Sirach,* seu hymnus, quo Siracides Deo gratias agit, quod à periculis eius protectione fuerit liberatus. * Quàm facilè potest pro beneficiis passim à Deo acceptis gratias acceptabiles quidem reddere, qui potest orare. Oratio enim est gratum ad actionem gratiarum sacrificium, siquidem petit, qui orat. Deus enim tam munificus est, vt secundi beneficij petitio, sit pro primo accepto gratiarum actio.] *Confiteor tibi, Domine Rex*, te Deum meum, & Regem meum esse profiteor, *& collaudabo te Deum saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor, & protector factus es mihi* in cunctis, quæ irruerunt, tribulationibus.

Vers. 3. Et liberasti corpus meum à perditione, ab interitu. Circumuentus enim fui falsis criminibus, & calumniis apud Ptolomæum Lagi, cum Ierosolymam occupauit, in qua tunc degebam: *à laqueo linguæ iniquæ* calumnias proferentis: *& à labijs operantium mendacium*, seu à falsis testibus: *& in conspectu adstantium factus es mihi adiutor*, cum steti coram Rege multorum adstantium corona circumdato.

Iesv nomen inuocans à calumniis liberatur.

Vers. 4. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam, à prauis illis hominibus, qui me tanquam leones vorare parabant. * Hic est sanctissimi nominis Dei Iehoua siue Iesv misericordiæ effectus, homines iustos à calumniatoribus liberare; quia pacis dulcedinem cunctis inuocantibus se quamprimùm impertit.]

Vers. 5. 6. 7. 8. 9. De manibus quærentium animam meam, liberasti me de manu eorum, qui me occidere intendunt: *& de portis tribulationum, quæ circumdederunt me*, seu à causa & origine tribulationum, quæ in me irruerunt, vt ablata causa diri hi impediantur effectus. *A pressura flammæ, quæ circumdedit me*, ab acri ærumna, quæ me exurens omni ex parte vallabat: quare *in medio ignis non sum æstuatus*, seu consumptus, *De altitudine ventris inferi*, ex ipsis orci faucibus me eripuisti: *& à lingua coinquinata*, seu impura calumniantium, *& a verbo mendacij*, seu falsa testificatione: *à Rege iniquo* Ptolomæo: *& à lingua iniusta Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum*, pro tot beneficiis, dum vixero, Dominum laudabo: *& vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.* Quid non, dum viuo, Deum laudem, si me iamiam quasi sepulchro addictum videram, & Dei ope me adhuc inter viuentes esse comperio?

Vers. 10. Circumdederunt me vndique hæ tribulationes, *& ex hominibus non erat, qui me adiuuaret:* tunc autem Dominum nactus sum adiutorem. * Quando enim iustis humana deficiunt auxilia, tunc properans adest diuina protectio.] *Respiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat.* * Propinqui enim, & amici assolent hominem actum tribulatione deserere: vnde imprudens admodum est, qui in hominum protectione confidit.]

Cum deficiunt iusto humana præsidia, præsto adest diuina protectio.

Propinqui, & amici deserunt in tribulatione.

Vers.

Verſ.11.12. Memoratus ſum miſericordia tua, Domine, & operationis tuæ, ſeu miſericordiæ, quam opere præſtas, *quæ a ſæculo ſunt*, de cuius miſericordiæ operibus omnia ſæcula exclamant. *Quoniam eruis ſuſtinentes te Domine*, ſeu expectantes patienter opem tuam, & cum ſpe inuocantes. *& liberas eos de manibus gentium* infidelium, quæ tuos acriter perſequuntur.

Verſ.13. Exaltaſti ſuper terram habitationem meam, domum, familiam meam quaſi à terra exaltaſti, vt in terra ærumnis plena feliciter viuerem, & glorioſe habitarem: *& pro morte defluente deprecatus ſum.* Græcè, pro mortis liberatione deprecatus ſum. * Mors defluens eſt, quæ inſtar fluminis hominem ſecum rapit.] * Dum igitur Siracides ſe felicem videbat, precabatur, ne à defluente morte raperetur. Tunc enim aſſolet homo propinquior morti adeſſe, cum maiori in terra felicitate fruitur.]

Rapidus fluuius eſt mors.

Tunc ſolet homo propinquior morti eſſe, cum maiori hic felicitate fruitur.

Verſ. 14. Inuocaui Dominum Patrem Domini mei. Patrem Meſſiæ venturi. Videtur Siracides aliquam ſanctiſſimæ Trinitatis notitiam habuiſſe. * Vel memorat Meſſiam, oſtendens per eum ſuam orationem fuiſſe efficacem. Quod quidem confirmat Eccleſia cunctis ſuis orationibus illam clauſulam adiiciens: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.*] Inuocaui igitur Deum, *vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum*, cum ſcilicet ſuperbi dominantur, *ſine adiutorio.*

Omnia à Patre cœleſti per Chriſtum Dominũ petenda, vt efficax ſit oratio.

Verſ. 15. Laudabo nomen tuum aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione: & exaudita eſt oratio mea. Eſt hyperbaton, ſiue inuerſus ordo, poſterior enim pars verſiculi præponenda eſt priori hoc modo: Inuocaui Dominum, & ab eo oratio mea fuit exaudita; ideoque laudabo Dominum, &c. * Vel gratias agit pro beneficio accipiendo antequam id recipiat, vt gratum animum oſtendens, certiorem faceret beneficij, collationem. Homini enim ab ingratitudinis vitio immuni Deus largè dona impertitur.]

Te gratum oſtende ante beneficij acceptionem, vt id certum efficias.

Verſ. 16. 17. Et liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo, ea interitu, & tempore illo periculis pleno, malitia, & iniuſtitia me liberaſti. * Nam cum Princeps regnat iniuſtus, tempus imperij illius plenum eſt iniquitate.] *Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini*, ſiuè Domino.

Cum regnat iniuſtus Princeps, tempus imperij illius plenum eſt iniquitate.

2\. *Verſ.18. Cum adhuc iunior eſſem, priuſquam oberrarem, quæſiui Sapientiam palam in oratione mea.* In iuuentute, antequam ſeducerer per errores & vitia illi agnata ætati, publicè & ex profeſſo procuraui Sapientiam acquirere litteris ediſcendis dedi operam. * Et edocet adoleſcentes, neceſſarium eſſe ad fouendam virtutem & vitia fugienda, non torpere otio, vitiorum fonte, ſed operam dare ſcientiæ acquirendæ.]

Suum circa acquiſitionem Sapientiæ ſtudium exponit.

Iuuentus litteris det operam vt vitia ex otio profluentia vitare valeat.

Verſ.19. Ante Templum poſtulabam pro illa comparanda. * Oratio enim acuit ingenium ad vberiorem ſcientiæ acquiſitionem.] *Et vſque in nouiſſimis inquiram eam*, vſque ad mortem eius acquiſitioni ſtudebo. * Quantumuis enim quis doctus ſit, tam ampla eſt ditio Sapientiæ, vt ſemper amplius habeat quod ediſcat.] *Et efflorujt tanquam præcox vua.* Præcox Sapientiæ ſtudium eam mihi citò admodum conciliauit. Aptior enim eſt iuuentus ad litterarum ſtudia.

Oratio ingenium ad ſcientias acuit.

Quantumuis quis ſit doctus, magis habet, quod diſcat.

Verſ.20. Lætatum eſt cor meum in ea. Ambulauit pes meus iter rectum, à iuuentute mea inueſtigabam eam. Quia à iuuentute operam dabam litteris, viam virtutis iniui. * Adoleſcens namque ſtudio addictus, virtutis æque ſtudioſus oſtenditur.]

Studioſus litterarum, ſtudio ut virtutis oſtenditur.

Verſ.21. Inclinaui modicè aurem meam, & excepi illam. Modice quidem, Quià non admodum nimio labore opus eſt ad comparãdam Sapientiam: nam vel modice inclinanti aures ad doctrinam eius excipiendam, ſtatim adeſt.]

Non requiritur nimius labor ad ſcientiæ acquiſitionem.

Verſ.22.23.24. Multam inueni in meipſo Sapientiam, & multum profeci in ea. Danti mihi Sapientiam dabo gloriam. Vt ſcilicet creſcente in me Sapientiæ cognitione creſcat & gratitudinis affectus. * Actio enim gratiarum pro beneficio accepto, facit conſeruari, ac creſcere beneficium.] *Conſiliatus ſum enim, vt facerem illam*, cogitaui, decreui illam mihi parare: *zelatus ſum bonum*, rem bonam, & præſtantem optaui: *& non confundar*, non erit irrita, nec fruſtrabitur me ſpes mea.

Actio gratiarum facit conſeruari, & creſcere beneficium.

Verſ.25.26.27. Colluctata eſt anima mea in illa, luctatus ſum cum occurrentibus difficultatibus, dum mihi illam pararem. * Hoc magnis rebus agnata proprietas, vt primus ad illas ſit difficilis ingreſſus.] *Et in faciendo eam, confirmatus ſum*, effotmaui animum in ea acquirenda. * Firma gerendi aliquid voluntas conſequendæ illius difficultates ſuperat.] *Manus meas extendi in altum, & inſipientiam eius luxi.* Ad orandum Deum manus leuaui, & dolui quod ignoraretur à me Sapientia. *Animam meam direxi ad illam, & in agnitione inueni eam*, deſiderium meum ad illam aſſequendam direxi: & agnoui, inueni, & tenui eam. * Si aliquid difficilè aſſequi velis, id vehementer deſiderare cura. * Affectuoſum enim deſiderium vires acuit, ad operandum.]

Difficilis ad res magnas ingreſſus.

Firma gerendi aliquid voluntas eius aſſequendæ difficultates vincit.

Affectuoſum deſiderium res difficiles cõſ[illegible]tur.

Verſ.28. Poſſedi cum ipſa cor ab initio, cordatus & Sapiens factus fui. *propter hoc non derelinquar*, Sapientiæ præſidio deſtitutus non ero. * Nec enim bonum Sapientiæ fortunæ caſibus eſt obnoxium. Opes facile deperduntur, filij pereunt, honor obſcuratur fortunæ rotata curſitatione: Sapientia non deperit, imò non ſemel ipſa tribulatione acuitur.]

Sapientia fortunæ caſibus obnoxia non eſt.

Verſ.29. Venter meus conturbatus eſt, quærendo illam. Cor & viſcera mea deſiderio, cura, & ſolicitudine conturbata ſunt, dum laborioſè ſector Sapientiam: *propterea bonam poſſidebo poſſeſſionem*, eam æternùm poſſidebo. * Quod enim labore acquiritur, diutius retinetur.]

Quod labore acquiritur, diutiùs retinetur.

Verſ.30. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, in præmium laboris mei Deus dedit mihi linguam eruditam & diſertam, qua & ipſum laudem, & vas inſtruam. *Et in ipſa laudabo eum.*

Verſ.31.32.33. Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ, ſeu ad aulam accedite. *Quid adhuc retardatis*, ſeu moras nectitis? *Et quid dicitis in his?* quid ſuper his dicitis? quid tandem facere ſtatuitis? *Anima veſtra ſitiunt vehementer.* Dum aridi ſitis, ſine Sapientia, & illam ſitiatis, quare illicò ad Sapientiæ fontem non curritis? *Aperui os meum,* 3.

Nos ad Sapientiæ ſtudium inuitat.

&

& loquutus sum, ad docendum, en fons iam aquas profundens vobis ostenditur.

Vers. 34. Comparate vobis sine argento, & collum vestrum subycite iugo: & suscipiat anima vestra disciplinam; in proximo est enim inuenire eam, facilè, non multo negotio inueneris bonum quod vobis gratis accipiendum exponitur.

Vers. 35. Videte oculis vestris, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. * Tantum enim est acquirendæ Sapientiæ lucrum vt post multos exantlatos labores, Sapienti nihil laborasse videatur.]

Modico in acquirenda Sapientia labori magnū lucrum respondet.

Vers. 36. Assumite disciplinam in multo numero argenti; & copiosum aurum possidete in ea. Quasi magnum argenti & auri thesaurum Sapientiam accipite: omnes enim superat opes.

Vers. 37. Lætetur anima vestra in misericordia eius, siue Dei, cuius misericordia (sic Græcus) eam acquiretis, & cum acquisieritis immensa lætitia perfruemini: *& non confundemini in laude ipsius*, non erit occasiò confusionis coram Deo, quod post acceptam eius misericordia Sapientiam, eum gratitudinis ergo non laudaueritis, illa enim lætitia ea acquisitione Sapientiæ à vobis concepta, vos quasi coget ad proferendas laudes.

Vers. 38. Operamini opus vestrum ante tempus, diligenter agite quod ag ris ante tempus mercedi reddendæ destinatum, siue ante mortem in hoc sæculo, (quod Hebræi vocant *sæculum operis*, sicut futurum, *sæculum mercedis.*) *& dabit vobis Deus mercedem vestram in tempore suo*, siue in sæculo mercedis. * Edocet, iustum, dum viuit, nullatenus debere à Deo præmium vllum pro rectè gestis postulare; nam sæculum hoc est *sæculum operis*, non *mercedis*, quæ ad futurum sæculum reseruatur.] * Porrò in sæculo hoc debemus rectè operari, nec ad alterum operationem remittere, sæculum enim illud non est operis, sed mercedis.]

Sæculum hoc est sæculum operis, non mercedis sæculum alterū est mercedis non operis.

AD DEIPARENTEM Dominam meam.

EPILOGVS.



QVINQVE hosce libros Patres Sapientiales appellant, quia Christum Dominum veram Sapientiam halant, & quæ ipse prædicauit, dogmata enunciant. Profectò cum Deipara sit Mater Sapientiæ incarnatæ, in qua velut in vase recepta fuit, veræ Sapientiæ proprietates in ipsa recognosco. Dixit Sapiens *Eccli. 39. Sapientiam omnium antiquorum exquisiuit, & in Prophetis vacauit. Narrationes virorum nominatorum conseruauit, & in versutias parabolarum simul introiuit. Occulta prouerbiorum exquisiuit, & in absconditis parabolarum conuersata est.* En vera Mariæ descriptio. Addit Richardus Laurentinus *lib 4. de laud. virg. Non enim decebat, vt vas cælestis Sapientiæ expers esset à Sapientia.* Vndè Maria, vt dignum esset Sapientiæ diuinæ vas, Sapientissima exponitur. *Nam* Sapientiam omnium antiquorum, *seu Saporem & cognitionem cælestium, quam antiqui habuerunt*, exquisiuit, *id est, extrà alia quæsiuit.* Et in Prophetis, *id est, in propheticis intelligentiis* vacauit, *curis contemptis.* Narrationem, *id est doctrinam* virorum nominatorum, *id est, Apostolorum, & Euangelistarum* conseruauit. Et in versutias parabolarum, *id est, in occultas subtilitates* simul introiuit, *diligenter perscrutando, perforata superficie litterali, vel figurali.* Occulta prouerbiorum, *id est, sensum mysticum & moralem* exquisiuit, *seu toto corde quæsiuit.* Et in absconditis parabolarum, *id est, in occultis alle-*

Maria Mater Sapientiæ incarnatæ Sapientiæ habet Sapientiæ cælestis proprietates.

goriis figuratiuarum locutionum intelligendis conuerſata eſt, *ſtudendo, & meditando.* Et concludit pulchrè: *Si enim hæc omnia verè dicuntur de vero Sapiente, multò veriùs dici poſſunt, & debet de Matre Sapientiæ incarnatæ.*

LAVS DEO,
Deiparæ, Ioſepho, Ignatio, Antonio.



INDEX



INDEX VNICVS.

MORALES CONCEPTVS ad Concionatores.

Prior numerus paginam : Posterior columnam designat.

A

Absentia : Absens.

Absentia ingerit animo obliuionem. 66.1
Qui annuit de absēte murmurantibus,ab istis leuis, ac imprudens iudicatur. 217.1

Abstractio.

Abstractio à praua societate, virtutis est adminiculum. 552.1

Abundantia.

Sanctè quis potest rerum temporalium abundantia frui. 85.2
Opum abundantia luxoriei fomes. 258.1

Acceptio.

Acceptio personarum Iudieis famam nimis deturpat. 69.2

Actio.

Actio gratiarum facit conseruati, & crescere beneficium. 314.2
Vide verbo *Gratiarum actio.*

Actus.

Ob eximium virtutis actum vnios solet Deus toti nequam Communitati ignoscere. 300.1

Accusare.

Difficile est, qui accusatur falsò, oon loqui contra accusatorem. 51.1
Quasi de falso erimine alium accusas,cum ei peccata pœnitudine abluta improperas. 200.1

Addere.

Verbo Dei nihil addendum,vel auferendum. 74.1

Adiuuare.

Ne adiuues ineptum, vt ad officium assumatur, nè postea rubore afficiatis. 235.1

Adolescentia.

Adolescentia libidini addicta, libidinosam senectam connotat. 52.1
Memoria mortis immaturæ effrænata adolescentia quiescit. 104.2
Virtus in adolescentia Deo admodum grata. 113.1
Adolescens qui litteris non vacar, plerumque voluptatibus captandis studet. 71.1

Adorator.

Stulti admodum sunt Ministrorum Curiæ, aut aulæ adoratores. 161.2

Adulatio: Adulator.

Adulatio vel inter Christicolas facit,idola coosiogi. 164.1
Adulatio facit, subditos plures Solem orientem, quàm occidentem adorare. 88.2
Adulator stultus planè est. 93.2

Adulter : Adulterium.

Ex filio adulterij nihil bonum poteris expectare. 11.2
Raró videris adulteram, de qua noo fit rumor, & murmuratio in populo. 139.2
Idem est adulterij fœdo crimine frui, ac pœnitere. 15.2
Filius ex adulterio solet pareoti scelesto assimilari. 138.2

Ædificare. Ædificatio.

Stultè domom ædificat, qui ex domestieorum victu aufert,qood ædificationi impendit. 83.1
Stultè quis curat domum ædificare, cum vix habeat qoid domestiei comedant. 59.2

Æger.

Locus Medieo dandus oon est, donec æger animo medeatur. 179.2

Ægestas.

Nihil durius impio, quàm ægestas, quâ pressus nequit indulgere deliciis. 8.1

Ægyptij.

Merito Ægyptij sangoineis aquis puniebantur, qui sanguine infantium aquas rubricarunt. 155.1
Durior es Ægyptiis, siquidem illi eognouerunt ob peccata punitu autem id nō animaduertis. 155.2

Ægritudo.

Ex veneris immoderato vsu ægritudines. 7.1
Ægritudines, quæ docent homioem fugere volnptates,Dei beneficio obueniunt. 48.2
Peccatorem Deus ægritudine affligit, vt eoouertatur. 254.2
Fœdæ ægritudioes, & immatura mors ex luxuria. 217.1
Correptos ægritodine priùs confessarium, quàm Medicum aduoca. 179.2

Ægrotus.

Ægrotus ingemiscit,vbi mulier oon adest. 174.2

Æmulator.

Filij plerumque sunt virtutis, vel vitij parentum æmulatores. ad initium voluminis in Antilogia.

Æqualitas.

Infelix tempus quando putet homines, io pondere & mensura vti æqualitate. 290.2

Ærumna.

Omnium ærumnarum quæ ei possunt euenire, peccator est debitor. 152.2

Ne ærumnæ angaris, quæ cum tempore volat. 215.5

Ærumnæ hominum hoc ex capite mitiùs torquent quòd memoriam mortis indulcant. 188.1

Deus permittit suos filios ærumnis agitari, vt Christo assimilentur. 536.1

Ærumnæ quibus peccator affligitur, à Deo emittuntur, vt obseruatriæ legis recordetur. 169.1

Iustis in die obitus diuturnæ ærumnæ, vix eius horæ fuisse videntur. 208.2

Dotissimæ ærumnæ verbis consolatoriis emolliuntur. 87.1

Magna fortunæ ærumna, cogi nobilem ignobili seruire. 245.5

Magna ærumna coniux iracunda, quæ virum cogit ingemiscere. 246.1

Æstimare: Æstimatio.

Cum iusti æstimantur, Respublica floret; cum impij florent, illa marcescit. 69.1

Qui honoris vitam æstimat, eliget potiùs sagittâ configi, quàm famam vulnerari. 61.2

Maiori æstimatione dignior Sapiens, quam Principes. 95.1

Æternare.

Qui cupit suam memoriam æternare & in hoc sæculo, horreum suis opibus ad alendos pauperes constituat. 153.5

Affectus.

Ad Dei laudes æquandas dum lingua ac mens non possit, vbet tendat cordis affectus. 295.1

Affectus ad studium litterarum non vulgare prædestinationis est signum. 190.1

Qui adulatoris non cognoscit affectum decipiendi, captus est intellectu. 48.2

Affectus Dei ad munerandum, affectui iusti ad seruiendum respondet. 5.1

Errat, qui putat, se occultos proximi affectus posse callere. 98.2

Agnitio.

Agnitio Dei non est otiosa, sed plurima bona agnito, vel electo afferens. 297.2

Agnoscere.

Qui Deum agnoscit, eum timet. 242.2

Agricola

Ditior est agricola Equitibus, siquidem mutuata pecunia non indiget. 67.2

Agricolarum in mensa penuria ciborum, sed pacis abundantia. 39.5

Ditiores sunt agricolæ, quàm equites. 69.2

Amans: Amare.

Signum veri amantis est, dona amato largiri. 44.5

Verè amans vltro dimittit contemplationis dulcedinem, vt pergat ad proximos. 112.2

Amantis animus in proprio corpore mortuus, in amato viuit. 217.2

Verus amans solum intendit in amatum, non in eius munera. 158.1

Qui Deum amat, vicissim ab eo procul dubio diligitur. 123.1

Vere amans Iesum, satagit alios ad eius allicere dilectionem. 108.2

Quantò plus Deum te amare videris, tantò plus sanctitatis te habere non dubites. ibid.

Verè non amat, qui amati errata non corripit. 65.2

Amor.

Parentum amor in filium ostenditur, cum eum erit & delinquentem flagellat. 8.2

Amor & cura parentis in filios multos ita debet æqualis ostendi, ac si singuli essent vnigeniti. 9.1

Amor Christi virilis, fortis, seu seuerus non est, maternus est, vbera gestat. 108.1

Impudicus amor ebrietas. 54.2

Nos cogit ad Christum laudibus efferendum illius erga nos amoris immensitas. 122.2

Amaritudo.

Peccati inseparabilis comes amaritudo. 232.2

Amicitia: Amicus.

Vera amicitia nec vulnere soluitur. 236.1

Multæ amicitiæ dissoluuntur, ex vno verbo addito, vel detracto susurronis. 59.2

Nihil magis amicitiæ agnatum quam amici operire defectus. 59.2

Fidelis amicus afflictionis tempore non recedit 61.1

Verus amicus instar thesauri est. 195.1

Nihil vero amico æquiualet. ibid.

Verus amicus spiritualia commoda amici procurat. ibid.

Magnum veri amici pretium, siquidem iustis datur hic à Deo in partem præmij iustitiæ. ibid.

Qui Dei infidelis amicus est, homines infideles experietur amicos. ibid.

Probandus amicus, priusquam eligatur. 594.2

Verus amicus in tribulatione dignoscitur. ibid.

Sunt multi solum ad mensam amici. ibid.

Amicitia vulgarem quemlibet facit Principi æqualem. 595.1

Qui ad amicitiam altioris se fuerit euectus, debet se inferiorem reputare semper, nec de amicitiæ æqualitate præsumere. 195.5

Verus amicus non casu reperitur, sed magna inuenitur diligentia. 195.1

Verus amicus amicum peccantem monet, ac corripit. 227.2

Verus amicus vita hominis. 236.2

Vt verus amicus conseruetur, sufficit, longo tempore apud te amici nomen non amisisse. 203.1

Amicus sit tibi quasi frater; & frater tibi quasi verus amicus æstimetur, vt afflicto vtrique affectuosè subueniet. 401.2

In necessitate citius amicus, quam propinqui succurrit. 66.1

Omni auro pretiosior fidus amicus. 198.2

Verus amicus fuisse probatur, qui te in aduersis non deserit. 210.2

Simulata amicitia facile dignoscitur. ibid.

Amicus reuelans secretum fugiendus. 47.2

Verus amicus cunctis propinquis est præponendus. 43.2

Verus amicus difficilis inuentu. 245.2

Cor sauciat fidisse illi, qui falsus amicus fuisse deprehenditur. 275.2

Verus amicus cunctis diuitiis est comparandus. 276.1

Verus amicus animi afflicti requies. 253.1

Vera

Veræ est amicitiæ, amicum delinquentem corripere. 42.2
Deum amicum habe, qui tua non quærit, sed te ditare satagit. 212.1
Amicitia inter similes persistens est. 212.2
Dei amicus debet odio habere peccatum, quod Deo est inuisum. 217.2
Sine amico nulla felicitas. 451.2

Amplexus.

Ab amici infidelis amplexu, sicut à Iudæ osculo fuge. 85.1

Angelus.

Angeli mouent astra, & cœlos in magnum hominum beneficium. 220.1
Inuincibilis obiicitur hostibus anima, in qua virtutum concordia residet. 125.1

Animus.

Sordidi est animi, aliquid de primitiis, seu decimis imminuere. 171.1

Arcanum.

Imprudenter agit, qui cordis arcana cuilibet sine delectu reserat. 127.1
Ille, cui aliena arcana reuelas, tibi propria non reuelabit, iudicans te non seruaturum. 127.2

Arma.

Virtutum arma præparandum vinis, vt diaboli tela validius in obitu oppugnaturi retundere possis. 97.1

Armamentum.

Armamenta fortis mulieris colum, & fusum, sicut militis gladius. 77.2
Arma Sacerdotum oratio. 174.2

Artifex.

Artifices non omne tempus operæ manuum dedant. sed partem reseruent animi operationi. 281.2

Aspectus.

Fœminæ saltatricis, aut cantatricis fugiendus aspectus. 201.1

Assequi.

Sapientiam assequi, præmium est laboris eam assequi. 7.2

Assuescere.

Qui alicui assuescit vitio, rarissimè ab eo abstrahitur. 239.1

Astutia.

Tanta est hominum astutia, vt ad eam callendam quodammodo necessum sit, Deum diu meditari. 291.2

Atheismus.

Affluentiæ diuitiarum agnatus Atheismus. 74.1

Auarus : Auaritia.

Auarus quò vberius acquirit, eò crudelius se fame premit. 91.1
Auarus morti frænatur obiectu. 66.2
Auarus sine vsu opes possidet. 214.1
Omnis auarus est inuidus. ibid.
Auarus luxuriei aliorum diuitias congregat. ibid.
Auarus plerumque acquirit iniustè, vel retinet. ibid.
Auaro nulla circa egentes miseratio. ibid.
Auarus est suiipsius carnifex. ibid.
Nunquam auarus alij benefacit ex animo. ibid.
Tanta est vis miseriæ pauperis, vt vel auarus si illam videat, succurrere cogatur. ibid.
Auarus sola diuitiarum specie fruitur, non ipsis diuitiis. 260.1
Toto acquisito diuitiarum auarus minimè satiaretur. 215.1

Auarus in mediis diuitiis eget, in mensa ieiunat. ibid.
Auaritia omnium parens vitiorum. 205.1
Non placet Deo hominem strictè viuere, vt opes auarè recondat. 99.2
Ex auaritia Principis perit Imperium. 71.2
Felicior est mendicus, quam auarus diues, & admodum ditior. 91.1
Abiecti animi est, se propinquo petenti auarum ostendere. 289.2
Minister auarus omnia vendit, iustitiam, animam, æternitatem. 102.2
Auarus aptè *nequissimus* appellatur. 261.1
Auarus qui pauperum substantiam comedit, eos simul gladio interimit. 74.2
Si auarus moriturus aliquid pio operi dedicat, à seipso quasi rapina aufert. 90.1
Auaro tam deest quod habet, quam quod non habet. 260.1
Ardentissimus auari ad pecuniam affectus. 51.1

Auctor.

Multi Auctores voluminis se esse iactant, cum solùm sint alieni operis transcriptores. 83.2

Audire : Auditor.

Audire stulti contentiones, molestissimum. 65.2
Amara est Regibus nuda veritatis auditio. 303.1
Cordati auditores eos solùm in Concionatores conceptus laudant, qui ad mores spectant. 196.2
Sufficit vnus auditor, vt Concionator possit vtiliter sermonem agere. 263.1
Stultum se ostendit auditor, qui terminata Concione nihil corde retinet ex dictis. 235.1
Vide verbo *Concionator.*

Aula : Aulicus.

Qui versatur in aula, debet orationi studere, vt à periculis aulæ agnatis à Deo liberetur: Politici autem ad pia Regis interrogata, adulatione, ac mendacio respondent. 97.1

Auris.

Non proficit applicare aures ad Concionem, si cor non applicetur. 55.2

Aurum.

Auri pondus facit balancem iustitiæ in iniuriam inclinare. 200.1

Autor.

Creaturarum proprietates, Sacræ Scripturæ dogmata Deum autorem, esse manifestant. 112.2

B

Beatitudo.

Elargientis eleemosynam beatitudo. 31.1

Bellum.

Omnia in bello mala, cuncta in pace bona continentur. 6.1
Bellum est multitudinis vrbium desolatio. 149.2
Periculosius & diuturnius bellum domesticum. 124.2

Benedictio.

In Sacerdotali benedictione quodammodo accipimus gloriæ possessionem. 299.2

Beneficium.

Quodlibet à Deo acceptum beneficium, est prouocatio

catio ad eum amandum, & gratias ei referendum. 173 2
Beneficia à Deo accepta nos ad feruentiores virtutum actus debent excitare. 210.1
Qui animo seruili est, ex accepto beneficio, ansam arripit ad iniuriam. 267.1
Simul debent incedere beneficium acceptum, & gratiarum actio. 176.1
Magnum Dei beneficium, annos multos enumerare. 21.1
Si vno beneficio accepto ingratus existis, indignum te alterius recipiendi ostentas. 170.2
Te gratum ostende ante beneficij acceptionem vt id certum efficias. 314.1
Vt Dei beneficio donetis, oratio est præmittenda. 173.1
Hilari vultu beneficium faciendum; ploris enim æstimatur modus quam substantia. 214.2
Benefacere inimico, est illum diriter torquere. 62.1
Præcipuum beneficium, quo possunt subditi à Rege donari, est pacem tueri. 304 2
Dei beneficij hortibiliores homini ingrato hostes iudicij. 141.1
Dei beneficio accipimus inclinationem ad litterarum studium. 81.2
Beneficia nobis à Deo collata timorem incutiunt, ob examen de eorum vsu gerendum à Iudice. 86.1
Beneficium indebitum, & liberale non conferendum peccatori. 210.2
Beneficium à Deo acceptum est necessaria iudicij imminentis consequentia. 104.2
Turpe est commemorare amico beneficia, quæ à te accepit. 289 2
Vide verbo *Gratiarum actio*.

Benignitas.

Benignitas in præsule fortis est ad subditos adducendos. 148.1
Vide verbo *Præsul*.

Bilinguis.

Hominis bilinguis verbum lites concitat, ac discordias. 392.2

Blasphemia.

Infandum vitium blasphemia est. 239.1

Bonum.

Solum stabile est bonum, aut donum, quod ex Dei beneplacito acquiritur. 208.1
Dum terrena bona negligis, vt virtuti studeas, bona ea tibi simul sine cura adiicientur, 146 2
Multi bona creata accipiunt quasi ex natura, & non ex Auctore naturæ prouenirent. 160.2
Peccatorum bona, inter mala data eis à Deo valent computari. 284.1
Abundantia bonorum fortunæ cuncta mala possidenti ministrat. 90.2

Bonitas.

Proprium est bonitatis, se communicare. 147.2

Brutum.

Bruto est similis, quem non terrahit à peccatis iudicij memoria. 86.2

C.

Cachinnus.

PVngens spina est prudenti insipientis cachinnus. 94.1

Calamitas.

Extrema Reipublicæ calamitas cum iniquitas iudicat. 86.1
Vide verbo *Regnum*.

Calumnia.

Per calumniam opes proprias amittet, qui per calumniam acquisiuit alienas. 53.1
Væ soli, cum calumnia circa famam afficitur. 87.1
Præsulatus agnatus est calumniis. 109.1

Canities.

Sola canities senes reuerentia dignos ostentat. 48.2

Canticum.

Sola Maria potest Canticum Canticorum modulari. 107.1

Caput.

Vaot caput non habet, quia eius caput vit, cui velut membrum debet obedire. 118.1

Carmen.

Commendantur qui spiritualia carmina condunt. 296.1

Castigatio.

Castigatio serui non sit immoderata. 290.2

Castitas.

Castitas fugâ conseruatur. 291.1
Castitas tuta conseruatur pœnitentiæ asperitate. 117.1
Castitas sensuum custodia conseruatur. 102.2

Casus.

Casus agnatus est diuitiis. 260.1
Vide verbo *Diuitiæ*.

Causa.

Multæ causæ pereunt ob pij aduocati defectum. 76 2
Causam Dei agens nihil timere debet. 191.2
Sic peregrini causa protegenda, ac si filij lis ageretur. 76.2
Variæ causæ cur deliciæ Dei sint, esse cum filiis hominum. 17.2

Charitas.

Non semper obligat charitas peccatores corripere 200.2
Charitas perfectorum semper est noua, & vigens ad noua opera præstanda. 325.2
Si sis memor sanguinis Iesu pro te effusi, tua in Deum, & in proximos charitas exardescet. 325.2
Viribus mortis charitas comparatur. 228.2
Charitas omnia vincit. 62.1

Christus.

Quodammodo volt Christus peccatores à nullo recipi vt solus ipse eos recipiat. ad initium voluminis in Antilogia.

Cibus.

Amarus impiis cibus suorum consiliorum æterna recordatio. 4.2

Circumspectio.

Magna circumspectio necessaria est tibi, ne à supremæ felicitatis æternæ spe excidas. 39.2
In circumspectione loquendi, aut tacendi, maximè viri Sapientia elucet. 182.2

Ciuitas.

Loquax Ciuitas sine custodia cunctis vitiis offerens ingressum. 62 2

Cæcitas.

Mentis cæcitas ex legis Dei violatione. 14.2

Cogitatio.

Nulla hominum cogitatio potest Dei oculos fugere. 221.2

Commodum.

Non Dei commodo, sed nostro studemus, cùm viam perfectionis inimus. 112.2

Ex filiis impiis Dei inimicis quodnam potest domui commodum obuenire. 118.1

Deum in virtutum studio non inuenit, qui amans sui proprium commodum ex virtute quærit. 314.1

Comparatio.

Peccatoris est, comparationes obiicere Prælato: cur hoc mihi, & non illi præcipitur. 264.1

Compaßio.

Hodiè pauperis miseriam vide, & vix compassionis impendis affectum. 214.2

Compotatio.

Nimius compotationis vsus, infamis est. 26.1

Conatus.

Cuncti nostri conatus ad Dei voluntatem dirigendi. 45.1

Conatus eorum, qui mendaciis Regem student decipere, reserantur, & puniuntur. 52.2

Conceptus.

Qui conceptus inutiles ad mores efformandos profert, haud potest Concionator appellari. 80.1

Conceptus Concionis, qui ad morum correctionem non diriguntur, haud sunt ex Sapientiæ thesauris deprompti, sed ex ignorantiæ penu. 182.2

Concio : Concionator.

Concio longior, quàm oportet auditoribus parit fastidium. 263.1

Qui vtilem Concionem audire negligit, timeat ne non ipse orans à Deo audiatur. 68.2

Ad Concionem requiritur scientia, & eloquentia. 33.1

Concionator recipit præmium, vel supplicium ex vtili eius, vel inutili sermone. 42.2

Ridiculum se Concionator, vel Præsul præstat, qui tenebris peccati offusus contendit subditos, aut auditores ab eisdem liberare tenebris. 171.2

Claudus est Concionator, & stultus, qui pulchris vtitur verbis, & nescit ea auditorum moribus applicare. 63.2

Sæpè Concionator debet auditoribus mortis memoriam renouare. 86.2

Concionatores sunt Dei oracula, ideóque debent coram omnibus veritatis esse præcones. 273.2

Concionator, qui vtilia verba profert, ostendit se Deum lucis vidisse, seu lucem accepisse à Deo. 302.2

Taxantur Concionatores, qui libellos vulgarij diomate à modernis editus legunt, patrum Scripta negligunt. 282.1

Multitudine Concionatorum, qui nudam non proferunt veritatem, vitia populi increscunt. 72.1

Plus Concionator prudentiâ, quàm scientiâ proficit. 9.1

In rebus ad diuinum honorem pertinentibus, Concionator sit igneus. 306.1

Dedecet Concionatores proprias iniurias ex suggestu vindicare. 306.1

Agnatum est Concionandi ministerio spiritualiter mortuos suscitare. 307.1

Comœdus & non Sapiens est Concionator, qui ad amicitiam auditorum cum Deo conciliandam sermonem non dirigit. 146.2

Concionator qui vtilia loquitur, non solùm auditores, sed seipsum pascit. 27.2

Verus Concionator populo salutaris: adulator autem, recitator inquam nugarum populi exitium. ad initium voluminis in Antilogia.

Pluris æstimatur Concionator solida proferens quàm qui vana vtitur eloquentia. 28.1

Multi Concionatores damnantur, eo quod vtilia non protulerunt. 28.2

Concionator vias suas dirigat, vt clamet, *Dirigite viam Domini.* 283.1

Necessarium est, Concionatorem esse Sapientem, vt alios doceat. 105.2

Vana sunt Concionatoris verba, quæ ad auditorum salutem non pertinent. 92.2

Non placet cordatis Concionator inutilibus clausulis vtens. 277.1

Non potest Concionator vtiliter verba proferre si Deus in ipso non adest. 76.1

Sermonis initio postulanda est specialis gratia à Concionatore vt vtiliter proloqui valeat. 36.1

Suam non diligit, sed odit animam Concionator, qui ad auditorum vtilitatem non attendit. 44.2

Ex orationis fonte Concionator proximorum fructum exhaurit. 283.1

Concionator non quærat plausum; sed Dei gloriam, ac proximi vtilitatem. 80.1

Magnâ prudentiâ indiget Concionator, ad corripiendos peccatores, ne vulnus exasperet. 16.1

Probus Concionator se primum erudiet, dogmata dans executioni, mox alios verbo, & exemplo doceat. 243.2

Laudo Concionatorem, qui verbis intelligibilibus vtitur: eumque taxo, qui magno labore verba quærit, quæ auditores, (imò & ipse) vix intelligunt. 106.1

Concionator repetat veritatis dogmata, vt auditorum menti altius imprimantur. 18.2

Concionator, cum vitia reprehendit, non idcò perdit sermonis suauitatem. 122.1

Concionator qui quod dicit, non facit, taxabilis est. 28.2

Confeßio : Confessarius.

Contra operientes ex verecundia in confessione peccata. 190.2

Dum viuis, & sanus es confitere peccata, suspecta enim est confessio in ægritudine facta. 222.2

Ad confessarium attinet, definire, an pœnitens communicare possit, & quánam vti debeat frequentia, Eucharisticam mensam inire. 18.1

Confidentia.

Nimia confidentia in oblationibus offerendis multiplicanó crimina parit exitium. 198.1

Confluxio.

Necessaria est quodammodò omnium Dei miserationum confluxio, vt à Rege tyranno populus liberetur. 273.1

Coniux.

Ei, cui coniux inoisa est, cum eo comedens cibus insipidus, vel in lauto conuiuio. 34.1

Agnatum est marito iure coniugij vxorem diligere, 99.2

Coniux prudens & verecunda pretiosior auro. 198.2

Adultero coniugi legitima proles assolet à Deo denegari. 138.1

Qui coniugem prauam ducit, ex amorum nomen detrahit. 247.1

Conscientia.

Malæ conscientiæ morsus quolibet veneno est exitialior. 156.1
Mala conscientia semper timida: bona, securitate semper fruitur. 68.s
Bona conscientia necessaria ad profectum in litteris. 182.2
Conscientiæ securitas inge conuiuium pauperi famescenti. 34.r
Conscientia peccatis defœdata, crudelis est hostis peccatori. 212

Consequentia.

Legitima consequentia orij est mendicare. 46.2

Consiliarius.

In manu linguæ Consiliarij vita, & mors. 277.r
Consiliarius, vel Concionator ad se priùs quàm ad alios consilium, aut sermonem dirigat. 277.r
Iusti Consiliarij oon suæ studeot vtilitati in consilio ferendo. 276.2
Prudens sibi sæpè aptior, quàm alij, est Consiliarius. ibid.
Consiliarij ante præmissam orationem consilia non proferant. ibid.

Consilium.

Nihil sapienter sine consilio geritur. 28.2
Ab inuidente te ne petas consilium nec illi dea. 276.1
Petendum Consilium salutare ab iis, qui rectè operantur. 276.2
Ex probo Consilio bonum, vita: & ex prauo autem malum & mors. 277.r
Nulla res sine Consilio peragenda. 264.2
Consilium datum contra alium, in Consiliarij caput recurrit. 251.2
Consilium Regis secretum deeet; alioquin eius vtilis corruet dispositio. 61.t
Qui ex Consiliu prudentis operatur, plerumque non errat. 282
Proprium stulti aliorum nolle Consilium inire. 26.s

Conspectus.

In conspectu Dei orat, qui ab aliis curis externis mentem abducit. 282.2

Constantia.

Prudenti agnata est constantia in resolutione iusta 236.r

Consuetudo.

Praua luxuriei consuetudo vix recedit à senio. 228.2
Fœda cum impio consuetodo. 212.2

Contemnere.

Qui contemnit à leuibus abstinere piaculis, in grauiora facilè decidet. 226.2

Contemplatio.

Qui contemplationi vacant, amplius Dei magnalia dignoscunt. 295.2
Qui contemplationis ad exercitium ascendit, terrenis omninò semouetur à curis. 131.2
Non semper vteodum contemplationis dono, ne proximia deficias. 123.1
Modica, breois, instabilis in hac vita, nostra diuinæ maiestatis contemplatio. 112.2
Contemplatio actione cooiuncta maximè Deo placet. 118.1

Conterere.

Qui alium iniustè conterit; à Deo iustè conteritur. 52.2

Conuersio.

Facilius est improbum conuerti, quam de sua probitate, aut Sapientia præsumentem emendari. 64.1
Non differenda peccatorum conuersio. 592.2

Coniunctus.

Ad pacem omnes fiot tibi cooiuncti, sed vnus tantum ad amicitiam. 594.2

Conuitium.

Conuitium, improperium, superbia, secreti reuelatio, insidiæ amicitiam soluunt. 236.2

Corona.

Perseuerantiæ in virtute corona paratur. 184.1

Corpus.

Sub corpore deformi solet pulcher animus latitare, ad initium voluminis in Antilogia.

Correptio: Corripere.

Correptio agnatum erranti medicamen. 17.r
Nunquam desperanda est filij correptio, si adsit assidua parentum admonitio. 45.s
Correptionem spernere, reprobationis documentum. 33.2
Odisse correptionem peccatoris signum. 231.1
Modestè stultum corripere, te verbo pungentem, virtus est. 63.2

Corrigere.

Qui nec pudore, nec monitis corrigitur, sæpè verberibus melior redditur. 273.1

Corruptio.

Qui corruptibilia amat, corruptionem nanciscitur. 260.r
Ex morum corruptione populorum ruina. 32.2

Crapula.

Qui Crapulæ indulgent, lacri & pannosi aberrant. 56 r
Nihil indignius sapienti, quàm crapula, & scortatio. 216.2
Crapula & luxuria pari gressu solent incedere. 216.2

Crimen.

Qui replicat crimina, habitum acquirit delinquendi, quo difficillimam reddit sanitatis assecutionem. 188.1
Haud potest crimen sine pauore patrari. 50.1
Omnia crimina sint ignorantia. 252.2
Audacter omnia crimina perpetrabit, qui Deum existimat non videre. 239.2

Crudelis: Crudelitas.

Crudeles erga pauperes frequenter egestate puniuntur. 70.2
Satiùs in viri crudelis manus quàm in fœmina benignitatem incidea. 291.s
Crudelis est, qui famulo, aut mercenario necessarium, ac debitum subsidium negat, aut differt. 26.r
Crudelis est, qui laboribus actos non miseretur eorum, qui labores patiuntur. 68.1

Cupiditas.

Nimia lucri cupiditas efficit, mercatorem illicita admittere. 248.2

Custodia.

Quantumuis egregia virtus sine custodia deperit. 118.2
Custodia domorum ex murorum reparatione pendet. 309.2

Cura: Curare.

Magna sit cura parentibus in filiis instruendis. 52.s

De

De iumento tibi seruienti curam habe. 25.2.
Nimia cura impenditur in infantulorum Regis nutritione exitialiter aliquando. 146.2
Sapiens non erit, qui se ab externis nimiis curis non expedierit. 280.2
Multi immeritò curant ex mendaciis Regum gratiam inire. 52.2
Cura à prauis recedere affectibus quorum nullus à Deo absconditur. 34.1
Præsules de peccatoribus subditis sedulò curent, quia sui, quia Dei sunt. 109.2
Confert ad curationis felicem auentum orare ægrotum. 279.2

Cursus.

Humanæ vitæ cursus difficultatibus exundans naulgatio. 3.1

D

Damnare : Damnatus.

Cum in humano tribunali iniustè damnatis, diuinum appella. 86.1
Horribilis pœna damnatis, cogitare, quam vili pretio vendiderunt æternam salutem. 104.2

Damnum.

Semper Damna, subit, qui ad negotia ministro imprudenti vtitur. 63.2

Dare.

Quod pauperi das, à Deo cum fœnore recipis. 215.2
Qui dat ingrato, creditorem eum sibi costituit; qui grato dederit, eum facit sibi debitorem. 229.2
Deo non das, sed reddis ab ipso accepta. 271.1

Debitum.

Non satisfacit debito, qui rem inique partam pauperibus distribuit, si proprius adest Dominus. 269.2

Decor.

Facilè videtur sapientiæ decor, sed non facilè acquiritur. 144.1

Decus.

Si Regis decus subditorum copia, tributa imminuantur, queis subditi immiuuuntur. 32.1

Defectus.

Quilibet familiarium defectus attribuendus est præsidi domus. 57.2
Non est prudens Prælatus qui gratas præbet aures subdito, de aliis subditis sinistrè aperienti defectus. 95.1

Defendere.

Satiùs Regibus hæreditarias nationes defendere quàm alienas procurare. 143.1
Agnatum iustis, proximum vbique defendere. 25.2

Deficere.

Rectè cœpisse in adolescentia non sufficit, si in senectute deficit. 104.2

Dehonestare.

Se dehonestat, qui Dominus cum sit, se & res suas aliis regendas committit. 267.1
Viri potentis mendacium eum maximè dehonestat. 245.1

Deipara.

Deipara à profundo pelago peccati originalis liberatur, dum siccis pedibus ad littus à Domino adducitur. 154.2
Ingens supra modum dolor Deiparæ videntis vnigenitum suum animam efflare. 174.2
Martyrium Deiparæ videntis filium dilectissimum morientem. 174.2
Vide verbo *Maria*.

Deliciæ.

Deliciæ mundi fictæ sunt, minimè subsistentes: à Deo autem missæ deliciæ verè subsistunt. 169.2

Delinquere : Delinquens.

Quomodò audet delinquere, qui scit ad manum esse supplicij executores. 284.2
Dignus morte, & damnatione, qui cum morte, cum inferno delinquens paciscitur. 133.2
Qui delinquens sæpè à Deo non corrumpitur, timeat, se à filiorum cœtu deturbatum. 7.1
Delinquere in Christum, qui pro nobis fideiussorem egit, ingratissimi & nequissimi animi est. 256.1
Qui delinquit, videtur infallibilis Dei præsentiæ fidem non habere. 97.2

Demissio.

Animi demissio, ac modestia amabilis omnibus. 187.2

Dens.

Crudeliores dentes peccati leonis dentibus. 231.1

Derisor.

Derisor est Reipublicæ pestis. 52.2

Deserere.

Qui amicum egentem deseruit, inuerecundè volet prosperitate superueniente simul potiri. 236.2
Vide verbo *Amicus*.

Desiderium.

Affectuosum desiderium res difficiles consequitur. 314.2
Prius quàm desiderium executioni tradas cogita, quid commodi aut incommodi tibi sit allaturum. 92.2

Desolatio.

Desolationis Regni origo sunt ciuium peccata. 142.1
Vide verbo *Regnum*.

Detractor : Detractio.

Omnibus abominabilis est detractor. 38.1
Detractio plurium rixarum est causa. 28.2
Quæ audieris in proximum iactata verba detractionis aliis non referas. 227.1
Tam graue est detractionis crimen, vt ipsa Dei benignitas ad eius veniam quodammodò non flectatur. 233.2
Veneri addicti, multum de ætate detrahunt. 10.1
Eum, qui detrahit occultè, fuge serpens enim est exitialiter mordens. 101.2
Res occultissimè à te contra proximum dicta, rarò ad aures eius, de quo dixisti, non peruenit. 102.2
Vide quid contra proximum, vel intra cubile, loqueris; audiunt enim, & loquuntur parietes. 102.2
Specialiter Deus assistit, vbi quis detrahit proximo, vt eum speciali afficiat supplicio. 233.1
Detractionis crimen alia frequenter crimina comitantur. 233.1
Quantumuis sit secreta, & fiat dimissa voce, detractio, inter tumultus, ab eo, de quo fit, auditur. 233.1
Plerumque detractores circa proximi famam mentiuntur: Vndè *Detractor & mendax* idem solet esse. ibid.
Vnius detractoris lingua omnium adstantium cum illo solet esse ad detrahendum impulsio. 9.2

Qui detrahit Regi, quasi Deo detraheret, reputatur, & punitur. 59.1

Detrimentum.

Nemo sine suo detrimento damnum aliis solet inferre. 101.2

Deuorare.

Instar ferarum Sanctos deuorat, qui eos tributis aggrauat. 48.1

Qui Deum non amat, & cum colit, eum perfectè non nouit. ad initium voluminis in Antilogia.

Deuotio.

Ex plenitudine deuotionis internæ vir perfectus vtiliora profert. 126.1

Deus.

Si mensura Deus præmia largitur, in mensura infert supplicia. 156.2

Deus non lætatur de peccatoris culpa, sed illius impœnitentis ridet in pœna. ad initium voluminis in Antilogia.

Deus in exigua oblatione magnitudinem affectus aspicit, & recipit. 199.2

Quanto plus Deus patiens expectat, tanto horribilius erit peccatori supplicium. 192.1

Deus vult suis in famulis rectè operandi diligentiam. 53.2

Cum Deus stabile apud iustum habet domicilium, plurimis id beneficiis exornat. 241.2

Deus speciali amat affectu pœnitudine feruenti affectos. 241.2

Deus primis precum prolata syllaba, pereipit cordis affectum. 198.1

Laborem Deus instituit, diabolus verò otiositatem. 198.1

Sæpè Deus memor sæculi sancti, sæculi nequam miseretur. 274.1

Deus omnia ex amore erga nos creauit, vt ad eum amandum e citemur. 181.2

Citò audit Deus communitatis preces. 307.2

Deus instituit libras, ne in ponderibus iustitia violetur. 37.3

Deus non ea timore, sed ex misericordia peccatoribus parcit. 158.2

Deus propinquus pauperis iniuria affecti redimit ab eo ablata & raptorem iudicat & punit. 55.2

Nunquam Deus affligit fame iustum, quia aliquandò egente corpore, spiritualem affert saturitatem. 20.1

Quodammodò Deus videtur obliuioni tradidisse numerum permittendorum criminum, dum adeò, se tardum ad vindictam ostendit. 273.2

Deus non habet patientiam ad differendam vindictam, cum læditur ab impio iustus. 272.2

Deus stabilis in operibus suis diligit eos, qui in virtute sunt stabiles. 191.2

Adeò tardus Deus ad vindictam, vt eius iracundia dormire videatur. 273.1

In templo Deus quasi in requiei suæ loco inueniendus. 273.1

Religiosi, quos Deus tam specialiter seruat, tenentur proximo seruando à culpis incumbere. 58.1

Longissimè Deus adest à culusuis sacrificij sibi à te oblati obliuione. 271.1

Assolet Deus etiam in filiis parentum iustitiam munerare. 47.1

Aliquando Deus se dormientem simulat, vt eum altioribus precibus excitemus. 312.2

Speciali studio Deus suis bonis impleuit terram, quia futura erat Christi Deiparæ, & prædestinatorum habitatio. 210.2

Quàm facilè Deus à se quærentibus inueniatur. 161.1

Deus causarum pauperis est Aduocatus, & Iudex. 53.2

Deus non solùm adest insto laboranti, sed cum eo laboribus agi videtur. 153.2

Superfluenter Deus recta opera munerat. 50.3

Dicere Dei, facere est. 156.2

Cum Deus te ad regimen eligit, nec tu te illi ingeris, dat simul vt aptè te in munere geras. 151.1

Diabolus.

Peccator diabolus est. 233.2

Diabolus altiorem latratum edit, cum timetur, & à constantia intrepida fugatur. 184.2

Dictamen.

Dictamen humanæ prudentiæ fallax. 7.1

Dies.

Fœlix iusto est dies in qua mortis, solutionis humanæ miseriæ recordatur. ad initium voluminis in Antilogia.

Differentia: Differre.

Maior est differentia inter peccatorem, & iustum, quàm inter vitam & mortem. 266.1

Qui de die in diem differunt pœnitentiam, plerumque impœnitentes moriuntur. 222.2

Difficultas.

Nihil egregium intendimus, quod in principio difficultatibus non exundet. 190.2

Diligentia.

Diligentia circa notitiam legis acquirendam commendatur. 185.1

Vitæ status magna præmissa diligentia, & examine est eligendus. 277.2

Diligere.

In his, quæ inordinatè diligis, supplicium inuenies. 166.1

Illum verè diligis, quem procuras continere, ne in scelera excidat. 43.2

Deum non diligit, qui parentes non honorat. 186.1

Discipulus.

Sine castigatione rarò discipulus in literis proficiet 25.1

Dispositio.

Proxima ad humiliationem dispositio superbia: ad exaltationem humiliatio. 42.1

Diuagatio.

Immodesta oculorum diuagatio animum impudicum manifestat. 147.2

Diues: Diuitiæ.

Diues auarus extraneæ voracitati ieiunat. 91.1

Meliorem esse abortiuum diuite auaro, nouem Salomon argumentis ostendit. 91.2

Diues auarus semper inops. 90.2

Diues, qui colendæ terræ, & gregibus alendis studium impendit. 67.2

Diues cunctis dotibus ornari iudicatur. 51.1

Iudicem supremum potest diues delinire, si opes expendat in pauperes. 92.1

Fœlix diues iustus qui hîc opibus stabilibus fruitur, & æternas consequitur. 160.2

Diues iustus, quasi iustitia impellente, munificus fertur in pauperes. 160.2

Diues qui clamantem inopem non audit, fortasse ipse ad inopiam veniens clamabit & nemo ei miserebitur. 50.1

Dum

Dum diues es, ne despicias pauperem, ad quam fortunæ inconstantia deiici poterit. 206.2
Taxabilis diues, qui filium ab studio literarum auertit. 73.1
Pudeat diuites, mendicare Sacerdotes Dei vicarios. 199.1
Diues qui pauperi dicit: *non habeo*, se mendacem esse profitetur. 45.2
Diues vt diuus adoratur. 286.2
Non prosunt diuitiæ, cum persona mala ex fama contemnitur. 52.1
Non contemnat diues pauperem, æqualem naturâ, moribus fortasse meliorem. 50.1
Diuitiæ quieti, ac valetudini possidentis eas officiunt. 90.2
Acquirere sine labore diuitias, pars præmij iustitiæ est. 208.2
Diuitiæ sunt superbiæ & iracundiæ fomentum. 253.1
Diuitiæ plerumque diuitibus proficiunt ad captandas illicitas voluptates. 304.2
Parsimonia diuitiæ parantur, non mensarum luxu. 50.1
Diuitiæ sunt iniquitatis illecebræ. 192.1
Quàm stultè homines diuitias appellant honestatem. 260.1
Stultè seruas diuitias ignoto hæredi, quas posses æterno viuens hæredi relinquere, id est Domino in paupere. 86.2
Diuitiæ auaro diuitiæ non sunt, sed solummodo dolor, & labor. 215.1
Diuitiæ malè partæ non proficiunt. 28.2
Diuitias non verba, sed labores præparant. 31.2
Diuitiæ malè in hac vita non proficiunt, & officiunt in altera. 20.1
Diuitiæ iniquè partæ acquirenti non prosunt. 68.2
Diuitiæ quibus abutitur impius, solent à Deo iusto benè illis vsuro custodiri. 29.2

Doctrina: Doctor.

Concionatoris doctrina doctis, & indoctis accommodanda. 3.1
Quantumuis quis sit doctus, magis habet quod discat. 314.1
Doctor Euangelicus non laudandus ex audientium multitudine, sed eorum profectu. 245.2
Licet docti præmium non recipiant, non possunt, vel hîc esse sine præmio, quia illud ipsum didicisse, præmium laboris est. 195.2
Doctor probus velùti pastor est. 224.1
Ex Sapientia doctus lautè victitat, vndè ea inuenta pecuniam inuenit. 5.1

Documentum.

Magnæ sanctitudinis documentum est ab assiduis improbis socijs non infici. 154.1
Magnum est Dei irati documentum, & supplicium impij, cum in aliud crimen incidere permittitur. 53.1
Ex fructu auditorum documentum cape, an Concionator verè sit Sapiens. 277.1
Magnæ iniquitatis documentum est, amicum seducere. 38.1
Magnum sanctitatis documentum, est auri fulgore tentari, & non vinci. 260.2

Dogma.

Qui verè discit virtutis dogmata, quomodo potest ea non sectari. 144.1
Non sunt omnia dogmata omnibus aperienda. 3.1

Dolor.

Imprudentis est doloris interni in facie indicia exponere. 40.2
Dolor non communicatus ditior, sed gaudium tibi soli prouenier vberius. 30.2

Dolus.

Dolum, quem proximo præparas, tibi struis. 251.2

Dominus.

Dominus somniculosus famulos efficit in vtramque aurem obdormire, & segniter ad opera procedere. 77.1
Reges non sunt Regni Domini, sed Ministri verò Regi reddituri de Ministerio rationem. 143.1

Domus.

Ad domum perdendam, vel augendam aptior, quàm vir, vxor ostenditur. 30.1
Domus adultera morti est addicta. 5.2
Mortis instar adultera. ibid.
Domus ad pietatem siue hospitalia ædificata permanent, dum sæcularia palatia corruunt. 31.1
Domus, & alia quæ ob vanitatem eriguntur, citò corruunt, cum auctorum memoria. 164.1

Donum.

Pace homines frui magnum Dei donum est, & egregium misericordiæ documentum.
Donum à Iudice acceptum perit; & facit acceptorem petire. 285.2

Dormire.

Non modicum dormire debet, qui vult ab egestatis incommodis liberari. 59.2

Dos.

Qui amplam cum coniuge ambit dotem, docat prudentem fœminam, licet inopem. 235.1
Dotes Dauidi magnæ admodum extitere. 303.2

Dux.

Dum dux militat, efficit exerci omnium militum manus ad certamina. 301.1

E

Ebrietas.

VNa ebrietas est proxima ad alteram dispositio. 56.2
In ebrietate omne vitiorum genus. 46.1
Ex ebrietate stultæ procedunt actiones. 56.2

Edocere.

Edocemur à doctis viris vel libris. 168.2

Educare: Educatio.

Ad filios ditandos vtilius est, eos bene educare, quam ingentes opes eis acquirere. 25.1
Mollis educatio filij durum parenti parit effectum. 258.1

Effectus.

Feliciores Imperio obueniunt effectus ex Ministrorum Sapientia, quàm ex copiarum apparatu. 143.1
Primus luxuriei effectus est crudelitas. 146.2

Effusor.

Sanguinis effusor inferno comparatur. 3.1

Egestas.

Fideiussionem sectatur egestas. 47.2
Horribilis est homini egestas. 12.2
Egestas comes negligentiæ adiicitur. 20.1
Sapientes rarò videris egestate premi. 29.1

Eleemosyna.

Eleemosyna bis petita potiùs videtur esse roboris merces quàm donum. 7.1
In eleemosyna magis à Deo affectus, vt intentio, quàm effectus aspicitur. 47.1
Eleemosyna iuuat ad sanitatem assequendam. 179.2

Eleemosyna deberet in notabili quantitate geri. 210.2
De propriis bonis eleemosyna agenda. 52.2
Non dare eleemosynam pauperi, est illam defraudare. 189.1
Eleemosyna bonorum præsentium, ac futurorum est seminarium. 104.1
Negare impio eleemosynam corporalem, aliquandò spiritualis vtilior eleemosyna est. 210.1
Eleemosyna quasi proiecta in flumina, cum maximo incremento recurrit. 103.1
Eleemosynæ gerendæ addictus ab innumeris periculis liberatur. ibid.
Cuilibet Dei nomine postulandi indifferenter eleemosyna est conferenda. 103.2
Eleemosyna & amor veritatis conferunt ad veniam peccatorum consequendam. 36.2
Licet de eleemosyna facienda præceptum non vrgeret, ipsa hominis egestas hominem ad dandum persuadet. 255.2
Eleemosyna facienda Deo accipiente digna. 215.1
Eleemosyna auget opes. 77.2
Qui agit eleemosynam, plus quàm erogat, accipit. 77.2
Eleemosyna est pupilla oculorum Dei, quâ peccata videt, vt eis ignoscat. 222.1
Eleemosyna ad Deum aditum aperit. 42.2
Duplex eleemosyna pauperi datur, corpori nutriendo, animo exhilarando. 189.1
Manus facientis eleemosynam semper plenæ diuitiis aspiciuntur. 112.2
Quasi omnibus virtutibus ornatur, qui eleemosynæ virtute nitet. 215.2

Eligere.

Aduocatum in litibus, & Medicum in ægritudinibus expertum elige potius quam in theorica perdoctum. 268.2
Regi puero, gubernatores Regni eligantur non pueri, sed moribus senes. 102.1

Elogium.

Vberius creaturarum elogium est hoc: *Dei sunt opera.* 194.2
Decet enim infinitum infinita laudatio. ibid.

Eloquentia.

Haud potest eloquentia creata dignè Conditoris Sapientiam celebrare, in creaturarum opificio. 194.2
Eloquentia Concionatoris non probi, nullum fert fructum. 194.2
Ex eloquentia magnum decus, & ornatum Sapientia recipit. 37.2

Erogatio.

Quod pauperibus erogatur non amittitur, sed cum quæstu magno exhibentis recurrit ad manus. ad initium voluminis in Antilogia.

Error: Errare.

Magistratui sine Consiliariis agnatus est error. 23.2
Nemo ita Sapiens, qui in aliquo non erret. 95.1
Dissimula Præsul nonnulla subditorum errata, qui subditus indignè ferebas arcem tui Prælati censuram. 95.1
Vt quis se ab errore abducat, se ad anteactæ vitæ respectum conuertat, & videbit, se labore acquisiisse id, quod citò deperiit. 83.1

Eucharistia.

Multiplicem spiritualium saporum suauitatem in manna Eucharistico soli iusti percipiunt. 169.2
Communionis die oportet orationis exercitium Eucharistiæ receptioni præmittere. 170.1
Sic accede ad Eucharisticam mensam, quasi post communionem esses iugulandus, vt accuratæ præparationi studeas. 55.1
Eucharistiæ frequentia auget in nobis erga Deum, & proximum charitatem. 117.1
Panis Eucharisticus simul est gladius indignè sumentibus. 55.1
Eucharistiæ receptio flammas luxuriei extinguit. 18.1

Euentus.

Exigui animi est in infelici euentu de felici desperare. 58.1

Exactio.

Inutilis Reipublicæ iudicatur, qui multiplicato exactionis arbitrio, ciuibus non nocet. 535.2
Vide verbo *Tributum.*

Examen.

Procerum examen à Iudice cœlesti tam horrible est, vt possit gehennæ cruciatio appellari. 143.2
Si quæ inaduertenter admittimus stricto Dei examini sunt obnoxia: quid grauia delicta. 106.2
Strictum examen fit à Deo circa filiorum in matrem obseruantiam. 186.1
Accuratius examen debent agere Præsules circa mores initiandi, quam circa scientiam. 299.1
Conscientiæ examen valdè vtile ad iustè in via procedendum. 37.1
Strictum gere examen eorum, quos ad tuam admittis consuetudinem. 209.2
Dei Iudicis strictissimū circa peccata examen. 185.1

Excusatio.

Nulla homini, vt à virtute secedat excusatio. 3.2

Exemplum.

Crescit luxuriæ parentum malitia ex prauo exemplo, quod filiis exhibent. 289.1
Viuus fidelis exemplum alios ad eius imitationem adducit. 122.2

Exequi.

Subditi instar Solis, debent magna promptitudine Dei exequi imperia. 293.1

Exercitium.

Litterarū exercitium corporis castitatē tuetur. 149.2

Exercitus.

Regis est præparare exercitum, militum dimicare, Dei autem victoriam elargiri. 51.2

Experientia.

Experientia est peritior Sapientiæ Magistra. 182.2
Scientia experimentalis prima rudimenta post longum regimen Prælatus edisicit. 95.1
Experientia plus docet, quàm doctrina. 268.2

Exultatio.

Rectæ conscientiæ exultatio omnium Regnorum gloriam superat. 181.2
Quasi cælestis exultatio est viro, probam vxorem inuenire. 43.1

F

Facies.

Facies est velut imago, ac index cordis. 113.2

Facilitas.

Christi facilitas in reuertendo ad peccatorem, si eum pœnitens aduocet. 122.1

Fallacia.

Voluptatis breuis fallacia, exitialesque effectus. 10.1

Fama.

Nobilius bonum fama, quàm diuitiæ. 288.2

Tuam

Tuam famam lædis, cum impium corripis, cum nulla sit emendationis spes. 18.2
Mendax plerumque fama circa defectus. 207.2
Fama illius qui Templum erigit æternum cum Templo viuit. 309.2

Familia.

Cum familia penuria laborat, otium vxoris arguitur. 77.1
Familiæ filiorum funditus corruunt, ob parentum maledictionem. 187.1

Famula.

Intolerabilis fit famula à Domino in vxorem assumpta. 75.1

Fatuitas : Fatuus.

Magna fatuitas, nostras actiones in finem salutis æternæ non dirigere. 30.2
Fatuus vrbanitatem nescit. 230.1
Fatuus instar fœminæ grauidæ, nescit secretum auditum continere. 227.2
Fatuus indocibilis est. 235.1
Idem sunt & eodem nomine appellari possunt fatuus, & plumbum. 235.2
Fatuus suæ stultitiæ addictus feris durior est animantibus. 39.2
Fatuus es dum te Sapientem iudicas. 7.1
Proprium est fatui, velle docere, seque aptum ad magisterium reputare. 57.2

Fauor.

Tot fauoribus aliqui Diui à Deo afficiuntur, vt eorum pondus sustinere non posse videantur. 184.2

Felicitas : Felix.

Infelix impiorum felicitas, quæ prauum ciuium eis conciliat affectum. 23.2
Felicitas impij momentanea, iusti æterna. 21.2
Principis felicitas subditos bene affectos habere. 69.1
Vera felicitas solùm hîc poterit in virtutis exercitamento inueniri. 83.1
Cuiuslibet euentus felicitas maximè pendet ex affectu, quo procuratur. 144.1
Felicitas iusti est verè lux inextinguibilis peccatoris lucerna extinctioni agnata. 28.5
Magna felicitas, independenter ab aliorum ope, proprio ex labore viuere. 85.2
Felix par coniugum cum alter blandus alterius duritiem curat emollire. 66.2

Ferculum.

Ille, quem Deus suum efficit lectulum, debet ferculum fieri ad Deum proximis apportandum. 115.2

Feruor.

Feruor & diligentia in lege seruanda placet admodum Deo. 224.2
Qui ex augusto feruoris fastigio decidit tardò ad illud reuertitur. ad initium voluminis in Antilogia.

Fideiubere : Fideiussio.

Fideiubere pro propinquo, vel amico non damnabile. 66.1
Qui fideiubet, rarò diues permanet. 40.2
Qui fideiubet, existimet diram tranquilitati suæ induxisse procellam. 256.1
Cæcus est qui vel pro amicissimo fideiubet temerè. 12.1
Ille, pro quo fideiussisti obdormit, sciens te illaqueatum esse ad soluendum. 12.1
Multi inopiâ ob fideiussores premuntur. 12.1
Fideiussionem facere aliquando est peccatoris supplicium. 256.1
Fideiussores plerumque cibo ac lecto spoliantur. 53.2

Fidere.

Ne census fidas, fallibili sæpè subsidio, terræ culturæ da operam, vt secura satietate fruaris. 30.1
Externis speciebus boni fallibilibus sæpè non fidendum. 31.2
Ne fidas amicis, aut fratribus ad salutare auxilium quod solùm à tuis bonis operibus recipies. 286.2
Imprudens valdè est, qui secretum fidit ei, quem scit semel id violasse. 250.2

Filia.

Filia, quæ se à colloquiis virorum non auertit, signum dat, se ad delictum occasionem quærere. 248.1
Multæ filiæ nobilium ex incuria parentum vili veneri patuerunt. 247.1
Filiæ tuæ maritum quære magis mente præditum, quam diuitiis. 199.1

Filius.

Quidquid contumeliosum filius in parentes iactat, in ipsum exundat. 187.1
Pietati filiorum erga parentes respondent fructus, qui assolent eleemosynæ respondere. ibid.
Filij pietate in parentes centuplum, seu innumerabilia bona accipiunt. 186.5
Matrem non exasperet filius quæ cum enixa est, asperos subiit dolores. 186.1
Filij impudentia parentum senectæ tristia prænunciat. 218.1
Parenti filij impij maiorem notam fœcunditas inurit, quam olim sterilitas inurebat. 218.1
Insipientem se ostendit filius qui suam matrem despicit. 34.1
Virtus filij est parentum laus. 196.2
Non tamen peccatum filij est semper parentum vituperium. ibid.
In filiis probis, vel prauis dignoscitur an parens probus vel improbus extiterit. 209.1
Filij viduæ malè plerumque educantur. 71.2
Filiis ex peccato genitis agnata est infelicitas.
Filius à pueritia iugo assuescat. 198.2
Parentibus debent filij tanquam Dei vicariis deseruire. 186.2
Omni parentum occasioni filio à parentibus datæ ad irascendum, debet omnis filij patientia respondere. 186.2
Probus filius debet se gratum præbere illis qui in parentes, beneficia tulerunt. 258.1
Cœlestibus bonis filij ob parentum merita donantur. 31.2
Filij valetudini flagella non nocent. 55.2
Filij parentum despectores & cæcitate mentis, & immatura morte puniuntur. 74.2
Filius non solùm debet matri non malè dicere, sed & benedicere iure tenetur. 74.1
Ignominia afficitur filius, qui parentes non reueretur. 47.1
In propriis filiis plectitur filius, qui in parentes inhumanus exititit. ibid.
Filij per obedientiam parentibus exhibitam consequuntur apud homines gratiam. 5.1
Ex filio insipienti nihil commodi parens speret. 71.2
Solet filius matris viduæ & senis correptionem contemnere. 56.1
Bonus filius debet omnes actiones ex parentum præscriptione regere. 13.1

Perit filius, qui delinquens à parentibus non corripitur. 23.1
Taxantur Filij qui parentibus, à quibus bona acceperunt, strictim necessaria præstant. 166.2
Filius bona parentum subtrahens ipsis inuitis, haud à deprædatore differt. 70.1
Filij probè educati parentes solo aspectu collaudant. 78.1

Finis.

Pudeat hominem à suo fine deficere, dum reliquæ creaturæ in suo fine stabiles persistant. 294.2
Placidus finis facit, vt abstersæ principia, & media placida fuisse videantur. 196.1

Flagellare: Flagellum.

Qui filium flagellat errantem, eum osculatur: qui virgæ parcit eum odio prosequitur. 29.2
Grauissimum mariti flagellum, vxorem fatuam sustinere. 137.2

Fluuius.

Rapidus fluuius est mors. 314.1

Fœmina.

Impudicæ fœminæ habitaculum haud in plateis publicis permittendum. 18.2
Pulchræ fœminæ iratæ fœdissimæ appareut. 146.1
Stultæ fœminæ impudicæ putant eleemosynas aut orationes ad incolumitatem peccandi proficere. 14.2
Decens est fœminas nobiles, & diuites pretiosis vti vestibus. 77.2
Vociferantem fœminam perstillanti tecto molestiorem fugere, remedium est vnicum. 66.2
Fœmina vnius implicata amore facilè alios admittit amasios. 10.1

Fons.

Fontem fodit iniquitatis, qui peccata in Confessione operit. 20.1
Sapientiæ fontem non recludas, sed aliorum vtilitati hauriendum refera. 106.1

Fortuna.

Difficilius est, ferre secundam, quàm aduersam fortuoam. 4.2

Fouea.

In foueam incides, quam proximo parasti. 64.2

Fragilis: Fragilitas.

Fragilis fragili errata condona. 252.1
Tuæ fragilitatis memor proximum errantem non videbis. 23.1
Muliebris fragilitas diligentiori eget custodia. 198.2
Peccatores ex fragilitate mitius Deus punit, quàm ex superbia delinquentes. 192.2

Frater.

Nec verè frater, nec verè amicus est, qui à paupere fratre, vel amico recedit. 44.1

Frænum.

Frænum rectum tui ori accommoda, nec semper silens, nec semper loquens. 253.2

Fructus.

Fructos Sapientiæ in aliquibus præmium scilicet, nimium serotini conspiciuntur. 195.2
Nullos fructus ex sermone percipimus, cum Concionator nimium ad verborum elegantiam attendit. 44.1

Fucus.

Fœdatis præbet iudicium fœmina, quæ fuco faciem illinit. 109.2

Fundamentum.

Veræ Sapientiæ fundamentum est scire, te scire nihil. 72.2

Furari: Furtum.

Vile facinus furari in domo, in qua habitas. 289.1
Minus noxius est fur, quàm mendax. 230.2
Participem esse furti alterius & animo, & corpori exitium. 72.2
Ex furto parta bona pereunt, & propria bona perire faciunt. 24.1
Quod furto acquiritur omnem substantiam tostè acquisitam perdit. ad initium voluminis in Antilogia.

G

Garrulitas.

Garrulitas & diuagatio notæ sunt fœminæ impudicæ. 14.2

Gaudere: Gaudium.

Qui de peccato alieno gaudet, simile patrare permittitur. 58.2
Nullum gaudium illicitum potest animo veram dare lætitiam. 82.1
Iusti comes gaudium, peccatoris tristitia. 26.2
Fouetur spirituale gaudium dum in domo luctus humanas ærumnas videmus. ad initium voluminis Antilogia.
Spiritus gaudia diuturna sæculi momentanea. 31.1

Gerere.

Cum videris, aliqua geri, aut permitti, quorum rationem non capias, intellige rectè gesta, cur permissa esse, occultis Dei iudiciis. 181.1

Gladius.

Dei gladius timendus, qui vno momento potest omnes trucidare. 174.1

Gloria.

Magna est gloria eorum, qui vtiliter concionantur. 307.1
Non datur Deo victoriæ nostræ gloria, sed redditur. 304.2

Gratia.

Omne gratiarum genus intrat in mare Mariæ. 79.1
Nihil perdit vel proiicit, qui pro conseruanda gratia omnia terrena bona perdit, sola enim Dei gratia immensus thesaurus. 128.2
Gratias Deo propriè largitori vxoris bonæ vir deber semper reddere. 44.2
Castis liberalissimè gratia orationis, ac contemplationis communicatur. 138.2
Gratiæ & misericordiæ Mariæ immensitas. 178.1
Gratiæ gerendæ post conuiuium Eucharisticum. 263.2

Gratus: Gratitudo.

Cum peccator videt alios peccatores durioribus agi laboribus, existimet, id à Deo beneficium accepisse, & gratum se præbeat. 168.2
Æterna est memoria viri grati Deo, & hominibus. 298.1
Gratum esse perpetuò ob vnum beneficium à Deo acceptum, ad aliud vberius recipiendum est dispositio. 108.2

Grauitas.

Grauitas vultus cor sapiens, leuitas cor indicat insipiens. 93.2

Gressus.
Nullus gressus iusti sine speciali præmio. 5.2
Gubernatio.
Magis proficit ad prosperitatem belli prudens gubernatio, quam copia militum. 47.1
Imprudens gubernatio causa solet esse inquietudinis rebellis Prouinciarum. 149.2
Tyrannica gubernatio ægritudo exitialis Reipublicæ. 205.2
Gula: Gulositas.
Gulæ addicti ad regendi munus inepti. 104.1
Ex vitio gulæ vitium libidinis. 238.1
Principum gulositate & affectu in voluptates, corruit imperium. 102.2

H

Hæreditas: hæres.
PArentes magis debent esse soliciti de spirituali quàm de temporali hæreditate filiis relinquenda. 196.2
Priusquàm tibi relictam adeas hæreditatem, eius onera discute. 47.2
Qui relinquit nimis hæredi opes, ei relinquit vitiorum fomentum. 84.1
Nihil ingratius hærede erga relinquentem ei opes. ibid.
Qui vnus est, nec habet hæredem, stultus est, si non studeat habere secundum, id est, pauperes. 88.1
Hærere.
Satiùs est Regi seni hærere, quam ad iuuintem hæredem accurrere. 88.2
Herus.
Herus iracundus, instar Leonis, domesticis horribilis est. 191.2
Homicidium.
Vix Deus permittit homicidij crimen celari. 69.2
Omnibus odiosum est homicidium. ibid.
Homo.
Tunc solet homo propinquior morti esse, cum maiori hîc felicitate fruitur. 314.1
Homo aliquando à Deo carceri addicitur, vt compedes sint bases, quibus in virtute firmetur. 196.1
Homines per omnia tentati prudentiam colligunt. 282.2
Homo sapiens aptius se ad mortem disponit. 283.1
Multa approbant homines, quæ Deo ingrata sunt.
Maius solet esse inter fratres dissidium. 244.2
Non debet homo appellari, qui viuit vt brutus. ad initium voluminis in Antilogia.
Homo procax odiosus cunctis. 219.1
Homines impij sic anxiè dant peccatis operam, ac si peccandi haberent præceptum. 217.2
Si fieri posset, deberet homo Dei infinitam celsitudinem considerans, infinitè humiliare se ei, ac submittere. 287.2
Homines vitam hanc gloriæ æternæ præferunt. 7.1
Homo inutilis, & noxius Reipublicæ *hominis* nomine est indignus. 177.1
Quidquid dat vulgaris homo equiti, ab eo non vt donum recipitur, sed quasi exigitur vt tributum. 212.1
Indignum homine iusto vel se ex vanitate simulare esse diuitem, vel ex auaritia fingere se esse pauperem. 28.1
Ex vno delicto homo facilior redditur ad aliud: & rarò peccatum solùm incedit. 45.1
Hominis pigri est, in cunctis rebus pericula somniare. 52.2
A vitio luxuriæ homo corrigitur difficilè. 5.2
Ne putet homo imbecillitatis humanæ excusatione se liberum à pœna si deliquerit. 222.2
Homini libidinato multiplex stultitia. 31.2
Homo inutilis, omnibus molestus. 230.2
Illud flagrantius optat homo, à quo prohibetur. 19.1
Homo misericors, & verus magni à cunctis æstimatur. 7.1
Homo in Republica inutilis, admodum noxius est. 12.2
Homuncio.
Vilium homuncionum proprium est, falsò iurare ob vilem mercedem. 74.1
Honor: honorare.
Honor qui pauperi iusto datur, ex corde procedit, secus qui datur alicui propter diuitias. 206.2
Honorare officiis insipientem idem est, ac colere dolum. 65.2
Qui parentes honorat, veniam facile à Deo de peccatis impetrat. 186.1
Honor delatus matri à filiis thesaurus diuitiarum est, quo spiritualia bona possint acquiri. 186.2
Qui parentibus negat honorem, in honoris læsione punitur. 239.1
Parentes honorare idem est, ac temporali, & æterna felicitate potiri. 186.2
Honor Medico verus pecunia est. 279.1
Honor est, te Præsulatu esse dignum, onus est illum exercere. 190.1
Humilis: Humilitas.
Humilis omnibus bonis stipatur. 51.1
Verè humilis in consummatione instar Lunæ minuitur. 293.2
Humiliationis humanæ, seu mortis memor animus non effertur ad iram fouendam. 252.2
Non est verè humilis, qui non se submittit in omnibus. 287.2
Vt superbum humiliet, videtur Deus miracula excitare. 205.2
Humiles sensu, non verbo solùm laudabiles. ibid.
Humilitas deiectione exaltatur. 266.2
Rarò non præcedit humilitas gloriam. 35.2
Vere humilis, videtur assecutum iam esse sanctitatem. 185.2
Affectata humilitas taxabilis est. ad initium voluminis in Antilogia.
Hypocrisis.
Hypocrisis non potest diu occultari. 185.2

I

Iactantia.
QVis patienter feret stulti dantis iactantiam. 230.1
Idiota.
Idiotæ Deum diligentes sapientissimi sunt. 281.2
Diui idiotæ honorabilis Sapientia in S. Didaco Seraphici Ordinis eluxit. 281.2

Idololatria.

A nimio dolore in obitu filiorum idololatria imaginum habuit initium. 164.1
Peccatum idololatriæ tam graue est, vt coram illo reliqua crimina quasi non esse videantur. ad initium voluminis in Antilogia.

Iesus.

Iesu nomen Dei itam comprimit. 175.2
Iesu nomen inuocans à calumniis liberatur. 313.1
Nomen Iesu peccatoris vulneribus vnguentum præparatum. 108.1
Iesu nomen est inuocanti turris munitissima. 42.1

Iesuitæ.

Societatis Iesu pietas per plateas ducentis puerorum pompam & in foro prædicantis. 3.2
Speciale Societatis Iesu studium circa Templorum ornatum. 296.1
Societas Iesu ob singularem obedientiam *Militia* vocatur. 293.2
Iesuitarum labore magna ex parte idololatria extincta est. 163.2

Ignatius.

Diuus Ignatius indicit suis alumnis crebram renouationem vt impensius Dei præceptis, & consiliis obsequantur. 176.2
D. Ignatius quæcumque gessit facinora, ad maiorem Dei gloriam retulit. 301.2
Diuus Ignatius Societatis Iesu Fundator gratis offert proximis spiritualia ministeria. 129.2
Gemina pulchritudo D. Ignatij propriæ perfectioni, & proximorum saluti addicti. 110.2

Ignominia.

Ignominia hominis est sine fræno delinquere. 41.2

Illegitimus.

Stultus est filius illegitimus, qui de huiusmodi ærumna non doleat. 138.2

Imago.

Gestatio imaginum valde nobis vtilis. 128.2
Non credendum semper imagini, cuius adulator pictor solet mentiri pulchritudinem. 164.1

Imminutio.

Agnata est opibus male partis imminutio & rectè acquisitis multiplicatio. 28.2

Immunis.

Immunis à peccato qui Deum sibi præsentem contemplatur. 7.5

Imperfectio.

Nemo ob imperfectiones leues, quas exteriùs ostendit, indicandus, fortè interius prædiues virtutibus erit. 109.5

Imperium.

Regis insipientis haud stabile Imperium. 146.2
Non maximi faciendum Imperium, quo potest Rex auersa fortuna priuari: & quod valet pauper propitia obtinere. 88.2

Impietas: Impius.

Sequi impietatem, magis laboriosum est, quam sectari virtutem. 83.5
Regum impietas ad alienigenas Regna transfert, 309.1
Impij, qui narrant suas libidines, audientibus offendiculum apponant. 250.2
Impij dæmonem pretio satagunt acquirere, dum Deum se gratis offerentem recipere dedignantur. 166.2
Impius semper est Reipublicæ pestis, alios corrumpens. 34.5
Impiorum est, iusti cadentis piaculum publicare: id operit virtus. 62.2
Supra impij caput miseriæ congeruntur. 20.2
Nomina impiorum velut putridum quid è memoria expungere satagimus. ibid.
Impius irridens Deum, eum docet vt ipsum irrideat. 4.1
Solam temporariam mortem impij timent, haud æterna soliciti. ibid.
Impius repente plerumque moritur. ibid.
Grauissimo Dei supplicio impius longo tempore viuit. 94.
Impios in omnibus inconstans ostenditur. 250.2
Impius conscientiæ stimulis post peccatum quod ridens admisit discruciatur. 21.2
Sultè existimat impius posse se ex peccato lucere. 49.1
Impius aliquando in supplicium longam vitam ducit. 139.2
Plerumque impius infami morte decedit. 140.1
Impij quodammodo sine fide, sine Deo. 12.2
Plerumque impij morte inopinatâ arripiuntur. ibid.
Impius in peccatis torturam inuenit. 38.1
Impij fastu hîc altius insonant ex ariditate proximâ exitio. 286.5
Impij diuites citius crescunt vti gramina ripæ, & citius falsi traduntur. ibid.
Impius infeliciter omnia agit, quia veram felicitatis viam, seu pietatem non tenet. 10:.1

Imprecatio.

Imprecationes prolatæ contra impios, suum assolent effectum sortiri. 288.2

Improbus.

Improbi improbis facillimè congregantur. 39.1

Improperium.

Improperium hominis est, de alieno victitare. 256.2

Imprudens.

Imprudens est, qui secretum suum extraneo reserat, 61.1
Imprudens est, qui iratus, & non vt aliorum sedes itas, rixis se immiscet alienis. 64.1
Imprudens non verbis, sed virga corripiendus. 63.1
Imprudens, qui sine circumspectione omnia credit, 31.5

Impudens.

Impudens est, qui se fideiussori ingratum ostendit. 256.1
Impudentis est, beneficio vti in benefactoris iniuriam. 47.1

Impugnatio.

Horribilis subditi contra Prælatum impugnatio. 124.2
Horribilior est homini fratris irati, quam hostis impugnatio. 553.5

Incommodum.

Plura ebrietatis incommoda recensentur. 261.2
Multa vitat incommoda, quæ litem antequam incipiatur, dimittit. 39.2
Ex nimia cum proceribus conuersione semper incommoda nascuntur. 252.2
Cuncta hominum incommoda ex peccato ortum habent. 285.2

Maximum

Maximum Regni incommodum eum Regis peccata prodeunt in publicum. 63.1
Circa fideiussionem mille incommodis expositam faciendam, vel amicus tuus tibi sit quasi extraneus. 23.2

Inconstantia.
Loquendi inconstantia indigna viro. 192.2

Indecentia.
Ingens fecois est indecentia, non posse de rebus rectè iudicare, nec consilium sanum suggerere. 245.1

Indigentia.
Indigentia ipsa nostra connotat orationem ipsius indigentiæ medicamen. 169.2

Indignatio.
Beneficiorum mundationem sequitur iræ indignatio, vt obruat ingratos. 283.2

Indoctus.
Indoctus si prudens sit, eruditus ostentabitur. 32.2

Indulgentia : Indulgere.
Erga filios indulgentia matris propria est potiùs, quàm patris. 71.2
Vxori immorigeratæ nihil indulgendum. 246.2

Industria.
Vxoris industriâ, quæ inutilia sunt in domo, in vtilia ac necessaria conuertuntur. 77.1

Ineptus.
Ineptus ad consilia ferenda qui à Dei timore recedit. 16.2
Ineptus ad regnum qui Sapiens non est. 221.1

Infamia.
Vberior infamia parentis filiæ, quàm filij libido. 235.1
Duplicem contrahit infamiam, qui commissum crimen curet defendere. 191.1

Infelicitas.
Nullus infelicitate nimium pungatur, nec de felicitate glorietur; quia fortuna vices mutat. 23.1

Infernus.
Impotens vocatur infernus, quia ibi nihil potest damnatus vtile facere. 171.2

Ingenium.
Ingenium hominis in rebus bonis defectus confingens. 47.2
Arrogantis ingenium, vel nihil loquentis, aut operantis abominabile est. 36.1
Sine acumine ingenij in acquisitione scientiarum fine fructu laboras. 149.2
Nec ingenium perspicax scientiam acquirit, nisi studio diligenter incumbat. 42.2
Biliosum ingenium aptius ad operandum, quàm tardum, dummodò non facilè prorumpat in iram. 42.2
Perspicax mulieris amantis ingenium, ad patranda delicta. 15.1
Ingenium pueri, laborans hebetudine, patris assidua correptione tandem acuitur. 53.2
Muliebris ingenij, non virilis est, cum rixantur, suos inuicem defectus publicare. 61.1
Dolosum ingenium omnium facilè fit reus. 209.2
Ingenium acutum vini, & Veneris esu hebetatur. 226.2

Ingratus.
Ingratissimus est, qui ex tot beneficiis à Deo acceptis, ad eius dilectionem non excitatur. 208.2
Fuge ingrati domum, tribulationum plerumque receptaculum. 39.2

Ingressus.
Difficilis ad res magnas ingressus. 314.2

Inimicus.
Inimicus osculo officit. 66.1
Inimicum etiamsi se amicum simulet, ad honoris consortium non admittas. 210.2

Iniquitas.
Iniquitas cunctis apparet ingrata. 193.2
Iniquitas peccatoris odio habenda, humanitas illius amanda. 85.1
Magna iniquitas te amicum gerere mariti, vt vxorem inficias. 164.2
Detestabile, facere iustam iniquitatem in virtutis iniuriam. 59.1

Iniuria.
Cum iniuria afficeris, sufficit tibi ad satisfactionem potuisse vindictam sumere, sed noluisse. 159.1
Nisi dimittas proximo iniuriam, Deus tibi debita non dimittet. 252.1
Si quis affectus iniuria vindictæ non studet, se Dei filium esse fitmat. 136.1
Iniuriæ affecti patientia iniuriantem debellat. 94.1
Iniuria, vel mancipia afficit. 267.2
Pauperis iniuria affecti causa apud Dei tribunal festinato deciditur. 232.1
Iniuria pauperi facta Christo Domino fit. 32.1

Iniustitia.
Ex iniustitia corruunt Vrbes. 41.2

Innocens.
Innocens credit aliorum laudes, vituperiis non dat fidem. ad initium voluminis in Antilogia.

Inops.
Quod inopi datur, augetur. 24.2

Insensatus.
Vere insensatos, qui immenso labore damnationem acquirit. 141.1

Inscitia.
Multi ob inscitiam piacula leuia putant grauia esse & grauiter delinquunt. 9.2

Insidia.
Valdè impium insidias parare ei, qui te non læsit. 3.1

Insipiens.
Proprium est insipientis labintem peruersitate laborare. 44.1
Insipiens si tacere scit, Sapientem se hoc ex capite ostendit. 192.2
Insipiens facile concipit iram, & difficilè sedatur. 94.1
Insipientis est, dolore non affici, cum eius fama iniustè vulneratur. 94.1

Instabilitas.
Homo in instabilitate est semper stabilis. ad initium voluminis in Antilogia.

Instans.
Nec vitæ instans deberet otiosè peragere, qui instanti quolibet posset gloriæ pondus acquirere. 225.1

Intellectus.
Qui intellectu pollet, & à via peccatorum recedit, sciat, se id magno Dei beneficio accepisse. 266.1

Intercessio.
Potentissima est apud Deum, vel vnius perfecti viri intercessio. 196.2

Sanctæ

Sanctorum intercessio multum iuuat, sed omnem rem non præstat. 252.2
Intermissiones in literarum studio faciunt nos serò scientiæ assequi cognitionem. 17.2

Interpretari : Interpretatio.

Ministerium commendatione dignum scripturas interpretari. 296.1
Peccatoris est, laxas legis quærere interpretationes. 264.1

Interrogatio.

Qui non audit interrogationem, non potest aptè respondere. 207.2

Inuentor.

Inuentor criminis alicuius Deum docet quonammodò eum debeat punire. 153.1

Inuerecundia.

Genus quoddam inuerecundiæ est, egenti non succurrere. 255.2

Inuidia : Inuidus.

Inuidia optimum quemque petit, & suauiori cibo pascitur. 87.2
In aula cælestis Regis nullus inuidiæ liuor ardet. 123.2
Dolere de alieno bono ob inuidiam dæmoniacum vitium est. 155.2
Inuidia bonam corporis lædit valetudinem. 31.1
Inuidus parens miser ac mendax est. 55.1

Iocus.

Iocus aut nugæ, quæ alicui nocent, nugæ non sunt, sed sagittæ. 64.1

Ira : Iratus.

Duorum ira occidit vtrumque. 253.1
In popinis ira, rixæ, luxus, &c. inueniuntur. 225.2
Iracundus sæpè effingit errata in proximo, & iniquè de illo iudicat. 228.2
Amantium leues iræ, redintegratio dilectionis. 236.1
Ne obstinatè peccator à Deo fugiat irato, nec enim poterit eius manus effugere. 97.1

Irreuerens.

Qui fuerit erga parentes irreuerens, erga se filios suos experietur. 186.2

Irridere : Irrisor.

Qui peccatum irridet alienum, in idem incidere permittitur. 30.2
Omnibus placet, senes ab irrisionibus iuuenum defendi. 291.1
Irrisor parentis fuit diabolicæ artis magicæ inter homines auctor. 158.1

Irrogatio.

Accurata animi irrogatio est quasi fructuum matura possessio. 243.2

Iter.

Cum iter velis instituere, conscientiam purga vt à periculis viæ eruaris. 269.1
Perfectionis iter consitum spinis aspectui, experimento floribus vernans appatet. 176.2
Vide verbo *Perfectio.*

Iteratio.

Non est verbi iteratio in oratione, cum eodem affectu verba replicantur. ad initium voluminis in Antilogia.

Iucunditas.

Vt iucunditatem ex vino percipias, eo vtere moderatè. 263.1

Iudex : Iudicium.

Filius Iudicis incorrupti, non est opum hæres, sed honoris eximij. 302.1
Iudici pauperis expilatori, & mercenarium sua mercede fraudanti iudicium strictum præparatur. 141.1
Iudex cum alios iudicat, horribile iudicium sibi imminens præ oculis habeat. 143.2
Potentes in sæculo solent plerumque magis delinquere, quam pauperes. 143.2
Iniquissimum se Iudex ostendit, Virginem iustitiam sibi creditam ad custodiam violando. 229.1
Iudex si diues sit, longius aberit ab ambitus corruptione. 94.1
Apud prauum Iudicem omnia pauperi fauentia iura ignorantur: fauentia diuiti disertè sciuntur. 71.1
Iudex pupillos defendat vt pater viduas vti maritus tueatur. 189.2
Dum Iudex se pupillorum patrem præbet, Deum sibi patrem, ac matrem acquirit. 180.2
Iudex seuerum se in vultu, benignum in sententia delinquenti ostendat. 95.2
Sapientissimus Iudex errabit in iudicio sine speciali Dei assistentia. 151.1
Iudices iniusti malè de Deo sentiunt Atheorum, & Epicuriorum imitatores. 132.1
Rarò fit, vt quis iudicet proximi actiones sine crimine. 208.1
Homo ex verbis, quæ audit, non potest certò loquentis animum iudicare. 132.2
Non iudicandus animus ob formæ pulchritudinem, aut fœditatem. 181.1
Ineptè fertur iudicium de interna hominis virtute, ex corporis praua, aut alia statura. 207.1
Longe abest à piaculo patrando, qui futuri iudicij recordatur. 104.2
Horribile iudicium, & pœna imminet impudicæ fœminæ, quæ tendiculas apponit incautis, vt ad libidinem alliciat. 165.2
Iudicij dies horribilis admodum peccatori. 142.1

Iurare : Iuramentum.

Vel leuia iurandi piacula Deus rigidè punit. 239.1
Qui habitum iurandi habet, facile labitur in periuria. 238.2
Nec verum firmandum est iuramento sine necessitate. 238.2
Sæpe videris hominem ad iurandum pronum pluribus iniquitatibus defœdari. 238.2
Ipsum male iurare grauissima pœna delicti posset esse. 238.2

Ius.

Diuitum ius semper protegitur à Iudicibus: de pauperum iure assolent dubitare. 76.2

Iustitia : Iustus.

Iustitia parentis nepotum domum fulsit. 305.1
Dum vult iustus, existimet, se excidere ex iustitia posse, & damnari. 305.1
Iustitia ætatem producit. 240.2
Qui iustitiæ non student, videntur quasi ex furto, ex creaturis voluptatem accipere, non ex Dei dono. 99.2
Potentiam Regum debet iustitia moderari. 159.1
Dirigenda prius causæ iustitia, ne in lite obstacula reperias. 44.1
Ex iustitiæ obseruatione Regnorum stabilitas. 57.1
Sic Deo vnus egregius iustus placet, vt videatur eo solo in rerum natura esse contentus. 123.2

Iustus seipsum piaculi conscius reprehendit, & emendat. 42.2
Agnatum est iusto procurare, vt alij iustitiam sectentur. 50.1
Pigeat iustum desidem se ostendere ad vitam, dum impius se tam solertem ad mortem ostendit. 66.2
Iusto omnia cedunt in bonum. 84.2
Iustus paratus debet æquè esse ad accipienda bona, & ad mala toleranda. 174.1
Patienter iustus labores sustinet, vt argentum, & aurum esse in igne appareat. 39.2
Iustus in morte à Deo & ab hominibus benedicitur: Impius autem afficitur maledictione. 181.2
Iustus paucis contentus bonis ad sufficientiam: iniustus semper appetit redundantiam. 29.2
Iustus alios docet, cum bene operatur. 263.2
Dum iustus cogitat, quomodò Deo impensius seruiet, Deus quasi cogitat quomodo impensiua eum tutabitur, & præmio donabit. 142.1
Iusti victores erunt, & Reges, queis diadema præparatur. 142.1
Mirabile est quandiu iustum inter prauos degentem, iustitiam conseruare. 139.2
Iustus inter impios habitans, velut peregrinus est, ab illis omninò abstractus. 219.1
Iustus acquirit vt victiter: impius, vt in vitiis insumat. 21.1
Iustus in domo luctus cogitat, se etiam moriturum; peccator minimè. 93.2
Vnus vel alter iustus eximius Deo est quasi ingens populus. 301.2
Ne sis nimium iustus erga delinquentes. 159.1
Iustus videns ab aliis Dei legem violari, debet Dei iniuriam dolare, vt pleno ore iustus vocari mereatur. 68.2
Iusti ita cum Deo identificantur, vt Deo regnante simul & ipsi regnent. 137.1
Iustus modico subsidio abundat, impius affluens diuitiis eget. 36.2

Iuuenta: Iuuentus.

Odorata virtutibus iuuenta firmat, & prænunciat totius vitæ probitatem. 242.2
Iuuentus litteris det operam vt vitia ex otio profluentia vitare valeat. 314.1

Labium.

Iustorum labia gratias distillant, ad peccatorum reductionem. 21.2
Spiritualis viri labia vitta sint, quæ vulnera peccatorum curet operire ne ab aliis videantur. 117.1

Labor.

Non requiritur nimius labor ad scientiæ acquisitionem. 314.2
Labores, quibus premimur sunt Dei admonitiones. 158.1
Iusti labores finem habebunt, breuis impij felicitas in infelicitatem transibit æternam. 97.2
Quod labore acquiritur, diutius retinetur. 314.2
Quem Deus diligit laboribus afficit eum retinens ne fugiat ad vitia. ad initium voluminis in Antilogia.
Modico in acquirenda Sapientia labori magnum lucrum respondet. 315.1
Labores iustorum inter bona data eis à Deo annumerantur. 283.2
Ex laboribus quia homines premuntur, non fit iustitiæ, aut iniustitiæ, eorum efficax argumentum. 99.1
Labores hominem sustentant, & erigunt, ne in piacula excidat. 184.1
Labores Dei beneficio obueniunt, dum nos trahunt ad Christum. 108.2
Qui non laborat, esurit. 41.1
Tam egregium est facinus patienter tolerare labores, vt possit patiens periculum vanitatis incurrere. 183.2
Labores à Deo nobis immissi, sunt eius misericordiæ effectua. 184.2
Leuissima sunt quæ patimur, si cum Christi laboribus componantur. 110.1
Qui sub Sole laborat, id est, propter terrana fine præmij spe stultè defatigatur. 80.1
Laboribus diratur animus. Ideo Sapientes eos non solùm sustinent, sed requirunt. 153.2
Cum videris alium pari laborem, aut ægritudinem, à qua liberatis, Deum gratus magnifica. 173.1
Labores septa sunt, queis anima protegitur, à vitiis irruentibus. 111.2
Labores sustinere est infallibilis spei mercedis. 184.1
Licitum est aliquandò prælatum laborem dimittere. 109.1

Lachryma.

Lacrymæ voces habent, disertè loquuntur. 271.2
Lacrymæ sic obruunt delicta, vt eorum memoria omnino aboleatur. ad initium voluminis in Antilogia.

Lædere.

Cum videris lædi iustitiam, solatio tibi sit adesse æternum Iudicem, qui strictam officij infeciorum exigat rationem. 90.1
Se lædit, qui alium supplantare conatur. 22.2

Lætari.

Matris est lætari de filij pulchritudine, patris autem de Sapientia. 56.1
Lætitia & sanctitas peccatum, & tristitia simul incedunt. 258.2
Ex lætitia, si non adsit moderamen, possumus ad piacula flecti. 250.1
Rectam vitam lætitia comitatur, prauam verò tristitia. 85.1
Lætitia inseparabilis est iustitiæ comes. 99.2

Laqueus.

Ferè est impossibile, fine cautela magna, te à laqueis impudicæ fœminæ liberari. 95.2

Lasciuus.

Lasciuua plerumque est procax. 219.2
Sæpè lasciuiens iuuenis putat se ad delitiarum epulum inuitari & ad necem trahitur. 15.1

Laudatio.

Liberali, & munifico agnata omnium laudatio. 261.2

Laus.

Laus quæ à Deo non accipitur, vt pro merito cuique tribuatur, non laus, sed adulatio est. 217.1
Laus ex proprio ore certa gesta in dubium adducit. 65.2
Ne extollaris laudibus, memoriæ retine agnatam miseriam ex peccatis. 128.1
Magna iusti laus, impiis esse Intractabiles. 135.2

Lenitas.

Præsulis lenitas efficacior est ad subditorum delinquentium reductionem quam seueritas. 101.1
Lenitas correptionis exitialia vulnera curat. 228.1

Lectio.

Piorum librorum lectio maximè prodest ad morum correctionem. 179.1

Lex.

Magnum est argumentum, totam legem seruare, qui eximia est in pauperes charitate. 255.1

Obseruatio legis homini confert spiritualem, ac temporalem hæreditatem. 221.2
Lex fidelis custos erit eius qui illam fideliter custodit. 265.1

Liber.

Magni meritieft, doctos ac pios libros scribere. 243.2
Melius ad vtilitatem est, vnum librum sanæ doctrinæ tenere, quam legere plures. 106.2

Liberalitas.

Profusa Dei liberalitas in eum, qui vere de peccatis pœnitet. 252.2
Mariæ liberalitas nominis Iesu diuitias quodammodo imminuit. 108.1
Liberalitas sæpè ingrata, Deo prodigalitas est. 210.1

Libido.

Libidinis vitium famam deturpat. 304.2
Viri Gigantes ob libidinem perierer, à fragili mulier-cula victi. 19.2
Difficilè prauam libidinis exues consuetudinem. 11.2
Libidinis vitium agnatum insipienti. 19.1
Solum libidinis vitium in fœmina illam ita deturpat, vt valeat cum impiis magnis computari. 235.1
Tenacissima & inexplicabilis est libido. 239.2

Licere.

Quomodò liceat de inimici clade, vel morte gaudere. 245.1

Lingua.

Rixosæ mulieris lingua horribiles diritate tempestates superat. 49.2
Lingua est omnium gladiorum, & instrumentorum mortis collectio. 253.2
Minus quodammodò dirum, infetni ignem, quàm prauæ linguæ malitiam tolerare. ad initium voluminis in Antilogia.
A detractoris lingua absentes, & præsentes feriuntur. 232.2
Quasi summa malorum est hîc, linguam malam habere. 40.1
Qui linguæ nequam patienter tolerat iniuriam, quasi martyr est. 253.2
Vix inuenietur, cuius lingua omninò sit innocens. 228.1
Commendabilis lingua in qua semper lex resider pietatis. 78.1
Lingua facile potest iræ ignem addere, vel extinguere. 253.1

Lis: Litigator.

Litem moliri iniustam horribili vindictæ æquiparatur. 7.2
Litigator condemnatus, semper putat Iudicem iniustè iudicasse. 201.1
Qui litem init, pauper erit. 252.1
Nihil lite grauius & molestius. 200.1

Littera.

Omnes litteræ quomodocumque combinatæ non sufficiunt ad mulierem fortem, seu virtute præditum laudandam. 76.2

Longitudo.

Regis vitæ longitudo, & prosperitas Regni ex bonis consiliariis pendet. 68.1

Loquacitas: Loqui.

Antequam loquaris, orationem præmitte. 265.1
Difficilè est vitium loquacitatis corrigi. 72.1
Qui imprudenter loquitur in ipsa concinna loquela inuenit supplicium. 187.1
Parum solet agere, qui multum loquitur. 191.2
Multum loqui non est eloquentia, sed loquentia. 33.1
Loquacitas peccatorum est fomes. 227.1
Loquaci non committenda arcana, quæ vt loquatur, reuelabit. 47.2
Immoderata loquela nunquam erit à piaculo immunis. 239.1
Qui immoderatè loquitur, plura profert stulta. 89.2
Qui loquitur multum aliqua inconsideratè effutit. 21.1

Lucrum.

Ita multi satagunt captare temporalia lucra, vt videantur ad id solummodo natos fuisse. 166.2
Luctum magnum accepit, qui eleemosynam gerit. 254.1

Luctus.

Luctus pro defunctis non sit nimius. 280.1
Luminaria magna ex virtutis fulgore prauæ intentionis oculis aspicienti tenebrescunt. 105.1

Lux.

Illa lux, quæ te ad bona hospitia ducit, occasiones delinquendi auferens, ubi data est Dei beneficio. 173.1

Luxuria: Luxuriosus.

Vitium luxuriæ tenaciter hominem apprehendit. 238.1
Opes luxuria perdit. 288.2
Fœdum luxuriæ vitium famam deturpat. 10.1
Insolens iuuenum luxuria. 137.1
Vitium luxuriei admodum crudele. 135.2
Vitium luxuriei crudelissimum est. 202.2
Luxuriei vitium fuga vincitur. 13.2
Cum Luxuriei æstu afficeris, Christum aspice, & ipse te respiciens à tentatione liberabit. 269.1
Vitium luxuriæ homines facit stulrescere. 235.1
Luxuriosus opibus assumptis cogitur mendicare 13.2

M

Machinari.

Qui contra proximum machinatur mendacium, iniustus apparet: qui contra amicum, se iniustum & vilem ostentat. 198.1

Magdalena.

Allegoticè Magdalena ex Cypria Insula dicata Veneri ad veniam Dei translata ardentissimi amoris vinum sponso propinauit. 150.1

Magister.

Qui magisset alicuius peccati est, videtur esse reus omnium peccatorum, quæ à discipulo eius causa perpetrantur. 305.2
Oportet Magistrum callere malitiam vt ab ea alios auertat. 269.1
Magister alios edocens sibi colligit fructus vberrimos. 33.2

Magistratus.

Magistratus insti Vrbibus eligendi. 71.1
Magistratus insigne magis si gladius contra peccatores, quàm virga honoris. 197.2
Qualis magistratus, tales ciues. 204.1
Magistratus diuitibus dantur aliquando venales. 52.1

Magnitudo.

Tam bonorum, quam malorum intolerabilis est magnitudo. ad initium voluminis in Antilogia.

Maledictio.

Efficax solet esse pauperis in misericordem maledictio. 189.1

Parentum maledictio filiis sine causa iactitata non habet effectum. 63.1

Malitia.

Vel vnius iniqui Regis tanta est malitia vt ex multis Regibus prodire videatur. ad initium voluminis in Antilogia.

Malum.

Multa mala ob immoderatam linguam. 16.1

Sunt mala quibus nullum remedium nisi resurrectio. 246.2

Mala, & ærumnæ quæ torquent iustum, verè mala non sunt, cum deseruiant ad meritum. 265.1

Malum pro bono reddere reprobationis signum. 177.1

Mancipium.

Turpe est, herum famulum, vt mancipium tractare, cum sit liber. 267.1

Mandatum.

Qui impudenter Dei mandata violat atheismo laborare videtur. 264.2

Hæc sibi mutuò respondent: serua mandata, & seruaberis incolumis. 276.2

Qui implet mandatum circa eleemosynam, videtur omnia impleuisse mandata. 254.2

Mansuetus.

Mansuetus irato responde. 33.1

Manus.

Stultus dextra caret manu, Sapiens non habet sinistram. 101.1

Multi manus ducunt, sed pauci conserunt cum hoste manus. 301.2

Qui manum extendit vt recipiat, debet eam extendere vt redonet. 191.2

Qui vxori zelotypæ dat manum, scorpionem in coniugem ducit. 247.2

Vt Sapiens deposita vultus seueritate, videat, potentissima Dei manus debet esse. 96.1

Maria.

Maria Mater Sapientiæ incarnatæ halat Sapientiæ cælestis proprietates. 315.1

Vide verbo *Deipara.*

Generalibus propositionibus non comprehenditur Maria. ad initium voluminis in Antilogia.

Omnes præter Mariam mortui in peccato. ad initium voluminis in Antilogia.

Vide verbo *Deipara.*

Maritus.

Reprehenditur maritus, qui despiciens vxorem pulchram, cum fœda scortatur. 11.1

Sæpè iniquo marito, vxor sancta. ibid.

Plures mariti vxoris pulchræ formam contemnunt, alienæ coniugia inferiorem pulchritudinem admirantur. 102.2

Taxantur mariti, qui probæ vxori negat domus circa sumptus quotidianos administrationem. 274.2

Maritus semper debet existimare vxorem suam esse perfectam. 11.2

Martyr.

Mundi Martyres sine præmio dant vitam, dum Rex cælestis suos Martyres regno donat æterno. 100.2

Mater.

Ad matrem specialiter attinet, simul cum lacte salutari doctrina filium enutrire. 76.1

Mater filium quantumuis stultum habet in deliciis. 40.2

Piæ matres piis monitis debent filiis adblandiri. 76.1

Medicamen.

Vt manus ad opera pœnitentiæ exerantur, probatissimum medicamen est, eas laborum mirrha illiniri. 110.2

Medicus.

Subtaxantur perbreues Medicorum visitationes. 279.2

Taxantur Medici, qui per transennam ad pauperes infirmos accedunt. 279.1

Spiritualis Medicus suauibus pharmacis vtatur ad peccatores curandos. 279.2

Peritos medicos vidi, qui herbarum applicatione sine scissione venæ desperatas vicerunt ægritudines. ibid.

Bonus Medicus debet orare, vt curatio optimum sortiatur effectum. 280.1

Medium.

Medium tene, nec pigritia torpeas, nec nimia negotiorum susceptione labores. 88.1

Meditare: Meditatio.

Prius meditare, quæ locuturus es. 16.1

Passionis Christi meditatio luxuriei ignem extinguit. 368.2

Memoria: Memor.

Eorum qui dogmata sacra, & vtilia scribunt, æterna erit memoria. 277.2

Memoria vultus Christi contra impios irati in die iudicij deberet nos à peccatis abstrahere. 225.1

Æterna est memoria eorum qui Xenodochium suis opibus ædificant. 159.1

Memor peccati tui, aliorum crimen non improperabis. 200.2

Memoria Auctorum qui scripsere, æternùm viuit. 283.1

Memoria Dei, homo ad legis obseruationem excitatur. 242.2

Mensa.

Mensa ciborum plena inuitati aufert quodammodò potentiam, vt appetitum valeat infrænare. 54.2

Inurbanitas est cubitos super mensam apponere. 289.1

Mensura.

Quâ mensurâ proximum metiris, à Deo & à proximo iudicaberis. 169.2

Mendacium: Mentiri.

Mendacia, & periuria familiaria mercatori, & artifici. 248.2

Qui semel mentitur, facile in plura mendacia prolabitur, vnde mentiendi habitum acquirit. 198.1

Agnatum est mendacio illico patefieri. 20.2

Mendax nonquam confunditur, ab obiectionibus enim additis mendaciis respondet. 45.2

Mendax vento pascitur, quia nihil ei confictio proficit. 20.1

Mendacium leuis culpa, quæ grauiter famam hominis maculat. 230.2

Mendacium rarò solùm incedit, multa alia mendacia protegentia id comitantur. 26.2

Vilium hominum est mendacium. 289.1

Mendax se filium diaboli ostentat: verax se Dei natum profitetur. 26.2

Mendax illicò deprehenditur, & à cordatis despicitur. 28.1

Mendicare.

Mendicare est idem quod fame interire. 287.2

Mercator.

Quàm facilè mercatores perpetrant dolosæ stateræ vitium quod Deo est abominabile. 22.1

Merces.

Si operatio, vel famulo aufers mercedem, dabit Deus compensationem io diuitiis spoliando. 154.1

Merces laboris peccati est æterna perditio. 133.2

Meretrix.

Meretrix pro frusto panis corpus tradit & animam. 13.2

Meretricis amor, amor non est, sed latrocinium. 56.1

Occasione meretricum multa homicidia. 56.2

Fuge à meretricis domo, vbi dæmonis, ac Gigantium adest crudelitas ingredientem petemptura. 19.2

Meretrix nunqoam nummis impletur, instar perforati dolij. 56.1

Meretrices hominem, & eius opes perdunt. 102.1

Qui meretrici adhæret, sæpe filios vt pater alit. 11.1

Meritum.

Ad gloriam Sacerdotij debent merita præcedere. 299.1

Laudari à tuis, magni meriti est documentum. 296.1

Metus.

Terreat supplicij metus, quem virtutis pulchritudo non allicit. 5.2

Miles.

Difficilè supplices militum libelli leguntur, difficiliùs eis præmia donantur. 100.2

Nunc milites strenui post vulnera in bello accepta sine præmio famescunt. 25.2

Minister.

Minister Euangelij sit priùs sibi puteus, quam proximi fons existat. 118.2

Quantò Minister Euangelicus est sonitus, tantò est eius sublimior, ac celerior prædicatio. 118.2

Minister inutilis Reipublicæ idem est ac confundens Regem à quo munus accepit. 32.2

Minister Regis pius, ac Sapiens Dei donum. 204.2

Minister iniquus non potest Diu Principi esse gratus. 231.1

Adulatores Ministri Regis plerumquè subitò è felicitatis culmine excidunt. 230.2

Minister Ecclesiæ operibus debet manifestare, se verè esse Dei ministrum. 302.1

Miraculum.

Miraculum à Deo petit quasi illum tentans, qui imperatus dum orat, vult consequi quod petit. 225.1

Mirari.

De homine mortali nullo vel maximo peccato miteris. 282.2

Miser : Miseria.

Miser ad altum manus euectus superbus, & crudelis. 74.2

Videre pauperis miseriam, nos allicit, ad ei succurrendum. 189.1

Misereri : Misericors.

Deus omnium miseretur, quia eius omnipotentia eum continet, quodammodo, vt supplicium non inferat. 156.2

Iusti cum misericordia probati laboribus sunt, impij *cum ira* flagellati. 155.2

In vnica misericordia, seu in eleemosyna videtur totius legis obseruationem contineri. 34.2

Vel in inferno Dei misericordia fulgurat. 192.2

Ineffabilis Dei misericordia, peccatorem patienter expectare, si forte poeniteat. 221.1

Misericordia, & veritas omnium est virtutum epilogus. 6.2

Dei misericordia quodammodò ex nostra facilitate ad peccandum sumit motiuum ad parcendum. 224.1

Munificentia nobilium est propria virtus. 261.2

Misericors hic magis opibus abundat, & gloriæ diuitiis postea ditatur. 23.2

Sic Deus misericordiam exercet, vt quodammodo videatur attributum iustitiæ vindicatiuæ ad eum non pertinere. 150.1

Dei misericordia nou vocata aduenit, & quasi rogat nos salutem accipere. 168.2

Cum misericordia infinita Dei cohæret ob vnicum lethale crimen te iustè damnari. 192.1

Principes humanis miseriis obnoxij, discant afflictis misereri. 146.1

Misericors Dei prouidentia ante ægritudines medicamina præparauit. 279.1

Non miseretur proximo indigenti qui peccatis studet. 50.1

Dei ex misericordia labores iusto obueniunt. 155.1

Misericordi Deus miseretur. 224.2

Mitigare.

Dititas mortis mitigatur ex eo quòd sit æqualis omnium conditio. 288.1

Modestia.

Ex modestia cordis oculorum modestia promanat. 116.1

Modus.

Vel in spiritualibus, modus est statuendus. 61.2

Modus cœlestis supplicij plerumque modo delinquendi assolet respondere. 156.1

Molestia.

Grauior molestia ex coniuge zelotypa accipitur, quàm ex mala fama, tumultu vulgari, & calumnia. 247.2

Molestum admodum est vtile scientiarum studium. 80.1

Monere : Monitio.

Monere stultum, idem est ac eum flagellare. 20.2

Monitione prudenti plura proximi poteris inhibere errata. 227.2

Monita prudentum audire iter ad vitam. 21.1

Morbus.

Senectotem morbis afflictam, nec diuitiæ, exhilarare possunt. 288.1

Mors : Mori.

Peior est mors, quam lingua infert, quàm naturalis mors. 253.2

Qui memor mortis audet crimina patrare, se ostendit damnationi proximum. 276.1

Ex bona morte filij, propinqui, vel amici potius consolatione, quàm tristitià affici debemus. 280.2

Cur

Cur timemus mortem, quæ nihil est. ad initium voluminis in Antilogia.
Mors, perditio, tartarus cum impudica fœmina colligantur. 74.2
Amarissimum vel senio confectis est mortis vocabulum. 105.2
Mortis memoria & à peccato retrahit, & ad virtutis excitat exercitium. 99.1
Mors magnum bonum est Euæ iustis filiis. ad initium voluminis in Antilogia.
A peccato, quod est nihil, processit mors quæ nihil est. ad initium voluminis in Antilogia.
Mors vita est iustis. ad initium voluminis in Antilogia.
Memoria mortis auaritiæ medicamen est. 205.1
Mors animæ & nomine & re mors est horribilis. 137.1
Diuinæ dilectionis documentum sæpè est immatura mors. 139.2
Memoria mortis facit hominem facilè legis iugo submitti. 109.2
Mors vitæ anteactæ consentit. 32.2
Posse homines repentè mori, concludit, debere te semper esse paratum. 100.1

Mortificatio.

Studium mortificationis exercitio orationis est præmittendum. 117.2
Mortificatio & oratio animum ad omnimodam puritatem adducunt. ibid.
Vix diuino palato sapiunt virtutes si cum mortificationis myrrha non condiantur. 119.2

Mores.

Mores edificimus eorum, quibuscum commoramur. 149.1
Eius ebibes mores, quocum assiduè commoraris. 233.2
Probi mores vocales sunt ad persuadendum. 216.2
Prauos mores, quos iuuenta haurit, senecta difficilè euomit. 195.2

Mulier.

Mulier, quæ plus, quam vnum amat, meretrix tibi sit. 202.1
Difficilè potest mulier compta pulchritudinem ostentare veram. 202.2
Plerumque fœda est mulier, quæ fucis vtitur. ibid.
Auara mulier impudica sæpè ad furta cogit amasium. 164.2
Vt mulier fortis nomen acquirat, debet domo recludi, quasi in longè dissita Regione degeret. 77.1
Satiùs habitare cum leonibus, quàm cum muliere iracunda. 50.2
Mulier sapiens quodammodo recedit à communi mulierum specie, & nouam constituit. ad initium voluminis in Antilogia.
Mulieris impudicæ crudelitas diabolica. 10.1
Fatuarum muliercularum est se inuicem verbis contumeliosis impetere. 21.1
Mulier libidini addicta omnium vitiorum agit epilogum. 245.2
Plaga animi malitia mulieris, impetus aut vindicta inimici intolerabilis omninò. ibid.
Mulier serpenti assimilatur, quia venenum gestat in ore. 246.1
Mulier non potest cordis affectus continere, ne prodeant. ibid.
Plerumquè mulier vino indulgens, turpis est Venere ostentatur. 247.1
Mulierum est sominis adhibere fidem. 268.2
Mulier rixosa & viro & famulis molestissima instar tecti perstillantis. 44.2
Mulier fatua leuis plerumquè quæ pulchritudinis gemmam voluptatis, in morem porci, defœdat in luto. 24.2
Mulier pulchra si bonis moribus ornetur, encomiis dignissima. 25.2

Multiplicatio.

Multiplicatio criminum reddit peccatorem indignum, vt speciali Dei auxilio ad conuersionem donetur. 169.1

Mundanus.

Mundani diabolo sine spe mercedis, imò cum supplicij certitudine miserè obsequuntur. 166.2

Mundities.

De conscientiæ munditie nunquam præsumendum. 74.1

Munus.

Muneris pro iniustitia accepti duratio breuis, æterna supplicij retributio. 186.1
Quàm potens, quàm omnia vincens munerum elargitio. 52.2
Qui de substantia pauperis offert munera, Christum Dominum coram æterno Patre exitialiter percutit. 269.2
Munera accepta Iudicem captum visu, & voce efficiunt. 231.2
Cum quis quæritur ad munus egregium, ostenditur eo dignum esse. 303.2
Quies subditi est, iniunctum sibi à præsule munus promptè implere. 293.2

Murmuratio.

Plerumque nulla alia est causa murmurationis, quàm murmurantis malitia. 301.2
Murmuratio dissipatur, cum tristi facie auditur. 62.1

Mutuum.

Qui mutuum dat, comparat suâ pecuniâ amicum. 255.1
Qui mutuum accipit, & tempore statuto non soluit, se ostendit ingratum. 255.1

N

Nasci: Natalitium.

Fœni ac filiorum instar nascimur citò morituri. 215.2
Execrabiles ostentantur ciuibus illi, qui misero natalitio orti, ob acquisitas arte, opes volunt ab omnibus adorari. 163.2

Negotium.

Grauia negotia sine consilio prudentis agenda non sunt. 16.2
Negotia temporalia ruinæ proxima capescenda non sunt. 164.2
Quasi imperfecta est negotiatio propitiationis, vbi eleemosyna non adest. 199.2

Nequitia.

Nequitia intolerabilis digna tartaro, deflectere à virtute in peccatum. 148.2
Ex nequitia parentum filiorum sæpè prodit infelicitas. 188.2

Nimietas.

In rebus cunctis noxia est nimietas. 40.1

Nobilitare : Nobilis.

Magis nobilitat mariti nomen vxor pudica, quàm Vrbem ædificasse. 286.2
Ignobiles equitant diuitiæ, paupertas nobilis pedes incedit. 101.2

Nocere.

Maximè filio nocet, qui eum procreat in peccato. 304.2
Multa dicuntur dura auditu, quæ ex animo nocendi non prodeunt. 227.2

Nomen.

Nomen & vnguentum idem est: bonum suauem odorem efflat, malum autem pestilentem exhalat. 93.1

Noscere.

Noscere teipsum omnibus est bonorum origo. 44.1

Numen.

Regium numen est versus sacros ad Dei laudem condere: vulgate verò componere profanos. 304.1

Nuncium.

Nuncium faustum plerumque mendax. 141.2

Nuptæ.

Cœcus omninò qui difficili ac periculoso nuptæ amoti dat studium. 13.2

Nuptiæ.

Filiarum nuptiæ haud nimium differendæ. 291.2

O

Obedire : Obedientia.

Obedienti promptè Deo fidens ardua quæque committit. 118.1
Ea obedientia nullum potest prouenire incommodum, nullum lucrum amitti. 297.1
Præsuli obedi quasi Deo ea promptitudine, quâ vota Deo emissa debent impleri. 96.2

Obcæcatio.

Obcœcatio mentis, quâ peccator suffunditur, est damnationis quasi prælibatio. 172.2

Oblectare.

In omnibus præcipuè in iis, quæ sensum oblectant, modus adhibendus. 61.2

Obligatio.

Herorum obligatio, non solùm propriæ, sed domesticorum saluti attendere. 77.2

Obliuio.

Pauperis gestis præclaris agnata est obliuio. 100.2
Sapientis scriptoris nomen nunquam obruit obliuio. 249.2
Ea obliuione nouissimorum cuncta crimina ortum habent. 199.2

Obsequium.

Obsequia ex alienis bonis haud Deo grata. 7.1
Quàm stultè præstas obsequium voluptatum idolis inutilibus & noxiis. 161.2
Milites Regis terreni obsequio vitam sine mercede tradunt. 100.1
Obsequia ex libera voluntate oblata Deo gratissima. 241.1
Obsequium in Deiparam libidinis medicamen. 18.1

Obseruatio.

Innumerabilia bona legis affert obseruatio. 243.1

Obstaculum.

Magnum obstaculum ad saluationem nimia circa diuitias augendas sollicitudo. 23.1

Occasio.

Qui occasiones delinquendi non fugit, in illis corruit. 187.1
Fugiendæ occasiones delinquendi. 264.2

Occidere.

Quasi occidit pauperem qui ei necessaria ad vitam non impertit. Illicò subueniendus est pauper. 188.1
Spondere pro alio, idem est quodammodò, ac occidi. 255.2

Occultare.

Difficilè quis cordis dolos occultabit. 64.2

Odi.

Odit lucem qui malè agit. 14.2

Officium.

Qui nummis acquiruut officia, malè ea obeunt: qui assumuntur ad ea, egregiè assolent obire. 230.1

Onus.

Graue onus est, homini obedire, sed grauiùs homini imperare. 97.1
Graue onus lethalis peccati veloci obstat pœnitentiæ. 58.2
Importabile peccati onus. 235.2

Opera : Operari.

Opera proba aut improba filij patri tribuuntur. 258.1
Cum quis ad Dei gloriam opera dirigit, quasi facta à Deo prosperum successum habent. 36.1
Qui scimus animam immortalem esse, concludimus nos debere recta sectari opera. 135.1
Multa opera caeteriùs rectadisplicent Deo ob rectæ intentionis defectum. 49.1
Qui repentè operatur, est pœnitudini obnoxius. 47.2

Opes.

Opes iniustè acquisitæ perdunt bona iustè possessa, & ipsæ simul perduntur. 250.1
Sæpè ex auaritia imminuuntur opes. 230.1
Opes ex fraude acquisitæ pereunt. 49.2
Stultissimus est qui curat fraude opes acquirere, eas enim non possidet, & perit æternùm. 49.2
Iniquum non est, quemlibet iuxta statum, & opes sine lacertia victitare. 90.2
Opes pennatas difficilè quis poterit diu possidere. 55.1
Opes iniustè acquisitæ nemini prosunt, cunctis nocent. 16.2
Opes, quibus benè vteris, ornamentum, quibus malè, tibi dedecus afferunt. 31.2
Nemo repentè fit diues, assiduus labor facit paulatim increscere. 49.2
Non tam opes, quàm industria pacem Regni tuetur. 88.1
Non opes, sed gratia facit hominem verè diuitem. 21.1
Opes pauperi commissæ in cœlum vtiliter deuolant. 55.1
Iusto opes aut dantur, aut denegantur à Deo prout expedit ad salutem. 208.1
Opes malè partæ possidenti corporis, & animæ exitium creant. 3.2
Vide verbo *Diuitiæ.*

Opportunitas.

Opportunitas est obseruanda ad correptionem, vt prosit. 235.1

Optatum.

Vt quis licitis potiatur optatis, magis curet Deum, quàm Principum gratiam, propitium habere. 71.2

Opus.

Deficere opus antiquum, est veluti noua eius ædificatio. 311.1

Iustitiæ opera instanter exete, ne repentè morte irruente, vacuis manibus inueniatre. 99.2

Qui benè cœpit, habet quodammodò opus perfectum. 173.1

Idem est opus Dei, ac hominum salus. 283.2

In omnibus Dei operibus latet aliquid ineffabile, & hîc incognoscibile. ad initium voluminis in Antilogiis.

Quodcumque vile opus ad æternam sublevandam dignum est, quod à quolibet nobili viro geratur. 206.1

Opera bona aliàs, à peccatore gesta ad meritum non proficiunt. 269.2

Benè incipere bonum opus, quodammodò est benè id consummare. 36.2

Iniqua opera sunt impij infelicitatis, & immaturæ mortis prophetia. 97.2

Oratio: Orare.

Qui vt orationi studeat, ministerium à Præsule sibi iniunctum deserit, in vacuum orat, Deo iam auolante. 123.2

Ad orationem mentalem diligens præparatio adhibenda. 89.1

In oratione non multiplicanda verba, sed cordis affectus. 89.2

Viri Sapientissimi ex orationis libro hauriunt difficilium quæstionum solutiones. 283.1

Oratio efficax de illa cum simul clamant lingua & opera. 298.2

Orationi instandum semel & iterum eadem petendo, vt tandem exaudiaris. 271.2

Orationis exercitium nos ad proximorum salutem procurandam emittit, 124.1

Iusto vocante Deum in oratione, Deus illicò venit, quasi aduentus eius sit echo orationis. 119.1

Oratio matutina commendatur. 170.1

Melior est finis orationis, quam initium, quia in fine ex præmissa meditatione affectus accenduntur. 94.1

Sine assidua oratione difficilis erit iuueni castitatem tutari. 150.1

Oratio ingenium ad scientias acuit. 314.1

Oratio, quà à Deo petis secundum beneficium est actio gratiarum pro prima receptione. 313.1

Vt tibi prosit aliorum oratio, pœnitentiam adhibe. 270.2

Oraturus se à negotiis externis expediat. 225.1

Sine oratione vix poteris rectè viuendi tueri propositum. 222.1

Oremus & nos, cum pro nobis alij orant. 311.2

Oratio matutina connotat totius diei deuotionem, 304.1

Ad cuiuslibet opeiis perfectionem oratio proficit. 281.2

Oratio matutina commendatur. 263.2

Non omnis oratio placat Deum, sed quæ corde contri to procedit. 218.2

Orator.

Orator non est laudandus ex acutis conceptibus, sed ex proposito, quo dicuntur. 238.1

Ordo.

In Concione magis placet ordo, quàm conceptuum acumen. 233.1

Os.

Os prudentis in corde: cor stulti in ore versatur. 233.2

Ossa iustorum radicis instar fœcundæ, æternam virtutis eorum memoriam pullulant. 309.1

Osculum.

Impudentissimi animi est, osculo amicum tradere. 7.2

Otium.

Otium est iuueni turpis affectus scaturigo. 14.1

Otium est omnis malitiæ machinator. 267.2

P

Parcere.

Rebus suis Domini libenter parcunt. 159.1

Parens.

Parentes, ex eo quod ex eis originem trahimus, magni à nobis debent æstimari, licet aliæ rationes non subessent. 309.2

Probus parens non solùm actiones filij, sed & cogitationes prauas debet corripere. 258.1

Parentes iustè viuentes gloria sunt æternum filiorum. 39.1

Ob benè moratum filium parens laudatur. 157.2

Parens filium immoderatè corripiens, non corripit, sed occidit eum. 45.1

Quilibet parens potest esse futurorum filij periculorum propheta. 76.1

Parere.

Deliciis parere, est infami opprimi seruitute. 304.2

Parendum iussis Regis, vti diuino oraculo. 36.2

Passio.

Christi passio ingratis iudicij indicit horrorem. 121.1

Passionis Christi meditatio à vitiorum nos corruptione præseruat. 110.1

Aptissima ad vocem orationis materia Christi passio. 113.2

Passionis dominicæ memoria peccatorem suscipiat à lethargo. 120.1

Animi passiones sic domandæ, vt rursum non deseuiant. 303.2

Dies passionis est Christo Domino dies lætitiæ cordis eius. 115.2

Passionis Dominicæ meditatio murus animæ impenetrabilis dæmonis 113.2

Vide verbo *Christus.*

Pars.

Pars fundi iniustè possessa infœcundum totum fundum reddit. 33.2

Pater.

Ex dilectione in filium pater studet ei opes relinquere in illius fortasse exitium æternum. 93.1

Omnia à Patre cœlesti per Christum Dominum petenda, vt efficax sit oratio. 314.1

Talem putamus patrem esse, qualem filium videmus existere. 17.2

Mirum, reperiri patrem qui sollicitus non sit, de diuitiis filio acquirendis, timens, an eis benè sit vsurus. 84.1

Recto Sapientiæ vsu pater filiis diuitias comparat. 190.1

Ob

Ob filiorum, aut famulorum peccatum pater; vel herus supplicio afficitur. 264.2

Pater filij ineruditi adaugere diuitias, satagit non filio, sed meretricibus. 29.2

Crudelis est pater, qui non castigat filium. 290.2

Patrem existimet filium esse mortuum, quem erudiri non curauerit. 9.1

Quas paulatim pater acquisiuit opes, filius sine labore partas festinanter absumit. 50.2

Pater irascitur ex filio stulto, mater nescit irasci, sed dolet. 40.2

Pati.

Cum iusti patiuntur ex ipsis laboribus, Deus eis educit refrigerium. 155.1

Impossibile est non pati eum, qui Dei ad seruitium accedit. 183.1

Plus in hac vita patiuntur impij quam iusti. 137.2

Quidquid hîc patimur, parum aut nihil est præmij 137.1

Patibulum.

Nocentibus in aliorum exemplum agnatum est patibulum. 58.1

Patientia.

Diuturnior Dei patientia grauius connotat peccatoris supplicium. 97.2

Virtus potentissima est patientia in iniurus. 136.1

Impios Deus permittit, necessarios quidem ad iustorum patientiæ exercitium. ad initium voluminis in Antilogia.

Pauper: Paupertas.

Pauper sua sorte contentus diues omninò est. 286.1

Non erit modesto marito paupertas, si grata sit vxor. 247.1

Non est vexandus pauper, ne Deus in illo diuexetur. 53.2

Pauper superbus omnibus est inuisus. 43.2

Paupertas grata debet esse cordato, siquidem eum abstrahit à dilectis. 230.2

Qui inter diuitias pauper est spiritu, beatificetur, quia miracula gessit. 260.2

Pauper vel propinquis odiosus. 31.2

Pauper affert misericordi salutis consequendæ nuncium. 189.2

Accommodatior ad virtutem paupertas, quàm diuitiæ. 68.2

Facilius pauper, quàm diues pauperi succurrit. 45.1

Licet pauper non oret, vel dignus non sit qui audiatur, ipsa eleemosyna pro conferente exorat, & semper auditur. 255.2

Pauper diuiti non vt amicus, sed vt famulus associatur. 212.1

Pauper non contemnendus, qui diuite fortasse melior est apud Deum. 71.2

Pauper Dominus est eleemosynæ, quia ille debetur. 7.2

Pauper plerumque minus quàm diues eget. 25.2

Ne pauperem spernas afflictum, fortasse ex iustitia magis Deo gratum quàm Reges. 141.1

Pax.

Pax Regni conseruatur dum Reges dant munera Ecclesiæ: non dum ab Ecclesia substantiam auferunt. 304.1

Pax coniugij non conseruatur, si sensuum sit dissidium. 244.2

Peccare: Peccatum.

Infeliciter negotiis expediet, qui ad peccandum diluculo surgit. 24.2

Per quæ quis peccat, per eadem afficitur supplicio. 173.2

Quàm miser, qui cum pennas habeat vti è rete fugiat, patitur inescari, & capi! per quæ peccas torqueris. 3.2

Nos à peccando contineat, scire posse nos Deum punire illicò delinquentes, & ignorare, an volet tempus concedere ad pœnitentiam. 165.2

Per quæ quis peccat, per eadem torquetur. 39.1

Peccare idem est, ac mortis nuncium recipere. 37.1

Peccasti, illicò pœnitentiam age, ne repentè agnatum supplicium irrumpat. 219.2

Nequit peccator se à Dei conspectu abscondere. 219.1

Deum peccator timeat, qui repentè in morem procellæ solet ad vindictam irruere. 219.2

Timeat peccator, qui à Deo potestatem habente occidendi elongari nequit. 203.1

Arguendus est peccator efficaciter, sed prudenter. ad initium voluminis in Antilogia.

Peccator magno laborum pretio damnationem comparat. 37.2

Quid peccator boni à Deo inimico poterit sperare. 155.1

Cùm peccator videt iustum affligi ad diriorem se cruciatum præparet. 24.2

Difficilè est cum peccatore amicitiam inire, & eius non ediscere impietatem. 53.2

Cum peccator hîc non agitur ærumnis, timeat flammam æternam. 273.2

Peccator nihil in litteris ex studio proficiet. 182.2

Semper peccator degit in tenebris. 208.1

Peccator humanis ærumnis magis, quam iustus sauciatur. 285.2

Peccator iustum non spernat, ad cuius ianuam fortè necessitas eum expectare coget. 31.2

Peccator ad nullum aptus ministerium. 217.2

Peccator qui Deum vocantem se diu expectare facit, instet precibus, vt eum fugientem ad se reducat. 120.2

Peccator in iis, quas iniquè gerit voluptates, assolet supplicium inuenire. 159.2

Ex alieno malo, seu supplicio à Deo aliis inflicto, peccator debet sapere. 175.2

Non peccator, tantillas subeat pœnitentiæ molestias, intolerabiles subit æternas. 120.1

Magno Dei beneficio peccator tribulationibus agitatur. 120.2

Verba impia peccator exaudiens ad grauiora crimina excitatur. 21.2

Timeat peccator Dei irati sagittam nunquam ab scopo aberrantem. 242.2

Deplorandi peccatores, qui dum iniquè viuunt, nullo conscientiæ stimulo pungantur. 164.1

Peccator crudelis Dominus, id est, peccati mancipium. 132.1

Quamdiu manet in impio peccatum, manet ad condemnationem timor vt testis, & conscientia vt iudex. 171.2

Peccator nullum virtutis opus gerens verè dormit. ibid.

Luxuriæ peccatum tartarea est fouea. 52.2

Nihil peccato tristius potest peccatori accidere. 192.1
Cum parens peccator primogenito priuatur, sciat supremam illam esse Dei admonitionem, vt conuertatur. 174.1
Peccator in corruptione, ipsa morum continet sui exterminium. ibid.
Peccatum quantumuis occultum latere diù non potest. 47.1
Ob peccata nautarum periclitatur nauigium, excitata procella. 163.1
Peccatum nox. 147.2
Vnum peccatum est ad aliud dispositio. 188.1
Agnatum est nomen peccati stultitia. 219.2
De propitio peccato non sis sine metu. 192.1
Ex peccatis bella, ex iustitia pax exoritur. 36.2
Peccatum omnium crudelium animi hostium crudelissimus. 190.2
Peccatum animæ mors. 214.1
Innumerabilia peccata ex linguæ immoderatione. 214.1
Peccati fructus omnium malorum colligatio. 52.2
Agnatum est peccato manifestari. 153.1
Vnum peccatum est ad alterum dispositio. 41.2
Vnius cinis peccato aliquando tota ciuitas perit. 109.2
Peccatum cæcitas mentis. 136.2
Illud ipsum committere peccatum, exitialiter est ab ipso morderi. 232.1
Peccatum leo est, hominem comminuens. 250.2
Peccata filiorum attribuuntur parentibus, ex quorum incuria prodiere. ad initium voluminis in Antilogia.
Vnicum adulterij peccatum quatuor grauissima peccata continet. 239.2
Propter peccata ægritudine diuexamur. 280.1
Peccata corporis valetudinem corrumpunt. 141.2
Peccata dies vitæ decurtari efficiunt. 21.2
Omne peccatum decus affert peccatori. 216.2
Ob ciuium peccata Regna corruunt. 61.2

Pecunia.

Pecunia quæ ab auaro reconditur, verè perditur. 255.2
Nullus quæri potest, quòd pecuniam quàm accipis, numeres. 290.2
Amor pecuniæ non solùm animæ, sed & corpori est exitialis. 105.1
Pecunia agnatum est omni vulneri medicamen. 50.1
A pecunia cuncta incommoda separantur, ad paupertatem fugiunt. 28.1
Pecunia prodest Sapienti, insipienti nocet. 94.1

Pejerare.

Qui peierat, se furiosum ostendit. 74.1

Perditio.

Quàm difficilis & aspera perditionis vita. 141.1
Tota regni perditio ex Regis abstractione ab immediato regimine oritur. 47.1

Perfectio: Perfectus.

Deum præsentem contemplari, nos facit perfectionis viam sine cunctatione perficere. 113.2
Qui perfectioni student, Dei bonitatem ostentant. 296.1
Et qui studio perfectionis incumbit, omnia obstacula sunt, quasi nulla essent. 113.1
Longum perfectionis iter, opus est prosperare. 112.2
Non decet perfectionis studiosos facilè animi illustrationes aperire. 116.1
Perfectioni studentes non solùm grauia crimina debent vitare, verum, & ab omni perfectione abstinere. 68.2
Perfecti nihil habent, & omnia possident. ad initium voluminis in Antilogia.
Pauci viri perfecti, fœminæ paucissimæ, vel ferè nullæ. 95.2

Periculum.

Maris pericula subire ob Dei gloriam commendabile, ob acquisitionem opum taxabile admodum est. 294.2
In nimia cum Principe consuetudine mille adsunt euersionis pericula. 212.2
Qui monitus se periculo ingerit, si excidat misericordiam non meretur. 210.2
Multa pericula ex linguæ intemperantia prodeunt. 50.2

Perseuerentia.

Perseuerantia maximè necessaria est ad perfectionem spiritualis vitæ. 110.2
Perseuerantia in virtute in nullo deficiens, admodum Deo laudabilis. 123.2

Persona.

Cuiuslibet personam accipere Iudicem, malum est: accipere impij personam, pessimum. 41.1

Pestis.

In plaga communi pestis, &c. te ad mortem præpara, nec enim debes præsumere te solùm euasurum incolumem. 219.1

Piaculum.

Multiplicatio venialium piaculorum fragrantissimam perdit sanctitatem, dum ad grauia disponunt. 161.1

Pictura.

Picturæ vel statuæ nudæ indecenter, taxantur. 166.1

Pius: Pietas.

Verbi pij prolatio vtilis admodum auditori. 21.2
Vel in prauo filio agnoscitur pietas parentis. ad initium voluminis in Antilogia.
Dei pietatis est, quos nouit impœnitentes perstituros, illicò de medio tollere, ne addant æternæ conflagrationi ligna. 176.1
Animi pietas præstans pingue efficit sacrificium. 271.1
Magnæ pietatis opus est, murmurantes compescere. 301.2
Adeò iusti pietatem torquet, præualere contra innocentem calomniam, vt noudum natis quodammodò inuideat. 87.2

Piger: Pigritia.

Piger risui, & sibilo est conctis. 234.2
Piger suorum desideriorum martyr est. 50.2
Quid non pigritia mali suo suadet auctori. 64.1

Placere.

Deo & hominibus iustum placere magnæ virtutis est indicium. 123.1

Plaga.

Plagæ quibus affligimur, ſunt præcurſores exitij æterni, ſi eis afflicti non corrigimur. 158.2

Plorare.

Ne nimium plores in obitu iuſti, ſed eius requiem gaudio proſequare. 235.2

Plorandus ſtultus quaſi mortuus. 235.2

Pœna.

Peccato vnico pœna immenſa reſpondet. 197.1

Pœna loquentis ſtulte eſt, ſtultam ſententiam irridendam ab aliis protuliſſe. 20.2

Pœna perambulat quærens peccata, quæ puniat. 165.2

Pœna impiis inflicta in Dei gloriam cedit. 36.1

Nulla pœna maior peccato. 197.1

Pœnæ peccatorum vel hîc iuſtorum pœnas ſuperant. 26.2

Pœnitentia : Pœnitens.

Pœnitentia inducit in Deo peccatorum obliuionem. 307.2

Ploratio pœnitentis dulciſſima eſt modulatio. 113.1

Ipſa pœnitudo peccatoris deprecatio efficax eſt. 232.1

Ad pœnitentiam omne præſens tempus eſt opportunum, futurum minimè, qui incertum. 190.2

Dum Deus ægroti pœnitentia placatur, ægritudo minuitur. 279.2

Ad pœnitentiam maximè confert felicitatis deperditæ recordatio. 120.1

Pœnitentia coacta non ſolet ex recto animo ortum habere. 176.1

Non procraſtinanda pœnitentia. 65.1

Vera pœnitentia non agitur, dum omninò delinquendi occaſio non relinquitur. 222.1

Sæpè qui vocatus à Domino ad pœnitentiam illicò non reſpondet, cum poſteà ſibi videtur pœnitere, haud verè pœnitens, non admittitur. 123.1

Pœnitens debet, vt Deum emolliet, ad diuorum interceſſionem accurrere. 121.1

Qui pœnitentiam vſque ad vitæ terminum differt, ſerò plerumque eam agit. 4.1

Pœnitentia peccatoris eſt deprecatio pro peccatis. 271.1

Pœnitentiam age. 95.1

Merita per peccatum emortua per pœnitentiam reuiuiſcunt. ad initium voluminis in Anulogia.

Polliceri.

Cum audieris, aliquem multa polliceri, ſcito nulla iſo pleturum. 61.2

Populus.

Chriſtianus populus ſpecialiſſimam in Dei hereditatem electus maxima gloria fuit. 221.2

Sine vero amico, & gratia apud populum, parui quiſque æſtimatur. 61.1

Cum videris populum olim diuitem nunc eſurientem, haud ineptè coniicies Principes, aut eorum Miniſtros eius ſubſtantiâ ſaturari. 69.1

Potentia.

Dei opuſcula, ſcilicet formica, &c. ſcintillæ admirabiles diuinæ potentiæ ſunt. 291.2

Potus.

Vitam imminuit frequens aquæ potus. 261.2

Præceptum.

Iniuſtè queritur ſubditus de præcepti rigore, quod omnibus indicitur. 288.1

Præcordia.

Solus Deus iuſti ac peccatoris præcordia cognoſcit. 98.1

Prædeſtinatio.

In pauperes pium eſſe hominem magnum eſt prædeſtinationis documentum. 103.2

Prælatus.

Prælatus in ſe priùs circumcidat quæ in ſubdito curat circumcidere. 125.2

Prælatus ſubditorum grauatur onere, ſed ſimul eius fructibus exornatur. 126.1

Præmium.

Præmium Regis terreni ſerò, Regis cœleſtis citò aduenit. 208.2

Deus iuſtum non ſolùm in cœlo, ſed & in terra præmio donat. 301.2

Sufficiens præmium recti ſuffragij eſt opportunè re fuiſſe locutum. 34.2

Præſentia : Præſens.

Dei præſentiæ fidem non habere. 97.2

Qui Deum ſibi præſentem conſiderat, non facilè ad crimen allicietur. 215.2

Præſentare.

Nihil operemur, quod non valeat intuenti Deo præſentari. 36.1

Præſes.

Inuiſum cunctis tyranno præſidi ſubiici. 229.2

Præſidium.

Cum deficiunt iuſto humana præſidia, præſto adeſt diuina protectio. 13.23

Præſtantia.

Quælibet præſtantia nobilitatis, opum, &c. quæ à communibus non eripit ærumnis, flocci æſtimanda. 83.2

Præſul : Præſulatus.

Præſul in ſubditos errantes non ſimul totam iram profundat, ſed paulatim. 158.1

Ad Præſulatum inuitus traheris. 197.1

Præſules circa ſupplicia inferenda maximo debent vti moderamine. 159.1

Præſul qui de temporalibus ſubditorum commodis curat, liberiùs eis, ſpiritualem indicit obſeruationem. 311.1

Præſumere : Præſumptio.

Ne de infinita Dei miſericordia præſumas, eſt enim etiam infinitè iuſtus. 219.1

Propria præſumptio Dei auxilium ablegat ſpeciale. 25.1

Primitiæ.

Qui primitias Eccleſiæ ſoluunt, bonis exundant. 7.1

Princeps.

Catholicus Princeps commendabilis obiici debet ex ſubditis eius diligentia ad iuſtitiam adductis. 308.1

Debet Princeps curare, vt muliercolæ impietatis idola è Republica deturbentur. 308.2

Recordentur Principes, , ſe homines fuiſſe natos 309.2

Ad Principes aditum munera aperiunt. 42.2

Qualis Princeps, talis populus. 204.1

Princeps impius legatum ſibi ſimilem deligit. Idem de omnibus miniſtris plerumque aſſeruerim. 29.1

Agere cum principe, idem eſt, ac verſari cum morte. 203.2

Sapiens princeps iudicando docet omnes virtutem. 204.1
Indecens est princeps qui stulto honorifica officia confert. 63.1
Princeps insipiens ferè non est subditorum Dominus. 552.2
Cum regnat iniustus Princeps, tempus imperij illius plenum est iniquitate. 314.1
Princeps iniudicis tributis lac eliciat è subditis uubus, nimiis sanguinem non emungat. 75.2
Princeps, qui immediatè non regit, aut est insipiens, aut damnabili laborat incuria. 204.1
Principes quodammodò ab humana specie abstracti; nouam quasi speciem viuentium videntur constituere. 215.1
Princeps diù felix viuit pauperes si protegat innocentes. 71.2
Oportet Principem Iudicem, præsulem rectum esse, ac suauem. 158.1
Principis munus subditos alere, ac stabilire. 309.2
Indecens est principi, totum imperium munus Ministris committere. 44.2

Priuilegium.

Priuilegia Mariæ omnia sunt annua. ad initium voluminis in Antilogia.

Probitas : Probus.

Admorum probitatem diuitiæ nocent, confert paupertas. 21.1
Parens non commendandus ex filiorum multitudine, sed ex eorumdem probitate. 297.2
Ille probus fuit Præsul, de quo nullus subditus queritur. 302.2
Probus Præsul etiam post mortem est de subditorum salute sollicitus. ibid.

Proceres.

Proceres rarò, aut nunquam debita soluunt. 201.1

Prodesse.

Omne id, quod animo non prodest, eum affligens est vanum. 80.1

Promittere.

Stulti est temere promittere, & postquam promisit, non esse de impletione sollicitum. 96.1

Propensio.

Agnata est fœminæ ad nuptias propensio. 274.2

Propositum.

Omne difficile propositum Sapientia operantis assequi. 50.2

Proprietas.

Fidelitas & lenitas sunt duæ egregiæ præsulis proprietates. 298.2

Prosperitas.

Prosperitas accidens impio malorum magnorum est causa. 219.2

Protectio.

Quàm fragilis diuiti opum protectio. 41.1

Prouidentia.

Probi præsulis prouidentia ad futura tempora proferri debet. 312.1
Æqualis est Dei circa omnes prouidentia, licet iustos speciali cura foueat. ad initium voluminis in Antilogia.
Diuina prouidentia occultissimè operatur. ad initium voluminis in Antilogia.
Multa eueniunt fortuitò hominibus, quæ tamen diuina reguntur prouidentia. 99.2

Proximus.

Qui proximorum ministerio incumbit, credat se in Christi fratrem esse assumptum. 181.1

Prudentia : Prudens.

Prudentia non prodit è corporis caula, sed ex animi maturitate. 196.2
Maxima prudentia, est, Iniurias tolerare. 32.1
Vel periculi vmbram prudens fugit. 52.1
Prudens lachrymatur in domo conuiuij, natalitij, in domo luctus lætatur. 93.2
Prudens ad amicum semel infidelem non redit, iudicans reditum exitio sibi futurum. 251.1
Prudentis est, in recta via, obstacula timere. 31.1
Prudens nunquam debet existimare sua opera omninò puta esse. 36.1
Prudentiorem se insipiens ostendit cum insipientiam abscondit, quàm sapiens cum Sapientiam occultat. 288.2
Senectæ prudentia & virtus in iuuenta est discenda. 245.2
Ad scientiæ actus dirigendos, prudentia est necessaria. 5.1
Infirmi prælati prudentia potentissima ad duritiem subditi emolliendam. 58.1
Ducis prudentiæ, victoriæ debentur. 58.1
Prudentia, ac prouidentia propriæ Regis virtutes. 88.1
Prudens qui curat vxori nobilitate, & opibus æqualem inuenire. 246.2
Prudens antequam instet periculum, remedium præparat. 307.2
Prudens suas actiones nunquam omninò approbat; omnes placent stulto. 34.2
Prudentis est, officia illustria non ambire ne fortasse ducant ad perditionem. 37.2
Prudentia, vel in mancipio commendabilis obicitur. 206.1
Cur prudens præmeditato consilio stabilitum aduersitatibus non frangitur. 235.2

Publicatio.

Peccati agnata est publicatio. 64.2

Pudor.

Filiarum pudor nimia parentum benignitate deperit. 198.2

Pulchritudo.

Fœminæ comptæ aliena est pulchritudo, fucorum vicelicet. 202.2
Ex mira creaturarum pulchritudine Dei auctoris ineffabilem pulchritudinem rimamur. 161.1
In sene iusto tanta est pulchritudo, vt valeat quodammodò cum gloriæ diademate comparari. 38.2
Quæ verè pulchra est, de pulchritudine non gloriatur. ad initium voluminis in Antilogia.

Punire.

Cum rei puniuntur, nos videntes debemus in alieno capite periculum facere. 240.2
Confert admodum ad aliorum exemplum delinquentes puniri. 50.1

Puteus.

Qui puteus est Sapientiæ, non sibi soli retineat aquas, sed aliis epotandas exponat. Sit puteus & flumen. 41.2

Q

Quies: Quietudo.

NOn omninò desetat orationis quietem, qui vult Deum in proximorum ministerio inuenire. 214.2
Vtiliùs est iusto ad quietem spiritu modico viuere, quàm diuitiis abundare. 34.1
Religiosæ communitatis est quietudo grauis, cum quis aliorum errata vestigare satagit, ex prauo zelo. 58.2

R

Recedere.

NIhil tam stultum, quàm nolle ab stultitia recedere. 3.2
Recede ab impiis, ne eorum suppliciis, societatis causa, afficiaris. 51.1

Recidiuus.

Recidiuum ad crimina, è quibus recesseras inuisum valdè Deo est. 176.1

Recordatio.

Crudelissima damnatis erit tortura peccatorum æterna recordatio. 140.2

Recreatio.

Corporis recreatio poterit esse non solùm licita, sed & meritoria. 263.2
Recreatio animi est, iniuriam patienter sustinuisse. 182.2

Redditus.

Quidquid potentior infirmiori dat, census in morem, perpetuam connotat redditũum solutionem. 218.1

Reducere: Reductio.

Nulla arte peccatorem induratum reduces ad frugem meliorem, si ad Deum non accurras. 94.2
Stulti reductio ferè est impossibilis. 81.1
Tanta est vis prauæ consuetudinis, vt quodammodò impossibilitatem reductionis constituat. 158.2
Vide verbo *Consuetudo.*

Rectitudo.

Rectitudo, & vrbanitas conciliat amicitias. 59.1

Rector.

Rector subditos caret ab errandi occasionibus abstrahere. 129.1
Prudens Rector, non existimat se à subditis alium esse constitutum. 101.1
Rector non quiescat, donec circa subditorum commoda, necessaria prouideat. 162.2
Rectoris corona est, subditis aptè esse prouisum. 263.1
Regendi alios munus formidabile difficilè à prudentibus assumendum. 117.2

Regimen.

Ad officia regiminis dedecet eligi imperitos. 39.1

Relaxatio.

Modesta corporis relaxatione viri perfecti spiritu proficiunt. 126.1
Modesta corporis relaxatio perfectos decet. ibid.

Religio.

Eorum qui post vota emissa, ex Religione ad seculum remeant, cuncta opera, cunctæ prætentiones dissipantur. 90.1
Qui à Religionis statu remeat ad sæculum, degit periculosè. 66.1

Renouatio.

Necessaria est frequens spiritus renouatio, ne spiritualis domus excidat. 102.2

Renunciatio.

Præparatio necessaria ad perfectiones est renunciatio affectus ad creaturas. 152.2

Repetitio.

Ingratum debitori à creditore debiti repetitio. 230.2

Reprehensio.

Rigida reprehensio exasperat, mollis corrigit. ad initium voluminis in Antilogia.

Reprobatio.

Reprobationis indicium trahere alios ad peccatum. 69.1

Requies.

Dei requies est, cum hominibus per gratiam habitare. 241.2

Respublica.

Respublica innocens à Deo plectitur, quia Iudices negligunt plectere impios. 50.2

Rete.

Rete exitiale est adulationis sermo. 71.1

Retinere.

Pro vno quod ex decimis retines, septem amittis. 271.2

Reuelare.

Indignum viro, amici reuelare secretum. 290.1
Qui secretum amici reuelat, nullum verum habebit amicum. 250.2

Reuereri.

Parentes reuerendi à filiis maximè in senectute. 56.1
Iustum omnes egregium velut superiorem sibi reuerentur. 216.2
Vt reuerearis matrem, recordare laborum, quos tuâ causa tolerauit. 199.1

Rex: Regnum.

Qui valet apud Reges, omnium telis exponitur vulnerandus. 203.2
Rex pius eos magni æstimat, qui ei veritatem prudenter aperiunt. 231.1
Rex libidini addictus regio nomine, quasi diuino, deleto, incipit esse humanus. 76.1
Non probus Rex, qui sibi omnia commoda præparat subditorum oblitus. 83.1
Vtilis populo Rex, proprium est Dei munus. 204.2
Ex Regis pietate, ac Sapientia subditorum prosperitas pendet. 204.2
Non sufficit Reges gerere voluntatem, vt Ministri iusta decernant, debent illos vrgere, vt id omninò præsteut. 37.1
Difficilium decretorum Rex subditis rationem manifestet, vt faciliùs ipsi obediant. 60.1
Quid à Rege cælesti non assequetur precibus instans? 61.2
Regnum quod Catholicos habet colonos, Deo se charum esse ostentat. 158.2
Rex deficiens à Dei timore tyrannum se erga subditos ostendit. 304.2
Rex immediatæ subditorum curæ assistat, redditurus pro eis rationem. 67.1

Si

Si Rex vult rectos habere Ministros, mendaciis & adulationibus ingratas præbeat aures. 71.2
Multi Reges sunt nomine solùm Reges. 153.2
Rex curet, non vt leo timeri, sed vt placidus ros amari. 44.2
Gubernat Rex eor suum ad Deum, aptè subditos gubernabit. 308.2
Non sufficit pio Regi defendere fidem, nisi etiam virtutem, & pietatem tueatur. 308.2
Quid prodest Regi fidem sectari, si innumera libidinis, & auaritiæ idola in Regno permittat. 309.1
Reges etiam humana fragilitate afficiuntur. 279.1
Dedecet Regem non implere promissa. 39.1
Quia Rex Dominus subditorum est, eos exactionibus premere non debet. 159.1
Rex non audiens, & intelligens Regni statum, ei parat exitium. 143.1
Reges ob potentiam nequeunt à Deo irato liberari. 174.1
Pio Regi agnatum est, velle, vt sibi in cunctis veritas licet acida referetur. 151.1
Oportet Reges, legum notitia esse instructos. ibid.

Ridere.

Ridendus qui æterna temporariis posthabet. 3.2

Ruina.

Ruinæ quotidiè exoriuntur ex secreti violatione. 64.2
Tota ruina Reipublicæ ex iniuria Principum circa immediatam gubernationem exoritur. 67.1
Ex grauamine Ecclesiæ ex tributis, Regnorum ruina procedit. 48.1

Rusticus.

Rustici subtiles Concionatoris conceptus delitamenta esse iudicant. 55.2

S

Sacerdos.

Sacerdos Dei vicarius est animi reuerentia dignus. 189.2
Plures Sacerdotes cum oblationes accipiunt suæ domus, non altaris vtilitati student. 311.2
Post Deum imò simul cum Deo Sacerdos, reuerendus obiicitur. 199.1
Modestius & grauis Sacerdotis incessus Sacerdotalem honorat habitum. 311.2

Sacrificium.

Sacrificia Deo non placent si in offerente iustitia & misericordia desint. 49.1

Sacris initiari.

Qui sacris initiatur, debet summas Deo gratias litare, qui eum tam augusto donauit statu. 299.2

Sæculum.

Sæculum hoc est sæculum operis, non mercedis: sæculum alterum est mercedis non operis. 315.2

Salus.

Non in cellæ hortulo maneas, sed aliorum salutem prodi, cum oportet. 111.1

Sanctitas.

Sanctitas parentum est quasi Dei promissio ad filiorum incolumitatem. 159.2

Sanitas.

Sanitas corporis, seu valetudo diuitiis præponenda. 182.1

Sapientia: Sapiens.

In risu Sapientia, vel stultitia hominis annotatur. 253.1
Sapientia confert admodum ad pœnitentiam generandam. 152.1
Sapiens fugiat cum stulto contendere, non impunè euasurus. 71.2
Sapientem dedecet, alios non docere. 81.1
Qui verè Sapiens est, se insipientem esse reputat. ad initium voluminis in Antilogia.
Sapientia, seu Deus cum agricolis habitare gestit sinceris. 241.1
Vera Sapientia opes despicere. 69.1
Sapiens plerumque est morigeratis moribus. 190.1
Sapiens, & insipiens æqualiter mortis subsunt imperio. 83.2
Sapientia ad omnia vitia curanda pharmacopolium est. 9.2
Vt in Sapientia proficias, eam tanquam sponsam semper nouo dilige affectu. 148.2
Sapiens scientiam non sibi retinear, sed in aridam aliorum terram profundat. 225.2
Felix Sapiens qui ad causam alieno aduocato non indiget. 66.1
Sapientia maximè ad virtutem prodest. 144.1
Inter delicias haud potest Sapientia perfectè persistere. 83.1
Nullus tam Sapiens, cui non resideant plura, ac plura edifcenda. 81.1
Sapientia magna est amare correptionem, eámque procurare. 35.2
Cœlestis Sapientia non casu reperienda, sed labore præmisso inuenienda est. 16.2
Vera Sapientia est, sectari bonum, malum fugere. 232.2
Sapientia humile operit natalitium. 207.1
Vt Sapientiam assequare magno affectu ad eam indiges. 5.1
Sapiens gestit corrigi, & corripientem amat. 18.2
Sapientiæ studiosus turpium osor voluptatum solet esse. 242.2
Verba Sapientis stultum diuerberant. 20.2
Non sufficit te esse Sapientem, vt plausu fruaris. 304.2
Qui Sapientiæ præscripta vult vtiliter edoceri, priùs curet prauos mores corrigere. 151.2
Sapientia Cedro comparatur, cypresso, palmæ, &c. 242.1
Diuina Sapientia in campis inuenietur inuentu facilis. ibid.
Multum Sapientiæ studium iuuat ad æternam salutem assequendam. 195.2
Nemo tam Sapiens in operando, qui non habeat in quo corripi possit. 61.2
Dei Sapientia illustres educit effectus, Ministro contemptibili. 153.1
Sapientia in iuuene maioris apud cordatos æstimationis est. 149.1
Sapiens qui cupit ditari, iustitiam amplectitur. 17.1

Sapientia fortunæ casibus obnoxia non est. 314.2
Venæ scissionis & amaræ potionis ad curationem ægritudinum Sapiens non mentionem facit. 279.2
Sapientia mundi saluti animi officit. 216.1
Vitiis addictus non potest Sapiens esse. 3.1
Effectus Sapientiæ est, Deum timere. ibid.
Sapientum est studij labores intermittere, ad animi relaxationem, & corporis sanitatem. 149.2
Sapientia est vitiorum flagellum. 238.1
Vera Sapientia Doctoris magis operibus, quàm sermone manifestatur. 191.1
Sapientia expellit sæculares solicitudines. 144.1
Sapientia proficit admodum in mortis articulo, ad animi aptiorem dispositionem. 58.2
Ditissima est Sapientia, quâ omnia comparantur. 149.1
Studium Sapientiæ ad omnium virtutum exercitamenta adducit. ibid.
Tamdiù quis verè viuit, quamdiù Sapientia regit actiones. ibid.
Perfecta Sapientia est Deum perfectè colere. 182.1
Se insipientem ostentat Sapiens, qui scientia aliis prodesse non studet. 144.2

Scientia.

Scientia ad assequendam æternam salutem confert. 57.2
In sacra scientia non proficiet, qui ad gymnasia, aut libros sincero animo non accedit. 132.2
Scientia conducit ad requirenda æterna bona, & interminabilia mala fugienda. 34.2
Scientia quæ non dirigitur ad inflammandam voluntatem, insipida est, & ex Dei ore non procedit. 108.1
Scientia maximè confert ad virtutem sectandam. 149.1
Scientiam vt quid pretiosum absconde. 5.1
Scientia siue prudentia fomes est inquietudinis. 32.2

Scortatio.

Stultus est qui pro scortatione merce admodum vili pretiosam dat animam. 13.2

Scriptores.

Omnes huius temporis scriptores spicilegi sunt, non messores & post vindemiam acinos colligunt. 266.2

Scriptura.

Elucidare sacram Scripturam ad Dei gloriam, & proximorum salutem signum prædestinationis. 243.1
Difficilium Scripturæ locorum intelligentiam perquire. 268.2

Secretum.

Taxabilis qui secretum fidit eis, de quorum vera amicitia sibi non constat. 23.1
Quæ secreta esse volumus, nemini dicere debemus. 227.1

Sectator.

Sectator virtutis frequenter est cultor veritatis. 222.1

Senecta.

Tam fœdæ sunt senectæ proprietates, vt nequeant modestè propriis nominibus aperire. 105.2

Senectus.

Tam molesta est senectus, vt vitæ agnatum amorem in tædium conuertat. 105.1
Senectus ipsa honorabilis cunctis debet esse, vel præcisè vt senectus. 245.1

Senex.

Senes non sunt venerabiles propter canos, sed ob virtutes. 139.2
Magnum Dei beneficium est senem pollere viribus. 301.2
Nihil abominabilius in sene, quàm inscitia, quæ quidem ab indisciplinata iuuenta ortum ducit. 45.1
Indecens seni esset, inutiles proferre sermones. 200.2

Separatio.

Acuit amorem vel perbreuis à dilecto separatio. ad initium voluminis in Antilogia.

Sepulchrum.

Sepulchrum sibi ædificat, qui opibus alienis domum construit. 232.2
Sepulchrum debemus vti matrem diligere, & honorare. 285.1

Sermo.

Ex prudenti sermone facilè pectoris, ex quo profluit, Sapientiam, ac prudentiam agnoscimus. 53 1
Quantò plus producitur stulti sermo, tantò amplius auctoris sui ineptitudinem aperit. 101.2
Vtilissimus hominibus sermo, qui ad pœnitentiæ, & mortificationis effectum dirigitur. 121.2
Sermo prudentiæ viri, aut imprudentiæ documentum. 37.2
Iucundus est iustis de Dei laudibus sermonem texere. 121.1
Vt placeat sermo, musicam debet imitari æqualitatem. 286.2
Haud Sapiens sermo ille, quo non punguntur auditorum præcordia. 106.1
Sermo vanus stulto loquenti supplicium est. 30.1
Sermo seu concio, ex qua resultat Dei gloria, aut proximi salus fœda est omninò. 191.1
Senum sermo plerumque hallat sapientiam. 263.2

Seruire: Seruus.

Mundo & Deo nemo seruire potest. 187.2
Genus seruitutis, fœneratori interusurium soluere. 522
Seruus, qui fidelitatem seruant, mancipij non sapiens ingenium quasi liber est tractandus. 198.2
Qui seruum libertate donat, sed pauperem dimittit, grauiori eum addicit seruituti. ibid.
Seruus Domino idem debet esse quod filius. 31.1
Erratorum serui ipsa seruitus sufficiens est supplicium. 74.2
Seruus erudiendus vt filios, sed vt seruus nutriendus. 72.1
In onere imponendo seruis, aut famulis, recordetur herus se & seruum, ex eadem carne esse formatos. 267.2
Seruus fidelis, vt propria vita æstimandus ab hero est. 267.2
Seruus fidelis inter fideles est annumerandus. 39.1

Signum.

Si te, ac tua adhuc possidea, signum est verè Deum non amare. 212.1

Silentium.

Silentium laudabile spiritualis viri non debet esse, 117.2

Agnatum spirituali viro silentium mutum. ibidem.

Similis.

Impiis agnatum est, existimare, alios sibi esse similes, 101.1

Princeps Sapiens, & sancta Deo simillimus est. 144.2

Similitudo.

Nulla est tam pulchra similitudo, quæ beatitudinem timentis Deum valeat declarare. 245.2

Simulacra.

Inepta ad Deitatem simulacra quæ surda sunt, & muta: Deus verus & audit, & loquitur. 156.1

Sitis.

Ex bono, vel malo vsu linguæ pendet sitis, vel satietas æterna. 45.1

Societas : Socius.

Tanta vis pestis prauæ Societatis, vt non solum domesticos, sed & vicinos inficiat. 288.1

Exitialis est cum iniquo Societas. 197.1

Rarò accidet, vt cum impio societatem ineas, vt eius criminum socius non sis. 211.1

Nunquam praua Societas noxia non est. 211.2

Periculosa animo, & corpori prauorum Societas. 57.1

Nunquam cum impio sine incommodo Societatem inibis. 235.2

Impiorum Societas omnium malorum scaturigo. 5.2

Fugiens iniquum socium, fugies iniquitatem. 197.1

Sol.

Si Sol deficit, quid miraris, hominem, cinerem quidem deficere. 221.2

Solatium.

Creaturæ parce & auarè animæ solatium impendunt. 109.1

Solertia.

Tenuis fortunæ homines solertia, actionibusque probis nitentes ad munera conspicua posse peruenire non desperent. 75.1

Sollicitudo.

Taxabilis Clericorum sollicitudo ad diuitias acquirendas. 299.2

Nimia circa opum acquisitionem sollicitudo taxabilis est. 55.1

Soluere.

Qui fideliter soluit, quod mutuo accepit, semper habet, qui cum mutuo det, cum eguerit. 255.1

Somnus.

Tam grauis somnus iræ Dei vt solus ipse eam excitare valeat. 273.1

Species.

Ex extrema specie animi merita non computanda. 141.1

Sperare : Spes.

Diu sperandi dolor acquirendi vbere lætitia compensatur. 28.2

Præmij futuri spes dulces reddit præsentes ærumnas. 237.1

Sancta spes salutis operibus nititur. 242.2

Fallax peccatoris spes consequendi, quod optat. 55.2

Felicitas impij semper est spes, quia extare non videtur, etiam cum acquiritur. 141.2

Spiritus.

Spiritus lenitatis in sacro ministro aptior est plerumque ad peccatorum reductionem. 306.2

Quàm munificus Spiritus sanctus ostenditur. 147.1

Spurius.

Filij spurij breuis sæpè vita. 239.1

Viri spurij acerbitas in gubernatione, aut regimine, 139.1

Filij spuriis diu viuentibus, diuturna vita supplicium est parenti adultero. 238.2

Stabilitas.

Regni stabilitas in morum compositione sistit. 204.2

Ex ore, seu suffragio Senatoris, aut Decurionis tota Reipublicæ stabilitas pendet. 23.2

Qui stat, cogitet, se cadere posse, & de præsenti rectitudine non glorietur. 48.1

Status.

Quam miser status peccatoris, de cuius æterno cruciatu infinitè misericors Deus æternè delectabitur. 292.2

Qui à Regulari deficit statu, iniquè plerumquè degit in sæculo. 305.2

Sterilis.

Steriles non dixeris eos, qui virtuti student. 139.2

Stips.

Omnes abnegant stipem illi, qui cum laborare valeat, mendicat. 46.2

Studere : Studium.

Qui Sapientiæ acquirendæ non studet, quasi non est homo. 81.1

Qui studium aut propositum ducit iuxta Dei beneplacitum, semper optatū sequitur effectum. 36.2

Puerilia studia, quæ quidem indicant futuram filij impietatem parentes corripiant. 47.1

Litterarum studium à libidine abstrahit adolescentes, dummodo non sint solùm nomine scholastici. 14.1

Studium litterarum ad salutem animi maximè confert. 144.2

Scientia studio acquisita ad sui conseruationem interminabili eget studio. 101.2

Ad egregia studia exequenda, abundantia iustitiæ est necessaria. 33.1

Diligens studium circa Templorum ornatum, illustrium virtutum statuit originem. 310.2

Litterarum studium hominem compedibus adstringit, ne ad diuerticula noxia recurrat. 195.2

Studiosus litterarum, studiosus virtutis ostenditur. 314.2

Studium frequens, & meditatio assidua corpus affligit, & maciem inducit. 213.2

Studium litterarum solet esse alleuatio tristitiæ. 149.1

Stultitia : Stultus.

Stultus est, qui ex alienis malis non sumit cautionem. 59.2

Dedecus procurat stultus, qui munus suscipit viribus impar. 8.2

Stultus plerumquè eligit officium quod exercere nesciet. ibid.

Diues stultus intolerabilia delitamenta exerit pecuniarum ope. 75.1

Insita à natura stultitia difficile excutitur. 67.1

Stultus, qui ad perpetuam mundi memoriam satagit laborare. 81.1

Stultus assidua eruditione, & castigatione fit aliquando. 291.1

Stultissimus qui Deum potentissimum semper solio iudiciali hæredem audet sceleribus prouocare. 181.1

Ex societate stulti insciens stultior euadet. 29.1

Proprium stulti, sine fræno peccare. 58.1

Stultus est, qui rectè agens oblocutionibus inuidi tristatur. 87.2

Stultitia tam indecora est, vt vel mater ridens in etatis filij, mœstitia afficiatur videns filium stultum. 20.1
Stultus qui à pietate deuiat. 3.1
Stulto respondendum, non approbando, sed taxando stultitiam. ad initium voluminis in Antilogia.
Stultus tacere nescit. 40.2
Difficilè ad frugem meliorem adducere stultum, quia non callet culpæ grauitatem. 45.2
Stultus hic non colligit, quo æternum viuat. 20.1
Stulti hominis est, iracundiæ satisfacere obiiciendo aliùs generis defectus. 200.1
Stultus nescit tacere, vnde non potest contemptui adhibere remedium. 25.2
Stultus non vocatus se ad domos ingerit alienas, 233.2
Stultus planè est, qui ad regimen eleuari postulat. 75.2
Stultus quæ nouit vna vice profert: Sapiens pro opportunitate loquitur. 71.2
Stultus qui ob timorem in confessione crimina abscondit. 69.1
Stultus si tacere sciat, Sapiens esse videbitur. 26.2

Subditus.

Multi subditi Præsulem non reuerentur, nisi eum timeant. 201.1
Si nescit superior, subditus ignorabit. 266.2

Subtaxare.

Subtaxantur mendici superbi, & murmuratores. 213.2

Subuenire.

Qui indigenti amico non subuenit, ipse egens non inueniet amicum qui subueniat. 26.2
Qui cuilibet egenti postulanti non subuenit, immisericors est; qui verò propinquo non succurrit, est planè crudelis. 23.2

Subuersio.

Subuersio est agnata superbiæ. 224.1

Sufferre.

Patienter sufferens Regis repulsam, qui aliquid honoris, vel opum ambit, tandem consequitur. 61.2

Suggestio.

Suggestiones diaboli mundi, ac carnis comprimendæ cum paruæ sunt cum incipiunt. 113.2

Summissio.

Humilis summissio, quà consilium à Superiore petis, Deum ad te allicit. 115.1

Superbia: Superbus.

Maximæ superbiæ est indicium, inuenire in paupertate, vnde efferaris. 245.1
Superbia quodammodo est omnium collectio iniquitatum. 204.1
Verborum superbia & arrogantia ex pessimo corde plerumque procedit. 64.1
Ne superbiant Reges ex eadem vulgarium massa formati. 146.1
Superbia omnis peccati est initium. 205.1
Superbia non est honorem tibi debitum modestè tueri. 206.1
Assolet superbia luxuriæ flagellari. 37.1
In omnibus peccatis superbia inuenitur. 205.1
Superbus est fera, est tantus, quem Deus elidit, & frangit. 194.1
Superbi haud possunt ab ignominia pariter cum superbia incedente liberari. 22.2
Superbus planè insipiens. ibid.
Superbi in ipsa eleuationis actione deiectionem habent. 205.2
Superbi non habent vnde verè efferri possint: cuncta sunt somnia. 268.1

Supplicium.

Graue supplicium est impio, qui opibus abundauit, inopia premi. 58.2
Qui supplicio affectus pro criminibus, vlterius delinquit, se grauiori supplicio præbet obnoxium. 176.1
Scelerati mariti magnum supplicium est, coniugem nequam habere. 246.1
Horribile supplicium est, permitti peccatorem, ex vno crimine in aliud incidere. 58.2
Supplicium Reipublicæ est bono Rege orbari, & frequenter vnum alij succedere. 68.2
Festinat supplicium peccatori publicè de peccato glorianti. 219.1
Magnum Dei supplicium permittere, vt impius delicta multiplicet. 45.2

Surdus.

Murmuranti aut detrahenti, sis surdus, & mutus. 253.1

Susurratio: Susurro.

Susurratio vocatur per antonomasiam *peccatum* 353.1
Susurrationis vitium Deo admodum detestabile. 13.1
Iosame prorsus susurronis nomen. 193.1
Susurronis infamia superat notam lattocinij. 193.2
Susurro homo peruersus. 37.2
Susurrones iurgiorum auctores. 64.2

T

Tacere.

Sapienter tacet, qui timet se ineptè locuturum, & qui loquendi spectat opportunitatem. 229.2

Tarditas.

Tarditas subditi ad obediendum oritur ex eo quod non meditatur spirituales, ac temporarios obedientiæ fructus. 35.1

Taxare.

Taxantur qui vinum vile, seu acidum altari opponunt vix consecrationi valens deseruire. 311.2
Taxantur qui existimant se nouos conceptuum partus edidisse. 81.1
Taxantur Reges, qui milites sinunt inopia premi. 248.2
Taxantur qui dum Missa celebratur, loco precum vana colloquia miscent. 312.1
Taxantur qui Concionatores loquaces, & non prudentes veritatis assertores quæritant. 233.1
Taxantur qui triticum pro decima reddunt. 271.2
Taxantur qui importuno tempore aliquid, aliàs æstimabile gerit. 66.1
Taxantur, qui nouas opiniones laxiores sine solida ratione sectantur. 232.2
Taxantur illi, qui vt opes auare recondant, fame premuntur. 84.1

Tempus.

Tam breue est humiliationis, & laborum tempus, vt cum patimur, pati vix videamur. 184.2
Tempus mortis quodammodò tuum non est ad pœnitendum. In tempore ergo tuo pœnitentiam age. 95.1
Præsentia tempora feliciora prælapsis. 94.1
Vitæ tempora acquirendæ diuitiæ ad tempus egestatis, quando operari non poteris. 225.1
Tempus ipsum peccandi, debet quodammodò esse tempus pœnitendi ob vitæ incertitudinem. 85.1

Templum,

Templum.
Qui Templum ingreditur affectu libidinis, Deum non colit, sed ridet. 88.2

Tenebra.
Horribiles peccatorum tenebræ. 172.2
Tenebræ Ægypti Solem vincunt claritate, si eum tenebris peccati componantur. 171.1

Teneri.
Strictiori iure tenentur proximorum saluti incumbere illi, quos Deus de inimicis amicos fecit. 113.1

Tentamen: Tentatio.
Visu parantur luxuriei tentamina. 202.1
Valide tentamina superare, ad perfectum Dei amorem disponit. 113.2
Qui tentat viduam incommodo afficere, agit, vt in proprium caput id recidat incommodum. 34.2
Vtilius est animæ ad meritum, tentationes persistere, quàm omninò ablegari. 113.2
Carnis tentationes sine orationis exercitio difficile poterunt superari. 184.1

Testis.
Testis falsus frustrà accusat; quia citò mendacium manifestatur. 59.2

Thalamus.
Thalami coniugalis ius vel leui libidinis suspicione violari videtur. 202.2

Theresia.
Diua Theresia Ordinis Carmeli potest dici Fundatrix. 311.2

Thesaurus.
Si thesaurus Sapientiæ non minuitur dum aliis communicatur, iniustè Sapiens non docens alios, se auarum præstat. 146.2

Thronus.
Indignè thronum occupat, qui non iustè gubernat. 151.1

Timere: Timor.
Qui timet Deum, ab omni piaculi præferente speciem fugit. 31.2
Timor Dei est paradisus ad quem serpens non inuenit aditum. 286.2
Timor Dei non est rigidus, siquidem affert animo exultationem. 217.1
Timor Dei vitam, etiam temperantiam producit. 181.2
Timor Dei panis est, qui cor hominis confirmat. 116.2
Timor & amor Dei vna in sede morantur. 184.2
Timor Dei alium quemcumque timorem expellit. 269.1
Qui timet Deum hic quasi in statu beatitudinis degit. ibid.
Qui peccauit, semper debet timere, an ex corde egerit pœnitentiam. ad initium voluminis in Antilogia.
Timor Dei bona etiam temporaria auget. 182.1
Timentis Deum vita producitur prosperitate diffluens. ibid.

Tintinnabulum.
Tintinnabulum, quod pulsatur in Missa, specialem, ad consecrationem attentionem indicit. 299.1

Tolerantia.
Gratissima Deo patientis animæ tolerantia. 119.1

Tortura.
Inuidiæ tortura grauissimam quamque æquat calamitatem. 155.2

Transgressio.
Ex parua indulgentia in leui piaculo, grauis transgressio prouenire potest. 146.2

Transitus.
Facilis transitus à paupertate ad diuitias, à diuitiis ad paupertatem. 208.2

Tribuere: Tributum.
Quidquid ineptum agit Magistratus, Principi eum eligenti ad munus, à cunctis tribuitur. 101.2
Qui Regi imponenti tributa adulantur, & conuersi ad tributarios de tributis impositis conqueruntur, terram duabus ingrediuntur viis; vnde væ illis. 184.2

Tribulatio.
Tribulationis ignis acuit animi pulchritudinem. 184.1
Tribulatio Dei amore suscepta non torquet, sed recreat animum. 119.2
Tribulatio donum Dei est. 184.2
Tribulatio prædestinantes angit ad salutem damnandos magis torquet ad exitium. 307.2
Tribulationes maximè proficiunt peccatori ad pœnitentiæ affectum. 184.2
Quies solùm est Christi imitatori, vbi tribulatio reperitur. 109.1
Speciosam admodum faciunt Dei misericordiam nostræ tribulationes. 272.2
Tribulatio non flatu Aquilonari, virtutum aromata profluunt. 118.2

Tribunal.
Priusquàm Dei tribunali sistaris, institue priuatum examen vitæ tuæ, vt scias ad obiecta respondere. 214.2

Tristis: Tristitia.
Vix inuenitur, qui Regibus audeat tristià denunciare. 306.2
Agnata est peccato tristitia emortuæ animæ luctus. 114.1
Nihil magis debet nos à tristitia reuocare, quam mortis, quà dissolutio miseriæ humanæ fit, recordatio. 280.2
Tristitia facit hominem inopia premi. 280.1

Triticum.
Inuisus Deo, ac populo qui ex tritico lucra procurat. 24.1

Turpitudo.
Aspicere fœminam impudicam, signum est animi in turpitudinem propensi. 289.2

Turris.
Obedientissima turris fortissima à cunctis hostibus animam defendens. 117.1

V

Va.
VÆ proprio conuenit peccatori. 288.2

Valetudo.
Melior est valetudo corporis, quam diuitiæ. 258.2
Valetudo census est, cuius redditus iucundi. ibid.
Corporis exercitatione conseruatur valetudo. 261.1

Velocitas.
Velocitas peccandi, & immaturitas moriendi, pari solent gressu incedere. 94.2

Venia.
Faciliùs obtinetur ab amico venia ob conuitium, quàm ob secreti reuelationem. 251.1

Venus.

Immoderatus Veneris vsus perspicacissimum intellectum hebetat. 95.2

Verbum.

Verba cordis affectus indicant. 55.2

Verba iniqua opera vocantur, vt eorum grauitas significetur. 238.2

Omnia sacrae Scripturae verba inenarrabilia sunt. 273.2

Verbum durum ex contemptu prolatum diriùs quam gladiùs vulnerat. 258.2

Verba cordis declarant conditionem, siue essentiam. 250.1

Meditanda verba prius, quàm proferantur. 250.2

Verba sunt cordis speculum. Vbi eius studia vidimus. 66.2

Verecundia.

Verecundia tonitruo comparatur. 263.2

Veritas.

Raro inuenitur, qui alij nudè veritatem amaram annunciet. 105.2

Vt veritas vel in minimo non laedatur, exactà diligentià opus. 219.2

Veritas cum sit lux, non potest diù mendaciorum tenebris obrui. 51.1

Vestigium.

Praesules noui antiquorum vestigia recta sectentur. 109.2

Vexatio.

Peccatori dat intellectum vexatio, vt resipiscat. 305.1

Via.

Molestiis plena via iniquitatis. 9.2

Nudus debes viam perfectionis inire: cursui obstat quidquid terrenum gestas. 120.2

Qui per vias insusitatas spiritus incedere student, ruinae sunt obnoxij. 69.2

Viae rectae ad caelum laborum sustinentia. 185.1

Compendiaria ad caelum via est eleemosyna. 24.2

In via spiritus non proficere deficere est. 95.1

Mirabilis est via hominis, qui Deiparae protectione nititur, post varius enim casus tandem patriâ aeterna potitur. 74.2

Vicissitudo.

Memor vicissitudinum queis sunt mortales obnoxij, deiectos à fortunâ ne despicies. 198.1

Vigilia.

Prudens vigilia facit, Prophetiae spiritum quodammodo habeat ad subditorum rectam gubernationem. 301.1

Vindicta.

Vindicta ab homine patrata est vindictae diuinae in exemplum. 252.1

Horribilem vindictam de inimico sumit, qui ei iniuriam inferenti parcit. 48.1

Vinum.

Ex nimia vini potione fons vitiorum emanat. 82.2

Vinum reguli instar solo necat aspectu. 56.2

Vinum, & voluptates hominem reddunt stultum. 82.2

Idem tibi sit, vinum in vas effundi ad bibendum, ac aqua esse dilutum, ad temperantiam. 18.1

Te Deo vinum omnino purum exhibe, ne ruminans, & te acidum esse comperiens ex ore proijciat. 126.2

Vinum non sit potus valenti, sed aegro medicamen. 76.2

Vini vsus temperatè hausti valetudini est aptus. 261.2

Vir.

Indecorum est viro rixari, & verbis contendere. 46.2

Indecentissimum est viro capiti ab vxore, eius costa, gubernari. 202.1

Vnus vir nullus vir. Vnde Societatis commoda recensentur. 88.1

Cum petere vir cogitur, rubore perfunditur. 256.2

Vir Sapiens omnia iniqua postulata viriliter repellit. 230.2

Exprobrabilis vir, qui affectatè quaerit causas recedenti ab amicitia. 41.1

Viri constantis est, stare promissis. 208.2

Vir iustus fugiat impij consortium qui, canis instar, cruentè mordebit. 213.1

Insignis sanctitatis vir protegit vrbem, ne ob multorum pereat iniquitatem. 71.1

Virga.

Spinea regiminis virga in manu insipientis eum, & subditos cruentat. 63.2

Nihil magis timendum, quam potestatis virga in manu impiorum. 70.2

Virginitas.

Quae virginitatis statum violauit, nuptialem thalamum inficere audebit. 291.1

Virgo.

Nullum verbum virgo proferat, quo possit subolere solitarium in domo cum viro recessum. 115.1

Virtus.

Virtutes quas iustus studet ab oculis hominum abducere, gratiores Deo apparent. 117.1

Virtus quantumuis occulta celari non potest. Opera te non natalitium laudet. 78.2

Deprauatae voluntati virtus impossibilis videtur. 142.1

Virtus eleemosynae est quasi omnium virtutum epilogatio. 24.2

Eximia virtus, inter impios degere, & eorum impietate non infici. 306.1

Proferendae proximi virtutes, vitia reticenda. 193.2

Virtus diligentia fouetur. 25.1

Virtus spei ita animum recreat, vt loco praemij laborum posse recipi videatur. 184.1

Oratione & mortificatione virtutes conseruantur & crescunt. 117.2

Visio.

Non satiantur vnquam Dei opera videntes, seu fastidio non sunt semper aspicientibus. 292.2

Visitatio.

Rara visitatio pretiosa est, & aestimabilis: frequens verò vilis, & contemnenda. 61.2

Vita.

Breuis vita Regis tyranni. 205.1

Vita auari innumeris addicta perturbationibus verè vita non est. 34.2

Tam fallax est vita, vt prius quodammodo sit mori, quam nasci. 80.1

Vita tam breuis est, vt necessarium sit celeriter opera iustitiae praestare. 135.1

Vtiliter vita hominis alternis felicitate, & aerumna componitur. 94.2

Vita Principis non auari diuturna fit pauperum benedictionibus. E contra eorumdem maledictionibus decurtatur. 69.2

Hominis diuturnior vita qua momentum est. 198.2

Iucundior vel hic iusti, quam peccatoris vita. 29.1

Vita impij deploranda est, mors verò laetitia prosequenda. 235.2

Quotidie persuadere nobis debemus eam diem esse vitae nostrae nouissimam. 280.2